

ANNALES ECCLESIASTICI

AB ANNO MCXCVIII.

UBI DESINIT

CARDINALIS BARONIUS,

AUCTORE

ODORICO

RAYNALDO

CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO.

Accedunt in hac Editione

NOTÆ CHRONOLOGICÆ, CRITICÆ, HISTORICÆ,

QUIBUS RAYNALDI ANNALES ILLUSTRANTUR, SUPPLENTUR, EMENDANTUR,

AUCTORE

JOANNE DOMINICO MANSI

LUCENSI

CONGREGATIONIS MATRIS DEI.

Tomus Octavus.






LUCÆ

Typis LEONARDI VENTURINI MDCCLII.

De Superiorum Licentia.



ANNALES ECCLESIASTICI.

I. Concilii coetus in Germ. & Hisp. pro tollendo schism.



Elebrati sunt duo insignes memorabilesque Francofurti in Germania, & Salamanticæ in Hispania episcoporum & principum conventus anno Christi millesimo trecentesimo nonagesimo septimo indictione quinta de explorandis præstantissimis viis ad tollendum schisma, omnibusque Christifidelibus in unius Pontificis obsequium revocandis. Sed antequam de his dicere aggrediamur, Bonifacii gesta, qui omnes curas ad infringendos antipapæ impetus, tuendamque dignitatem convertit, præmittenda visa sunt. Afferebant illi plurimum sollicitudinis ac formidinis Britonum turmæ, quæ patrimonii beati Petri nonnullas occupaverant arces; ex quibus vicinas oras populationibus incursionibusque vexabant. (Britones urbem infestant.) Cum vero ad eos comprimendos contraxisset vires Pontifex, visum ipsi est nobiliorem reportandam victoriam, si auro placati dimitterentur e provincia, quam si ferro, multo fuso cruore, excluderentur: qua de re hæc ad pontificium in urbe vicarium, atque ad Romani cleri quæstorem scripsit (a).

(a) Lib. 4. epist. cur. pag. 208.

Venerabili fratri Francisco episcopo Nolano in alma urbe pro nobis & Romana ecclesia in spiritualibus vicario, & dilecto filio Jacobo de Tedallinis cleri dictæ urbis camerario salutem, &c.

Exposuimus equidem, prout in notitiam potuit quorumlibet pervenire, pro recuperatione terrarum in provincia nostra Patrimonii B. Petri in Tuscia a nonnullis occupatarum Britonibus, qui hæretica pravitatis malitiam in eorum periculum animarum damnabiliter confovendo, cum ignominia Italici nominis Reginam urbium sacratissimam nostram sedem, ipsumque Patrimonium, ducatum Spoletanum, Maritimam, atque Campaniam nostras & Romanæ ecclesiæ provincias, regnumque pariter tanto jam tempore flagellis afflixere crudelibus, prout adhuc continuis guerrarum turbinibus perturbare non desinunt, quidquid erogare voluimus in armatarum conductis gentium, quas etiam in copiosissimo numero (ut reliquas, quas ad alias tuendas provincias exerceri facimus, transeamus) in eodem Patrimonio militanter patissime nunc tenemus, ut a tam horribili clade, totam patriam inhumaniter lacerante, eandem liberare possimus, prout in altissimi confidimus omnipotentia Salvatoris, pacifica reductionis studia volentibus paternæ pietatis affectu, & obstinatis armatum potentiam in medium exponentes, ut ad votivæ consecutionis effectum sub virtute potentiæ utrique casuum sit consultum, & meliorem, tutioremque certam reductionem existere dignoscentes, quam de consecutione victoriæ spem habere, &c. Addit impetia ut ad perducendum ad exitum consilium a clero Romano tria aureorum millia exigerent. *Datum Romæ apud S. Petrum tertio id. aprilis pontificatus nostri anno octavo.* (Placare eos auro nititur Bonifac.)

II. Anglos in Italiam evocat.

Suspecta etiam erat Bonifacio, ut vidimus supra, Gallorum confirmata potentia in Italia, ad quam debilitandam opponendi illi Anglos æmulos consilium cœpit, ad idque Joannem Holand comitem Hontyngdonensem Richardi Anglorum Regis fratrem sollicitavit: qui cum defendendæ sibi sedis Apostolicæ perhonorificum onus in se lubens suscepisset (b), Bonifacius omnibus Anglis qui illius signa, accepto crucis symbolo, sequerentur, præmia

(b) Bonif. li. 4. pa. 56.

mia indulgentiarum proposuit, & Cantuariensi, Eboracensique archiepiscopis provinciam dedit (a), ut sacram illam militiam promoverent. Ad sustentandos vero belli sumptus sacerdotiorum Angliæ & Hiberniæ annuam decumam, Joanni attribuit (b): sed evanuit meditatum id Pontificis consilium, sive Richardus Rex a fratre eam expeditionem comparari non sit passus, ne recenti cum Gallis icto fœdere novis se bellis implicaret, extrahendive schismatis occasionem daret, sive etiam novis suorum conjurationibus districtus, ad eas dissolvendas fratrem penes se tenendum censuerit, quem Richardo præsidio fuisse testatur Walsinghamus (c), cum in conjuratos severitas exerceretur. Thomam porro Glocestriæ ducem Regis patruum conspirationis principem Caletum amandatum, ac præfocatum idem auctor refert, ac Richardum comitem Arundeliæ ferro cæsum, tum plures alios vinculis mancipatos, aut in exilium actos: inter quos Thomas Arundelius archiepiscopus Cantuariensis prædicti comitis frater multarum virtutum laude conspicuus solum vertere coactus est. Cum vero Richardus Rex nonnulla edicta juri ecclesiastico adversa nondum rescidisset, Pontifex abbatem Nonantulanam, & Jacobum Dardanum nuntios, ut ea abrogaret, instare (d) jussit.

(a) Ib. pag. 38.

(b) Ib. pag. 36.

Carcere successa Bonifacii consilia. Conflatæ in Anglia adversus Richardum conjurationes. Animadversum in plures principes

(c) Walsin. in Rich. 2. & in Ypodigm. Neustr. Polyd. Vergil. lib. 20. Harpsfel. sæc. 14. c. 50. & sæc. 15. c. 9. & alii.

(d) Lib. 4. pag. 156.

Dilectis filiis Nicolao abbati monasterii S. Silvestri de Nonantula ordinis S. Benedicti Mutinensis diœcesis referendario nostro ac Jacobo Dardani fructuum & proventuum cameræ apostolicæ in regno Angliæ debitorum collectori salutem, &c.

Cum pro retractatione, cassatione, revocatione, & annullatione quorumdam statutorum, dudum in regno Angliæ contra nos & Romanam ecclesiam ac libertatem ecclesiasticam factorum, & nonnullis aliis ipsius ecclesiæ, ac charissimi in Christo filii nostri Richardi Regis Angliæ illustris, suique inclyti regni statum concernentibus negotiis ad ipsius Regis præsentiam, dictumque regnum, te fili abba, duxerimus destinandum, ac hujusmodi cassationis, revocationis, & annullationis prosecutionem vobis duxerimus committendum; nos volentes vos plena potestate muniri, ut eo facilius hujusmodi negotia exequi valeatis, quo majori fueritis per nos potestate muniti; ac de probitate & hujusmodi vestris virtutibus sumentes in Domino fiduciam specialem, vobis & cuilibet vestrum in solidum, nostro & dictæ ecclesiæ nomine, cum eodem Rege, ejusque proceribus, magnatibus, & consilio, ac prælatis super retractatione, cassatione, revocatione, & annullatione statutorum hujusmodi, & super hujusmodi vobis commissis negotiis, omnia & singula, quæ pro hujusmodi statu, honore & utilitate nostris & dictæ ecclesiæ, ac Regis & regni prædictorum, discretioni vestræ necessaria & utilia videbuntur investigandi, tractandi, deducendi, & concludendi, promittendique quod ea faciemus inviolabiliter observari & similes promissiones recipiendi, & infra, *cautelis ad hæc necessariis, & etiam opportunis, ac omnia & singula faciendi, exercendi, exequendi, & complendi, quæ in præmissis & circa ea, & quælibet, plenam & liberam authoritate apostolica tenore præsentium concedimus potestatem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum id. novembris pontificatus nostri anno VIII.*

Tum ad jura alia Romanæ ecclesiæ recuperanda intentus, cum Franciscum Cattariam Nonantulam & Bazanum in suam recenter potestatem redegisse accepisset, ea loca ictentatis contra tendenti ecclesiasticis censuris VI. kal. novembris repetiit (e). Potitus ille erat recenter Patavio Venetorum ope, & ducis Bavariæ exercitu adjutus arcem præsidiariis Mediolanensibus insessam obsidione cinxit, ac demum etiam submisso a Florentinis Joanne Acuto expugnavit. Paulo ante Mantua a Joanne Galeatio Mediolanensi duce terra & aquis imposita Pado & Mincio omnibus classe obsidione pressa fuerat; sed in extremum discrimen adductæ Carolus Malatesta Veneto succinctus exercitu suppetias tulit (f), ac terra & aquis florentissimam de hoste victoriam reportavit, captis hominum sex millibus, equorum millibus duobus, tum bellicis tormentis & navibus in potestatem redactis. Qua clade territus Mediolanensis exercitum ex Etruria vocavit, ac postea Franciscum Gonzagam Mantuanum victoriam persequi detrectantem iterum adortus est gravi bello, quod victo ad Governolam Vicum Galeario sedatum est. Acceptæ porro apud Mantuam cladis occasione non modo Patavium Joannis Galeatii servitutem excusserat, de quo mentio facta est, sed etiam Veronenses ea rerum conversione moti, Vicecomitis præsidium pepulerunt Antonium Scaligerum ex Etruria accersere meditati: sed audita ejus obitus fama, mutatis animis Ugolottum Blancardum Vicecomitis ducem pacto fœdere evocarunt: at contra spem ab insolente milite opulenta civitas direpta est.

Nonantula & Bazanum erepta Rom. ecclesiæ.

(e) Lib. 4. num. 8. epist. curr. pag. 291.

(f) S. Anton. tit. 22. c. 3. §. 26. 27. Blond. Fl. dec. 2. li. 10. Petrus Marcel. in Anton. Venerio Corius histor. Med. part. 4.

Patavium Mediolanense jugum excutit.

Verona direpta.

III.

Inter hæc in Germania Francofurti celeberrimi conventus mense aprili habiti sunt, ad quos Galliæ & Angliæ Regum & plurium aliorum principum, necnon academiæ Sorbonicæ oratores confluxere: in quibus multa de fidelibus sub unico Pontifice mutuo sacro fœdere conjungendis consilia duodecim dierum flexu agitata fuerunt (g), sed irrito conatu; cum Galli ad Germanos & alios catholicos a Pontificis obsequio abducendos falso affirmarent

Francofurti conventus Germanor. celebrati.

(g) Theod. Niem li. 2. c. 33. & Juvenal. Ursin. in Carolo VI.

rent, antipapam invaso gradu abiturum, si Bonifacius pontificiis apicibus se abdicaret, eosque ursere, ut submitterent Romam oratores, qui precibus contenderent a Bonifacio, ut Petro e Luna pontificia insignia abiiciente, ipse gradu pontificio cederet ad tot regna ecclesiæ Romanæ gremio restituenda: ingratam vero Bonifacio eam legationem accidisse refert Theodericus e Niem [1].

Bonifac. rogant ut pontificatu se abdicet.

Præfatus, inquit, *Bonifacius multum ægre tulit, quod dicti principes eum hortabantur ad cedendum:* nec immerito; cum politici leges vellent dare Pontifici, a quo potius conflati schismatis veniam supplices poscere debuissent; neque umquam antipapam ad decantatam abdicationem essent adducturi; neque etiam Sorbonicæ academiæ ad eum coercendum, conglutinandasque ecclesias valeret authoritas, sed concilii œcumenici, quod poscebat Bonifacius, ut ex Castellæ Regis literis afferendis liquet; in quo etiam illi causam schismatis excuti ferre non poterant, ne uti sæpe dixi, criminis arguerentur; sed pacis Ecclesiæ restituendæ specie callida consilia de opprimendo Bonifacio antipapa moliebatur, ut inferius visuri sumus.

Ficte concilium postulant schismatici.

Interea Wenceslaus, qui toties admonitus fuerat, ut Romanæ ecclesiæ patrocinium adversus schismaticos susciperet, ab his corruptus iniquam edidit sanctionem, qua Marsilii & Janduni hæresiarcharum, (qui Imperatoribus authoritatem & imperium in Romanos Pontifices contulerant, ut veluti ipsorum judices postulare eosdem judicio, plectereque & deturbare apice pontificio posse, impie Ludovico Bavaro gratum facerent effutierant) erroris amplexi suspicionem injecit: jactavit enim deliquisse universitatem principum, sacerdotum, pari flagitii dedecore Pontificem cum antipapa

Iniqua Wenceslai sanctio. Crimine schismatis Pontificem cum antipapa involvit.

involvens; tum conquestus est plures Pontifices ingratos in Cæsares extitisse, & calumniam authoritate Marsilii & Janduni confirmavit; denique se judicem controversiæ constituens plures accusationum libellos in Pontifices sibi datos, atque in ipsos veluti reos se animadversurum & schisma sublaturum promulgavit (a). Illum porro ob ecclesiasticum patrocinium adversus schismaticos desertum, atque ob ignaviam cæsareo nomine indignum, authoritate apostolica a septemviris implorata imperio deturbatum, atque ob scelera maximis miseriis involutum, ac vilissimi instar rei in publicum carcerem conjectum, visuri sumus: nunc ad aliorum Regum postulata digrediamur. Meminit S. Antoninus de aliis oratoribus anno superiori a pluribus Regibus missis ad Bonifacium, ut e pontificio fastigio Ecclesiæ universæ in pristinam concordiam ac splendorem, sublato schismate, revocandæ causa descenderet (b): *Anno*, inquit, *Domini MCCCXCVI. mense septembri venerunt multi oratores ad urbem missi a multis Regibus Christianitatis, videlicet a Rege Franciæ, a Rege Hispaniæ, a Rege Navarræ, a Rege Aragonum, qui omnes obedientiam exhibuerunt Clementi & postea Benedicto successori ejus, exhortanda & rogando Bonifacium, ut ad removendum schisma vellet renunciare omni juri, quod prætenderet in papatu, cum & Benedictus se pararet ad idem faciendum: qui respondit, se esse verum & indubitatum Pontificem summum & nullum alium, propter quod nulla via mundi intendebat renunciare; unde reversi sunt ad dominos suos nihil obtinentes.* Fit etiam mentio in libris de schismate gestæ apud Bonifacium legationis Francorum & Anglorum Regum nomine a Roberto quodam schismatico eremita, quem hoc anno accessisse ad Bonifacium ex eo colligitur, quod

Pontificia authoritate postea dejectus imperio.

(a) *Extat apud Melchior Goldast. t. 20. pag. 96.*

Regum legatio ad Bonifac.

Ejus responsum.

(b) *S. Antonin. 3. par. tit. 22. c. 3. §. 2.*

Fraudes Petri e Luna.

 dum

NOTÆ [1] Cum hoc anno de ratione schismatis abolendi diu multumque disceptatum fuerit, & Christianorum principum alii alias instituerint controversiæ componendæ formas, non abs re Lectorum fore arbitror, si principum singulorum, quas monstrabant ad ecclesiæ unionem assequendam vias indicemus. Ex annalium lectione patere arbitror Pontifices ambos suam peculiarem tollendi schismatis rationem proposuisse. Bonifacius enim Concilium generale eligebat, & cætera omnia repudiabat. Benedicto concilium displicebat, arbitrisque a se & ab æmulo electis rem totam committebat. Galli cum rege optimum censebant, si pontifex uterque dignitate cederet; tum vero ab utriusque partis cardinalibus, ab utroque pontifice ante cessionem confirmatis, tertius alter Pontifex eligeretur. Martinus Aragonum rex in sententiam de arbitris eligendis inclinabat; eam tamen fieri inter partes conventionem jubebat, ut qui pontifex causa inferior pronunciaretur ab arbitris, ille perinde haberetur, ac si sponte dignitate cessisset. Qui vero pontifex ex sententia arbitrum vinceret; ille perinde esset, ac si tunc iterum electus novus pontifex renunciatus fuisset. Castellæ rex accedebat ad Gallos; ita tamen sententia temperata, ut quandoquidem Benedictus sparserat in vulgus optare se in loco suo cum æmulo venire ad colloquium, ac tunc demum novam se rationem propositurum, qua inter partes conveniret, ita admittendum id censuit ut simul certus terminus conventioni huic absolvendæ, seu peragendæ proponeretur. Quo elapso termino, nisi ecclesiæ *de certo, & indubitato pastore provideretur, ex tunc ambo litigantes cederent, & renunciarent.* Hæc reges suggerebant, ex quorum dissidio factum est, ut cum omnes de tollendo schismate solliciti essent, schisma tamen magis magisque convalesceret atque confirmaretur. Harum sententiarum discrimen discimus ex regesto hujus anni actorum veterum de schismate pontificum Avenionensium vulgato a Martene Anecdot. to. 2. MANSI

dum ipse Robertus apud eum agebat, erapit conspiratic, quam Petrus e Luna cum Martino Rege Aragonum, Honorato Fundorum comite, episcopo Assisinate ac pluribus Romanis conflaverat de opprimendo Bonifacio dignitateque deturbando; de qua inferius sermo erit.

Præcipuum porro legationis Pontifici a Roberto expositæ caput fuit adhortatio, ut pro instauranda pristina ecclesiarum conjunctione pontificatu se abdicaret; fallaciaque obtrusit promissa, Petrum e Luna pariter insignia pontificia positurum: tum minas addidit nisi uterque controverso loco cederet, Reges ab utroque se subducturos atque utroque invito ac spreto pacem Ecclesiæ repostum iri: cumque rationem abolendi schismatis denunciandam Regibus a Bonifacio postularet, retulit Navarræ Regi & Galliarum principibus a Bonifacio Romæ Cardinalium & præsulum synodum coactam fuisse, ut in re ardua optimum consilium caperetur, hocque ab ipsis Bonifacio fuisse suggestum [1].

Coacta Romæ Synodus.

Relatio (a) domino nostro Regi Francorum facta xv. die januarii Parisius in domo regia S. Pauli, præsentibus Rege Navarreo, duce Bitariæ, comitibus sancti Pauli & Armeniaci, domino Corala de Lebret, & pluribus aliis per Robertum eremitam, qui ex parte domini nostri Regis & Regis Angliæ ad dominum nostrum Papam Avinionem, & Romam ad alterum transmissus fuerat.

(a) Ext. m. 8. de schism. pag. 13.

IV. *Pater sancte vos conscientias nostras onerastis exquirere, quo facto opus sit: igitur scire dignemini, omnes nos in hanc deliberationem incidisse, quod si exequamini, adversarius vester, ut confidimus, victus & de papatu dejectus est. Verum est, inquit, Regem Franciæ, avunculos ejus, & universitatem Parisiensem, in qua tota inest sapientia, satis esse prudentes: sed & Cardinales intrusi vestrum adversarium persecuntur, & ut dicitur, tertium intendunt eligere: quæ & omnia, quantum in hac materia perpendere potuimus, pro vobis faciunt, sciunt nempe suum Papam non plus juris habere in papatu quam diabolus in paradiso possideat: sed errorem suum, quem diu tenuerunt, honeste volunt contegere; unde quod nobis visum est expedire totum stat, totum in vobis est. Adjungamini igitur Regibus & principibus Christianis tam vestræ quam alterius partis, & quoad poteritis, illis vos confœderetis, eisque requirantur, ut in ponenda pace Ecclesiæ ab ipsis adjuvemini, vestrisque patentibus bullis vos spontaneum ostendatis, vosque cum illis interesse quemcumque locum sive in Alemannia, sive in Francia, aut alibi delegerint, cum vestro collegio convenire. Scire etiam velle, & tempus & diem, quo id fieri voluerint; sed sancta sint inter se sic apta composita, ut vester adversarius causam non habeat breve nimis longum V. E. discedi. Hæc si feceritis non revocamus in dubium Christianos principes eo modo, quo dictum est quo intenditis, vobiscum processuros. Et ut melius æstimamus, vester adversarius jure suo diffisus, aut satis offensus partibus, huic tanta conventui non aderit. Cumque universi referentem approbassent, atque collaudassent, ille respondit se libenter omnia facturum, quod antehac salubrius consilium non audisset: sicque lætum hac responsione & securum omne consilium dimissum est.* Ve-

Consultum Bonifac. ut concilium convocet.

Prædicunt nunquam ad illud accessurum antipapam.

Decernit cogendum concilium Bonifac.

NOTÆ [1] ROberti eremicolæ legationem ad Bonifacium anno huic assignandam ideo censuit annalista, quod in actis ejus legationis, quorum tantummodo fragmentum hic exhibet, legisse sibi persuaserit conspirationem a comite Fundorum, rege Aragoniæ, aliisque conjuratis in Bonifacium decretam fuisse. Sed cum non ante multos annos acta illa inter varia acta prævia ad concilium Pisanum a P. Martene in veter. monum. to. VII. col. 591. &c. lucem aspexerint, palam factum est nullum ibi conjurationis sermonem injici; sed negocium tantummodo sibi assumpsisse illos moliendi, ut Bonifacius pacta ingenti mercede sponte cederet dignitate. Cæterum huic potius anno, quam sequenti, rem hanc gestam ut assignemus suadent verba Roberti ad Bonifacium, quem ad pacem solicitavit, denuncians alioquin *regum & principum hanc esse intentionem ut ab utroque vestrum obedientia subtrahatur*. Quibus verbis indicat subtractionem hanc meditatos quidem, nondum vero decrevisse Gallos; id vero decretum sequenti anno stabilitum fuit. Vicissim autem congressiones illæ comitis Fundorum cum rege Aragoniæ, Romanis, & Episcopo Assisiensi ad præsentem 1397. vel præteritum 1396. pertinent; quare ab his sedibus Roberti legatio haud removenda est.

Hæc olim scripseram, cum postmodum mihi vetera monumenta lustranti occurrerunt literæ Cardinalium Benedicto faventium, quas ad Cardinales Gregorii XII. dabant, signanturque Massiliæ anno 1407. prid. kal. februarii. In his vero literis accepisse se die XV. januarii ab iisdem Gregorii cardinalibus literas, per Robertum eremitam missas, testantur. Hinc nata mihi suspicio num ad hunc ipsum annum, vel præcedentem habentem 1406. referre oportuerit Roberti legationem, cujus epocha in obscuro huc usque latuit. Nec sane in actis legationis illius quidquam legeram, quod chronologiæ huic repugnare cognoscerem. Verum hanc demum sententiam abjeci, cum in actis legi Robertum e legatione reducem Avenione Benedictum convenisse. Hoc enim anno ineunte Benedictus Massiliæ agebat; labente vero præcedenti Genuæ substitit. Insuper pontifex ille Romanus non quidem nepotes suos, ut Gregorius, sed matrem, & fratres, ut acta legationis testantur, lateri adhærentes habebat, quæ sane Bonifacii indoles fuit. Geminæ ergo Roberti profectiones Romam distinguendæ sunt, altera quidem sub Bonifacio, altera vero sub Gregorio. MANSI

Propinqui ob ea sententia illum dimovent.

Verum post biduum avunculus ejus, fratres sui, mater ejus, Cardinales aliqui, & aliqui Neapolitani rem totam perverterunt, & ad eum accedentes; Pater sancte, inquiunt, & si prateri eramus ulla in opinione concordes, omnibus tamen consideratis merito nobis videtur sententiam mutandam attentis germanitate, propinquitate, & affinitate, quas ad illos Reges Rex Franciæ, & avunculi ejus habent. Nam Rex Angliæ Regis Franciæ gener est: Reges Romanorum & Hungariæ germani sunt, avunculos dicti Regis, ipsummet suum fratrem semipuncto minus attingunt, quos mutatos germanos dicunt: cæteri Reges omnes Hispaniæ, Navarræ, Scotiæ ita sunt aut generis conjunctione, aut uxorum, aut firmissima confœderatione devincti, ut non dubium, si vos inter eos semel & intrusos Cardinales immiseritis, & papatum amittetis, & ex toto vestro de statu deiiciemini, atque deturbabimini; Gallici nempe & Parisiensis universitas, non considerata vestra justitia, Gallicum Papam habere contendent, & reliquos omnes facile ad se trahent vel astutia circumventos, vel benevolentia delinitos, sique errorem suum operient, & eos tanti manebit gloria facti.

V. Sane non tutum fuisse, ut concilium celebraretur in Gallia, ac Bonifacius potestati adversariorum se committeret, certum est, cum illi non justitiæ vellent acquiescere, sed quovis ratione Pontificem deiicere, testatur namque Juvenalis Ursinus (a), ut superiori anno dictum est, Angliæ Regem oratorum opera postulasse, ut in concilio œcumenico controversia dirimeretur, idque etiam a Carolo V. cum in extremo vitæ discrimine divinum tribunal formidaret, consultum; at numquam politici, ut controversia cognosceretur a concilio, assensere; cum constaret contra fas creatum antipapam, si Cardinales, qui ab Urbano desciverant, nulla exauthorandi illius potestate pollerent, eaque causa a concilio œcumenico tantum dirimenda esset. Præterea æqua impudenter jactavit Robertus eremita schismaticus coram Gallorum & Navarræ Regibus & Gallis principibus, Petrum e Luna, apud quem legationem obierat, generale concilium efflagitare cum constiterit ex literis a Rege Castellæ ad Regem Aragonum datis a Bonifacio œcumenicam synodum postulatam; id quod testatur etiam anticardinalis e Turejo (b): nimirum Bonifacium Petro e Luna obtulisse œcumenicum concilium, ut paribus studiis ad illud celebrandum concurrerent similiterque pseudocardinales Petrum e Luna rogasse, ut synodo cogendæ operam daret, sed repulsam passos, quod in eo ambitiosus perfidusque homo se damnandum nosset. Si quod ergo ipse

(a) *Juvenal. Ursinus in Carol. VI.*

Concilioris sententia a Gallis repudiata.

(b) *Extant ejus commentar. tom. 10. de schism. pag. 69.*

expetiit concilium illud fuit, in quo exercere tyrannidem & sectatorum suorum ope verum Pontificem opprimere posset; mentione porro concilii illos deludebat quasi justam causam fovere videretur.

Petrus e Luna oblatum a Bonifac. concilium refugit.

VI. Quod attinet ad conjurationem a Martino Aragonum Rege, Honorato Fundorum comite, & aliis adversus Pontificem factam, de qua supra memoravi (c), inducias jam ante inierat Honoratus cum Bonifacio, quæ hoc anno in sequentem extractæ (d) fuere, ut facilius dolos compararet, de quo graves sunt Bonifacii querelæ (e). Martinus (f) Aragonum Rex e Trinacriæ expeditione rediens ineunte anno, ubi Sardiniam & Corsicam ad ferendo suis auxilia prætervectus esset, Massiliam cum classe applicuit, rogatusque a Petro e Luna, ut Avenionem ad conferenda de schismate tollendo, re autem ipso confirmando, consilia accederet, ingenti apparatu illuc contendit, exceptusque est ultima martii die, ac rosa aurea ab antipapa donatus: cui deinde sacra resurgenti Christo die solemni ritu regnum Sardiniæ & Corsicæ acceptum retulit, fidemque sacramento obstrinxit. Facillime vero ab illo solitis technis fascinatus est, ut ejus patrocinium susciperet, atque aversos ab ipso ob violatum de papalibus insigniis abiiciendis jusjurandum anticardinales conciliare niteretur: cum abdicationem dignitatis ut novam atque insolitam reiiciendam prædicaret, quippe qui illatum decus ingens nomini Aragonio putaret Pontificem gentis suæ se nactum esse, a quo splendidissima quæque speraret. Aliud vero tollendi schismatis admisit consilium Aragonum Rex, nempe de conjuratione constanda in Bonifacium verum Christi vicarium, illoque ex insidiis opprimendo redigendoque in ordinem; quod ita ad exitum perducendum erat, ut Petrus e Luna Romam classe veheretur, cui Joannes e Vico Civitatem veterem duodecim millium aureorum pretio spondebat, ac Fundorum comes una cum aliquot factiosis Romanis Bonifacii intercipiendi, adigendique ad recedendum de statu pontificiæ dignitatis spem dabant.

(c) *Hoc anno nu. 3.*

(d) *Extat de re diplom. pontific. lib. 4. pag. 252.*

(e) *Lib. 5. pag. 161.*

(f) *Surit. annal. lib. 10. cap. 62.*

Rex Aragonum antipapam adit.

Ad eum confirmandum illicia intendit.

Conflata cum eo in Bonif. conjurationis ordo.

Sed evanuere impia perduellium consilia: nam antipapa variis difficultatibus implicitus Romam classe petere non potuit; neque Joannes e Vico ut Civitatem veterem, nisi præsentem eum videret, dederet adduci potuit. Dissipato vero nefario consilio Martinus Rex, qui jam undecima maii Avenione Barcinonem petierat, & ad componendum regnum ac tutandum adversus Fuxensem comitem incumbebat, a pseudopontifice missis oratoribus contendit, ut positis insignibus papalibus pacem Ecclesiæ restitueret: sed is nova quærens diffugia de conventione cum Bonifacio ineunda modum aperuit, nuntios-

Dissipata impia consilia.

tiosque in Germaniam misit, atque Aragonium ad ipsius causam & patriæ decus tuendum induxit.

VII. Martinus (a) igitur, cum accepisset indictos ab Henrico Castellæ Rege Salamanticæ in schismatis causa solemnes conventus, ut optima redintegrandæ pristinæ ecclesiarum conjunctionis, ac sedandarum conscientiarum ratio excuteretur, pronuntiatumque jam esset sequendam Regis Gallorum de urgenda Pontificis & antipapæ abdicatione sententiam, in Henricum exasperatus, missisque oratoribus questus est (b), eum præter fas Gallis addictum videri; Petrum e Luna æquitati se accommodare, atque ad paciscendum cum Bonifacio comparatum esse. Quibus permotus Castellæ Rex, ne Martinum Regem Aragonum exacerbaret, edito amplissimo decreto assensit prius tentandam inter Petrum & Bonifacium conventionem, atque ad id loca & tempora idonea designanda: si vero inter se consentire non possent, tum ambos ad deferenda pontificii culminis ornamenta adigendos (c): quod quidem vanum omnino & exitiale Ecclesiæ non ignorabant Hispani, cum exinde nova semper diffugia captarentur, nec spes ulla affulgeret alterum, ut alteri morem gereret papalem infulam positurum: facile vero & ad excindendum schisma compendium, & ad excutiendos omnes ex populorum animis religionis stimulos unicum remedium esse, ut uterque seu vero seu ficto gradu abiret, amplissimis literis & perspicuis argumentis exposuit Martino Henricus Castellæ Rex ex Salamanticensi conventu, cujus acta facile ex iisdem literis patebunt.

(a) Surit. lib. 10. annal. cap. 64.

(b) Tom. 25. de schism. pag. 26.

Tuetur iniquam antipapæ causam Rex Aragonum.

(c) Id. ib.

Vana & exitialia Hispanor. consilia.

Castellæ Regis ad Aragonium literæ.

Excellentissimo ac potentissimo principi Martino Dei gratia Regi Aragonum avunculo nostro precarissimo Henricus eadem gratia Rex Castellæ & Legionis salutem & peritimæ dilectionis affectum.

VIII. *Illustrissime Rex, recepimus literas vestras per manus venerabilium Vitalis de Blaves militis & Raymundi de Francia decretorum doctoris ambaxiatorum vestrorum, qui coram nobis & coram consilio nostro verbo proposuerunt & scriptis tradiderunt certa capitula super facto unionis Ecclesiæ: de quo regratiamur Deo, qui excitavit cor vestrum & spiritum & aliorum Regum ad procurandum tantum bonum, dum tamen omnes Reges in hoc habeamus præ oculis solum Deum, & breviter hanc unionem fideliter & diligenter procuremus, nec ipsam dilatemus per extraordinarias ullas novasque additiones & modos: Et quia multo tempore absens fuistis a regno vestro Aragoniæ, potuistis verisimiliter ignorare, quæ facta sunt iis diebus. Ne igitur ignorantia facti vos decipiat scire debetis, quod Dominus noster, postquam assumptus fuit ad apicem summi apostolatus, non post multum tempus scripsit serenissimo principi Regi Francorum fratri nostro charissimo, laudando eum & charitatem ac solertem diligentiam, quam circa Ecclesiæ unitatem habebat, ipsum plurimum commendando, regratiando humiliter Deo, qui cor suum dirigebat ad sedulam prosecutionem tam sancti operis, & negocii salutaris, referendo ei grates pro eo quod istud negocium sic firmiter & prudenter assumebat, mittentes sibi copiam cedulæ juratæ in conclavi, rogans ipsum, ut ad ipsum mitteret ambaxiatores suos solemnes, quibus ipse communicaret omnia secreta, cum suæ intentionis emisisset, nil apud ipsum & suos de omni conceptu suo remanere incognitum vel occultum rogando ipsum, & obsecrando per viscera misericordiæ Jesu Christi, quod missionem acceleraret eorum, quot missurus erat, & quod tales eligeret, quibus ipse Dominus noster posset omnia libere aperire: & tunc clare perciperet, quod non differre vel turbare, sed accelerare volebat totis affectibus Ecclesiæ unitatem, & ad id tota sua versabatur intentio, ut operibus elucesceret. Datum Avenione tertio non. februarii sui pontificatus anno primo.*

Inanes fuci pro retinendo antipapatu.

IX. *Demum venientibus ad curiam Romanam pro parte ipsius serenissimi principis Regis Francorum fratris nostri charissimi illustres principibus, ducibus Bituriæ & Burgundiæ, ac Aurelianensi, & supplicantibus domino nostro Papæ in publico generali consistorio pro unione Ecclesiæ quod dignaretur servare cedulam in conclavi juratam, post aliquas responsiones obtulit pro unione Ecclesiæ viam compromissi per modum qui sequitur. Quod postquam convenisset cum adversario, & sequacibus suis loco tuto & securo cum consilio fratrum suorum, certas personas timentes, & zelum bonum ad Ecclesiæ unitatem habentes, in certo numero eligeret, & quod idem faceret adversarius. Qui simul convenientes, juramento prius præstito per eosdem de bene, diligenter, & fideliter procedendo in negocio hujusmodi, ad solum Dei & ecclesiæ servitium habentes respectum, amore, odio, timore cessantibus quibuscumque infra certum terminum præfigendum, auditis, examinatis facti & juris utriusque partis rationibus, eisque recta intentione discussis prout qualitas negocii patiebatur, & requirebat, declararent quis istorum duorum jus haberet in papatu cum certa & sufficienti submissione de tenendo & observando quidquid per dictas personas sic ut præfertur electas, vel earum duas partes declaratum fuisset, seu etiam definitum, adhibitis hinc inde provisionibus in præmissis necessariis & utilibus, seu etiam opportunis &c. Prædicti duces videntes viam compromissi prolixam, & inutilem ad finem schismati imponendum post aliquas supplicationes, quas eidem domino nostro fecerunt, ut aperiret sibi viam breviorem & utiliorem*

Compromissi ambages obtrudit.

Ejus formula.

nul-

nullam tamen aliam viam ete expressit, nisi viam compromissi per modum suprascriptum. Tunc sæpe dicti duces requisiverunt Cardinales ut aperirent sibi viam, per quam citius schisma tolleretur; qui congregati in unum, rejecta via compromissi superius descripta, declararunt in hunc modum.

X. Sacramenti a Petro e Luna nuncupati formula.

Nos omnes & singuli sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales propriis manibus in cedula præsenti scripti qui dudum vita functo felicis recordationis domino Clemente septimo congregati pro electione futura in conclavi ac, prout tenemur, cupientes abolere pestiferum schisma nunc, proh dolor! in Ecclesia vigens, & animarum saluti, amputatis prolixarum viarum ambiguis, providere ac procurare totis viribus unionem Ecclesiæ sanctæ Dei, promisimus & juravimus ad sancta Dei evangelia corporaliter per nos & singulos nostrum tacta, prout continetur latius in quadam cedula per nos in eodem conclavi facta, & subscripta propriis nostris manibus, cujus tenor sequitur in hæc verba. &c. Repetita illa antea est suo loco. Cum itaque assumpto ad summi apostolatus apicem domino Benedicto moderno, qui tunc de numero nostro existens Cardinalis de Luna vulgariter dicebatur, de ipsius mandato pro prædicto schismate tollendo, diversæ viæ fuit discussa. Hinc est, quod bona fide & in nostris conscientiis attestamur, quod habita inter eos deliberatione provida & matura super omnibus viis & modis quibus schisma nunc in Dei Ecclesia vigens posset melius, brevius & facilius sedari & extirpari, & ipsa Ecclesia ad unionem reduci, viam cessionis utriusque partis scilicet domini nostri Papæ Benedicti XIII. de papatu, & intrusi de jure, quod prætendit se in papatu habere, propositam pro parte serenissimi principis Regis Francorum Christianissimi, per illustrissimos principes duces Bituriæ & Burgundiæ patruos, ac Aurelianensem germanum dicti Regis ad eumdem dominum nostrum Papam pro dicta causa ab eodem dicto Rege nuncios destinatos præ cæteris quibuscumque viis elegimus & eligimus tanquam convenientiorem, breviorem, & utiliorem ad dictam unionem faciendam, & toti populo Christiano gratiorem, & ad schisma tollendum, & singulorum conscientias serenandum, viamque hujusmodi cessionis expedire pro bono Ecclesiæ & unitatis prædictæ diximus, & eidem domino nostro Papæ & etiam dicimus, attestamur, & asserimus per præsentes, consuluimusque eidem, & consulimus, ut illam acceptet, & exequatur, prout etiam per præfatos illustrissimos principes pro parte dicti Regis est eidem supplicatum. Insuper asserimus & confitemur nos velle in hujusmodi proposito cum dicto Rege firmiter persistere, & de practica executionis hujusmodi viæ cessionis & aliis circa illam & post illam necessariis & opportunis debite, prout ad nos pertinebit consulere, & etiam providere. In quorum omnium testimonium quilibet nostrum præsentem cedulam manu propria subscripsit sub anno Domini MCCCXCV. die, &c.

Via abdicationis a Gallo & Castellano expetita.

XI.

Sane ut ambaxiatores vestri, verbo & scriptis nobis asseruerunt, postquam vestra celsitudo applicuit Avinionem, fuit informata quod via compromissi superius descripta erat brevior, securior, & utilior ad dictum horrendum schisma tollendum, & quod erat via juris, & justitiæ, quam nemo recusare poterat; quod si ambaxiatores vestri bene ponderassent verba compromissi ibi dum dicitur: Auditis & examinatis facti & juris utriusque partis rationibus, ejusque etiam intentionibus discussis, prout qualitas negocii patitur & & requirit, declararent quis istorum duorum habeat jus in papatu, &c. Non dixissent, quod ista erat via brevior, utilior, & securior, immo est prolixior omnibus aliis viis & finaliter sine fructu; quia re vera per istam viam tarde vel nunquam schismati finis imponetur. Et ut vestra regia majestas melius intelligat, ponamus in practica & in primis pro parte intrusi dicetur, quod via compromissi non est via juris & justitiæ, sicut vos dicitis, & vestri asserunt ambaxiatores; sed quod est via voluntatis, & quod ad istam viam nullus compelletur, nec ipse compelli debet, postquam se offert ad viam concilii generalis, quæ est via juris, & justitiæ, & ipsum concilium generale ipse fecit congregari; Et ecce primam dilationem, seu contradictionem juridicam & rationabilem. Sed præsupponamus quod precibus & cum magnis rogaminibus ipse intrusus condescendat, ad viam compromissi, ad quam facillime condescendet, quia certus est quod tarde vel nunquam per istam viam schisma terminabitur. Et infra: Ponamus quod dominus noster recepit, sicut supra dictum est, pro parte sua dominum Cardinalem Pampilonensem, qui est unus de solemnioribus doctoribus mundi, intrusus recipit pro parte sua Baldum, vel alium solemnem advocatum. Dominus Bonifacius advocatus in aula Romana in facto sciet mirabiliter articulare pro parte domini nostri, dicendo quod electio Bartholomæi fuit per metum celebrata, igitur nulla, & ipse apostaticus, & per consequens ejus successor; & circa hoc faciet quinquaginta vel centum articulos in facto.

Inepta via compromissi proposita ab antip.

Repudiata a Pontifice.

Anteferendum compromisso concilium.

Demonstratur ex compromisso nunquam secuturam pacem.

Pro alia parte non deficiet alius solemnis advocatus, qui dicet quod Barensis fuit canonice electus, & narrabit quomodo omnes Cardinales ipsum elegerant animo, ut esset verus Papa, & ut satisfacerent populo Romano clamanti: Romano lo volemo; posuerunt in cathedra Cardinalem S. Petri. Ultra hoc dicet, quod vult probare, quod post primam electionem de ipso Barensi de mane factam, eodem die sumpto prandio do-

Argumenta pro Urbano a Castellano recensita.

domini Cardinales omnes retraxerunt ad cappellam, & ibi convenerunt, & ad majorem expressionem & cautelam in ipsum archiepiscopum Barensem iterato pure, & libere, concorditer & unanimiter consenserunt, cumque in Papam iterata elegerunt, jurando omnes per cœlum & super unum altare, quod ipsum prius sincere, liberisque mentibus elegerunt cum pura & libera voluntate, dicentes, ac jurisjurandi religione affirmantes electionem suam puram, sinceram, & canonicam fuisse & esse; rogantes ipsum cum precibus & maxima instantia, ut dictæ electioni dignaretur suum præstare consensum, quod & fecit, & quod eadem die tres Cardinales, videlicet domini de Agrifolio, Lemovicensis, & Pictaviensis secesserunt ad partem in dicto palatio cum præfato, sic ut dicitur, electo in loco seu camera studii, & dixerunt eidem quod ipsi tres Cardinales fuerant motivum & causa electionis suæ, supplicantes eidem, ut dignaretur ipsos habere recommendatos, & etiam executionem testamenti domini Gregorii & fratres, & alios de genere ipsius; & certum subsidium præstare pro redemptione fratres ejusdem Gregorii in Anglia captivati; & quod in prima creatione Cardinalium, quam ipse faceret, dignaretur facere Cardinalem quemdam eorundem consanguineum, quem dominus Gregorius facere intendebat, videlicet quendam filium domini Hugonis de Rupe; & quod etiam supplicaverunt eidem, quod dignaretur recipere in cubicularium suum Joannem de Bar.

XII. Item dicet, sicut etiam ipse Bartholomæus Barensis vivens dicebat, quod Cardinales aliqui existentes in sua libertate in castro S. Angeli, illi qui erant extra urbem in castris ad XXIX. milliaria, etiam non vocati redierunt, ipsumque libere inthronizaverunt, coronaverunt & in possessionem, tanquam verum Papam introduxerunt. Item dicet insuper, quod etiam Barensis vivens dicebat, quod postea steterunt domini Cardinales omnes continue in propria libertate absque aliquo metu, non solum Romæ, sed etiam Anagniæ, & scripserunt sibi tanquam vero Papæ, supplicando pro beneficiis & ecclesiis pro se & suis; multa etiam narrabit, & dicet quæ ipse Barensis agens in humanis narrabat, & posuerat in scriptis: super omnibus iis diffuse articulabitur more advocatorum; & non solum de supradictis, sed de multis aliis, & eorum circumstantiis faciet membratim centum vel ducentos articulos & petet se admitti ad probandum. Ex adverso dominus Bonifacius pro parte domini nostri dicet tales articulos generales, diffusos, & vagos, duplices, & malos, ac dentibus lacerandos nec ullo modo admittendos. Advocatus alterius partis dicet totum contrarium, ipsos juridicos & canonicos, ut de jure admittendos. Assignabitur terminus ad audiendum voluntatem

Expositæ futuræ contradictiones.

dominorum compromissariorum super admissione vel repulsione articulorum; in quo termino dominus Pampilonensis dicet omnes articulos, vel saltem aliquos non admittendos; Baldus licet totum contrarium: non deficient jura nec rationes Baldo, & multo minus domino Pampilonensi, & forte ista disputatio durabit per menses & menses, quia hic pendet tota vis istius controversiæ: & ecce tertia non modica dilatio; & forte in hoc nunquam erunt concordes, & tunc poterimus dicere cum Jeremia: Quæsivimus pacem, & ecce turbatio, &c. Affert Rex innumeras atque inextricabiles difficultates, quæ in producendis testibus diversarum gentium admittendis vel refellendis ob itinerum intervalla dandis dilationibus in literis atque instrumentis probandis occursuræ erant; ac si in unius sacerdotii tenuis controversia tot ambages reperiuntur quantæ in ea in qua de Romano Pontificatu, quive Reges & principes in schismate decesserint, pronunciandum agitur emergere debeant? Sed fingat quis controversiæ arbitros illam discussisse mature, atque in Bonifacii gratiam sententiam ferre, num Galliæ, Castellæ, Aragonum, & Navarræ Reges, & Cardinales obstringendi sint Bonifacium verum Pontificem agnoscere, ac reliquos e communione fidelium pulsos, notatosque anathemate fateri? num etiam Bonifacio ea sententia jus attribuet? certe nullum, licet parti contrariæ silentium imponatur, cum sacerdotii jus non e judicis sententia, sed canonica institutione pendeat, ac si in pontificatu æmuli sententiæ acquiescere teneatur, non tamen cæteri eadem religione tenerentur; tum subdit.

Difficultates aliæ illustratæ.

Visis igitur & enarratis aliquibus difficultatibus & dilationibus via compromissi supra descripta, volumus venire ad additionem quam, illustrissime Rex & amantissime avuncule, dicitis vos fecisse: & licet via compromissi, sicut diximus, sit prolixa, inutilis, difficilis, immo quasi impossibilis pariter & infructuosa ad finem schismati imponendum; tamen ista additio, salvo meliori consilio, videtur in tam gravi, arduoque negotio, summe irrationabilis, & injusta quoniam licet via arbitrorum simpliciter acceptorum sit, ut ipsi de jure debeant judicare secundum canonicas regulas, & diffinire prout in via superius descripta plenius continetur; tamen secundum mentem hujus additionis constat plus esse, quoniam vult quod etiam contra jus possit de jure unius contendentium tolli & alteri applicari, & ista non est via arbitrorum, quæ abusive dicitur via juris; sed via & potestas arbitrorum verius dici potest. Itaque nulla ex consideratione videtur posse istam practicam cum ista additione aliquid continere de jure: licet vestri ambaxiatores nobis in scriptis dederunt, & pla-

XIII. Via arbitrii obtrusa ab Aragone.

Iniqua demonstratur.

& plane dixerunt, quod si ista additio bene examinaretur, in ea reperirentur clare omnes quatuor viæ, videlicet via justitiæ, via compromissi, via concilii generalis, & via renunciationis, &c. sed nobis videtur, quod nulla istarum viarum in ista additione clare aut plane reperitur secundum mentem disponentium & volentium singulas vias. Non enim reperitur via concilii generalis, quia ad hoc ut sit concilium generale, necesse est ut omnes prælati per totum orbem ad concilium convocentur, & quod ad concilium congregentur: quia ut dicunt doctores quotquot homines sunt Romæ non faciunt universitatem, nisi convocentur & congregentur ut universitas. Sed in ista additione non cavetur, quod omnes prælati per orbem ad concilium moveantur, & ut concilium congregetur. Igitur, &c.

Impostura antipapæ.

XIV. *Et si dicatur quod de mente facientis additionem est quod convocentur omnes prælati ad concilium ut concilium, certe hoc non colligitur ex verbis, nec talem credimus fuisse mentem. Verumtamen si dicatur quod talis est mens, & quod debeant vocari omnes & singuli prælati orbis & ut ad concilium, dubium est cujus auctoritate. Et interrogamus vos, avuncule amantissime, quantum tempus requiritur, ut ibi convocentur & congregentur, si forte non erunt quinque anni, saltem requiritur aliud magnum tempus: & erit eo venientibus & facientibus concilium ut concilium dicant, & non irrationabiliter: Postquam sumus congregati, & fecimus tot & tantas expensas, & sumus ut concilium, volumus esse ut concilium, & esse judices, vel judices deputare ut placet nobis, nec volumus quod isti duo, qui tamdiu contenderunt de papatu, eligant compromissarios, quia suum non est; & quis est, qui resistat sibi cum ratione non videmus? & sic additio ista ad viam concilii nihil valet, nec prodesse potest illi, qui eam ordinavit, quia non placebit concilio, quod ipsi eligant compromissarios; alias irridebitur ab eis, & dicetur quod non est concilium, sed conciliabulum, &c. Item dicimus, quod non continetur in ista additione via justitiæ, quæ superius exprimitur via concilii generalis, & postquam illa exprimitur, non videmus qualis & quæ sit via justitiæ: propterea petemus declarari, quæ sit illa via justitiæ. Item, ut prædiximus, secundum mentem in additione cavetur, quod si non potuerint in jure concordare, & fuerit aliqua diversitas, quod providcatur uni ex istis contendentibus, tollenda uni & danda alteri: & possibile est, quod tollant papatum vero Papæ & dent intruso, & si ista vocatur via justitiæ, dicimus nos quod est via injustitiæ, videlicet privare jus habentem, & auferre sibi jus & dare antichristo, &c.* (Explicat alias graves difficultates, quibus ea pravis involuta sit, necnon plura inter se pugnantia, ac demum luculenter ostendit nusquam controversiæ arbitros inter se de ferenda sententia consensuros: sed in contrarias partes necessario abituros, cum immortalem gloriam se consecuturos, si adversarium in suam traherent sententiam, arbitrarentur: neque eorum conscientiæ fidendum videri, cum doctores in rebus levioribus contra omnem æquitatem & argumenta cudere, & religionem jurisjurandi conculcare, pœnisque innumeris se obiicere interdum consueverint. Pergit Henricus Rex.

Via justitiæ injustissima expetita ab antip.

Non fidendum arbitris in hac causa demonstratur.

XV. *Igitur, Christianissime Rex & avuncule dilectissime, nolite informari per varias & peregrinas additiones, quæ notarie militant adversus unitatem Ecclesiæ, & ipsam unionem dilatant, & lacerant, sed maturo consilio studeatis, ut cito atque citius istud horrendum & pestiferum schisma tollatur de medio, & habeamus brevissime unum, verum, & indubitatum Papam, quod fieri non potest per viam compromissi, quam reprobat sacrum collegium dominorum Cardinalium, & fere omnes Christiani. Supradicta itaque & multa alia sunt, quæ tam sancte & tam juste nos, & omnes prælatos, magistros, & doctores & religiosos electa vitæ nostrorum regnorum moverunt & veritate conscientiæ coegerunt viam compromissi tanquam prolixissimam & infructuosissimam respuere. Volentes autem dominum nostrum Papam & Regem Franciæ ad concordiam reducere, elegimus viam mediam, quæ sequitur. Rex Franciæ petebat præcise viam cessionis utriusque, dominus noster Papa petebat viam mutuæ conventionis, dicens quod quando conveniret cum adversario in loco tuto & securo, tunc viam seu vias convenientiores panderet, quibus optata unio in Dei Ecclesia sequi posset, quas aperire usque ad mutuam conventionem hujusmodi existimabat & credebat nullatenus expedire; ipsosque concordavimus per hunc modum, quod ante omnia ambo contendentes de papatu insimul convenirent in loca tuta & secura, & revocarentur processus, & hinc inde approbarentur provisiones, &c. prout in practica plenius continetur, & ex tunc inciperent tempora in nostra via contenta, inter quæ dominus noster ex parte sua, & intrusus ex parte alia panderent, exprimerent, & declararent ad votum & sicut eis placeret, viam & vias quales & quantas vellent, per quam, seu quas optata unio in Dei Ecclesia celeriter sequi posset, &c.* Subdit quod adjectum fuerat, ut nimirum si arbitri consentire inter se non potuissent, lapso termino uterque pontificatu se abdicaret: sed nullam diem certam constitutam, quæ sine dubio foret extrahenda: confirmari interim schisma, ac Dei Ecclesiam atteri; veramque esse concordiæ rationem ab Rege Francorum pro-

Via compromissi repudiata a Castellanis.

Agitatum ut contendentes simul conveniant.

Censuras dissolvant.

Inter se pacificantur.

propositam, probatam a Cardinalibus, atque a fidelibus expetitam, illam se a Petro e Luna oratorum opera flagitasse; sed ipsum omnium preces repulisse. Pergit Castellæ Rex.

XVI. Querelæ Regis Aragon. injustæ.

Non ergo, serenissime princeps & avunculе amantissime, fuimus decepti in hac parte precibus alicujus, prout vestri ambaxiatores, sicut eis placuit, licet minus curialiter, proposuerunt coram nobis & concilio nostro, & etiam in scriptis ex parte vestra nobis dederunt, dicentes & asserentes, quod pro complacendo Regi Franciæ ac suo concilio & ad eorum instantiam & requisitionem ad viam cessionis absque plena deliberatione nos & consilium nostrum declinasse: absit enim quod in tam sancto opere nos & consilium tantorum prælatorum movisset nisi vera charitas & bonus zelus, quem habemus ad celerem unionem Ecclesiæ sanctæ Dei, quæ prob dolor! lacerata est, & quotidie laceratur. Igitur, præclarissime Rex & princeps illustrissime, rogamus & hortamur vos in Domino per viscera misericordiæ Jesu Christi, ut velitis cum præfatis Regibus concordare, ac totis viribus cum solerti diligentia & totis affectibus unitatem sanctæ matris Ecclesiæ accelerare & viriliter exequi, quia nisi per Reges circa istud horrendum schisma provideatur, tarde vel nunquam providebitur: & sic dum pastores mutua se altercatione collidunt, lupi rapaces ab omni parte dominicum gregem invadunt. Sedulam itaque prosecutionem tam sancti operis & negotii salutaris amplectamini viriliter ac prudenter: quod si feceritis, præmium in hac vita, & in futura gloriam assequamini sempiternam; quam vobis, & omnibus in hoc sancto opere fideliter laborantibus concedere dignetur, de cujus re hic agitur, qui vivit in sempiternum. Amen. Datum in nostra civitate Salamantina decima die mensis septembris anno Domini MCCCXCVII.

Proposita ingentia mala ex schismate imminentia.

XVII. Duo Minoritæ a Granatensibus martyrio affecti.

Collustrarunt hoc anno Hispanias adepti martyrii gloria Joannes e Cetina & Petrus e Duennas Minoritæ, qui fidei propagandæ cupidi Granatam ingressi, in foro Christum Mahometanis prædicarunt, ac vetiti a Magistratibus sacras conciones habere, affectique verberibus in suscepto Mahometanæ superstitionis oppugnandæ consilio constantissime perstitere, factoque ab impiis impetu capti cæsique sunt (a) a Mahomade tyranno, atque a catholicis ut martyres culti: quorum corpora in ecclesiam Vicensem translata miraculis claruere, ut ex Reginæ Aragonum, quæ se eorundem martyrum precibus commendavit, publica inscriptione octava octobris hujus anni exaratu, tum ex aliis monumentis vetustis constat, in quibus nomina testium, qui eorum martyrio interfuere conscripta sunt, conceptaque fuere hisce verbis (b) publica ea monumenta:

(a) Marian. l. 19. c. 8. Vvading. in annal. hoc anno n. 4. & c. & Boz. de sign. Eccl. l. 7. sign. 27. c. 3.
(b) Ext. apud. Vvading. ibid.

Jesus Maria Franciscus. In civitate Granatæ anno Domini MCCCXCVII. XIV. kal. junii sub Rege Mahomet passi sunt sancti martyres frater Joannes Laurentius de Calathajubo & socius ejus frater Petrus Toletanus de ordine Minorum, qui propter fidem domini nostri Jesu Christi in carcerem fuerunt missi, & in ferro ligati, deinde graviter verberati, & coram Rege capitibus truncate: postea ab infidelibus per vicos civitatis turpiter deducti, ad ultimum vero, per portam, quæ vocatur Bibarambra, extra civitatem ejecti sunt. Post tres dies venerunt Christicolæ captivi, & tulerunt corpora sanctorum, & juxta arcem muri prædictæ civitatis sepelierunt ea, & de reliquiis eorum miserunt in civitatem Hispalensem, & in urbem Cordubensem fratribus dicti ordinis, & ibi a fidelibus Christianis devotius coluntur, in quorum honore & reverentia multi ab infirmitatibus curantur, & in Ecclesia sancta Dei multis miraculis clarent. Erant tunc temporis Granatæ in fondico Catalanorum, fideles Christiani, qui hæc omnia viderunt, scilicet frater Eustachius de regno Portugalensi prædicti ordinis Minorum, frater Michael de Mercede captivorum, mercatores Guillemus Verius, Petrus Rabe, Antonius Paratonu, Petrus de Boria. Describit pluribus Lucas Waddinghus (c) eorum martyrium, utque Joannes e Cetina permissus sit Granatam pro evangelicæ veritatis promulgandæ gratia proficisci, cum nonnullis miraculis & vitæ eximia sanctitate se ad martyrii palmam divinitus vocatum ostendisset.

Miracula coruscant.

(c) Id. ib.

Flagitasse hoc anno Constantinopolitanum Imperatorem a Carolo Francorum Rege auxiliarem exercitum adversus Bajazetem, qui Græcos continuis excursionibus proterebat, refert Juvenalis Ursinus (d), ac ducem Aurelianensem Regis fratrem flexis genibus poposcisse, ut educendi exercitus in Turcas dux mitteretur: sed Regis Caroli morbus non tulit, ut Galli tantum facinus aggrederentur; torquebatur enim certis intervallis morbo Rex, qui cum in maniam relapsurus foret, edebat horridos clamores, seque Deo enixe commendabat, interque alia pia opera clavum quo Christus confixus in cruce fuit, ac religiose servabatur in abbatia S. Dionysii pretiosissima theca inclusit: proximo vero anno in discrimen vitæ adductus est a duobus Augustinianis, qui illum valetudini pristinæ se restituturos erant polliciti, suæ temeritatis pœnas capitali supplicio luerant.

Imp. Constantinop. poscit auxilia a Rege Franc.

(d) Juv. Urs. in Carol. VI. hoc anno.

Galli Regis calamitas.

Suscepta eodem anno est expeditio in Witoudo Lithuaniæ duce (e) ultra Taniam in Scythiam, in qua hordam unam, idest tribum, Tartarorum cepit, abduxitque in Lithuaniam, cujus mediam partem Regi Wladislao in Poloniam misit, quam ille magno prudentiæ consilio dispersit per regnum

(e) Michov. l. 4. c. 41. & Crom. l. 15.

Tartarica tribus abducta in Lithuaniam.

gnum

Pars media in Polonia Christi sacris initiata.

gnum datis magnatibus mancipiis ; atque ita in ea felici servitute, in filiorum Dei libertatem acceptis baptismalibus sacris vindicati, in gentem unam cum Polonis coaluere : pars vero altera non dispersa est, per Lithuaniam, sed distributis prope Vacam amnem agris, suis legibus imprudenter vivere permissa est. Itaque Mahometicam superstitionem, contemptis sacerdotum Christianorum monitis pertinacissime tenuerunt usque ad Michoviæ & Cromeri tempora cum se ad ritus nefarios servandos mutuo cohortarentur, qui dispersi facilius ad sacra Chistiana pellici potuissent.

Pars altera non dispersa Mahumeticos ritus tenuit.

I. Abrumpere funesti schismatis vincula quibus irretiti tenebantur, majori quam antea nisu Galli, Castellanique contenderunt, ac jugum Petri e Luna excutere anno humani generis salutis nonagesimo octavo supra millesimum trecentesimum indictione sexta: converterat enim in se omnium odia antipapæ perfidia fastui ac pertinaciæ incredibili conjuncta, ut nec Regum repetitis precibus, nec suorum pseudocardinalium, obsecrationibus molliri posset. Cum igitur Carolus Francorum Rex se ob schisma divina percussum manu animadverteret, recoleretque miserandas clades, quas illud intulisset, quantas fidelibus strages, quanta animarum exitia, quam fœdas regnorum vastitates peperisset; inde in ecclesiastico ordine primævum sanctitatis florem emarcuisse, datam hæreticis ad venena spargenda licentiam, infideles in dies insolescere, ac tum ex Africa tum e Turcico imperio in Christianos mutuis occupatos discordiis summo religionis damno, ac fidei dedecore erumpere, victriciaque signa in pluribus jam regnis & provinciis circumtulisse; constituit regiam authoritatem ne vim admovere ad idem schisma radicitus excindendum; quod cum nullo faciliori modo perfici posse videretur Gallis, qui generalis concilii pro exauthorando antipapa celebrandi mentionem non ferebant, ut antea dictum est, quam si Bonifacius atque antipapa ornamenta pontificia abjicerent, et communibus omnium suffragiis novus crearetur Pontifex; Gallicos patres ac proceres ad celeberrimos conventus coegit, ut regia in iis consilia explicaret, de quibus hæc author schismaticus (a) oculatus testis: *Anno Domini MCCCXCVIII. de mandato regio fuit Parisius congregatio facta prælatorum, magnatum, & aliorum clericorum regni, in qua præsidentibus dominis ducibus & eis assistentibus quibusdam ecclesiasticis*; & infra: *Cancellarius Regis Franciæ juxta mandatum, sibi factum publicavit edictum subtractionis obedientiæ Papæ faciendæ per totum dominium dicti Regis sub pœnis, &c.*

Antipapæ perfidia exosa omnibus.

(a) To. 10. de schism. p. 95.

Celebrati Parisiis conventus.

II. Hic animadvertendum est Carolum Galliæ Regem ecclesiasticæ rei imperium sibi asciscere non debuisse in promulgando eo decreto, quod ab episcoporum solemni synodo faciendum erat: quia tamen ipsius pater eam in ecclesiam Gallicanam sibi arrogarat potestatem, ut promulgato edicto deserendum Urbanum atque antipapam colendum imperasset, pari authoritate usum, qui prudentius longe & majore gloria concilium œcumenicum a morituro patre expetitum promovere, ejusque decretis de vero & falso Pontifice proferendis parere debuisset. Porro Caroli edictum (b) non tamquam ab eo terris datum, qui ferendi illius jure polleret, sed ut multa ad historiam spectantia continens in annales e monumentis schismaticorum Avenionensium transferendum visum est [1].

(b) Ext. lib. 13. de schism. p. 125. & in cod. MS. bibl. Vat. sig. num. 4927. p. 105.

Ca-

NOTÆ [1] Agendum hic suscipit Annalista de concilio, vel si mavis, de conventu a Gallis habito Parisiis in causa schismatis. Cum vero plus vice simplici concilia ea de causa in Galliis coacta sint, nec satis perspicue in annalibus distinguantur, juvat hic aliqua adnotare, quæ rei per se obscuræ lucem affundant. Primo igitur jussu Caroli VI. Gallorum regis præsules Gallicani Lutetiam convenerunt, ut de ratione tollendi schismatis ageretur, deliberatumque est a patribus, ut pontifices ambo cedere dignitate cogerentur. Concilium illud cœpit anno 1394. die 4. Februarii, ejusque historia in collectione Veneto-Labbeana to. XV. col. 993. &c. recitatur. Solemnis propterea legatio ea de causa ad utrumque pontificem destinata fuit; uterque tamen pontifex acquiescere rogantibus recusavit. Tunc iterum convenerunt Gallicani præsules Lutetiam, ut ea quæ res postulabat deliberarent. Ad secundum hoc concilium pertinere credo narrationem illam, quæ apud annalistam legitur, ad annum præcedentem 1397. 4. Ex qua intelligimus conventum illum celebratum fuisse die XV. januarii ejusdem anni 1397. Verum cum inter annum 1395. & 1397. plus multum spatii intercessferit, certumque constet proxime ante legationem illam ad utrumque pontificem habitum fuisse in Galliis concilium, cujus nomine legati ad illos venerunt; ideo inter concilium anni 1395. & 1397. medium aliud collocandum esse suspicor, cujus sedem statui posse arbitror anno 1396. Concilii hujus nulla mentio sive in annalibus, sive in collectionibus conciliorum occurrit. Postremo tandem anno isto 1398. Lutetiam iterum convenerunt Gallicani patres, die XXII. maji deliberaruntque, ut ab obsequio Romanorum pontificum tamdiu abstineretur, quamdiu utroque cedente tertius alius eligeretur. Postremi hujus concilii acta vulgata sunt a Chastenet in supplemento novæ historiæ concilii Constantiensis, & ex eo in collectionem Veneto-Labbeanam tomo XV. translata. Ex illis vero ea desumpta sunt, quæ de conciliis hisce deduximus. Alia pariter ad postremum hoc concilium pertinentia dedit Dacherius spicileg. to. I. pag. 798. nov. edit. quæ in novissima Labbeana collectione a Veneto editore supplета omissa sunt. Huc pariter spectare arbitror disceptationem illam patriarchæ Alexandrini editam veter. monum. to. VII. col. 712. in qua neutri pontifici, utpote ambiguo, parendum contendit. Hanc vero orationem dictam ab eo fuisse coram patribus XXII. præsentibus pariter regiis nonnullis principibus ex inscriptione præfixa discimus; ex quo numerus patrum concilii hujus efficitur. MANSI

Carolus Dei gratia Rex Francorum universis Christifidelibus salutem in Domino & integrationi sanctæ matris Ecclesiæ totis mentibus anhelare.

III. Schismatis malo tandem a Gallis agnita.

Rex æternus pia miseratione semper sitiens animarum salutem, suosque adoptionis filios in sui corporis charitate connectens, Ecclesiam ipsam supra firmam petram statuit, ac a fomitis quærentium ambitiose culta pretiosam substantiam pro vitandis hostis antiqui laqueis pedes docuit prohibendos, ut quærerentur non materiales, sed spirituales quidem ministri, & in eisdem filiis inconcussa charitas, ac perpetuo in ipsa Ecclesia indissolubilis unitas foveretur; in qua non hæc, sed abominationem desolationis videntes, compellit nos sincera fides, conscientia urget, & ipsa pulsat Ecclesia, ut accingentes nos operi Regum & aliorum principum fulti auxiliis ad integrandam caulam Domini, ipsa abominatione fugata totis conatibus intendamus. Sane jam novit fere populus universus ærumnas graves omnibus deflendas Christicolis, lamentabilemque scissuram, quibus post obitum felicis recordationis Papæ Gregorii XI. ipsa Dei Ecclesia premitur ob nimiam ambitionem retinendi ipsius principatum: duobus enim semper ex eo ambitiose certantibus orti sunt errores mortiferi & diffidentia sorda inter eos, quos in vera fide Christi charitas propagavit. Insurrexere etiam

Bella ingentia ex eo consecuta.

inter plures principes, magnates, & populos fremitus guerrarum ingentes, rancores & odia, quæ solet Ecclesia ipsa sopire; sequutæ sunt non solum exheredationes immo & strages multorum, & per ipsos errores, prout credendum & summe dolendum est, perditiones quamplurium animarum, & multæ animæ, proh dolor! simili subsunt periculo. Contendentium ipsorum execranda ambitio satis patet, quorum quisque suæ ambitioni intentus dum integra habere non posset, contentus est, ut facta probant, principatu partis Ecclesiæ suæ, ac retro ponens, quod ex eo propter longævam & induratam opinionem partis sibi adversantis apud illam non potest proficere pro tanto scandalo, videlicet perditionis animarum vitando, tenetur a suo regimine declinare, nedum ad abolendam hujusmodi perditionis causam, Ecclesiæ scilicet unitatem procurandam non valeat, immo illi modis omnibus obstare studet, & hujusmodi schismati, & hunc & illum promissis & muneribus corrumpendo perpetuum ministrare fomentum.

Debuerunt hæc dum schisma conflaretur perpendi.

O crudelis inhumanitas! o crudelitas inhumana! pro contegendo veste molli altoque statu, & delicatis edulis uno fovendo cadavere, nullus eorum curat plurium interitum animarum; & ubi charitas, ubi pietas, ubi curæ pastoralis professio, violatur certe perperam per eos facta professio in assumptione cujuslibet, dum ipsius Ecclesiæ non quæritur realiter unitas, sed e contra schismatis durabilitas iis ambitiosis immo criminosis & damnatis actibus procurant. Quam ob causam quantis malis Ecclesia ipsa sit obsita, quot subjaceat discriminibus hic texere longum esset; sed ut multa brevitate perstringam, videtur circa

Calamitates ex schismate obortæ.

eamdem Ecclesiam cum Jeremia plangendum, quod sederit sola civitas plena populo, & quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta sit sub tributo, ploransque ploravit jamdudum, nec fuit diu qui consolaretur eam ex omnibus charis ejus; hinc etiam existit, quod fidens improba paganorum progenies eam perdere, in Christi plebem infremuit, jam patratis Christico-

Turcæ in Christianas provincias grassati.

larum, plurium quippe diversarum nationum stragibus limites sibi vicinos invasit, ubi deleto divino cultu & honore nominis Christiani, hæc pessumdat ac conterit Ecclesiam antedictam usque adeo, quod adjunctis præmissis vere columna Dei viventis plene videtur nutare & summi piscatoris sagena cogitur procellis intumescentibus in naufragii profunda demergi, nisi Reges atque principes Christiani, ut debitam reddant rationem de imperio suo Deo, commoveantur juxta debitum contra ipsius dissipatores Ecclesiæ, unde spiritualiter nati sunt, quam & si ad Reges ipsos & principes, ut sacris canonum docemur eloquiis, debita Christiana religionis spectat videre temporibus suis pacatam; nos, qui inter cæteros orthodoxos Reges vinculo speciali astringimur, velut devotus ipsius Ecclesiæ filius more progenitorum nostrorum maternis ærumnis gemitibus compassi continuanter quoque cupta recolendæ memoriæ geni-

Falsa laus Caroli V.

toris nostri, qui multa per tempora apud cæteros Christicolas Reges, per solemnes ambaxiatas crebris repetitas vicibus, ut vellent ad Ecclesiæ unitatem intendere, summopere laboravit; ad eosdem Reges, postquam idem dominus genitor noster spiritum reddidit almo Patri, ob ipsos easdem causas misimus ambaxiatas frequentes, ac demum, non quidam ut singularis, sed cum ipsorum Regum ac principum auxiliis, consiliis, & favoribus Ecclesiæ laceratæ, tantisque, proh dolor! agitatæ turbinibus integrationi corde sincero procurare volentes requisitis maxime super hoc tam per omnes felicis recordationis Clementi quam per certos ejus adversario obedientes Reges &

Bonifacii erga Gallos officio.

principes, quam etiam per adversarium ipsum, spondentem inter cætera, quod quamprimum nos ad id disponi sentiret, adhiberet & ipse omnimodam diligentiam, nihil de contingentibus omittendo.

IV.

Præterea & per regni nostri prælatos, ac per dilectam filiam nostram universitatem Parisiensem pluries invitati sumpsimus fidei micantem loricam, & accincti gladio divinæ legis clypeum conscientiæ cepimus ad conterendum, talium comitati auxiliis, qua malignatus est inimicus in sancta. Itaque

taque tunc ne tam obessemus silentio & desidia, quam verbo & solertia poteramus prodesse, excitavimus Clementem jam dictum ad saevam hujusmodi dolendi schismatis elidendam pestem, & super hoc penes ipsum, quantum fuit possibile, adhibuimus operam diligentem. Successive sede Apostolica per obitum dicti Clementis vacante, languorem ipsius Ecclesiae & gemitum non obliti scripsimus sacro collegio Cardinalium ut differret futuram electionem Pontificis, quatenus per hoc cessione adversarii levius procurata, praefati schismatis evulsio facilius sequi posset: verum Cardinales ipsi priusquam nostra super hoc eis directa litera ad ipsorum possent pervenire notitiam, intraverant conclave, ubi de futura pastoris electione dictaque Ecclesiae unitate quam melius poterant, ut tenebantur tractantes singulariter singuli ad sancta Dei evangelia, ut inde nobis debite patuit, promiserunt & juraverunt pro Dei servitio, unitate Ecclesiae sanae, ac salute animarum, omnium fidelium quod absque dolo, fraude & machinatione quibuslibet ad unionem Ecclesiae & finem imponendum schismati quantum in eis esset, quantumque pertineret ad eos, laborarent fideliter & diligenter nec ad eam differendam darent consilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, quinimo quilibet ipsorum, etiamsi ad apostolatum assumptus esset, servaret sane & veraciter haec omnia sine machinatione, excusatione, & dilatione quibuslibet & usque ad cessionem inclusive per ipsum de papatu faciendam, si Cardinalibus, qui tunc erant vel essent in futurum de tunc existentibus, aut majori parti eorundem id expedire videretur pro bono Ecclesiae, & unitatis praedicta, prout haec latius per cedulam factam in ipso conclavi subscriptamque propriis manibus ipsorum Cardinalium clare patet. Inde facti & subscripta per singulos Cardinales eosdem hujusmodi cedula elegerunt de ipsorum gremio existentem cum eis in eodem conclavi Petrum tunc Cardinalem vulgariter dictum de Luna post ejus assumptionem hujusmodi nuncupatum nomine Benedictum: quo ad regendam Petri naviculam sic assumpto juravit solemniter, prout vere nobis nuntiatum est hujusmodi juramentum.

De nuncupato a Petro e Luna in conclavi sacramento.

Post susceptum antipapatum repetito.

Subsequente assumptione sua nobis illico nuntiata exultavit cor nostrum in Domino & gratias innumeras egimus sperantes quod per ejus medium attolleret nobis Deus circa praefatam integrationem Ecclesiae, desideria cordis nostri. Postmodum vero ipse pro parte sua per ejus ambaxiatores solemnes bina vice nobis exponi fecit, quod magnum zelum gerebat ad exstirpationem schismatis & Ecclesiae unionem, quodque in hoc nihil facere volebat sine consensu, directione, & voluntate nostra, exhortans nos & deprecans, ut in hoc negotio vellemus sine intermissione insedere; siquidem & ad ipsum destinare notabiles & fideles viros veram & cordialem affectionem ad Ecclesiae unitatem gerentes, plene de viis & modis utilibus & accommodis per nos in hac materia deliberatis instructos, fulcitosque potestate optima, quo ulterius non remittendo ad nos, deliberata posset executioni mandare, quibus & ipse undare posset integra intrinseca suae mentis, ubi nihil apud eos de contemptu ipsius occultare, nihil volebat incognitum remanere, subjungens se adinvenisse unam viam optimam atque brevem, qua faciliter unio sequi posset, seque illam aperturum ambaxiatoribus mittendis per nos, dum tamen tantae forent authoritatis, quod omnia eis revelare posset ut nobis; ac nihilominus nos certificans, quod non recusaret quamcumque viam sibi possibilem tendentem ad Ecclesiae unitatem, imo deliberatus erat consentire & considerata cordiali affectione nostra, illam prosequi toto posse.

Ejusdem hypocrisis.

Et inanes praestigiae.

V.

Nos quoque, qui hanc unitatem, teste Deo, mente gerimus prae caeteris desideriis cordis nostri, considerantes hoc & ponderantes permaxime, recolentesque requisitiones iteratas per Reges, principesque ac adversarium praedictos, convocavimus concilium praelatorum, capitulorum, nobilium, universitatum plurium, sacrae paginae & utriusque juris doctorum, religiosorumque devotorum, & aliorum procerum regni nostri: inter quos visis diligenter, fideliterque discussis ac digestis mature plerisque viis, tandem per opinionem ipsius convocati concilii comperimus assumendam tanquam meliorem, certiorem, honestiorem, breviorem, & melius conscientias Christifidelium serenantem, immo solam plenarie schismatis extirpatricem, viam cessionis amborum contendentium per modum, qui sequitur, patrandum, quod videlicet contendentes praedicti, habita prius plena & sufficienti securitate in certo loco securo & congruo ab eis eligendo, conveniant personaliter cum suis collegiis & aliis personis, de quibus expediens videretur sub protectione & potestate illorum principum & dominorum de quibus expediens duceretur confidendum, ubi cassatis & annullatis processibus, sententiis, atque poenis spiritualibus & temporalibus latis & promulgatis hinc inde quomodolibet per utrumque contendentium & praedecessorum suorum, assumptos ad cardinalatum omnibus & singulis utrobique in ipsa dignitate existentibus; confirmatis etiam, ratificatis, & canonizatis ac certa scientia dispensationibus & promotionibus omnium hinc inde ad praelaturas, dignitates, officia, & beneficia quaecumque ecclesiastica promotorum, ita quod non habentibus competitores simpliciter in praelaturis & beneficiis hujusmodi remanerent; habentes vero, qui canonicatum aut beneficium seu locum prin-

In conventu Parisiensi abdicatio utriusque commendata.

Flagitatum ut pars utraque conveniret.

Censuras solveret.

Auctoramenta ecclesiasticorum haberet rata.

principalem beneficii possident, episcopatus seu beneficia hujusmodi integre remanerent eisdem, & aliis partem dictorum, vel beneficia possidentibus provideretur de pensione annua usque ad valorem eorum, quæ ante confirmationem & canonizationem hujusmodi possidebant, donec essent alibi per sedem Apostolicam collocati: nihil possidentes autem sic expectarent sedis Apostolicæ provisionem jam dicta; insuper & proviso utrique hujusmodi contendentium de bono sufficienti statu, quo post renunciationem congrue sustentari possent: proviso etiam contra conspirationes, divisiones, turbationes, dubia, & perplexitates, quæ post cessionem utriusque sede vacante contingere possent, quantum humanitus esset possibile, ultra constitutionem Gregorii X. declaratam in concilio Lugdunensi, demum omissa juris & partium discussione & definitione quacumque, ambo contendentes jam dicti in forma debita sine mora & dilatione cederent seu renuntiarent juri quod habent, seu habere in papatu prætendunt; unde hujusmodi renunciatione facta Cardinales hinc inde creati, qui per assumptionem prætactam facerent unum & indubitatum collegium intrarent conclave & secundum juris dispositionem procederent ad futuri electionem pastoris, qui debite omnia præmissa & singula ratificaret, approbaret, & laudaret ad abundantem cautelam, quam siquidem viam (nisi nobis melior vel æque bona per ipsum Benedictum vel aliam aperiretur) pro unitate hujusmodi assequenda velut meliorem ac magis, ut prætangitur, accommodam pleniusque conscientiarum omnium sedativam delegimus ipsi Benedicto consulendam persuadendamque simpliciter primo & post per aos rationabilibus mediis cum aliorum quorundam Christianorum Regum & principum auxilio, consilio, & favore, donec habita sit unio prosequenda.

Juris ratio non excuteretur.

Cederet pro salute Ecclesiæ verus Papa cum antipapa.

VI. Ut missi fuerint ad antipapam principes.

Proinde consideratis præmissis, ut præfertur, nobis expositis parte sua, legatos ad eum, quantum plus potuimus suæ prædictæ nobis missæ intentioni aptos & consonos, illustres videlicet regalis protapiæ duces Joannem Bituricensem, Philippum Burgundiæ patruos, & Ludovicum Aurelianensem fratrem nostros, hujusmodi quidem unitatis & pacis ferventissimos zelatores, cum certorum prælatorum multorumque literatorum virorum notabili comitiva direximus, qui juxta mandatum nostrum, aperta sibi prius eorum adventus causa, inde petita & obtenta, licet difficiliter, exhiberi cedula conclavis supertacta, antequam viam aliquam aperiret, sibi humiliter supplicarunt, ut dignaretur viam, quam nobis se adinvenisse scripserat, aperire, offerentes parte nostra, si vera ipsa & conveniens foret, nec inveniretur melior; auxilium, consilium, & favorem ad prosecutionem illius; ipse vero per diversa temporum intervalla in effectum viam compromissi aperuit sub his verbis, facta & data securitate sufficienti.

Conveniant dominus noster cum suo collegio & intrusus cum suis antecardinalibus, qui ire possent seu vellent, alias consentirent vel darent potestatem consentiendi infrascriptis & aliis de quibus fuerit concordatum, præmissisque ac præsentibus ordinatis, dominus noster pro parte sua in certo numero & alter etiam alias totidem pro parte sua eligent personas timentes Deum & bonum zelum ad Ecclesiæ unionem habentes, quæ simul convenientes, ac etiam prius præstito per eas juramento super sancta Dei evangelia, & coram eis duobus & aliis, de quibus videbitur de diligenter & fideliter procedendo in negotio hujusmodi, ad solum Deum & Ecclesiam habentes respectum, amore, odio, & timore cessantibus quibuscumque auditis & examinatis factis & juris utriusque partis rationibus hisque recta intentione discussis, prout qualitas negotii patitur & requirit, declarent quis istorum duorum jus habeat seu etiam remanere debeat in papatu cum certa & sufficienti submissione de tenendo & observando quidquid per prædictas personas, ut præfertur, electas vel duas partes earum declaratum fuerit, seu etiam diffinitum, etiam adhibitis hinc inde provisionibus in præmissis necessariis & utilibus seu etiam opportunis. Deinde post certi temporis tractatum Benedictus ipsi via fecit adiicere sequentia.

Proposita ab antip. compromissi ludibria.

Fallaces pactiones ad fucandam perfidiam.

Item ut optata unio in dicta Ecclesia possit haberi & non posset per aliquam viam differri, si ambiguitas, difficultas, seu etiam diversitas aliqua oriretur seu orientur, prædicti electi vel major pars provideant ad cautelam ecclesiæ Romanæ de altero istorum duorum per modum provisionis, & etiam quoad serenandas conscientias, tollendas versutias & occasiones hominum perversorum quoad illum, contra quem pronuntiatum fuerit, seu etiam per viam provisionis ordinatum hæc pronunciatio seu ordinatio habeat vim renunciationis spontaneæ & legitime factæ, & proinde quoad eum censeatur sedes Apostolica vacare: ac insuper ad cautelam renunciabit ibidem & ille, de quo declaraverint, seu etiam per viam provisionis ordinaverint, quod debeat remanere in papatu, ut supra præmittitur, jus plenum etiam de novo ad cautelam acquiratur per declarationem, seu ordinationem vel provisionem hujusmodi, ac si alias sede Apostolica vere vacante canonice electus fuisset in Papam; & etiam ad cautelam ibidem in continenti per eos, ad quos alias electio pertineret, ac per dictos deputatos ad pronuntiationem, seu provisionem hujusmodi eligatur in Papam, & de his fiant ordinationes apostolicæ etiam de consensu eorum, ad quos pertinet in forma

VII. Quæsitæ ambages & tenfæ erroris retia.

Conventiculum pro concilio obtrusum.

ma, quæ sufficerent secundum consilium peritorum; & addi posset pro majori securitate prædictorum præmissorum consensus eorum, qui pro prælatis & principibus utriusque obedientiæ haberent ad hoc potestatem ut sic etiam quasi vim generalis concilii habere videretur, quæ siquidem via quam callide quam versute inventa quantisque sit in ejus aggressu, progressu, & egressu difficultatibus & erroribus circumsepta, alios per certos ambaxiatores nostros eidem Benedicto late fuit apertum.

Consilia antipapæ plena dolis.

VIII. *Insuper & charissimus frater noster Rex Castellæ, qui hanc velut inutilem & perniciosam multis rationibus, etiam in scriptis solemniter refutatis, improbavit pridem in responsione per eum consanguineo nostro charissimo Regi Aragonum elegantissime facta, liquide demonstravit: ac nos, si plenius examinare vellemus, profecto traheremus materiam valde longam. Verum ut constet quod non omnis, qui dicit: Pax vobis, quasi columba audiendus est, propterea exprimendo ipsius viæ inutilitatem iniquitatemque, pauca de plurimis duximus hic tangenda: est enim in ejus aggressu ex eo difficilis, quod uterque contendentium locum, in quo simul convenire habebant, nedum optabit immo contendet eligi sub obedientia sua ac principum sibi faventium & adhærentium potestate, qui alteri parti proculdubio suspecti erunt. Verum & cum ipsius loci assignatio ex principum utriusque obedientiæ consensu dependeat, difficillimum erit in hac via, quæ per discussionem fieret ipsorum habere assensum. Præterea cum secundum viam hujusmodi ejusque practicam in ipso loco debeat principum & prælatorum utriusque obedientiæ fieri convocatio, quis in convocando, veniendo, moram trahendo finemque negotii [quippe dispositi ad prolixitatem grandem] spectando, ac etiam sumptus nedum proximos, immo importabiles monstrando, immensas difficultates non videat? re vera tot essent & tanta, totque inconvenientia inde emergerent, quod est quodammodo usque adeo, quod nec amoveri nec evitari possent. In ejus vero progressu seu prosecutione quantis sit onusta dispendiis, quot periculis animorum & corporum ac rerum damnis irreparabilibus; prima hic de amplissimis tangamus, & pauca de multis. Sunt enim ipsi contendentes nulli dubium est, in facto controversi: quamobrem certissime credendum est, quod ipsorum quilibet eliget personas sibi fidas, conjunctas, propitias, adhærentes, affectatas, & in sua opinione consonas atque fixas: & contra alteri parti, eo quod non attendunt rationes & jura, sed potius ipsorum affectum, suspectas: itaque tales utrinque electas circa hujusmodi contrarietatem facti unquam concordare quis credat? erunt potius discordes contentionibus atque votis: sic causam Dei & Ecclesiæ per contrarietates, difficultates, & dilationes protrahant dispendiosas per tempora; immo [quod absit] hoc gemebundum & lugubre schisma perpetuo radicabunt tunc maxime, quia discutere habent rationes, facta, & jura partium, prout qualitas negotii patitur & requirit: & hæc quidem discussio varia incidentia emergentiaque, interlocutoriasque productiones testium, & instrumentorum probationes, reprobationes multimodas, alios etiam plerosque articulos interminabiliter continet & includit: tunc etiam quia, sicut ex practico hujusmodi via patet, compromissarii ex utraque parte sunt totidem eligendi, ex quo juxta legem civilem præsumimus, quod res sine exitu fere futura esset, potissimum quia ad hoc una pars pauciores quam alia non eligeret, & inde non prodiret imparitas numeri in compromissariis juxta ipsius legis consilium optimum, tum demum quia sicut habet practica hujusmodi, omnino ante aggressum executionis ipsius viæ revocandi sunt processus & sententiæ fulminatæ hinc inde per contendentes eosdem, assumendi in Cardinales omnes qui ad hujusmodi titulum seu statum per utrumque contendentium sunt assumpti, canonizandi tituli & promotiones in utraque obedientia, quibus hujusmodi via ex eo iniqua & inepta constat, quia si dicti compromissarii darent bonum exitum, sicut nec præsumimus ex prædictis, conveniens esset valde, quod ille qui jus in papatu non habet, ac sibi adhærentes possent vincere, quorum malitia, forsan compromissariis, notariis, testibusque, & aliis subornatis nota esset, & via ipsa non sortiretur exitum, essentque quod tunc facto, partes veri Papæ & adhærentium sibi oppressa.*

Mille implicita difficultatibus.

Difficultates celebrandi concilii.

In progressu augendæ.

De electionis Urbani casu nomquam inter se consensuros opponitur.

Numquam executionis testibus & instrumentis finem impositum iri.

De compromissi arbitris conciliendis nullas spes ostendit.

IX. *Cæterum si dicti compromissarii [quod verisimiliter non est credendum] in uno ex ipsis contendentibus concordarent, certe non propterea res finem haberet, non enim per hac quietarentur conscientiæ plurimorum, qui non immerito dicerent, quod propter arctatam potestatem, prout ex additionibus ipsius viæ patet, eligendi alterum de duobus neuter debuit, immo nec potuit eligi. Non abjicientur etiam scrupulo, quoniam plerumque diceretur a multis, præsertim adhærentibus ei, contra quem ipsi compromissarii declararent, compromissarios ipsos vel testes vel alios & forsan omnes, interveniéntibus corruptionibus aut aliis, quæ humanum solent pervertere judicium, perperam processisse; sicque declaratum seu sententiatum injuste, quod ipsi adhærentes in hujusmodi adhæsione oppositionis tenaciter per longa temporum curricula radicati se scandalizatos & in conscientia non claros perpetuo reputarent. Hoc nempe schisma qualitatem habet mirabilem, & alias inauditam radicationem, scilicet a sui origine seu introductione fortissimam, quæ sic diebus*

Si conciliari contingat non pacatum iri fidelium mentes.

Arbitros testesque in suspicionem fraudis adductum iri.

Tale schismatis genus nunquam auditum.

bus crevit & robore; etenim uterque prædictorum personaliter contendentium ab eisdem Cardinalibus eodemque collegio, quamquam diversis modo & vicibus, electus prætenditur, uterque contendentium eorumdem opinione firmata se asserit verum Papam.

Utraque partium grandem obedientiam, magnam adhærentiam usquenunc habuit atque fixam: sunt enim utriusque opiniones & allegationes solemnes confectæ per prudentes & literatissimos viros, etiam super casu per Cardinales antiquos in exordio schismatis posito, ac in scriptis reducta: quo etiam supposito adeo sunt solemnium virorum opiniones contrariæ, ut nusquam per compromissarios ad concordiam plene reduci possint. Præterea per ipsos allegationes & opiniones quilibet hujusmodi contendentium multis abundat sequacibus, & sunt plures neutrius obedientiæ: fuit insuper hujusmodi schismatis & est, proh dolor! longæva in dies protractio, quia sæpe vetera recentibus obruuntur, sicque rerum gestarum oblivione inducta latet aut abducitur veritas seu in contrarios terminos exhibetur, quo fit ut, cum propter obitum eorum, qui factum noverant, viderant & palparant, rei veritas haberi nequeat, & adhærentes præfata adversaria viventium Cardinalium antiquorum testimonium respuant, dicti compromissarii declaranda seu sententiando, eligendo vel assumendo, errare possent in facto, ne dicamus in jure. Ex his itaque clare colligitur, quod sicut medicina frustra fit, qua sanitas non confertur, sic præscripta via & quod plene schisma non tolleret, conscientias non placaret, inutiliter & sine exitu salubri in perniciem plurium animarum tentaretur.

Ex his vana ab antipapa ludibria suggeri concluditur.

X.

A Gallo & Castellano repudiata.

Ad tollendum autem hoc schisma mortiferum talis requiritur de necessitate provisio, quæ radicitus ipsum evellat, dubietatum & scrupulorum abstergat religionem, mentesque cunctorum fidelium plena serenitate quietet, ad quæ cum via hujusmodi, ejusque additiones & practica præmissis & aliis, quas hic subjicemus rationibus plene constent inutiles, hi idem legati viam compromissi prædictam improbantes refutarunt, necque perinde & frater noster Rex Castellæ viam eamdem cum additionibus & practica repulimus ex deliberata consilio peritorum. Et postmodum parte nostra dicti legati aperientes prænominato Benedicto viam cessionis prædictam requisierunt eum suppliciter, ut acceptaret benigne offerentes eidem, habita super hoc ipsius assensu, tractare cum eo & collegio de modis exequendi & practicandi ipsam viam, prout melius fieri posset, sperantes firmiter quod per camdem practicam feliciter & faciliter sequi posset unio prætacta. Præterea, electa & approbata via cessionis hujusmodi per omnes & singulos Cardinales, solo Pampilonensi excepto, tam videlicet ante ipsorum legatorum adventum, quam post, iidem legati frequenter pluribus intervallatis diebus, quandoque sine ipsis Cardinalibus & plerumque cum eis suppliciter & cum humilitate permaxima eamdem requirere fecerunt, quam etiam per se Cardinales ipsi ante adventum legatorum prædictorum & post, prout veraciter sensimus compassi calamitatibus ipsius Ecclesiæ, & aliquando eorum vocibus lachrymosis pluries iteratum suppliciter & obnixe, & tamen idem Benedictus continuo tatus ambitione inceatus viam ipsam admittere recusavit, asserens contra sanctiones canonicas eam exempla perniciosam, Dei offensivam, non juridicam, nec alias practicatam; sæpe dicti legati, videntes eum in sua ambitione non modicum induratum, & cupientes unionem prædictam eo posse commodius procurare, quo circa eam cautius agerentur, requisierunt Cardinales eosdem, ut in quadam cedula, per nostrum consilium advisata cessionis viam electam fuisse per eos quodque consulebant supplices ipsi Benedicto, ut acceptaret illam propriis manibus se subscriberent, Cardinales ipsi grata anima facere voluerunt: sed hoc ad notitiam ejusdem Benedicti perducto, mox per certas ejus literas monuit, requisivit, & hortatus est Cardinales prædictos, in virtute sanctæ obedientiæ ac fidelitatis, ut sibi in prosecutione via sua adsisterent, inhibens eis nihilominus in virtute ejusdem obedientiæ, ne in dicta cedula se subscriberent nec etiam consentirent, protestans contra eos, si contrarium fieret per eosdem, etiam quod si aliud per eum fieret, seu decerneretur, id & ea, & quidquid ex eis sequeretur vel abeare reputabat & volebat non valere, & habere penitus pro infectis: quas quidem monitionem, inhibitionem, & protestationem requisitus suppliciter per ipsos legatos etiam renuit revocare: post vero requisitiones alias tam simul quam particulariter factas duces & Cardinales prædicti credentes ejusdem Benedicti duritiem per supplicationes humiles sæpius iteratas frangere, omnes simul flexis genibus, & eorum aliqui lachrymando, supplicarunt quatenus perditioni Ecclesiæ compatiens in periculo animarum, viam prædictam, sicut tenebatur, acceptare dignaretur: ipse vero fortius induratus quam antea rigidius solito acceptare negavit.

Prætolit antipapatus fastum saluti publicæ.

Vim fere omnicorud. inlert.

XI.

Postmodum quia idem Benedictus requisitus per dictas de acceptanda præmissa via cessionis iteratam per ipsos legatos supplicationem fixus in suo ambitioso proposito nullatenus admittere voluit, sæpe dicti legati videntes luce clarius, quanto ambitu satagebat retinere papatum, animarum saluti providere non curans, seque propterea non posse de cætera circa præmissa proficere apud eum, iter arripiunt ad nos, eorum relationem facturi, quam postquam applicuerant hanc civitatem nobis fecerunt solemni-

Postulatus ab eisdem Petrus e Luna ut se obdicet.

ter & extense. Successive tandem Benedictus ad suam ambitionem hujusmodi palliandam quosdam per diversa mundi climata mandavit falsidicos, qui non erubuerunt contra veritatem seminare, quod iidem illustres duces legati solum & ideo aperuerant viam cessionis simpliciter parte nostra, ut illico cederet, ut unus Gallicus eligeretur in Papam: quod falsissimum probare possunt quamplures in facta tunc requisitione præsentes: docti namque per Apostolum, Christi vestigiis inhæremus, apud quem sicut non fuit Judæi aut Græci distinctio, sic nos in sede Apostolica nullius nationis hominem præponderari seu antepoui cupimus, bonum enim & gratum habemus quemcumque sive Africanum sive Arabem, sive Indum, dum tamen vere orthodoxus rectæ inhæreat fidei, nec fucus cujuscumque rei cupidine illam maculet seu trahat quomodolibet in errores. Misit etiam ad ejus adversarium antedictum episcopum Tirasonensem, ignorantibus Cardinalibus super quolibet, cum sine ipsorum consilio & assensu, ut sacris canonibus institutum est, nil arduum facere debeat; quod vero fecit, ignoratur: sed tam idem Benedictus contra adversarium suum prædictum, quam ipse adversarius contra ipsum post ejus Tirasonensis missionem ab inchoatis & continuatis olim processibus fere per biennium destiterunt, ex quo collusio inter eos nimirum vehementer præsumitur, & hinc damnabilis ambitio utriusque &c. Nos autem cœpta feliciter prosequi cupientes, habito per opinionem iterum convocati concilii Ecclesiæ regni nostri, quod præfatus Benedictus, ex quo post præfatorum legatorum adventum aliud non fecerat, quo optata unio si qui posset, parte nostra iterum, sed ultimo ac adversarius antedictus, sicut remanseramus olim cum charissimo filio nostro Rege Anglorum serenissimo requirendi erant, ut acceptarent viam cessionis præscriptam, nostros una cum Castellæ & Angliæ prædictorum nunciis tam ad præfatum Benedictum, quam ad eumdem suum adversarium misimus ambaxiatores solemnes, qui mandato nostro simul cum Regum jam dictorum nunciis eumdem Benedictum requisierant humiliter & obnixe, ut pro Dei reverentia, proque tam mortifera fuganda peste sæpedictam viam cessionis acceptaret, si egregie gregi Domini mederi misericorditer dignaretur.

Mendacia disseminat.

Pio Coroli vs. denunciatio.

Intermissi a Pont. & antip. communi consensu anathematismi.

Plurium Regum legatio contempta a Petro e Luna.

XII. *Tandem via ipsa in præsentia ejus de sui mandato multis subterfugiis improbata, ambaxiatores & nuncii prædicti reverenter summarunt & requisierunt eumdem illa vice pro omnibus, ut infra certum terminum jam elapsum ipse & adversarius ejus taliter agere deberent, ageruntque & facerent, quod in Ecclesia Dei sancta esset unicus, verus, & indubitatus Papa, intimantes nostro & prædictorum Regum nomine, significarentque sibi ac toti Christianitati ex tunc, quod si sic actum non foret, nostra & aliorum prædictorum Regum firma erat intentio pro ipso schismate sopiendo effectualiter providere, quærere, & procurare eius vias & modos, quibus sine ampliori dispendio ipsa Ecclesia uniretur. Procuraremus insuper toto posse, quod cessarent omnia, quibus & per quæ præsupponebatur, & poterat verisimiliter præsupponi induratiouem ipsius pestilentis schismatis usque nunc fuisse prætensam: ipse vero in sua duritia perseverans respondet, quod non obstantibus omnibus dictis & allegatis per ambaxiatores ipsos, non erat sibi adeo satisfactum, quod pro tunc posset acceptare viam cessionis prædictam, sed amplius debebat cum fratribus suis & aliis inde Regibus suum significare intentum, sicque iidem ambaxiatores tunc ad adversarium præfatum continuatis tandem dietis attingunt urbem, ubi nuncii, & nuncii prædicti Reges Angliæ aperta per eos prædicta via cessionis jam dicto adversario supplicarunt, nostrique & Regis Castellæ rogaverunt, ut prædictam viam cessionis acceptaret pro consequenda Ecclesiæ unitate: ad quod ipse quasi una lingua cum dicto Benedicto respondens dixit; quod in tam brevi tempore non poterat super tam gravi deliberasse materia: haberet tamen, quamprimum posset, deliberationem cum fratribus suis & aliquibus tam præsentibus quam absentibus, inde Regibus intentionem suam nuntiaret. Verum quamquam uterque contendentium ipsorum, ut præscriptum est, dixerit se facturum, ambo tamen suis improbis cupiditatibus irretiti ad id nedum intendere curaverant: quinimmo sicut experientia monstrat facere contempserant, quamvis idem adversarius ex parte electorum imperii & aliorum plurium principum sua obedientiæ de acceptando viam pacis fuisset etiam solemniter requisitus.* Perstringitur injuste Bonifacius, cum illum ad committendam concilio œcumenico causam paratum viderimus, idque Anglorum testimonio confirmatum visuri sumus: Pergit Gallorum Rex.

Datum a Bonifac. ttrum Regum oratoribus responsum.

XIII. *Successive Rex Castellæ prædictus, cupiens magnopere, totus ipse catholicus & devotus filius Ecclesiæ, hujusmodi unitatem, direxit ad nos literas ejus & nuncios, per quos prædictam viam compromissi nobis significans improbasse, tandem subtractionem totalis obedientiæ pro exequenda præmissa via cessionis & hinc unionis assequendæ sublata mora dicto Benedicto fieri multis rationibus persuasit: cujus perseverantiæ, nec non & præmissis & aliis non mediocriter ponderatis, verum & signanter in memoriam revocatis requisitionibus invitationibusque Regum & principum prædictorum, cupientes rem usque tunc diligenter ductam auxiliante Domino, ad votivum finem perduci, iterato vocavimus modo præmisso consili-*

Castellæ Regis consilium.

silium ecclesiæ regni nostri deliberaturum nobiscum de modis aptis & congruis ad executionem viæ cessionis prædictæ; in quo quidem consilio ex ordinatione nostra præmisso recitato processu & causa convocationis aperta, concludendo quod quisque deliberate & nobis fidenter consuleret an pro executione viæ cessionis prædictæ totalis, an particularis obedientiæ denegatio, aut quis modus alius expediret: nos, volentes coram convocatis materiam aperiri, ut ipsa aperta quisquis nobis salubrius consuleret, & inde conclusio melior sequi posset, certos partem affirmativam, quod videlicet neganda erat obedientia, & alios negativam ordinavimus seu deputavimus defensione.

Quid in Gallia deliberatum.

XIV. *Itaque alternatis diebus in consilio nostro modo & forma, quibus audientia in curia mandantur, præsentibus quidem illustribus præfatis, necnon Borbonii & Barensi ducibus ac Joanne Nivernensi & Amedeo Sabaudiæ comitibus consanguineis nostris, & prælatis & aliis, ut præmittitur, convocatis personaliter præsentibus, tum procuratoribus nonnullorum ex eisdem vocatis, qui impediti legitime tunc fuerunt absentes auditis, & perceptis plene omnibus rationibus & motivis per ipsos deputatos apertis & eis plene in consilio prædicto discussis per opinionem ejusdem consilii comperto inter cætera, quod excellentes in Ecclesia, sicut asserit Augustinus, paci debent vigilanter intendere, ne propter suos honores superbe agendo schismata faciant unitatis compage disrupta, subditi vero ita ipsis obedire, ut semper ipsis Christum anteponant, ne eorum vana authoritate seducti se ab unitate disrumpant; quodque illi vere schismata faciunt, qui contra constitutiones canonicas aliquid proterve agunt per id Ecclesiam dividentes, immo & qui alicujus temporalis commodi maxime gloriæ & principatus sui gratia falsas & novas opiniones vel gignunt vel sequuntur veri haeretici sunt, & qui scindunt ecclesiam eadem ratione schismatici; quod insuper Papæ etiam unico indubitato præcipienti & multo magis notorie facienti aliquid, quo Ecclesiæ universalis turbatio, subversio, vel distractio sequi verisimiliter timeretur, sub pœna seu periculo peccati mortalis obediendum non est, cum mala futura præcaveri debeant non juvari; cum etiam Petro & ejus successoribus ad ædificationem, non ad destructionem sit collata potestas; comperto præterea, quod quia ii duo contendentes prædicti pluries requisiti suppliciter & juxta evangelicam doctrinam sufficienter moniti refutarunt & refutant pertinaciter acceptare viam, qua ad ipsius unitatem Ecclesiæ perveniri possit facilius & commodius; immo in suis ambitionibus intenti, versique in laqueum tortuosum, & ubique ponentes scandalum, ipsam damnabiliter fugiunt integrare, satagentes quisque videlicet in sua obedientia retinere cathedram, qua ut verbis Augustini utamur, eo foret utrisque fructuosior quo gregem deposita magis colligeret, quem retenta dispergit, cum pro pace Christi ipsi esse debeant vel non esse, cumque non propter eos episcopi sint, sed propter populum, cui sacramenta ministrant; quia etiam contendentes prædicti ad obviandum hujusmodi unitati proventus ecclesiasticos, sicut præmissum est, dissipando, & ad id reddendo christicolas suis corruptionibus indispositos perperam, & notorie schisma faciunt sive fovent, ac quantum in eis est, causam perpetuationis præbent, crimen schismatis incurrentes; quia etiam ex ipsorum obstinatione tam grave & notorium subsistit scandalum, quod ipsi & eorum quilibet ad hoc obligatus præ cæteris usque nunc tollere non curavit nec curat, immo id protestantes habet odio, & quantum potest, flagellat, sibique faventes promovet ac scissuram pro posse nutrit, ex quibus subversio, destructio Ecclesiæ vehementissime sequi timentur, si multi clerici in quæstione Anastasii praelegere mori, tum etiam sine sententia & declaratione canonica se abnegant.* Falsa est hypothesis, nam Anastasium II. calumniis fuisse appetitum a clericis Romanis schismaticis, qui Laurentium antipapam adversus Symmachum secuti sunt, demonstrat Cardinalis Baronius (a). *Si etiam Guido archiepiscopus Viennensis postmodum factus Calixtus secundus una cum prælatis tunc in consilio Viennæ assistentibus a Paschalis obedientia recedere tunc decrevit, falsum etiam est hoc assumptum ex Baronii annal. tom. XII. anno MCXII. licet enim Paschalis ignavus esset in tuenda ecclesiastica libertate, nullum schisma conflatum est, multo magis pro vitandis videlicet notorietate scandali, fautoria schismatis, subversione Ecclesiæ & animarum periculo, ambitioneque & cupidine contendentium eorumdem jubemur a Domino per Moysen ab hujusmodi perversissimorum hominum consortio separari, ne simul pereamus in peccatis eorum, cum juxta sacrum eloquium sacrificium eorum sit panis luctus omnes ex eo comedentes contaminans, & digni sunt morte non solum qui faciunt, sed & qui facientibus quomodocumque consentiunt.*

Falsæ opiniones antipap. abductæ.

Perstrictus in Bonifac. sui nimius amor.

Objecta utrique ecclesiarum dissipatio.

(a) Baron. to. 6. A.C. 497.

XV. *Præterea, ne de cætero habeant unde hujusmodi dolendo schismati fomenta ministrent, cum præsertim illi non debeant aliqua nomine Ecclesiæ possidere, qui nolunt in pace tolerare pacis auctorem, immo fælius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam frangitur, & in justitiæ dedecus acquiescat; totalis obedientia est eis & eorum cuilibet deneganda. Nec nos & cæteros principes catholicos debent hominum vaniloquia prout ait Pelagius, in aliquo retardare, dicentium*

Disceptatur an liceat eos urgere ad abdicationem.

quod Papam persequimur. Erant certe hujusmodi fabulationes & rumores; non enim persequitur nisi qui ad malum cogit, ille vero, qui ea, quæ male aguntur, reprimit & animarum salutem requirit, non persequitur: sed quia malum est schisma, per nos & Reges cæteros hujusmodi operimi debere homines & canonicæ scripturæ auctoritas, & paternarum nec regularum veritas docet. Nos itaque, qui ut Reges cæteri, a Domino per prophetam nunc præcipue intelligi meremur, quando fidei murum sic ubique acies lacerat inimici; præmissis omnibus & singulis ac aliis in hac parte considerandis, signanter violatione juramenti in introitu conclavis [ut præfertur] præstiti, quod Deus, qui conscientiæ testis est, sic excipit, sicut Cardinalium cœtus, cujus est præstitum, intellexit; habendo præ oculis solum Deum debita cum maturitate digestis, non valentes tam enormia, quibus Ecclesia Dei sic graviter scandalizatur, sine Dei offensa oculis conniventibus pertransire, sed clare progenitorum nostrorum vestigiis inhærendo, cupientes ipsius Ecclesiæ integrari scissuram; totis insuper conatibus, omnibusque modis post hæc, ad quæ peragenda sacræ sanctiones nos instruunt, procurare, cum Regum & principum aliorumque fidelium consilio, auxilio, & favore, ac prosequi cum effectu hujusmodi unionem, pro qua habenda hæc agimus; in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, ex quo dicti contendentes, ob ambitiosam pertinaciam præmissorum ab eorum obedientia expellunt cunctum populum Christianum, & nos quidem præmuniti triumphali vexillo venerabilis sanctæ crucis, assistentibus nobis ad hæc principibus prosapiæ nostræ, ac pluribus principibus aliis etiam, & ecclesia regni nostri & Delphinatus, dicentes cum Mathathia: Propitius sit nobis Deus; ab obedientia totali ipsius Benedicti, de cujus adversario hic mentionem non facimus, cum nusquam sibi obedientiam, sicut nec obedire volumus nec debemus; nos ecclesia, clerus, & populus regni nostri ac Delphinatus de prædictorum vocatorum consilio & assensu recedimus, & nunciamus auctoritate præsentium recessisse; volentes inter cætera, quod ab inde in antea ipsi Benedicto, suisque collectoribus & aliis officiariis quibuscumque, suis etiam complicibus, fautoribus, & sequacibus, ac procuratoribus eorum nullus cujuscumque conditionis fuerit de redditibus, proventibus, & emolumentis ecclesiasticis quomodocumque & ex quocumque causa solverant respondere præsumat, &c. [nonnulla ad collationem & administrationem sacerdotiorum spectantia decernit.] *Datum Parisiis sub nostri sigilli testimonio bis appensi die XXVIII. mensis julii anno Domini* MCCCXCVIII. *regni vero nostri an.* XVIII.

Franc. Rex tandem ab antip. deficit.

Pragmatica a schismaticis edita excepta.

&c. per Regem præsentibus dominis Bituriæ, Burgundiæ, ac Borbonii ducibus, domino Petro de Navarra Constabulario Vorie admiraldo, magistro ballistariorum aliisque nonnullis. P. Manhac.

In superioribus literis perperam Bonifacius Pontifex cum Petro e Luna antipapa exæquatur, nec enim Bonifacius a se avertebat populum Christianum cum paratum se ad celebrandum œcumenicum concilium offerret, quemadmodum testantur cum Rege Castellæ pseudocardinales (a) Avenionenses, contra vero Petrus e Luna illud pertinacissime repudiaret; debueratque potius Rex ipse Bonifacio obsecundare pro celebranda synodo, quantumvis reluctante & invito antipapa, quem dare leges Pontifici, ut gradu cederet; maxime cum Petrus numquam a pseudopontificatu se abdicaturus esset, nec Gallicæ aulæ sed concilii decreto exauthorari debuisset. At causam schismatis discuti ferre non poterant politici, quare studia universa, ut Papa cum antipapa cedere cogeretur convertere. Sed cum antipapa ad Gallorum imperium cedere respueret, multo minus Papa cedere debuit nisi œcumenicæ synodi authoritate antipapa damnaretur.

(b) *To. 10. de schism. p.69.*

XVI. In hac rerum perturbatione politici ipsi excusso antipapæ jugo, se acephalos constituerunt, ac pragmaticam sanctionem contra jusfasque edidere (b), ut nimirum sacerdotia non a Romano Pontifice, sed ab episcopis conferrentur, ab iisdem abbates confirmarentur; tum expectativæ, ut vocant, gratiæ, & reservationes tollerentur: quam legem ab iisdem postea abrogatam, atque iterum instauratam, ac rursus antiquatam, damnatamque suo loco visuri sumus. Sane non debuerant politici ab Urbano VI. quem pacificum pontificatus possessorem fuisse norant, ad perduellium susurros deficere sine concilii œcumenici, quod Urbanus quoque obtulerat, authoritate: qui demum schismatis calamitatibus involuti antipapam deserere coacti fuerunt. De superiori vero decreto Carolus pseudocardinales certiores fecit (c), ut sibi adversus Petrum e Luna adhærerent.

(a) *Juvenal. Ursin in Carol. VI. hoc anno.*

Carolus, Dei gratia Francorum Rex, &c. Universitatis vestræ collegium harum serie præsentium obnixe rogandum duximus & cordialiter exhortandum quatenus unanimi fidei constantia fraternaliter juncti simul in hoc opere tam salubri coadjutores nostri sitis, ac per eamdem semitam nobiscum incedentes ad unionem Ecclesiæ per viam & medium supradictos procurandam & habendam indefessis studiis laboretis; quo casu vos harum tenore literarum volumus esse certos: quod in honoribus, libertatibus, & beneficiis vestris vos & vestrum singulos nobis taliter adhærentes nostræ po-

(c) *Ext. ejus lit. to 12. de schism. p.234.*

Promissa Cardd. ab eo discessuris studio.

ten-

tentiæ viribus, auxiliante Deo, adeo viriliter defendimus, quod nullius dispendii jacturam propter hoc incurretis, quemadmodum per nuntios nostros solemnes, quos ad vestras præsentias destinandos duximus, poteritis diffusius informari. Datum Parisiis xxviii. die mensis julii anno Domini MCCCXCVIII. & regni nostri decimo octavo, &c.

XVII. Abscessere (a) ex antipapæ aula, acceptis regiis literis, Cardinales schismatici, ac Villanovam contendere, ut consilia ad frangendam Petri e Luna pertinaciam conferrent: e quibus Petrus, cui e Tureyo cognomen erat, ad defigendam in omnium oculis & mentibus insignem Petri e Luna perfidiam & iniquitatem, illustrandasque justæ ab eo secessionis causas scriptum (b) vulgavit, cujus potiora capita delibamus.

(a) *Te. 10. de schism. p. 195.*

Cardd. schismatici suum antipapam deserunt.

(b) *Ext. ib. p. 99.*

Promulgatæ defectionis causæ.

Petrus de Tureyo contra Benedictum.

Suaserat viva Gebennensi abdicationem.

Dum erat, nimirum Petrus ipse, legatus in Francia tempore Clementis VII. pluribus dixit & asseruit, quod per viam cessionis utriusque erat finis schismati imponendus, & assumptus ad papatum fecit hoc publicari in diversis partibus mundi, & quod ipse erat dispositus pro tanto bono renunciare, licet ex post infra paucos dies in contrarium fuerit induratus. Item post recessum dominorum ducum frequenter & pluries & quasi continue fere per duos annos & ultra instantiam magnam fecerant Cardinales domino Benedicto, ut ipse viam cessionis offerre vellet & acceptare pro utilitate Ecclesiæ, salute animarum, & extirpatione schismatis, cum alias perpenderet ecclesiam de facile uniri non posse, quam acceptare & offerre continue recusavit. Item præfati domini Cardinales videntes ejus pertinaciam ad magis eum convertendum frequenter ipsum requisiverunt, ut ad viam conventionis per eum oblatæ dominis ducibus venire vellet & illam prosequi: quod facere etiam expresse recusavit. Ultra videntes domini Cardinales, quod sic non poterant proficere, eum requisiverunt, quod offerret viam conventionis, & prosequeretur & consentiret, ut per omnem viam rationabilem finis schismati imponeretur: & hoc etiam facere & offerre expresse recusavit. Videntes ultra domini Cardinales, quod nec sic poterant proficere, eum requisiverunt frequenter, ut in oblatis per eum dominis ducibus vellet perseverare & illa prosequi, & servare cedulam juratam; hoc etiam facere recusavit. Fuit etiam per nonnullos ex dominis Cardinalibus quod attento quod ad præmissa vel aliquod præmissorum induci non poterat, saltem convocaret concilium suæ obedientiæ, & ibi videretur quod ipse facere deberet, & teneretur pro tanto vitando scandalo; & hoc etiam fuit eidem consultum per multos ex amicis & familiaribus suis, quod etiam facere expresse recusavit.

Spretæ ab eo collegii Avenionensis preces.

Rogatus ut jusjurandum servaret respuit. Rogatus ut congregaret concilium abnuit.

Item est sciendum, quod licet dominus Benedictus dominis ducibus post viam conventionis & compromissi, quam appellat justitiæ, etiam obtulisset alias vias rationabiles, & ultimo quod servaret cedulam juratam in conclavi, tamen ex post illas duas partes scilicet de aliis viis rationabilibus, & de stando cedulæ juratæ, & multa alia subtraxit: quare in responsione quam fecit nunciis trium Regum, hoc callide tacuit, viam solam conventionis & compromissi justificando: & cum a nonnullis diceretur sibi, quod in scandalum de aliis præmissis tacebat, respondit quod aliud non faceret nec offerret nisi solam viam justitiæ antedictam.

Obtrusa ab eo via justitiæ umbratilis.

Item est advertendum, quod licet præfati domini Cardinales, monitiones, supplicationes, & exhortationes fecerint antedictas, inter alia sibi obtulerunt, quod tentaretur via justitiæ per modos, per quos licite tentari posset, & quæ parati erant, quod ipsi adhiberent bonam diligentiam ut sine fraude, & semoto omni impedimento, illa via procederet, ita quod in casu, in quo non posset dare pacem Ecclesiæ, quod tunc per viam cessionis utriusque pax daretur: ipse tamen hoc facere & acceptare pertinaciter recusavit.

Quid responsum suis pseudocardd.

Item domini duces Bituricensis & Burgundiæ similem oblationem eidem domino Benedicto fecerant per priorem S. Martini de Campis: cui tamen ipse nullo modo acquiescere voluit, immo expresse denegavit. Observandum hic viam justitiæ fuisse per concilium œcumenicum, quod a Bonifacio ultro fuit oblatum.

Sciendum est ulterius, quod ultra omnia præmissa ipse dominus Benedictus requisitus solemniter per nuncios Franciæ, Castellæ, & Angliæ Regum, ut viam cessionis acceptare vellet & offerre; qui hoc facere expresse recusavit: & demum per eosdem nuncios requisitus fuit, ut pacem daret Ecclesiæ cum suo adversario per quamcumque viam: & licet tunc dixerit, quod præfatis Regibus super hoc responderet & suum intentum notificaret; hoc tamen ex post facere prætermisit; immo conatus fuit verbis, terroribus, ac comminationibus per maxime dominos Cardinales inducere ad suam opinionem & viam, & quod a via cessionis haberent totaliter discedere. Item est sciendum, quod postquam Rex Franciæ recessit ab ipsius obedientia, culpa & pertinacia sua fuit, & jam tantis vicibus per quatuor ex dominis Cardinalibus nomine totius collegii requisitus, ut pro evitatione tantorum scandalorum vellet offerre cessionem & eam acceptare, qui prætendens se habere aliqua dubia recusavit. Ultra est sciendum, quod ipse dominus Benedictus frequenter dixit & asseruit publice, qualiter cedula prædicta per eum ante electionem & post juratam in nullo eum obligabat ad viam

Rogatus a Regibus ut abdicationi assentiretur contempsit.

Regum preces ab eo spretæ.

Antipapa pertinaciam suam profitetur.

am cessionis prædictam. Dixit etiam & frequenter publice asseruit, quod posito quod omnes Reges, prælati & principes, & intrusus (intelligitur Pontifex,) *& tota Christianitas concluderent & concordarent, ut per viam cessionis finis imponeretur schismati, ipse propterea cessionem non offerret, vel acceptaret; immo tunc fortior esset in opinione, etiam si omnes sibi obedientiam denegarent seu subtraherent, & jam si contingeret ipsum ex hoc excoriari sive mori.*

Labitur in hæresim, dum virtutis opus peccatum reputat.

In consistorio etiam publice dixit & asseruit & alibi frequenter, quod si offerret renunciationem, ut petitur, & renuntiaret, etiam cedente adversario ipse peccaret mortaliter, affirmans per hoc summum bonum, quod in tali renunciatione consisteret, per quam Ecclesiæ pax daretur, fore peccatum, quæ assertio scrupulo magni erroris carere non videtur.

Perditurum se Ecclesiam comminatur.

Item cum aliquando sibi dictum fuit, quod in magnum animæ suæ detrimentum denegabat offerre cessionem, ipse respondit, quod plus merebatur uno die quam demereret uno mense. Item frequenter dixit & publice quod in casu quo ipse urgeretur ad cessionem, tunc minas faceret, & quod Ecclesiam in tali statu dimitteret, ut post mortem suam reparari non posset.

Infectatur dantes operam ecclesiarum conjunctioni.

Est etiam sciendum quod ipse dominus Benedictus dominis Cardinalibus volentibus laborare & laborantibus, ut per viam cessionis utriusque pax daretur Ecclesiæ, frequenter comminatus contra eos procederet ad depositionem & alias graviores pœnas, ut plures inhibitiones fecit & terrores incussit, & eisdem gratias fieri solitas denegavit, & e contra tenentes opinionem suam ad dignitates & beneficia promovit, aliis beneficia & gratias denegando.

Concionantem de abolendo schismate in custodiam tradit.

Item magistrum palatii, quia quadam die veneris sancta coram eo prædicavit, ipsum arguendo de negligentia in facto unionis & cordis duritia, ab officio suspendit, & sub arresto tenuit fere per duos annos, ex quo post nullus ausus fuit prædicare coram eo de facto unionis Ecclesiæ. Item frequenter dum aliqui locuti fuerant eidem de unione procuranda, hoc malitiose & moleste recepit, & audivit aliquando inhibendo nonnullis, quod de tali materia ultra non facerent sibi verbum. Item dicitur, quod aliquibus principibus obtulit magnas pecuniarum summas ad finem, quod viam cessionis & ejus prosecutionem impedirent, &c. Pœnituit sero Cardinales Avenionenses propagasse schisma adeo imprudenter subiecto ad antipapatum Petro e Luna cum ad tegendum flagitium patratum in constando schismate illum delegissent, ut voluntaria abdicatione pristinam ecclesiarum conjunctionem redintegraret. Pergit Petrus e Tureyo.

Item cum Rex Franciæ ad diversos principes misit suos legatos pro unione Ecclesiæ procuranda per viam cessionis utriusque ipse dominus Benedictus in contrarium ad impediendum dictos legatos & eorum prosecutionem nuntios & literas destinavit, specialiter ad Reges Romanorum, Angliæ, Scotiæ, Aragoniæ, Castellæ, & ad alias plures communitates, & nationes diversas, per hoc, quantum in eo fuit, unionem Ecclesiæ impediendo, & schisma fovendo contra suum proprium juramentum. Dicitur etiam procurasse quod nuncii certi ad intrusum, (sic appellat Bonifacium Papam Cardinalis schismaticus) *fuerint destinati ad impediendum nuncios Regum Franciæ & Angliæ & Castellæ, qui viam cessionis prosequebantur, &c.* Tum vertit crimini Petro ipsum suasisse Bonifacio sedenti Romæ ne pontificatu se abdicaret, subditque: *Dicto episcopo Tirasonensi & aliis dedit licentiam & in mandatis, ut pedes intrusi osculorentur, & alias eidem exhiberent reverentiam vero Papæ exhiberi consuetam,* & infra: *licet dominus Clemens contra Barensem,* (nimirum Urbanum VI.) *& contra istum qui se facit Bonifacium nominari, varios processus fecerit, ipse Bonifacius contra adversarium nullos processus fecit. Item augmentum istius præsumptionis,* (scilicet scripsisse Bonifacio, ut de statu dignitatis non recederet,) *fecit, quod viæ suæ compromissi, quam appellat justitiæ, posuit additionem, per quam intrusus assumi potest in Papam,* & infra, *damnatus, impœnitens, nec conciliatus Ecclesiæ.* Inepte admodum ea querela effusa est, qua carpitur Bonifacius a Cardinali schismatico, quæ in ipsummet potius & collegas pseudocardinales eorumque sectatores retorquenda erat, nimirum ipsos, cum ab unico & vero Pontifice se divulsissent, pontificiæ dignitatis abdicationem imperasse vero Pontifici, ut damnati nec venia petita, in Ecclesiæ gremium, pristinosque honores restituerentur. Concludit demum Petrus e Tureyo adversus Petrum e Luna schismo jam viginti annis viguisse, neque illum tanto malo mederi velle; tum addit. *Nunc regnum Franciæ & Delphinatus Viennæ, & etiam multa alia regna ex sua mala duritia seu pertinacia recesserunt ab ipsius obedientia, &c.*

XVIII. Guillelmus de Agrifolio illum de schismate & hæresi convincit.

Acerbiorem longe tunc edidit in Petrum e Luna commentarium Guillelmus pseudocardinalis de Agrifolio, qui schisma, quod conflarat cum aliis, tolli summopere exoptabat, ac septem argumentis illum vel schismaticum vel hæreticum esse convicit; ita tamen, ut iisdem argumentis Cardinales schismatis authores conficiantur: ubi observandum nullam concilii œcumenici, a quo cognita causa exauthoraretur antipapa, fieri mentionem, quod uti schismatici stare juri & prætéritum errorem fateri aspernarentur (a).

(a) *Ext. to. 10. de schism. p. 134.*

Tra-

Tractatur Cardinalis de Agrifolio contra Benedictum.

Ex septemplici medio videtur istum hominem, nimirum Petrum e Luna, *fuis ex gestis, factis, & actibus, fuisse & esse schismaticum vel haereticum.*

Primum argum.

Primo per modum impugnationis, videlicet unitatis fidei & corporis mystici matris Ecclesiae, quod sic deducitur. Nam ille est schismaticus vel haereticus, qui dominica ac evangelica scienter & a proposito simulate & pertinaciter sua ambitione facit instrumenta nequitiae, quae impugnatur hostiliter atque dividitur, destruitur quoque atque confunditur Ecclesiae unitas & unio fidei: Probata majori hac propositione, minorem subiicit sic inquiens: *Hic, de quo agitur, homo jurisjurandi sanctissimum factum in conclavi per ipsum bifarie ac simulatorie sua ambitione perveniendi ad papatum, fecit antedicta pertinacia sua instrumenta nequitiae, quibus tandem ad papatum pervenit, perveniens impugnavit hostiliter, & impugnare non desinit unitatem fidei & sanctae matris Ecclesiae, ipsamque destruere (quantum in eo est) atque dividere: ergo ipse, de quo nunc agitur est schismaticus vel haereticus.* Mox se accingit ad probationem: *Probatur primo quoad istius primam particulam, videlicet quod simulatione ipse juraverit, ut ad papatum pertingeret: nam unus ex dominis Cardinalibus, qui ad hujusmodi assumptionem dicti hominis pro tunc erat ferventior, sciens quod juramentum praedictum non fiebat in cedula jurata in conclavi alia intentione, nisi ut tunc futurus eligendus in Papam papatui cederet, & perpendens, quod dictus homo, de quo agitur, non erat voluntarius ad jurandum, cum caeteris dominis advisavit eum atque praemonuit primo, quod nisi juraret, ut caeteri alii, non eligerent in summum Pontificem: de quo advisatus atque praemonitus juravit ut caeteri, ne papatum amitteret. Hujus autem simulationis nequitiae actus quosdam praemisit bona fiducia data per ipsum hominibus de volendo prosequi unitatem Ecclesiae per cessionem spontaneam primo in Francia duci Burgundiae ac universitati Parisius, quibus asseruit, dum legatus existeret, qualiter non erat possibile uniri Ecclesiam nisi uterque contendentium de papatu renueret, ob quam causam dominus Clemens tunc Papa commotus contra ipsum suum camerarium ad explorandum ejus vestigia, atque reprimendam praesumptam ipsius malitiam transmisit Parisius: deinde homo ipse ad curiam rediens dixit oretenus pluribus dominis, & forsitan omnibus ac mihi, testificor, quod non intendebat fardellos suos dissolvere nec valisias, sed remeare ad propria, nisi prius dominus Clemens tunc Papa offerret viam pro unione Ecclesiae magnis praeconiis praedicatam in Francia. Consequenter in novena ejusdem domini Clementis defuncti fuit opinionis homo iste cum multis ex dominis, quod differretur electio summi Pontificis donec intrusi Romani sciretur intentio, si vellet renuere pro pace Ecclesiae.*

Cur abdicationem juratus spoponderit.

Parisiis promulgarat schisma nisi utroque cedente non abolitum iri.

Praedecessorem ad cedendum stimularat.

Caeterum post illius electionem, inthronizationem, & solitam adorationem in conclavi factam a dominis, confestim requiritur per aliquos dominos sibi praesentes ut juramentum, quod fecerat primitus ante suam electionem, ratificaret in papatu, & faceret denuo, prout fuerat conventum perantea & concordatum per dominos, respondit quod non videbatur sibi necessaria replicatio dicti juramenti, ne forte cessio, quam intendebat & volebat facere sponte, videretur quasi semicoacta ex vinculo juramenti; tamen intulit: Ex quo me iterum de juramento requiritis, iterum ego juro. Ex quibus verbis tunc dabat intelligi, quod erat paratus & voluntarius ad cedendum. Praemissa vero simulationis nota hunc hominem a juramento non eximunt sed astringunt, prout habetur in canone di. 3. praeallegatis ubi glos. dicit, quod non admittitur, si vellet probare irritum, ut habetur 27. q. 1. c. vidua: Demum post hujus hominis electionem ad papatum statim misit suos nuncios ad Regem Franciae, ipsum informando, ut non miraretur nec turbaretur si Cardinales ad electionem Papae processerant, quia ex quo agebatur de cessione utriusque capitis & unione collegiorum utrorumque, quae fieri non poterat nisi praehaberetur Papa catholicus, ideo necessarium fuit praeeligi verum Papam. Ita contendebant schismatici, quippe qui controversiam universali synodo permittere recusarent.

Variae ejus artes fingendi.

XIX. Secundum argum.

Secundo probatur ipsum fore & esse schismaticum vel haereticum per medium obligationis sui videlicet sacratissimi juramenti, per quod sic arguitur. Ille est schismaticus haereticus, qui scienter & pertinaciter asserit, actum laudabilem aliquem obligatorium ad sui observantiam sub poena damnationis perpetuae, ac meritoriam vitae, fore peccatum mortale gravissimum, Deique offensionem, & contra rectam conscientiam observandum; ista major est tam evidens suis ex terminis, quod probatione non indiget. Sed iste homo, de quo nunc agitur, pertinaciter asserit atque asseruit hoc juramentum laudabile, quod cessionem spontaneam promittit fidelibus pro unitate Ecclesiae, est obligatorium ex rationibus XV. in quibus fundatur sub poena perpetuae damnationis, &c. meritorum vitae aeternae; si ipsum servaverit esse peccatum mortale gravissimum, Deique offensionem permaxime, quod quidem observaturum publice & expresse denegat; etiam si deberet excoriari, seu alia interfici morte durissima. Minor ista patet ex verbis & dictis ipsius publicis

cis & expressis oretenus, ut ex rei evidentia sui irrevocabiles damnati propositi; nam hoc juramentum primo fundatur in timore horribili divinæ sententiæ, cum Deum immediate respiciat; cum pro unitate suæ fidei est facta expressa professio religionis catholicæ, indispensabiliter obligans. Secundo fundatur in legis naturæ observantia stabili de Dei reverentia, & non estimando quæ sunt ei debita, suæque Ecclesiæ oblata spontanee: quod quidem gratuitum jusjurandum ligaverunt in lege naturæ non solum homines, sed ipsum & Deum per duas res immobiles factum ad Abraham secundum Apostolum ad Hebræos VI. Tertio fundatur in primæ tabulæ mandato dominico de non assumendo in vanum nomen Altissimi, quem jurejurando in testem quis advocat in causa Dei propria. Quarto fundatur in expressa professione catholicæ fidei, qua se jurejurando astrinxerat procurare posse tunc, ordine parato si viderentur suis fratribus, unitatem Ecclesiæ: quod quidem vim retinet voti spontanei emissi solemniter, quod recompensationem æquivalentem non recipit. Quinto fundatur in Dei reverentia, suæque Ecclesiæ, quoniam membra conjungere mystico capiti per cessionem hujusmodi est Deo reddere suum cultum latriæ, hæc est primaria atque potissima Dei reverentia, in qua nec Papa, immo nec ipsemet Deus potest dispensare. Sexto fundatur in advocatione testimonii Domini, quem in testem veridicum de sua humilitate propositi renuendi pro unitate Ecclesiæ advocat: in cujus perjurii transgressione Deum ultorem veramque constituit testem ac judicem, ultorem quidem in hoc membra putrido dejiciendum notorie: verum vero Deum ipsum constituit, qui offensam patitur dejerantis perjurio: testem quoque ipsum constituit, qui non simulatione, ut hic jurans ipsum juramentum testatur & asserit, sed vere realiter observandum omnimode pro unitate suæ fidei: sed ipsum Deum judicem hic homo constituit offensæ suæ propriæ quam relaxare nulli unquam committeret, saoque maxime perjuro vicario, nisi pœniteant culpæ pro modo. Septimo fundatur in præeminentia respectu voti emissi solemniter de religione sanctissima, quod quidem votum est minus hoc juramento ex sua causa quadruplici: nam materialis causa ejusce juramenti est corpus mysticum universalis Ecclesiæ, formalis vero est veritas fidei, efficiens vero est ipsum caput ministeriale Ecclesiæ vices gerens mystici capitis, cujus est in terris supernus vicarius; & sic Christi vice ac nomine juravit expressius: Causa finalis est pacis unio per unionem hujusmodi consequendam in patria: sed votum solemne de ingressu religionis præmissas causas tam universales & solemnes non respicit. Octavo fundatur in sacramento unionis sanctissimæ quæ est res sacratissima, tam in suis membris quam capite, qui est Christus omnipotens. Nono fundatur in certitudine stabili sacri evangelii, quod licet jurans tetigerit, & ideo tam infallibilis veritas debet esse in juramento suo præstito, quanta est ipsius evangelii veritas, quæ est res immobilis secundum Apostolum. Decimo fundatur in jure Deo quæsito ejusque Ecclesiæ per promissionem præteritam factam solemniter in præsentia testium juratam authentice, quam Dominus acceptavit ut possessionem suam propriam non revocabilem per divinam potentiam. Undecimo fundatur in submissione spontanea per istum hominem facta Ecclesiæ, per quam verus Papa suis subditis in hac observantia minor efficitur, dum submisit se libere membris Ecclesiæ in his quæ juravit eis reddere, quemadmodum Papa suo sacerdoti cui confitetur, in actu hujusmodi minor efficitur, dum se submiserit in sacramenti prævia formula. Duodecimo fundatur in abnegatione sui proprii arbitrii libera, quia postquam juraverat Deo & Ecclesiæ, a se abdicavit totaliter arbitrium libere revocandi quod obtulit Deo sponte, ac per hoc ad ipsum proprium pristinum arbitrium libere redire non poterit. Tertio decimo fundatur in fama conservanda laudabili, cum omnis perjurus, infamis, dejerans perpetuo redditur, & tanquam infamis convictus notorie a juris judicio juste repellitur, quia est Dei proditor atque falsarius testamenti dominici, quod est evangelium ejus sanctissimum, in quo perjuraverat. Quartodecimo & ultimo fundatur in papalis officii cura sollicita, quia illa talia hic homo juraverat se facturum in posterum, quæ sunt ex debito sui pastoralis officii per ipsum exequenda spontanee, prout sunt procuratio unitatis Ecclesiæ, inductio ovium dispersarum per devia, evitatio scandali Ecclesiæ, maximi profectus Ecclesiæ ejusque utilitas, animarum salvatio perdendarum in schismate, reverentia Domino exhibenda humiliter ab istis schismaticis, pacis concordia in Dei Ecclesia, notitia & certitudo indubia de summo Pontifice, humilitatis exemplum dandum fidelibus per cessionem spontaneam: ad fidem simul etiam obligatur ex debito Christi vicarius, etiamsi nunquam jurasset expresse in cedula.

Horrenda antipapæ nequitia.

Gravitas perjurii ipsius describitur.

Arguitur ex sponsione facta Ecclesiæ.

Ex infamia qua Dei fit proditor.

XX. Tertium argumentum quod Petrus a Luna sit hæreticus.

Tertio probatur hunc hominem fuisse & esse hæreticum vel schismaticum per medium detestationis seu reprobationis hujus viæ, videlicet cessionis spontaneæ per quod quidem medium arguitur tali modo. Ille est schismaticus vel hæreticus, qui nullum aliquem humilitatis gratuitam, per quem solum & nullam aliam, stantibus causis nunc occurrentibus de præsenti pervenire potest. Ita loquitur author, quia antipapa & anticardinales stare juri & œcumenici concilii sententiam excipere detrectabant, *pertinaciter asserit esse & fore vituperabilem*

lem atque peccatum & offensam Dei maximam, damnans eum cum multis infamiis, & infra: *probatur: nam damnans & reprobans viam cessionis pro unitate Ecclesiæ damnat doctrinam Christi dicentis: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.*

Si animam pro grege debet Papa ponere; multo magis thiaram.

Ergo multa fortius ponere debet suum officium pastorale, sine cujus dimissione oves ejus non possunt eripi a morte perpetua. Ubi sciendum quod ad hoc, ut pastoralis cessio sit necessaria pro vita omnium, tria requiruntur copulative; primo quod periculum omnium sit mortale, sicut est in proposito de mortifero schismate, secundo quod tale periculum per cessionem hujusmodi posset tolli capitibus ambobus cedentibus, & hic non cadit dubium quin tolleretur cum debita practica; tertio quod tale periculum tolli non possit alio modo nisi tantummodo per cessionem officii quod in rei veritate stantibus terminis, ut nunc decurrentibus, alio modo tolli non potest.

Tolli non potest schismatis periculum nisi per cessionem utriusque.

Ergo damnans hunc actum extremæ necessitatis ad vitam spiritualem suarum ovium, damnat per consequens doctrinam dominicam de bonitate pastoris erga oviculas liberandas a faucibus mortis perpetuæ, & per consequens est hæreticus blasphemans & reprobans doctrinam dominicam tam necessariam extrema necessitate, quarum primaria est ista blasphemia, quæ sit in juridica & in practica antiquitus, cujus oppositum probatur de Clemente primario & Cœlestino novissimo. Secunda blasphemia quod fuit repulsa interdum a patribus; cum fuerit valde dissimilis, immo nullo modo consimilis in causa & schismate Papæ Alexandri repulsio cessionis hujusmodi, & hujus hominis repulsa damnabilis quam fecit principibus, ut turbaret eos amplius, ad hunc finem videlicet, ut de cessione hujusmodi non tractarent per amplius; sed ipsum relinquerent in ambitione sua maxima & papali fastigio. Tercia ejus blasphemia est ista, videlicet quod res sit indigesta, cum tamen sint octo anni elapsi jam amodo, quod hæc via fuit Parisius cum Rege Franciæ & doctoribus maximis universitatum quamplurium masticata, communicata, & tandem per digestionem consiliorum salubrium incorporata medullitus fidelium mentibus, in tantum videlicet, quod non poterit trahi a corpore mystico nostræ partis catholicæ, donec attigerit ad unitatem sui capitis. Quarta blasphemia, quod hæc via sit in Dei offensam, per quam Deo redditur proprium debitum, per quam Deus colitur cultu suæ latriæ, per quam Deus jungitur membris suis mysticis, per quam Deus diligitur amore gratuito, per quam Deus redditur omnibus perditis oberrantibus schismaticis. Quinta blasphemia, quod est in damnum Ecclesiæ, cum tamen per ipsam jura papalia restituantur ac præsulum, canonum quoque ac censuræ ecclesiasticæ, omniaque alia utilia, quæ schisma hoc rapuit, restituuntur Ecclesiæ nudatæ & pauperi spoliatæ multitudine. Sexta blasphemia est, quod sit hæc via in contemptum clavium, cum tamen per Papum solum terminis stantibus, ut nunc decurrentibus, possit restitui honor deperditus papalis & clavium dejectus profundus & vilificatus fere ab omnibus ut lutum & stercora. Septima blasphemia, quod hæc via sit in exempli perniciem, scilicet impressionum surculus, dum cernerent populi furiosi & domini forsan electores canonici per contumacem duritiam talium contendentium capitum posse fieri ut post intrusionem consimilem quicumque electus indebite remaneret perpetuo in sede Apostolica occupata tyrannide, ac sic exempli pernicie reprobata est hæc cessio per istum hominem; immo in nullius exempli redundaret perniciem, dum statuta salubria statuerentur de cætero clara & lucida adversus hæc schismata huic præsenti similia, quæ ordinata non fuerant a patribus perantea, quibus vitabitur omnis impressio futura consimilis. Octava blasphemia, quod hæc via sit ad fidelium scandalum: cum tamen per hanc solam viam sedari poterunt cuncta præsentia Ecclesiæ scandala, & per ejus repulsam jam in præsentibus habemus in manibus permaxima scandala, quæ procuravit Ecclesiæ nostræ catholicæ hujus hominis durities contumax. Nona blasphemia, quia hæc via redundaret ad læsionem Ecclesiæ, cum tamen per ipsam non lædatur, sed sanetur corpore.

Quot annorum flexu abdicatio utriusque agitata.

Blasphema Petri e Luna vox quod illa in Dei injuriam cederet.

Et in dispendium pontificiæ dignitatis.

Et in mali exempli perniciem.

Et in publicam offensionem.

Et paulo infra: *Decima blasphemia, quod redundet in obdurationem majorem dudum intruso, cum tamen per nullum alium obduratus & obstinatus extiterit in sua pertinaci intrusione, ut in ipsa perpetuo remaneat, quemadmodum per hunc hominem modis multimodis declarandis inferius. Patet luce igitur tota minor propositio præmissa superius, qualiter actum humilitatis gratuitum, quæ est ista spontanea cessio, per quam solummodo stantibus terminis, ut nunc decurrentibus, potest haberi Ecclesiæ unitas scienter & ex proposito pertinaciter blasphemat & reprobat decem blasphemiis falsis & reprobis includentibus hæresim manifeste notoriam, cum tamen aliqua adeo expresse prohibita, si tamen juratur, non sunt vitanda sed adimplenda propter reverentiam juramenti exemplo Josue jurantis Gabaonitis, de quo in canone XXII. q. IV. c. innocens credidit, & exemplo Jephte immolare quidquid sibi primo occurreret, & ex hoc suam filiam immolavit Judicum XI. dicens; Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non possum. Ergo hic homo per certum modum infamationis seu detestationis probatur fuisse & esse schismaticus vel hæreticus.*

Convincitur impostor Petrus e Luna.

XXI. Quartum argum.

Quarto probatur ulterius per medium compromissioni hunc hominem fuisse & esse schismaticum vel hæreticum, &c. Multis impugnat compromissum, nonnullæque ratio-

Compromissi via ad sedandum schisma inutilis demonstratur.

tiones falso nituntur fundamento, sedentem Romæ Pontificem intrusum esse, ea vero potissima est, quia sicut viri designati non tribuerent jus alteri, ut verus Pontifex esset, ita non sedaretur schisma, neque eorum sententia tanti esset ponderis, ut fideles ad illi assentiendum obstringeret, & plurimorum conscientiæ fluctuarent. Additque ipsum Cardinales, qui rationem compromissi refellerent, sed abdicationem suaderent, odio capitali persecutum, ac pluries magnæ authoritatis viros muneribus & promissis subornasse: cumque trium Regum Galliæ, Castellæ & Angliæ oratores Roma rediissent, Cardinalium collegium rogasse, ut compromisso assentiretur: immo cum Pontificis Romani consilia percepisset, oratoribus respondisse, nunquam se pontificatu abdicandi consilium suscepturum:) *Intulit*, inquit, *quod ipsi domini Cardinales ab eorum juramento facto in Conclavi erant amodo absoluti, præsertim, ut dixit, quia juramentum erat conditionale, videlicet si intrusus cederet, aut vellet viam cessionis spontanee acceptare: quæ quidem conditio in prædicta jurata cedula non continetur, atque in eadem sit aliqua mentio de intruso; proinde hic homo, qui temporalis sui commodi, & maxima gloriæ principatusque sui gratia falsas aut novas opiniones, immo hæreticas vel schismaticas, fingit vel sequitur, hæreticus est vel schismaticus, ut habetur in canone* XXIV. *q.* 1. *c. hæreticus est ille per totum*.

Voverat abdicaturum se sine hypothesi cessionis alterius.

Quintum argum.

Quintum argumentum insulsum est; cum enim falso supponat Urbanum fuisse intrusum; infert eum, qui cum pseudopontifice communicet, illumque in suscepta confirmet schismatis sententia, hæreticum esse: quam notam impingit Petro e Luna, atque ipsum oratores legasse ad Bonifacium, ut pontificatu non cederet: Pergit anticardinalis de Agrifolio.

XXII. Sextum Argumentum.

Sexto principaliter probatur per medium incorrectionis scandalosæ, contumaciæ pertinacis, quod hic homo, de quo nunc agitur, fuit & est schismaticus vel hæreticus, & infra: *Dicitur quod contumacia & incorrigibilitas clericorum scandalosa respectu fornicationis est peccatum idololatriæ, ariolandi, & paganitatis teste B. Gregorio, ac per hoc est quædam hæresis, quem text. gloss. allegat c. si Papa di. 40. dicit, quod si notorium est crimen Papæ incorrigibilis sic de adulterio vel simonia cum contumacia dicatur hæresis, ac per hoc scandalizatur, etiam inde potest accusari. Si contumacia & incorrigibilitas respectu peccati luxuriæ seu simonia scandalizant Ecclesiam est quædam hæresis & peccatum idololatriæ & ariolandi & paganitatis, multo fortius contumacia pertinax & incorrigibilis scandalizans Ecclesiam ipsam, dividendo aut manutenendo in schismate, est quædam hæresis*

Argumentum a pari.

& peccatum idololatriæ ariolandique & paganitatis, seu infidelitatis, teste etiam Dionysio ad Novatum, & recitat Eusebius. Non est minor hæresis scindere Ecclesiam; multo magis fomentum perpetuum scissuræ Ecclesiæ ministrare, quam diis immolare. Sed homo iste, de quo nunc agitur, contumaciter ac pertinaciter & incorrigibiliter contra & adversus unitatem fidei multipliciter scandalizavit & scandalizat Ecclesiam. Ergo hic homo est schismaticus vel hæreticus, &c. Ita pseudocardinalis ejusque socii schisma, cujus mali fessi erant dissolvere annitebantur, &c.

XXIII.

Cæterum idem in septimo argumento Petro e Luna vertit crimini, patro pontificatu Vincentii, qui sibi a confessionibus erat, de hæresi postulati publica acta a Nicolao Eymerico sacræ fidei in Aragonia censore edita extitisse: is vero dicebatur effutiisse in concione, Judam poenituisse sceleris, & cum ad Christum ob confertam multitudinem, ut veniam posceret, accedere non posset, properasse ad suspendium illiusque animam supplicem a Christo veniam exorasse. Affictus per calumniam fuerat hic error viro pio, quem Leander memorat fuisse ab eodem Vincentio confutatum eleganti libello misso ad Petrum e Luna, cui tum personato Pontifici tum parebat.

Vincentius Petri e Luna confessarius.

Pepererat autem Vincentio eximiæ sanctitatis gloria invidos, qui eo furoris prorupere, ut meretricem subornarent, inque absentis cubiculum immitterent, quo illum peccati lenociniis irretitum dedecore aspergerent, ut narrat Leander (a) his verbis: *Fraude quorundam famæ illius insidiantium speciosa meretrix in ejus cubiculum, dum ipse in Ecclesia rei divinæ vacaret, introducta est: cujus inopinato aspectu continuo territus, ac suspicatus sub muliebri forma dæmonem latere, in eum acribus extemplo conviciis invectus est. At illa [ut erat] fœminam se esse affirmans, ac ingenti illius amore correptam tentasse jam sæpius, si quo pacto fieri posset voti compos, nunc demum oblatam sibi opportunitatem, ac insciis omnibus ejus cubiculum esse ingressam: rogasse ne se sperneret, ne spem suam irritam faceret; exarsit in iram B. Vincentius & gravissimis verbis invectus turpitudinem suam illi objectare & miseriam cœpit, hortatus ut jam resipisceret, nec ultra diaboli laqueus esset. Multa præterea his adjecit, quibus illa quidem adeo commota est, ut ubertim flere cœperit ac veniam rogare. Adjecit quoque quorum fraude atque consilio tantum facinus tentare ausa esset, pollicitaque est, se continuo lupanar egressuram, ac deinceps pudice victuram quod & fecit. Ita capta est quæ venerat ut caperet. Discedentis autem B. Vincentius diligentissime jussit, ac cui rem panderet, ac præcipue illorum nomina reti-*

Passus est graves adversarios.

(a) Leander l. 5.

Meretrix quæ illum pervertere nitebatur ab eo conversa.

ce-

ceret, quibus auctoribus tantam faciant attentarat, sed illa quidem silere non potuit, nec tantæ virtutis laudem latere diutius passa est. At de B. Vincentio alias suis locis dicetur. Quod ad libellos adversus Petrum e Luna perjurum, schismatisque & hæreseos reum ex ipsorum schismaticorum sententia attinet; scripsere contra nonnulli viri docti (*a*), qui spe rerum caducarum ducti pravis ejusdem Petri e Luna cupiditatibus lenocinabantur.

(*a*) To. 10. de schism. p. 195.

XXIV. Petrus e Luna a Gallis obsidione cinctus.

Sed non scriptis tantum, verum armis in pertinacissimum antipapam actum est: missus quippe est a Carolo Francorum Rege Bucicaldus instructus copiis, ut illum interciperet, atque ad officium redigeret, de quo hæc tradit Theodoricus e Niem (*b*): *Quidam Gallici magnates renitentem cedere Petrum diutina obsidione constrinxerunt in palatio Avenionensi.* Cardinales schismaticos atque Avenionenses una cum Bucicaldo conspirasse ad expugnandum Petrum e Luna, referunt schismaticorum acta (*c*), ac die beato Michaeli archangelo sacra palatium pontificium Avenionense arcis instar magnis molibus constructum ab anticardinale e Castro novo tormentis bellicis quati cœpisse: cumque tres schismatici (*d*) Cardinales, qui cum Petro e Luna erant nimirum Pampilonensis, de Voyl, & S. Hadriani in colloquium cum aliis totidem collegis partis adversæ descendissent, comprehensi a Bucicaldo, & in custodiam traditi fuere. Et Juvenalis Ursinus scribit (*e*) duos captos dum fugam pertentarent, Martinum vero Card. Pampilonensem fame extinctum; neque his Petri e Luna pertinacia edomari potuit, validissimo enim præsidio Aragonio arcem instruxerat, adversariorumque impetus propulsavit, atque urbem vibratis tormentis æneis ruinis fœdavit. Tentavit etiam Bucicaldus per cæcos cuniculos milites fortissimos in arcem immittere; sed ii ab obsessis cæsi captive fuere. Monitus interim Martinus Rex Aragonum periculi, in quod Petrus ob pertinaciam in retinendo antipapatu erat adductus, classem ad eum liberandum submisit: sed cum Rhodani alveus, etiam hyberno tempore depressior esset, appellere Avenionem non potuit. Ita extracta in sequentem annum obsidio est, quo Petrus e Luna novas cum Gallorum Rege inire pactiones coactus est, concordiæ interprete Martino Aragonum Rege; qua de re anno proximo agetur. Nunc reliqua prosequamur.

(*b*) Theod. e Niem. l. 2. c. 33. & Juvenal. Ursin. in Carolo VI.

(*c*) Ext. to. 10. de schism. p. 195.

(*d*) Id. ibid.

(*e*) Juv. Urs. in Carol. VI. hoc anno.

Submissa classis a Rege Aragon. pro eo liberando.

XXV. In Castella coacta solemnia comitia.

Dum hæc Avenione gerantur, Henricus Castellæ Rex, qui pari cum Francorum Rege abolendi schismatis studio ardebat, extremo anno habito Compluti episcoporum, procerum, ac doctorum virorum conventu, decrevit Castellam antipapæ obsequio subducendam, proposito (*f*) edicto, cujus præcipua pars repetenda visa est: nec tamen ad Bonifacii partes se transtulit, cum diutius an illi adhærere deberet diu ob paternæ mortis triste exemplum fluctuasset.

(*f*) Ext. to. 15. de schism. p. 107.

Henricus Dei gratia Rex Castellæ & Legionis universis Christifidelibus salutem & ad pacem properantes militantis Ecclesiæ sub uno rectore charitatis vincula conniri, &c.

Henrici Regis Castellæ literæ.

Magistri nostri vestigiis inhærentes, qui licet omnium dominus, nihilominus tamen servi formam suscipiens pro generis humani salute se ipsum morti subjecit, inter cætera attanter illud servare debemus ne occasionem scandalis præbeamus, qui ea nullis obnoxius culpis vitavit, atque sub interminatione gehennæ vitare docuit atque jussit. Beatissimus etiam Paulus ille gentium doctor eximius, auriga fidei, Apostolorum gemma, utriusque tam novi quam veteris testamenti divinus interpres, scandali perniciem execratus, & præsidentibus exempla relinquens, libertatem propriam ultroneus dereliquit, judicia atque dissidia fugere, potius ferre injurias persuadens, fraudemque pati diventius hortabatur, numquid tam sacrilegum atque lamentabile schisma destitisset, & sic sancta Ecclesia ad quartum usque lustrum ovenum ita pestiferum schismatis sine cujusquam antidoti remedio impune tulisset? Nonne languente matre hos duos, si dicamus filios pertinaci animositate per cavillosas nimium astutias viscera genitricis inhumaniter lacerantes, tam membrorum cæterorum compagine merita depulisset, utrumque compellens desistere, aut nihilominus certantes diutius cum tantorum discrimine pro libidinosa dominandi ambitione præsidendi fastu sublimius lascivientes cibis, ornatibus variis, & hoc unicæ vocis applausu: Beatissime pater; a vicariatu Christi magistri humilis eorum etiam providendo saluti noxios Ecclesiæ vastatores abigendos a præsidentia tam noxia prædicaret, &c. (Pluribus in Benedictum & Bonifacium invehitur adjecto hoc convicio: *Sed quomodo animam suam dabit qui pro suis ovibus non dat cappam?* Hæc quidem adversus Petrum e Luna juste intorta, in Bonifacium vero concilium œcumenicum offerentem, in quo damnaretur antipapa &, schismatici restituerentur Ecclesiæ, calumniæ sunt. Subdit Henricus Rex, Petrum e Luna ipsi significasse, ut oratores graves mitteret, quibus mentem suam explicare & eorum opera ad Ecclesiarum redintegrationem uti posset: se vero Castellæ & Legionis præsules ac doctores Segobiæ convocasse; ac licet Francorum Rex patruorum & fratris opera abdicationem persuasisset, ad Regis tamen ac Petri e Luna conciliandas discrepantes sententias, hanc se pronunciasse, videlicet) *quod dictus dominus Benedictus cum suo collegio ejusque*

Schismatis clades deplorat.

Dicturo aculeatum in detrectantes pontificatu se abdicare.

Petri e Luna fraudes in extrahendo schismate per colloquia.

Quid a Castellano senatu consultum.

adversarius cum suo anticollegio simul convenirent, & si usque ad certum terminum non deretur unicum Papam toti Ecclesiæ per viam, quam ipsi ducerent, eligendam, quod ex tunc ambo tenerentur cedere juri suo, quod habebant, seu habere prætendebant sub certis & sufficientibus submissionibus & obligationibus, ordinandis judicio peritorum. Subjicit se oratores Petro e Luna misisse, ut Castellæ in ea re consilium aperirent, illumque petita repulisse; iterumque cum sui ac Francorum & Angliæ Regum oratores, ut pontificatu se abdicaret consulerent, subintulisse re mature deliberata sententiæ suæ Reges participes se facturum, remque etiam tum prætermisisse: *Subsequenter autem fuit idem dominus Papa solemnissime per eosdem ambaxiatores eorundem Regum & nostros summatus, seu etiam requisitus, quod usque ad festum purificationis beatissimæ virginis ipse per se aut cum adversaria provideret quovis modo Ecclesia de pastore, alioquin ex tunc Reges providerent causis tollendis quæ sunt occasio schismatis nutriendi: qui terminus purificationis præteriit infecta adhuc per eum negatio penitus, aut etiam inchoata.*

Delusi inani responso Regum oratores.

His addit: Henricus Rex ad illustrandum consilii sui æquitatem, iterum oratores, ut demissis precibus idem ab eo postularet, misisse cum hisce mandatis.

Decretus iterum a Castellæ Rege orator ad Petrum e Luna.

Flexis genibus in suæ sanctitatis præsentia humillime vestri ex parte suæ clementiæ supplicabitis, & etiam cum omnipotenti Deo requirentes exponetis eidem, quod pro gratia & misericordia speciali recta libramine ponderare dignetur singula negotium præsens concernentia, & verisimiliter consecutura, & dignaretur placare atque lætificare omnes Christifideles, qui cum via cessionis præ cæteris contentantur, quia esse brevior & melior plusque conscientiarum cautiorum in orbe degentium serenativa & scandalorum omnium sedativa, quam servare jurejurando promisit, & quam constanter Cardinalium sacrum collegium asserit atque tenet, dicentium istam fore meliorem, & per quam Ecclesia Dei citius ad veram perveniet unitatem, prout latius in sua declarativa cedula continetur. Dignetur etiam convenire & pro unione cum adversaria concordare ultra prædictum festum purificationis in competenti termino, qui per ambaxiatores & procuratores charissimi fratris vestri Regis Francorum & nostros supplicative atque requisitive extitit assignatus. Si autem objiciunt quod practica seu via, quam nunc ipse offert, sit melior, tutior, ac brevior, respondebitis quod eandem vel aliam, quæ sibi placuerit practicet infra dictum terminum novissime assignatum, qui est terminus in quo ambo contendentes concordare debebunt: & si concordes non fuerint in eodem termino providendo Ecclesiæ de certo & indubitato pastore, ex tunc ambo cedere teneantur cum sufficientibus submissionibus & obligationibus, ut melius fieri poterit, judicio peritorum cum ordinationibus etiam apostolicis ut ipse fieri deposuit in via quam nobis per Conchensem episcopum destinavit: quæ nihilominus insufficiens & ad unionem infructuosa luculenter apparere poterit cuilibet intuenti: & casu, quo istud nolit facere aperietis eidem nostri ex parte, ne suscipiat ad molestum, quoniam necessarium est nobis secundum Deum & bonæ conscientiæ debitum viam prosequi, per prælatos, magistros, doctores, religiosos atque personas bonæ & sanctæ intentionis regnorum nostrorum nobis consultam concorditer atque datam: cujus contrarium faciendo arbitraremur in nostri damnationem adaugeri, si tanto errori & perniciosa exemplo hujus pestiferi schismatis, quod viginti annis jam duraverit universi Reges non curarent, remedia congrua consulere seu etiam providere, ne totus populus tanto se periculo tribulationi atque cæcitati subactum esse cognoscat: quibus idem Papa satisfacere effectualiter nec respondere curavit.

Supplices porrectæ preces.

Tempus illi definitum ut promissa mandaret operi.

Inanes formulæ a Petro e Luna propositæ.

Indignari Castellani propagari schisma.

Post hæc omnia archiepiscopus Toletanus Hispaniarum primas ad pacem Ecclesiæ ferventer anhelans de conniventia nostra scripsit domino Cardinali Pampilonensi, in cujus literis inter cætera continebatur exhortatio quædam, quæ sequitur in hæc verba: *Compellas ergo dominum nostrum Papam ad istam viam sanctissimam eligendam, immo apertis brachiis amplectendam sincera & immaculata ejus conscientia, suaque bona & sanctissima atque recta intentio, quam ipsa in minoribus constitutus semper laboravit indefesse augmentationibus jugibus diversas peragranda provincias, ut haberetur unio in Ecclesia sancta Dei, & etiam postquam fuit ad apicem summi apostolatus assumptus, clamavit & clamat, & etiam Regibus scripsit, se velle tollere istud schisma & reducere Ecclesiam Dei brevius quam posset ad veram unitatem. Sed nulla alia via brevior, melior, & securior quam ista. Igitur ultroneas se debet ad eam recipiendam offerre. Ardeat utique intra viscera ejus passio domini nostri Jesu Christi, qui expansis in cruce manibus mori voluit antequam gens tanta periret: ferveat, & balliat in acie mentalium oculorum Sanguis pretiosissimus domini nostri Jesu Christi, qui effusus est, ut totum genus humanum redimeret: ipse enim languores nostros voluntarie sustinuit, & peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, cujus livore tota Christianitas propter istud schisma horrendum est in perditione. Dicam ergo de eo & ei: O vicarie Jesu Christi, tibi dominus noster Jesus Christus reliquit exemplum ut sequaris vestigia ejus, qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus; tibi enim commisit pascendas oves*

Archiepiscopi Toletani cohortationes.

Propositum illi exemplum Christi nudi in cruce.

Publica totius populi vota exposita.

suas.

fuas, pro quibus tanquam bonus pastor moeri trueris, quanta magis si eas videat, sicut per viginti annos vidisti, & adhuc pertee cernis, non afferes modicam cessionem, quam comprobat tuum collegium Cardinalium & majores principes, Reges, duces, & barones totius mundi, & insuper fere omnes prælati & doctores totius orbis, & communitates plures ac omnes populi & omnes majores, mediocres, & minores una voce dicentes : Non est *alia via ad serenandas conscientias nostras præter istam : non dubites, beatissime pater & domine mi, non dubites eam acceptare, nec trepides, ubi non est timor, quia sine dubio perpetuo remanebis Papa, quoniam diabolus excæcabit illum intrusum, qui istam viam recusabit. Remaneat ergo per ipsum & non per te, insurgant ista de causa non contra te, sed contra ipsum omnes principes mundi, & tu pacificatus cum ovibus tuis remanebis in pace. O quanta tune erit remedium animæ tuæ, immo refrigerium & per sæcula laudabilis gloria & exemplum!*

Contrarius eventus extitit, nam cessit Papa antipapa non cedente.

Scripsit etiam idem archiepiscopus Toletanus eidem domino Benedicto cum copia prædictæ literæ ad dominum Pampilonensem directæ, & cum eadem exhortatione clausula in ejus litera interclusa, ut ad ejus notitiam deveniret : ad quæ idem dominus Benedictus minime respondere curavit. *Novissime autem post omnia & singula supradicta abundantius volentes eundem dominum Benedictum, quantum in nobis erat, quomodolibet contentare; scripsimus in nostra civitate Abulensi effectualiter eidem significanda, quod dignaretur adhuc acceptare prænotatam primam viam, quam primo loco sibi de Segobia miseramus sine cujuscumque termini præfixione, quod scilicet ipse cum adversario convenirent & taliter laborarent, ut nobis darent unum Papam indubitatum; alioquin nobis necessarium erat exequi, quod per prælatos & consilium regni nostri matura deliberatione digestum fuerat & proinde ordinatum. Ipse neglexit accommodare consensum in aliquo præmissorum; quinimmo continuata intentione hucusque, licet toties iteratis & multiplicatis vicibus tam humiliter quam solemniter pulsatus & requisitus, tamque rationabiliter, ut est dictum, semper recusavit atque recusat acceptare aut offerre viam sufficientem ad prædictum schisma tollendum, & per quam lacerata Ecclesia sub unici pastoris regimine requiescat, & tranquillæ fortita pacis effectum unionem debitam assequatur.*

Spreto a Petro e Luna sana consilia.

Repetitæ a Rege Castellæ preces.

Attendentes etiam quod post Rex Francorum nedum de prosapia sua, sed etiam aliorum multorum principum & ecclesiæ regni sui consilio & assensu jamdiu se subtraxit a totali ejusdem obedientia Benedicti, attento etiam quod sacrum Cardinalium collegium ab ejusdem obedientia similiter se subtraxit; considerato insuper & attento quod supradictos contendentes in obedientia sustineri est occasio sive causa plures habendi sequaces, participes, vel fautores beneficiorum ecclesiasticorum seu gratiarum intuitu, vel dum nunc hos, nunc illos alliciunt muneribus sive donis : quidam etiam quibus cum conscientiæ sinceritate via cessionis appareret melior, ut eidem assistentes accepti, atque grati beneficia possint assequi, & dignitatibus sublimari, nihilominus suadent cessionem non fieri, quæ sunt schismatis fomenta non minima, & unionis offendicula manifesta, quibus per obedientiæ subtractionem cessantibus unio facilius sequi posset, pensantes quod in nos Deus animadverteret acrius, immo [quod absit] in damnationem acerbissimam verteretur si nos ac ceteri Reges, quibus ipse justitiam commisit imperium atque gladii potestatem & Ecclesiam suam tuendam signanter in hujusmodi casibus commendavit, prout unicuique opportunitas se obtulerit, sufficientia remedia pro ejus adjutorio dressemus, præcipue cum juxta sanctorum decreta patrum & traditiones tam pestilenti morbo nequeat salubris provisio nisi per potestates sæcularium atque terræ principes procurari, nec ultius superest qui sufficienti remedio provideret; suadet itaque sic explere naturalis cujusque prudentis, circumspecte, seu oculati viri discretio, divini juris & humani clamat auctoritas, urget invincibilis ratio, cui resisti nequit, aut rationabiliter obviari; unde si post hujusmodi multiplices supplicationes, ac requisitiones ejusdem Benedicti per nostros ambaxiatores factas modis debitis, ut præfertur, ipsius partem sustineremus ulterius, merito nobis posset ascribi quod allecti muneribus & gratiis eidem Benedicto faveremus indebite, ac nefandi schismatis præberemus assensum, Christianitatis pesti mortifera fomenta clarissima ministrantes, deque reunienda Christi Ecclesia minime curaremus. Ideo præmissa & alia debita meditatione pensantes, quæ longum foret describi per singula, ut cunctis pateat nos scissuræ vestris dominicæ condolere, ac eam, quantum nobis est possibile, resarcire; nos omnipotentis & altissimi Regis Regum nomine invocato, cum consilio & assensu illustris charissimi germani nostri infantis domini Fernandi, necnon prælatorum, ducum & comitum, procerum & baronum, magistrorum, doctorum religiosorumque virorum regni nostri ad hoc specialiter vocatorum, eumdem omnipotentem Deum præ oculis semper habendo, declaramus subtrahi debere totalem obedientiam eidem Benedicto in spiritualibus & temporalibus in terris omnibus nostri districtus ac dominii sive regnis ; & denuntiamus præsentibus fore subtractam : subtrahimusque nos, regna, dominia, terras, loca cujuscumque nostri districtus, ecclesiam, clerum, & populum regni nostri ab ejus-

Denunciata illi defectio.

Assentatores dissuasere abdicationem.

Decernitur non fovendum officiis schisma.

Ademptio Petro e Luna conferendorum in Castella sacerdotiorum potestas.

dem

dem Benedicti obedientia, inhibentes firmiter, ut nullus audeat eundem Benedictum ut Papam tractare, nec eidem aut ejus præceptis obedire, aut tum redditibus quibuscumque vel obedientiis spiritualibus vel temporalibus cuivis alteri pro eo ex quacumque causa & super quibuscumque aliquatenus respondere: quodque in prælatiis, dignitatibus, beneficiis cæteris vacantibus & etiam vacaturis, si electiva fuerint, per electionem & post per confirmationem archiepiscoporum & episcoporum, in non electivis vero per collationem & provisionem archiepiscoporum & episcoporum provideatur adhibitis debitis solemnitatibus in præmissis.

Vetitam ab eo sacra jura petere.

XXVI. *Sane ut sancta & recta intentio, quam nos ad unionem sanctæ matris Ecclesiæ semper habuimus & habemus universis pateat manifeste, nec arbitretur quispiam, nos quacumque sinistra intentione movere nisi dumtaxat propter zelum unionis Ecclesiæ supradictum voluntatis & propositi nostri est nunquam & nusquam obedire intruso, qui se Bonifacium appellat, nec eum habere aut suscipere in summum Pontificem, nec etiam obedire cuicumque alteri eligendo in Papam, nisi fuerit electus canonice & obeditus per universalem Ecclesiam verus, unicus, summus Pontifex & receptus. Jubemus insuper quod omnes & singuli nostri regnicolæ plenarie pareant suis archiepiscopis, episcopis, cæterisque prælatis habentes eos in suos veros pontifices & pastores. Si quis autem in præmissis aut eorum quolibet temerarius violator extiterit post voluntatis nostræ acrimoniam, adversus eum dira cedet ultio, velut in eum qui Regis sui præcepta contemnit, & domini sui audet jussionibus contraire. Præsentium insuper auctoritate mandamus universis & singulis justitiariis & officialibus regni nostri, ac eorum cuilibet, ut quoscumque deprehenderint præmissa vel eorum quodlibet violare taliter puniant, ut cedat cæteris in exemplum. Dat. in villa de Alcala de Fenares XII. die mensis decembris anno Domini MCCCXCVIII.* Inique Henricus Rex acephalum se constituit, & cleri populique partem, quæ Bonifacium colebat Pontificem ab eo avertere tentavit.

Henrici Regis denuntiatio.

XXVII. At Bonifacius spe, quam antea Henricum de se concitasse vidimus, ad sedis Romanæ cultum se aggregaturum, illusus censurarum sententias ab Urbano jam ante in Joannem ejus parentem latas, in ipsum etiam Henricum valere pronuntiavit. [1] Tum vero Joannes Rex Lusitaniæ bellum cum Henrico gerebat; quare pontificium diploma (*a*) ad Bracarensem archiepiscopum & episcopum Coimbricensem transmisit, ut illud vulgandum curarent, Lusitanorumque animos magis ad pugnam inflammarent.

Renovatæ a Bonifacio in Castellanum censuræ.

(*a*) *Bonif. ep. cur. l. 5. p. 21.*

Bonifacius, &c. venerabilibus fratribus nostris .. Archiepiscopo Bracharensi & .. episcopo Coimbricensi, ac dilecto filio .. decano ecclesiæ Bracharensis, salutem, &c.

Quamvis ad regimen Apostolicæ sedis, quæ Domino disponente mater omnium esse dignoscitur & magistra, insufficientes nos meritis & sapientia reputemus; altissimi tamen Patris misericordia suffragante, sic solicite pastorale officium intendimus exercere, sicque judicare pro viribus magnum & parvum, ut per illum, apud quem non est acceptio personarum in districto examine, ne inæqualitate judicii merito judicemur; & quia inimici Dei sonuerunt, & qui oderunt eum extulerunt caput, malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversus sanctos ejusdem: & qui sic faciunt, expedit ut in chamo & freno maxillæ eorum constringantur, ut sciant quia homines sunt, & quod potentiis nobis & justitiæ non poterunt temporaliter resistere, demum pœna docente ad faciendum condignæ pœnitentiæ fructus, saltem lima correctionis & ferula justitiæ reducantur. Dudum siquidem, cum damnatæ memoriæ Joannes Henrici olim prætensus Rex Castellæ & Legionis certificatus de canonica electione, inthronizatione, & coronatione felicis recordationis Urbani Papæ VI. prædecessoris nostri, eumque pro vero summo, ac Romano Pontifice & etiam per suas literas & nuntios fidelitatem & obedientiam exhibuisset, & ab eo tam pro se ipsis, quam etiam pro multis aliis quamplures & diversas gratias tam spirituales quam temporales impetrasset & postmodum idem Joannes in reprobum sensum datus, in favorem damnatæ memoriæ Roberti olim duodecim Apostolorum presbyteri Cardinalis tunc antipapæ, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominabat, ac ejus sequacium a devotione, fidelitate, & obedientia ipsius prædecessoris atque Romanæ ecclesiæ non solum seipsum subtraxisset, verum

Ut Joannes Rex obsequium Urbano olim detulerit.

Deinde ab eo defecerit.

NOTÆ [1] QUæ narrat annalista toto hoc & præcedenti paragrapho vera sunt; sed minus accurate digesta. Neque enim Henricus Castellæ rex censuris Bonifacii inustus fuit postquam conventu Alcalensi celebrato obedientiam utrique pontifici denegavit. Sed pontificiæ censuræ regis declarationem præcesserunt. Cum igitur rex animo esset a Bonifacio abalienatus, & cum Gallis in causa schismatis coitionem fecisset, ideo Bonifacius diutius prorogandam minime duxit anathematis sententiam quam ex literis pontificiis in annalibus legendis latam discimus hoc anno kal. septembris. Hac injuria exasperatus Henricus conventum Alcalensem celebravit, in quo utriusque pontificis obedientiam excussit, scriptis hac de re literis in annalibus legendis, signatisque hoc anno die 12. mensis decembris. MANSI

rum etiam prælatos & personas ecclesiasticas, ac alios clericos & laicos Castellæ & Legionis regnorum, ut a prædecessoris & ecclesiæ hujusmodi fidelitate, obedientia, & devotione se subtraherent, fraudulenter & per minas & terrores compulisset; ac se & alios de regnis ipsis in quodam acephalicate, quæ species hæresis existit, quamque alias indifferentiam, seu neutralitatem, ipse Joannes nominabat, constituisset, ac in ea per nonnulla tempora pertinaciter perseverasset, etiam bona, res, jura, redditus, & proventus ad cameram apostolicam spectantia per se & alios usurpando & capiendo, ecclesias etiam cathedrales ac regulares aliaque beneficia ecclesiastica faciendo per schismaticos occupari; præfatus prædecessor, qui salutem ipsius Joannis zelabat, præfatum Joannem pluries per literas & nuncios suos paterno zelo monuit, ut ob hujusmodi erroribus resipisceret, & maneret prout tenebatur in fidelitate, obedientia, & devotione prædictis.

Acephalum se constituerit.

Jura & bona pontificia invaserit.

Deinde vero cum ipse Joannes, nolens intelligere ut bene ageret spretis per eum monitis hujusmodi prædecessoris ejusdem, detegens commentum suæ dolositatis & fraudis, ac in profundum malorum descendens, hujusmodi damnati schismatis imitator effectus, & non timens amplius dictæ ecclesiæ scindere unitatem, una cum perditionis filio Petro olim S. Mariæ in Cosmedin diacono Cardinali vulgariter dicto de Luna, post obitum dicti Roberti in Apostolica sede intruso, Petro olim Toletano & Lupo olim Cæsaraugustano archiepiscopis, Martino olim Pompilonensi, Joanne olim Ambianensi, & Angelo olim Pensauriensi episcopis, ac Bonifacio de Amanatis legum doctore satellitibus dicti Roberti antipapæ, conspirationes & machinationes etiam contra ipsum prædecessorem facta, os in cœlum ponere, lingua ejus transeunte super terram æstimans loquacitatem & facundiam, & maledicere conscientia bona signum, in nonnulla verba nimium blasphema & hæretica, quam vesana contra ipsum prædecessorem prorumpere, ipsumque lacerare conviciis hujusmodi schisma notorie sectando, ac dogmatizando, veritus non fuisset nec vereretur, seque debere & velle dicto Roberto antipapæ credere, adhærere, & favere & favores præstare, præsumptuoso temeritate & ausu sacrilego; convocatis etiam diversis prælatis & personis aliis prædictis publice asseruisset & manifestasset, ac prælatis, clericis, & personis ecclesiasticis de regnis eisdem, quod eidem antipapæ crederent & obedirent ac parerent, temere & de facto præcepisset, præfato antipapæ & ejus sequacibus diversa pecuniaria & alia subsidia, favores, & auxilia etiam contra prædecessorem & Romanam ecclesiam præfatos impendere præsumpsisset, crimen læsæ majestatis ac hæresis, apostasiæ, & conspirationis ac sacrilegii contra ipsum prædecessorem damnabiliter incurrendo in animæ suæ grave periculum, & apostolicæ sedis contemptum, ac præjudicium & scandalum plurimorum, ac præmissa omnia essent adeo notoria, quod non possent aliqua tergiversatione celari; dictus prædecessor nequiens tot & tantos exsecrabiles excessus dicti Joannis absque gravi offensa Christi salva conscientia peramplius tolerare, adversus præfatum Joannem in virtute Altissimi de fratrum suorum de quorum numero tunc eramus, consilio duxerat exurgendum, & super præmissis exigente justitia contra dictum Joannem ad hoc, licet absentem, legitime evocatum, debitis solemnitatibus observatis, nonnullos processus fecerat in talibus fieri consuetos, per quos inter cætera sententialiter pronunciavit, decrevit, & declaravit præfatum Joannem fuisse & esse schismaticum, apostatam, sacrilegum, perjurum, blasphemum, imitatorem hujusmodi damnati schismatis, hæreticorum fautorem, reum criminis læsæ majestatis, conspiratorem etiam contra ipsum prædecessorem, & velut hæreticum puniendum, ipsumque propter præmissa incurrisse pœnas & sententias tam a jure quam ab homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas ac fore privatum & depositum; ac privavit & deposuit a quibuscumque dignitatibus & honoribus, necnon jure, si quod in dictis regnis, seu ad ea quomodolibet competebat aut competere poterat, ac etiam regnis ipsis, si ad eum tunc pertinebant vel pertinere poterant quoquomodo, & omnibus feudis & bonis, quæ a dicta Romana & quibusvis aliis ecclesiis, vel personis ecclesiasticis seu Romano imperio & quibuslibet aliis obtinebat, & quæ quomodolibet etiam de facto tenebat, ipsiusque bona omnia fuisse & esse confiscata & confiscavit ac ejus personam detestabilem & infamem fore exponendam, & exposuit a Christifidelibus capiendam.

In Urbanum blasphemas voces fuderit.

Antipapæ auxilia præstiterit.

Ut Urbanus in Joannem sententiam tulerit.

Damnaverit læsæ majestatis & schismatis crimine.

Regio jure privaverit.

XXVIII. Monuit etiam dictus prædecessor de dictorum fratrum consilio omnes & singulos Christifideles utriusque sexus homines cujuscumque status, ordinis, vel conditionis existerent, etiamsi pontificali, imperiali, regia seu quovis alia dignitate fulgerent, etiamsi essent sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, ne aliquis eorum, in civitatibus, castris, villis, terris, seu locis, quæ etiam de facto tenerent, præfatum Joannem scienter recipere & acceptare, aut sibi ad ea aditum præbere, seu ad illa, in quibus ipse Joannes tunc habitabat seu moram trahebat, aut ex tunc habitaret vel moram traheret, in ipsius vel sequacium ejus favorem, blada, vina, carnes, pannos, ligna, victualia, pecunias, merces, res, vel quæcumque alia bona ad ipsorum usum utilia portare, mittere, vel deferre, seu portari, mitti, vel deferri facere præsumerent, nec per aliquos, si hoc quovis modo prohibere pos-

Commercii cum fidelibus beneficiis multaverit.

sent

sent, mitti, deferri, vel portari permitterent; alioquin eos, qui in præmissis vel aliquo præmissorum contra hujusmodi monita & mandata facere vel eidem Joanni directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem præstare præsumerent, si singulares personæ, excommunicationis sententiam incurrere, si vero communitates vel universitates forent, tam ipsas quam eorum civitates, castra, villas, terras, & loca ecclesiastica interdicto subjacere voluit ipso facto, & hujusmodi civitates, castra, villæ, terræ, & loca civitatum, castrorum, villarum, & locorum aliorum commercio; & nihilominus civitates ipsas pontificali dignitate privarentur, a quacumque excommunicationis sententia nullus ab alio, quam a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo posset absolvi, nec interdictum hujusmodi per alium quam per eundem Romanum Pontificem relaxari.

Castellem sacrorum usu interdixerit.

Præterea omnes & singulos, qui præfato Joanni juramenta fidelitatis, homagii, alteriae cujuscumque obsequii debito, submissione, obligatione, vel pacto quacumque firmitate vallata prius tenebantur astricti, absolvit; & etiam decrevit absolutos, ita quod nullus ei obedire, intendere, vel parere, nullusque ei debita reddere aut respondere extra judicium vel in judicio teneretur. Quinimmo districtius inhibuit omnibus & singulis ducibus, principibus, comitibus, baronibus, militibus, nobilibus, & aliis singularibus personis, necnon communitatibus & universitatibus quibuscumque ne præfato Joanni in aliqua parerent vel intenderent, nec sibi, aut officialibus suis quacumque datia, collectas, gabellas, pedagia, fructus, redditus, & proventus, pecuniarum summas, aut quævis alia subsidia, seu servitia directe vel indirecte, publice vel occulte dare, solvere, vel quovis modo præstare præsumerent. Alioquin omnes & singuli, qui secus agerent; si singulares personæ excommunicationis; si vero communitates vel universitates forent, interdicti sententias hujusmodi etiam eo ipso incurrerent, a qua quidem excommunicationis sententia, præterquam in mortis articulo, ut præfertur, nullus ab alio quam a Romano Pontifice præfato posset absolvi, nec interdictum hujusmodi ab alio quam ab eodem Pontifice relaxari. Pronunciavit etiam & declaravit sententialiter, ut præfertur, quod idem Joannes intestabilis esset, nec testamenti haberet liberam factionem: ad bona quoque aliorum ex testamento vel ab intestato nullatenus admitteretur: nulla fides, nulla credulitas adhiberetur eidem; sed a testamento velut infamis & indignus totaliter repelleretur: esset etiam ei judicatus & cujuscumque alterius publici officii exercitium interdictum. Voluit insuper quod omnes & singuli Christifideles, qui assumpto crucis charactere, ad præfati

Sacramenta fidei Joanni præstito Castellanos absolverit.

Joannis schismatici &, ut præfertur, damnati, exterminium se accingerent, & illum pro posse prosequerentur, illa gauderent indulgentia, illoque privilegio essent communiti, quæ accedentibus in Terræ sanctæ subsidium conceduntur.

Fideles ad sacram militiam adversus Joannem excitati.

XXIX.

Dictus insuper prædecessor, ne tot & tantorum facinorum & scelerum in divinæ majestatis offensam, & dictæ Romanæ ecclesiæ matris cunctorum fidelium & magistræ maximam contumeliam & contemptum, fideique catholicæ ac totius reipublicæ detrimentum nequiter patratorum ad succedentium temporum sæcula sine correctione debita in multorum perniciem memoria deveniret; & ne præfatus Joannes sic, ut præfertur, damnatus & a Deo reprobatus regnaret, qui in suis hæresibus persistere, & excessus excessibus cumulare, ac Romanæ ecclesiæ prædictæ pacem turbare, & inter Christifideles schismata, dissensiones, & scandala, cultumque Christianæ fidei, sine qua quispiam Deo placere nequit, quantum in eo erat, depravare tenebatur, suos pravos & damnandos conceptus in partem ulteriat producere posset, sed potius dextera Dei faciente virtutem, viriliter resisteretur eidem; & ipsius damnandi propositi executio elideretur, opportunis idem prædecessor etiam providere remediis cupiens, quia in iis Dei & prædictæ Romanæ ecclesiæ causam agi conspiciebat, illa devote prosequentibus decrevit spiritualibus auxiliis & præsidiis assistendum, ut causam ipsam eo ferventius prosequerentur, quo exinde majoris retributionis materiam se sperarent adepturos.

Quapropter idem prædecessor de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisus, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui præfatum Joannem præfati Roberti tunc antipapæ complicem & fautorem sic damnatum, ac ipsius Joannis complices, fautores, & receptatores ac ei credentes, quandiu in hujusmodi schismate ac extra ejusdem Romanæ ecclesiæ gratiam persisterent, in personis ac sumptibus propriis; ac non iis, qui in personis propriis, alienis tamen expensis expugnarent, & super hoc per unum annum incipiendum a die, quo bonæ memoriæ Guillelmus episcopus Bethleemitanus, quem dictus prædecessor executorem super hoc deputavit, illud duceret ordinandum, continue vel interpolatim in expugnatione hujusmodi laborarent, Ecclesiæ sequendo vexillum tam clericis quam laicis; & eis insuper, qui suis dumtaxat expensis juxta facultates & quantitates suas destinarent seu eidem episcopo, aut aliis, vel aliis per ipsum episcopum deputandis seu deputandes, ministrarent sufficientia stipendia, ut id ea episcopus destinare posset pro eis idoneos bellatores per dictum tempus moraturos & bellaturos ibidem, illam

Præmiis indulgentiarum affecti.

Sacræ expeditionis promotor institutus.

con-

concessit indulgentiam & veniam peccatorum, quæ concedi per sedem Apostolicam proficiscentibus in Terræ sanctæ subsidium consuevit, & in retributionem justorum salutis æternæ pollicebatur augmentum. Eos autem, qui non per annum integrum, sed per ipsius anni partem in hujusmodi Dei servitio laborarent, juxta quantitatem laboris & devotionis affectum, participes esse voluit indulgentiæ memoratæ, quodque si forsan ipsorum aliquem post iter arreptum in prosecutione dicti negotii ex hac luce migrare contingeret, vel interim negotium ipsum congrua terminatione compleri, eos integre participes esse voluit ipse prædecessor indulgentiæ memoratæ: ac etiam hujusmodi remissionis voluit esse participes juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, omnes qui ad expugnationem dicti Joannis & aliorum damnatorum, sequacium, & fautorum suorum eidem episcopo vel per eundem episcopum deputando & deputandis de bonis suis congrue ministrarent.

Et nihilominus abbreviandi hujusmodi anni terminum & subsidii quantitatem juxta ipsius episcopi circumspectionis arbitrium, consideratis personarum ac laborum & temporum qualitatibus & conditionibus, idem prædecessor plenam & liberam concessit per suas certi tenoris literas potestatem: mandans insuper eidem episcopo concessionem ipsam prædecessoris ejusdem, ac prædicta omnia per eum, vel alium seu alios ad hoc idoneos in Castellæ & Legionis prædictis, ac Aragoniæ, Portugalliæ, & Navarræ regnis, & in partibus Vasconiæ; nec non in omnibus civitatibus, terris, ac locis ipsorum regnorum & partium in ecclesiis & locis eorum, quando & quoties expedire videret, solemniter publicaret & exponeret, & per alios, quos ad hoc idoneos reputaret, publicari & exponi faceret, ut melius & clarius intelligeretur ab omnibus in vulgari, ac fideles Christi instantius, & efficacius per verbum prædicationis, & alias, prout expediens foret inducere non postponant, ut suscipientes cum reverentia per manus dicti episcopi, vel aliorum per eum ad hoc deputandorum, venerabile signum crucis, ipsumque suis humeris & cordibus affigendo, ad prosequendum hujusmodi causam Dei & dictæ Romanæ ecclesiæ matris eorum viriliter se accingerent, prout in prædictis literis prædecessoris ejusdem plenius continetur.

Decretum promulgari jussum.

XXX. Jo. Rex divino percussus judicio,

Postea vero prædictus Joannes hujusmodi literas, quarum indubitatam notitiam habuit, in contemptum damnabiliter ductis, ac ejusdem nefandi schismatis etiam ex tunc remanens labe respersus, exemplo Pharaonis, cujus cor semper extitit induratum, periit in æternum, nam impœnitens repentina morte ipse Joannes divino, ut creditur, percussus judicio pœnam in proprio corpore tulit: cujus actus in hoc facto miserabilis exitus comprobavit. Cum autem, sicut jam diu fama publica divulgavit, & pene jam orbis prædicat universus, Henricus dicti Joannis natus patri succedens in vitium, & protervitam ac dementiam sequendo paternas, non advertens illud quod scriptum est: Ego sum Deus, qui visito peccata patrum in filios usque ad tertiam & quartam generationem; etiam nobis & eidem ecclesiæ Romanæ quam tanquam matrem & dominam reverenter multipliciter honorare, ac recognoscere Deum coeli deberet, qui potentem ponit de sede & sublimat pauperem & egenum, ac etiam fidelibus & devotis nostris in illis & vicinis regionibus ac partibus constitutis pravis actibus suis multiplices injurias & offensas hactenus intulerit, & inferre non cesset, etiam ut hæreticus & schismaticus notorius, ac in temerarium & illicitum favorem Petri de Luna prædicti in eadem sede Apostolica, ut præfertur, intrusi ac fautorum, sequacium, & complicum ejusdem, quibus etiam publice & notorie adhærere præsumpsit hactenus & præsumit, unde quot animorum pericula jacturæ & scandala detestabilia fidelibus ipsis hactenus provenerunt, & verisimiliter possent, nisi super hoc apostolica solertia urgente conscientia solicite provideret, etiam in antea prævenire satius est metus majores; nos, in cujus persona dictum est per prophetam (a): Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, argue (b), increpa, obsecro; & qui de quolibet peccato mortali quemlibet tenemur corripere Christianum, juxta illud: Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas, dissipes, ædifices, & plantes; eo propter non volentes ulterius tam publica & manifesta gravissima delicta, & excessus execrabiles & enormes prædicti Henrici ulterius sub dissimulatione transire, & hujusmodi periculis, jacturis, & scandalis obviare, & animarum saluti, quantum nobis ex alto permittitur, in hac parte providere salubriter cupientes, ac prædictas literas prædecessoris ejusdem & omnia inde secuta rata habentes & grata, dictas literas ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus & approbamus, necnon quod eundem Henricum natum suosque sequaces & complices ac fautores sibique adhærentes & faventes in hujusmodi hæresi ac schismate, necnon aliis præmissis illicitis omnes & singulos cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, in omnibus & per omnia; prout contra dictum Joannem patrem suum ejusque sequaces, complices, & fautores hujusmodi promulgata fuerunt, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis extendimus per præsentes. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi literas in omnibus prædictis regnis & partibus & vicinis locis ubi & in quibus commode & ab-

Henricus filius paternum errorem secutus.

Petro e Luna adhæsit.

(a) Isa. 58.
(b) 2. Timoth. 4.

Confirmata Urbani sententia.

Pœnis iisdem Henricus perculsus.

Diploma promulgari in Lusitania jussum.

absque periculo fieri poterit per te vel alium seu alios, quem vel quos ad hoc duxeris deputandum seu etiam deputandos auctoritate nostra contra Henricum suosque complices & fautores, & omnes alios & singulos suprascriptos in hoc culpabiles juxta tenorem & formam ipsarum literarum prædecessoris ejusdem, eadem auctoritate publicare procuretis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. septembris pontificatus nostri anno IX. Terrere his minis Henricum nisus est Bonifacius, quem antea mansuetudine adducere ad obsequium non potuerat, ac Regem Lusitaniæ, qui sceptrum Lusitanicum Henrico debitum occuparat, confirmavit.

XXXI. Bonifacii studia pro Gallo conciliando Ecclesiæ. (a) *Eod. l. 5. ep. curr. p. 78.*

Ad conciliandum vero sibi Francorum Regem antipapæ servitute jam liberum, solicitavit (*a*) Richardum Anglorum Regem ejus affinem, ut regiam opem ad illum in sinum sedis Apostolicæ revocandum conferret.

Illius ad Richardum Angl. Regem lit.

Charissimo in Christo filio Richardo Regi Angliæ illustri.

Quia tanquam princeps Christianissimus studium providentiæ salutaris amplectens sic vigilem in rebus agendis diligentiam adhibes, sicque digestæ in singulis practicandis aciem circumspectæ mentis appenis, ut procedant salubriter, quæ tui maturitate consilii diriguntur; hanc considerationem habentes tibi, quem erga Deum & Romanam ecclesiam novimus claræ devotionis titulis insignitum, super negotiis ejusdem ecclesiæ, cujus inter cæteros principes orbis terræ catholicos zelator honoris & exaltationis ipsius præcipuus amator existis, affectiones nostras libenter exponimus, & cogitationes fiducialiter aperimus. Etenim, fili charissime, dum levemus in circuitu oculos nostros, & gregem dominicum solicitudini nostræ Domino disponente commissum, undique mentis acie contemplamur, ex debito pastoralis officii vigilem curam impendimus, ut tractorum dispendiis, & præsertim animarum periculis obvietur. Animadvertentes igitur & matura digestione pensantes, Regem Franciæ, quem titulo patres appellat, & sanctæ matris Ecclesiæ gremio & veritatis via longis retroactis temporibus graviter aberrasse, profecto naviculæ Petri, quam nobis Altissimus committere voluit, suscepto regimine, illico cogitare cœpimus vias diligenter & modos, quibus Regem ipsum, absterso cujuscumque opposito nobis obstaculo, ad viam veritatis inducere valeremus. Verum post diversos & exquisitos modos, post varia tentata remedia, post exactas frustra multiplices in hujusmodi negotii prosecutione labores, demum ad serenam constantemque devotionem tuam convertimus apostolicæ considerationis intuitum, sperantes hoc ipsum tantæ pietatis negotium per tua salutiferæ providentiæ studium tuamque diligentiam circumspectam, si ut firma opinione tenemus, illud tua fervens devotio duxerit cordialiter amplectendum, deduci posse faciliter ad effectum, quippe quia de præfata serenitate tua, mens nostra considerat, ut Dei beneplacitum veluti sui nominis amatrix intenta studio diligentis indagationis inquirat, & quod, si placere perceperit, promptis affectibus prosequatur.

Soliciret, ut socerum in viam salutis revocet.

Regis in id studia convertat.

Idcirco serenitatem ipsam paterna affectione rogandam duximus pariter & hortandam, ipsi nihilominus in remissionem peccaminum paternaliter suadentes, quatenus divinæ retributionis obtentui, velis totis studiis totisque sensibus experiri ab ejusdem Regis oculis verbo Domini nubem excutere, quo superioris æris beneficium non admittit, ut exclusa tenebrarum caligine quis sit, quid agat, quidve suis mereatur actibus tam exteriori quam interiori lumine contempletur, & demum sanctæ matris Ecclesiæ gremium, a quo diutius, proh dolor! extitit alienus, tua faciente & procurante opera convertatur, ne forte (quod absit) irreparabiliter decidat & sine spe pereat resurgendi: nempe autem non erat opus te orthodoxæ fidei pugilem strenuum, athletamque fortissimum nobis datum a Domino exhortationibus inducere veris, si devota meditatione consideras & oculo clementis propitiationis advertis, dictoque Regi pia mente compatris, quam gratum exinde Deo & Apostolicæ sedi præstabis obsequium, quantaque tibi salutis, honoris, & utilitatis incrementa provenient, & quam sonora præconio exaltabitur in gentibus nomen tuum. Postremo serenitatem tuam reddimus harum serie certiorem, quod ubi Rex Franciæ prælibatus tuis salutaribus monitis atque consiliis acquiescat, vel saltem acquiescere se disponat, parati erimus pro eo & inclyta domu sua nostrum gremium paternaliter aperire, & cum eodem, necnon sequacibus & adhærentibus quibuscumque clementer agere, quantum cum Deo poterimus, & nobis duxerit tua prænarrata serenitas consulendum. Datum Romæ apud S. Petrum XII. *Kal. januarii pontificatus nostri anno* IX.

Ecclesiæ summum in ea re obsequium præstiturum.

XXXII. Solicitatus a Gallo Anglus ut a Bonifacio deficiat. (*b*) *Lib. 4. p. 307. 308. & l. 5. p. 71.* Oxonienses doctores consuluit.

At tantum aberat ut Richardus Gallos ad Bonifacii obsequium posset traducere, ut etiam ipse fallacibus argumentis impelleretur ad solita officia neganda eidem Bonifacio, nisi is ad redigendos in unum gregem omnes fideles papales infulas una cum æmulo deserere paratus esset. Antequam vero publice ab eo deficeret, Oxoniensis academiæ doctores (*b*), consuluit: qui re diligenter perpensa respondere, non cogendum ad pontificii suffragii abdicationem Bonifacium: longe disparem esse Anglorum, Gallorumque sortem, illos in schisma proruisse, ac jam

ani-

animos eorum ob cultum antipapam religione torqueri, jureque, ab eo discessisse: at Anglos de Bonifacii pontificatu nullam adversam suspicionem concepisse, nec sine crimine a Pontifice posse discedere: aggrediendam vero aliam excindendi schismatis rationem, nimirum indicendum a Bonifacio concilium œcumenicum, utque ad illud antipapam ac Reges ejus sectatores accersendos; tum controversiam de pontificatu ex patrum sententia diremptum iri: si antipapa & Reges ipsi illuc eo accedere abnuant, in eos Reges principesque catholicos arma districturos: de quibus pluribus Oxonienses ipsi subjectis literis disseruere (a).

Eorum responsum.

(a) Ext. cor. epist. ad Reg. Angl. to. 12. de schism. p. 268.

Epistola Oxoniensium ad Richardum Regem Angliæ.

Ut Cardd. Galli malo patratu mederi nitantur.

Quod Principum invictissime, ab obedientia sui prætensi capitis Hispani vel Gallici recesserunt, quod coactam cessionem imponunt, quod ad cedendum antequam eligeretur & post suam electionem dictum suum idolum corporale juramentum præstare fecerunt, quod per simile juramentum pro consulenda & favendo huic cessioni nominantes se Cardinales, quasi omnes & singulos compulerunt, cum hæc & hujusmodi practicantes sint viri inter cæteros Christicolas communi reputatione astutiores, & jure ab re vel proposito fixo vel firmata aliquid molientes, nec damnamus, nec simpliciter improbamus: nam cum de juribus sui status diffidant, hæc & fortassis majora sana conscientia facere & poterunt per honesta media forsitan vulneratis eorum conscientiis propriis tam diuturnam abstinentiam aut mederi cupiunt, seu ne ad ulterius aderetur eorum statum, & deficientibus sacramentis populus sibi subditus finaliter pereat & damnetur, caute & sagaciter sibi consulunt, aut sicut in hujus schismatis prima productione quam fecerunt suspicabantur totum mundum adinstar & exemplum tot virorum famosorum, quorum prudentia & justitia Rege videbatur clerus & populus ad eorum opinionem trahere, ac per colorata eorum media, quæ in factis narratione subtiliter fabricari & exquiri fecerunt animos Regum & principum ad tradendum & tenendum quod asserere voluerant, invisere. Sic etiam sicut præsumuntur, jam suspicantur & æstimant saltem pro fastidiens in tanti schismatis, quæ tantorum animos vexat & molestat multipliciter & faciendum quod faciunt, & ad practicandum quod practicant, quasi alibi non sit studium quam ibidem, quod hanc practicandi formam tradiderit, nec aliunde per eorum indaginem de Jacob puteo, quoniam altus est, latices scientiæ salutaris exhauriri valeant, aut sub aliis montibus, quam Parnassi non sit tractandum de sanctis subtiliter inclinari. Si vera hanc viam coactæ cessionis aut subtractionem obedientiæ,

Usi eos conflati schismatis conscientia.

Sibi finxerant orbem eorum dictis adhæsurum.

Cessionem commendarunt ad fucandum errorem.

tanquam canonicum seu universaliter ab aliis præsertim quam ab iis, qui remorsum patiuntur conscientiæ, prout præmittitur æmulandam tradiderint, cum non sit in juris corpore aut sanctorum factis vel exemplis accommoda, nec sedationi schismatis ultimatæ necessaria, cum sint alia media ad unionem Ecclesiæ honesta, practicabilia & verisimiliter, si per eorum abstinentiam præteritum non fuerit, effectui mancipanda, huic decreto & sententiæ omnino contradicimus, & eam penitus improbamus.

Etsi ad eam juste cogatur antip. non tamen Papam recte coactum iri.

XXXIII. *De primo namque schismatis auctore lucifero inolevit hæc per eos assumpta practica, qua quoniam ambitiosum appetitum dominandi exequi non potuit, obedientiam subtrahere disposuit; nam cum melior sit obedientia quam victima, peccatumque ariolandi sit nolle acquiescere; quomodo erga subditi, qui suis capitibus debitam obedientiam subtrahunt, non grave peccatum mortale committunt? Et videant si tam grave peccatum, quod voluntarie incurrunt non damnatissimam opinionem quam asserunt, clare demonstrat. Voluntarium diximus hoc peccatum; nam via concilii generalis, quæ præ cæteris & magis canonica, plusque conscientiarum uniuscujusque obedientiæ in omnem eventum clarificativa est, sufficit oblata per saltem medium laborem, quem ad hujus damnandæ viæ coactæ cessionis practicam consumpserant, si consensus eorum accesserit, immo in minori tempore practicandam acceptare voluerint, videbitur clare quomodo canonice, quamque celeriter schisma præsens, quod inchoaverant finaliter sopietur, an non voluntariam eorumdem opinionem, quasi non sit alia quam illa, quam per suam præsumptionem canonizant, recte dicemus, cum & finem laborum juste & sancte, si tamen finem appetant, facilius habere poterunt, quam id medium, per quod mortale peccatum incurrunt invii, si eorum clara sint opera, hoc in lucem deducere verentur invii, qui exquisitarum viarum subterfugia quærunt, & aliam viam deserunt, præsumptionem immo vehementem suspicionem de suis malis operibus ingerunt. Doleant igitur de commissis & vere pœniteant, & viam, quæ non includit errorem manifestum in progressu imitare conentur; nam obediendum est prælatis & præpositis etiam dyscolis & reprobatis a Deo principibus & sacerdotibus subtractam obedientiam non legimus; imma iis, quorum in dubium probabiliter versum est jus & titulus, quousque fiat super titulo dubio declaratio, secundum canones est parendum. Qua ergo fronte a Papæ indubitati obedientia qualem utraque pars suum asserit, erit recedendum? Servare debet igitur ille cathedram, qui ne suus grex pereat, non novis opinionibus inhæret, sed antiquorum patrum vestigia, quæ pro schismatis sedatione reliquerunt in canonibus, insequitur, qui scan-*

Consuli peccatum dum consulunt vera Papæ subducendum obsequium.

Præferendam synodi œcumenicæ sententiam.

Si filii sint lucis, cur lucem oderunt?

dalum ab Ecclesia praecidere nititur, qui id notorie facit & praecipit, per quae turbatio, subversio Ecclesiae vel destructio cesset & penitus vacuetur: & videatur quis sit ille praedictorum contendentium, quorum unus dumtaxat viam compromissi, quam universaliter damnant, offert & obtulit; & alter viam generalis concilii justam, sanctam, & canonicam inquirit & eligit, non aliter impossibile, immo nec in magnis difficile, nisi quatenus ex eorum protervia, impossibilem aut difficilem reddunt eundem.

Expetitum a Bonifacio concilium oecumenicum.

XXXIV. *At vero quomodo convocaretur generale concilium, etiam si id convocaret una pars, vel altera requisita tantum distulerit aut noluerit. Et de praesidentia in eodem, consultatio canonum nobis modum & formam aperit & demonstrat; an vero locum tutum constituere, & alia quae dicunt difficilia, ad facilitatem reducere poterunt ex unanimi assensu principes saeculares? nunquam enim in supradictis executionis alias excusationis facilitas quam extollant, ejusdem meliositatem ad finem intentum recte concludit, certe attentis omnibus, quae facta vel gesta sunt in hac materia, volentibus cedere difficilior, immo impossibilior est progressus & executio, quam generalis, seu universalis concilii convocatio, cum cunctis suis mediis practicanda. Quod vero ad chronicas de Anastasio & Guidone, quas pro fundatione corroboratione sumpserunt; cum forsan authoritate universalis Ecclesiae, vel alia justa causa utpote haeresis damnata, sicut est de facto, in casu proposito, quem non exprimit chronica haec facta fuerunt, vel si facta fuissent aliter non ad exemplum trahenda, eam non quae fuit, sed quae fieri deberent admittimus, pro solutione talium motivorum non multum duximus insistendum. Sunt insuper alia motiva in praemissis epistolis ex sanctorum authoritatibus introducta opinionem quam superius damnandam duximus, super quibusdam fucatis coloribus fundantia, quae quidem sicut ea eorum primaevis epistolis expressa contenta fuerant, consimiliter in nostris respondimus epistolis, majestati vestrae regiae jam dudum transmissis, sicut credimus sufficienter soluta, iterato calamum praemissis fatigare non censimus, sed praemissis solutionibus firmiter inhaeremus. Sed benedictus Deus & pater domini nostri Jesu Christi qui serenitatem vestram regiam talibus spirationibus & consiliis divinitus informavit, sit quod vos columnam immobilem, plusquam labores anhelantes sustineatem & patronum, nedum hujus, sed omnium aliarum causarum Ecclesiae saecularis constituit, quod licet ad hoc ut una sit Ecclesia, unum caput ejusdem, una obedientia, tota vestra laboret, & pia famuletur intentio, plurimum detestemini, nedum errorem in schismate pullulantem, sed continue proficientem in pejus, omniaque ejusdem fomenta regalis puritas abhorreat & praecludat viam quam potest praebendi dicti schismatis ulterius incutiendum; non tamen in fide, quae tangit caput Ecclesiae, majestas regia titubat, non materiam coactae cessionis vel obedientiae subtractionem, per quam vulnerata conscientiae plagam liniat proponit, non ad obsidionem castra movet, nec jusjurandum aliquod extorquet, per quod ad sui propositi semitam, immo fimbriam perveniatur; sed tanquam princeps Christianissimus, qui pro perpetuatione praesentis schismatis, ad sui cordis intima molestatur, cujus interesse & damnum specialiter versantur: cum turbato sacerdotio turbatur, & patitur respublica, nec solidum censetur imperium, cujus subditorum fides aut religio discrepat, de via canonica celeriter saltem verisimiliter excindendi & eradicandi pestiferi schismatis, cujus timetur in papatu perpetuatio, in dies, ut intelleximus, cogitat, aestuat, fatigat, suscipit, & inquirit si quomodo sani consilii jucundum eloquium, per eos praesertim qui pie vivunt in Domino, & literis imbuuntur, perveniat.* Et infra.

Oecumenico concilio tantum posse schisma sedari.

Exemplo de Anastasio & Guidone non trahenda in exemplum.

Adhortatio ad Richardum, ut schismaticos audiat.

Turbato sacerdotio, turbari rempublicam.

XXXV. *Pro practica videtur dicendum, quod dominus noster Bonifatius apostolici culminis verus pastor, quem secundum praedecessores electionis unitas, temporis & possessionis prioritas, jure possessorio dilucidant & declarant pro sedatione tam seditiosi schismatis generale concilium convocet per decretum non solum sibi subditos adhaerentes, quin etiam suum adversarium apostaticum Petrum e Luna, jam se Benedictum temere nominantem, cum suis anticardinalibus & antipraelatis adhaerentibus universalis Ecclesiae nomine pariter atque suo ad interessendum in ipso concilio citet, moneat & requirat private vel publice per edictum congruis die & loco & cum tuitione veniendi, standi & redeundi, statuendi, & assignandi firmiter ad praemissa; de quorum manifesta contumacia si probabiliter poterit apparere, tunc ipse Bonifacius principibus & potestatibus sibi fideliter adhaerentibus sub debito fidelitatis & juramenti, quod in ipsorum coronatione & promotione Romanae ecclesiae praestiterunt, per viscera misericordiae Dei suadeat, praecipiat, & injungat, quatenus alios principes suae obedientiae resistentes exhortationibus, consiliis commoveant & inducant, ut ipsum cum Cardinalibus & praelatis ejusdem concilii judicium subire compellant. Quod si principes adversantes eis contradixerint vel neglexerint adimplere, catholicae potestates exurgant ultore gladio brachio militari, ac etiam in ipsis literis requisitoriis & citatoriis plenius inseratur, quod in partes adversantes contumacia protervia non obstante super ipso negotio schismatis ac juris discussione concilii judicio procedetur. Verum si pars adversa cum praelatis sequacibus sui schismatis & erroris generali concilio consentiat* in-

Consulunt Oxonienses ut Bonifacius concilium indicat.

Petrum e Luna ejusque sectatores vitet.

Hortetur principes ut concilii decreta suscipiant.

Si antipapa cum suis interfuerit, concilii sententiam operi mandandam.

interesse, tunc utrique contendentes ipsius concelii diffinitioni, præsertim quoad papatus titulum, de quo principaliter agitur, se submittunt, corporali juramento se solemniter astringentes, quod nullius fraudis aut machinationis commento testificantium seu judicantium animos distorqueant seu subornent. Nonnullisque in eam sententiam adductis, utque ii, qui ex Anglia ad concilium legabuntur, sacramento se obstringant coactæ Bonifacii cessioni vel obedientiæ subtractioni nunquam consensuros; tum subjungunt.

Supplices igitur & flexis genibus super illustrissime principum majestati regiæ preces devotas fundimus, quatenus in obedientia ejusdem domini nostri Papæ Bonifacii quam nedum cum clero & populo vobis subdito in pleuis parlamentis accepta, sed eam tenere, fovere, & substinere in verbo regio prælatique ac domini & communitas vestri regni per corporale sacramentum unanimiter promisistis, sicut princeps Christianissimus persistatis, nec ad motiva partis adversæ, quæ nec animos aut conscientias desertorum in aliquo ad eorum damnandam viam inclinare deberet, aliqualiter advertatis, &c. Datum in convocatione nostra apud ecclesiam beatæ Mariæ virginis Oxonii de consensu regentium & non regentium, ad hoc specialiter celebrata quinto die mensis februarii anno Domini MCCCXCVIII. & vestræ regiæ celsitudinis XXII. Vestræ majestatis regiæ continui & devotissimi oratores Thomas Oudoniam cancellarius ac cætus unanimis magistrorum regentium & non regentium universitatis vestræ Oxoniensis.

Precantur Richardum ut Bonifacium tueatur.

XXXVI. Nitebatur æquitate Oxoniensium doctorum virorum consiliam, ut schisma concilii œcumenici authoritate & Cæsaris & aliorum Regum ope dissolveretur: verum ignavus Wenceslaus, qui pro cæsareo munere distringere arma debebat, subornari se a Gallis politicis, qui Pontificis coactam abdicationem exoptabant, sivit, Rhemosque ad indictum colloquium ea de causa accessit, cum ad exitum Gallica consilia perducere meditaretur, datisque ad Carolum VI. mensis octobris hujus anni literis (a) respondit urgere se abdicationem Bonifacii non posse, nisi de ea cum Sigismundo Hungariæ, Wladislao Poloniæ Regibus, aliisque principibus contulisset; atque ideo solemnes Regum conventus Wratislaviæ proximis Domini natalitiis indictos. Meminit de hoc Wenceslai cum Gallo Rege colloquio Emundus, atque ex eo magni chronici (b) Belgici author hoc repetit: *Rex Wenceslaus ad instigationem universitatis generalis sui studii Pragensis anno Domini MCCCXCVIII. Ex Bohemia ad civitatem Rhemensem venit, ubi Carolus VI. tunc Francorum Rex cum suo germano Ludovico duce Aurelianensi suisque & dicti Wenceslai patruis Joanne Bituriensi & Philippo Burgundiæ ducibus certo prævio tractatu convenerunt ad consultandum de extirpatione schismatis inter Benedictum XIII. & Bonifacium tunc vigentis: ubi conclusum fuit inter cætera ad id consequendum securissimam & brevissimam esse viam, ut uterque de papatu contendentes juri suo cedant sive renuntient, & per utrumque collegium novus Papa eligatur. Sic igitur Wenceslaus Cæsar de consilio Regis & principum Franciæ prædictorum misit legatos suos ad Bonifacium prædictum & simul Avenionem.* Elusit Petrus e Luna Wenceslai Regis postulata, atque insulse respondit, se antea ad illum oratores, qui ipsum de suo ad pontificatum jure edocerent, decrevisse. Cum vero Wenceslaus nonnulla temere de Bonifacio adigendo ad recedendum de statu pontificiæ dignitatis, si antipapa se abdicaret, cum Gallo pactus esset, Bonifacius Germaniæ septemviris, ut Wenceslaum tanquam ignavum vitiorum mancipium, & sceptris indignum exauctorarent, assensit, qua de re inferius: Alia nunc ab ipso gesta prosequamur.

(a) Ext. in append. post Albert. Argentin. Germanorum & Gallorum conventus.

(b) Chronic. magn. Belg.

Decretum ut uterque de papatu contendens se ad abdicandum adigatur.

XXXVII. Adhibuit Bonifacius, quod antea etiam egerat, omne suum studium, ut Ladislai partes in Neapolitano regno adversus Ludovicum Andegavensem schismate illaqueatum confirmaret, ut ipse testatur in literis (c) ad Amalphitanum & Castrensem episcopos, quibus conqueritur schismaticos Neapolitani regni partem magnam, necnon Neapolim, tum plures urbes ditionis ecclesiasticæ occupasse. Præterea Joannis Thomacelli fratris sui opera ducem Suessanum opibus & auctoritate florentissimum, qui sua ad Ludovicum defectione adduxerat in discrimen res Ladislai, ejusdem partibus restituit: de quibus pluribus Summontius (d). Insignes etiam alios armis & viribus plures regni Neapolitani proceres, ut Jacobum e Marzano comitem Squillacii & Siculi maris præfectum, Goffridum e Marzano comitem Alifiæ regiorum quæstorum principem, Jacobum Ursinum Taliacotii comitem, Jacobum Extandardum præfectum castrorum & alios horum factionis sectatores Ladislao conciliavit, initasque ipsos inter, ac Regem pactiones apostolico hoc diplomate (e) confirmavit.

Bonifacii conatus pro confirmando Ladislao in regno Neapol.

(c) Bonif. ep. curr. l. 5. p. 41.

Plures principes cum Ladislao conciliati.

(d) Summon. l. 4. c. 2.

(e) Bonif. ep. cur. l. 4. p. 357.

Ad futuram rei memoriam.

Dum oculos nostræ mentis, & attenta meditatione pensamus, quod inter divinæ bonitatis munera humano generi distributa nihil pace jucundius, nihil optabilius, nihil salubrius reperitur, utpote in qua divinus cultus augetur, multiplicantur opes, proficiunt populi, legum servatur authoritas, & reipublicæ commodum propagatur; tum e contra propter discordiam, hominum cædes, urbium eversiones, sacrarum profanatio ædium, proprii Conditoris oblivio, & ut breviter colliga-

mus

Mala ex Neapol. bello emergentia deplorat.

mus, universorum malorum seminaria gerere curentur, quodam quasi inexplicabili cordis gaudio jucundamur, illique, qui post nubila dat serenum, gratiarum multiplices referimus actiones quoties inter Christifideles, præsertim eos, qui nobis & Romanæ ecclesiæ jure proprietatis & directi dominii etiam in temporalibus subesse noscuntur, quique fuerunt, operante seminatore zizaniæ, horrendis & diuturnis bellorum dispendiis fatigati pacis ipsius terminis germina publicare, utque hujusmodi germina optatos maturitatis fructus per nostræ vigilantiæ studium, Domino authore producant, adhibemus opem & operam, quantum nobis ex alto conceditur efficaces. Sane nuper charissimus in Christo filius noster Ladislaus Jerusalem & Siciliæ Rex illustris pro se ex parte una, & dilecti filii nobiles viri Jacobus e Martzano comes Squilacii & regni Siciliæ admiratus, Goffridus, a Martzano comes Alifiæ & magnus camerarius dicti regni ipsius Jacobi frater, & Jacobus de Ursinis comes Tallacotii, & Jacobus Extandardus miles dicti regni Mareschallus, etiam pro se eorumque sequacibus, ac eisdem adhærentibus ex altera, inter quos, pacis æmulo procurante, diu nimium, proh dolor! calamitosa & deploranda discordia viguit, pro bono pacis & concordiæ inter ipsos, Deo largiente, ineundæ atque firmandæ, in nos per eorum authenticas & patentes literas, ipsorum sigillis sigillatas, compromittere curaverunt, offerentes se universaliter singuli, & singulariter universi, declarationi, laudi, determinationi, & simplici sententiæ nostræ in hac parte firmiter parituros, prout in compromisso hujusmodi, cujus tenorem de verbo ad verbum nostris literis inseri fecimus plenius continetur. Tenor autem dicti compromissi talis est.

De conciliatis Ladislao proceribus exultat.

In nomine Domini. Amen. *Cum faciente prava moderni temporis conditione certa dissensio ex nonnullis rebus, & causis intervenerit inter serenissimum principem dominum Ladislaum Dei gratia, Regem Hungariæ, Jerusalem, Siciliæ, &c. ex parte una, & viros magnificos Jacobum e Martzano comitem Squilaciæ ac regni Siciliæ admiratum; Goffridum e Martzano comitem Alifiæ & magnum camerarium dicti regni fratrem ejus, Jacobum de Ursinis comitem Tallacotii, & Jacobum Extandardum militem ejusdem regni Mareschallum ex parte altera, ideo disponentes tam præfatus Rex Ladislaus quam dicti magnates venire ad concordiam de prædictis, contentantur omnia quæcumque versantur circa materiam dictæ discordiæ inter eos, & inde pendentia ponere & ex nunc ponunt absolute in manibus sanctissimi domini nostri Papæ Bonifacii noni, cujus domini nostri Papæ declarationi, determinationi, & simplici sententiæ parati sunt idem dominus noster*

Pactionum inter Ladislaum & proceres formula.

Rex, & præfati magnates cum puro, sano, & bono intellectu, & effectu stare, atque parere; promittuntque in fide ipsorum pura & recta immediate & sine aliqua dilatione, ac omni quacumque dilatione ac omni exceptione causa vel occasione remota, stare & parere declarationi, determinationi, & simplici sententiæ prælibatæ ejusdem domini nostri Papæ: & interim donec fiet dicta declaratio & determinatio per eundem dominum nostrum Papam, contentantur præfatus dominus Rex & dicti magnates tollere, & ex nunc tollunt offensas hinc inde securitatem mutuæ practicationis, conversationis, & transitus inter terras, vassallos, & subditos ac gentes eorum armigeras cum marchantiis, rebus, & bonis quibuslibet. Contentanturque tam præfatus dominus Rex quam dicti magnates, quod gentes, armigeri, & alii subditi & obedientes dicti domini Regis, possint stare in villa Centoræ, & in locis ulterioribus aliis territorii Suessani per quindecim dies vel infra; & quod potissime dum inibi merum fecerint, & videre & intrare civitatem Suessanam & alias terras & loca dictorum magnatum, moderatis tamen, & in moderato numero; & interim possint per territoria & pertinentias Suessanæ & aliarum terrarum eorundem magnatum, ac passus ipsorum per vias vel extra vias de die vel de nocte, armati vel inermes cum quibuscumque rebus ire pariter & redire libere & secure pendente declaratione & determinatione prædictis; absque tamen offensione subditorum & rerum eorundem magnatum, exceptis herbis & arboribus silvestribus. Et si forte per dictas gentes subditas & obedientes ejusdem domini Regis aliquod aliud damnum eis fieret, dictus dominus Rex promittit per fidem suam illud facere emendare: dictique magnates dabunt & dari facient præfatis gentibus dicti domini Regis foragium & grassiam competenti pretio. Veruntamen elapsis dictis diebus quindecim, præfatæ gentes dicti domini Regis egredi debeant dicta territoria Suessana, & aliarum terrarum eorundem magnatum, sed cum expediens fuerit, possint per easdem terras & territoria ire & redire ac conversari modo prædicto, pendente præfata declaratione & determinatione ejusdem domini nostri Papæ. Insuper prædicti magnates interim pendente præfata declaratione & determinatione dicti domini nostri Papæ, promittunt non dare auxilium, consilium, vel favorem, aut transitum per terras, passus & loca duci Andegaviæ, suisque gentibus, sequacibus, & adhærentibus ipsius, sed transitum ipsum ei ac posse tenus impedire.

Delectus controversiæ arbiter Bonifacius.

De pabulo & commeatu regis copiis præbendo.

Sponsio procerum de non sustentanda Andegavensi factione.

Promittunt etiam ad ipsum ducem non mittere absque licentia dicti domini Regis, nec ejus fautores, adhærentes, sequaces, obedientes, & gentes armigeras receptare; immo statim infra triduum post datam præsentium capitulorum licentiabunt

Zbri-

Zbrigeloctum per totum mensem præsentem maii, Leonellum de Constantio, ac per totum instantem mensem augusti anni præsentis Abramontem cum eorum sociis, & quascumque alias gentes armigeras dicti ducis Andegaviæ quas haberent in terris eorum & eas ulterius non receptabunt, & etiam si poterunt, eas prius licentiabunt, si deberent eis dare aliquid de suo ultra id quod debent habere. Jam dictus dominus Rex promisit præfatis caporalibus & gentibus licentiandis facere salvum conductum recedendi quo voluerint. Item addidit præfatus dominus Rex & dicti magnates contentantur, quod in prædicta sublatione offensacum intelligatur comes Fundorum & sui sequaces, hoc est, quod tam dictus comes quam præfati magnates & eorum sequaces & gentes non deberent alterutrum se offendere: sed omnino offensas tollere & removere, facta declaratione & determinatione concordiæ per prædictum dominum nostrum Papam inter eundem dominum Regem & præfatos magnates fiat pax & concordia, & facta esse intelligatur ex tunc inter eundem comitem & magnates prædictos. Item in prædicta intelligatur comes S. Agathæ modo simili, durante tantum tempore ligæ & unionis, quod est inter dictum dominum Regem & præfatum comitem, & non ultra. Item dictus dominus Rex contentatur, & dat licentiam præfatis magnatibus mittendi Neapolim ad ducem Andegaviæ comites Tricarici & Montisalti, & Stephanum de S. Severino ad faciendum excusationes eorum.

Fundorum comiti & S. Agathæ regulo datæ induciæ.

Item dictus dominus Rex promittit pro se & dicto comite Fundorum, ac eorum sequacibus & gentibus subditis & vassallaris securitatem plenam ambasciatoribus mittendis per eosdem magnates ad dictum dominum nostrum Papam in eundo. In quorum omnium fidem, dictus dominus Rex; in verbo & fide regali, & præfati magnates in fide nobilium & magnatum promittunt sibi ipsis invicem, unus videlicet alteri, & alter alteri pro se, sequacibus & adhærentibus eorum prædicta omnia, pura & bona fide observare, & facere observari, nec contrafacere vel venire, publice vel occulte, quacumque ratione & causa, & in præmissorum testimonium facta sunt tria consimilia scripta, quorum præsens factum est præsentandum dicto domino nostro Papæ, sigillis & subscriptionibus tam dicti domini Regis, quam prædictorum magnatum roboratum: aliud factum est ad cautelam dicti domini Regis Ladislai per eosdem magnates, eorum sigillis, & subscriptionibus communitum: tertium vero factum est ad cautelam dictorum magnatum per eundem dominum Regem Ladislaum ipsius parvo sigillo & subscriptione munitum. Acta sunt hæc in territorio Suessano sub anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, die quartadecima mensis maii, sexta indictione. Nos Rex Ladislaus prædicta promittimus. Ego Admiratus prædicta promitto. Ego comes Alifiæ magnus camerarius regni Siciliæ prædicta promitto. Ego Angelus de Arpino secretarius magnatis domini mei, domini Jacobi Extandardi supradicti; de mandato dicti domini scribere nescientis, præsentia capitula subscripsi propria manu mea, & eadem ejusdem mandato sigillo proprio dicti domini mei sigillavi.

Cur tria fœderis exempla descripta.

Concordiæ leges a Rege Ladislao admissæ.

Nos igitur, qui in agro Dominico sumus divina disponente clementia constituti, vigilibus studiis, dextera Domini nobis assistente propitia ad operam manus nostræ possibilitatis libenter apponimus, quam præfato regno, & terræ citra pharum, quæ a nobis & dicta Ecclesia tenentur in feudum, ac eorum incolis & habitatoribus, speramus Deo propitio profuturam. Nam tandem itaque totis desideriis cupientes ut regnum & incolæ prælibati ad statum prosperum, pacificum, & tranquillum per Apostolicæ sedis ministerium & providentiam reducantur, ac in statu hujusmodi solidentur, confirmentur, ac etiam augeantur, auxilio divini numinis implorato, tam apostolica quam dicti compromissi authoritate, tenore aliarum literarum nostrarum. In primis volumus & mandamus, pronunciamus, decernimus, laudamus, & etiam declaramus, quod Jacobus e Martzano comes Squillatiæ & regni prædicti admiratus, necnon Geffridus e Martzano comes Alifiæ & magnus camerarius dicti regni, ac Jacobus de Ursinis comes Talliacotii, & Jacobus Extandardus miles ipsius regni mareschallus supradicti & eorum colligati, ad debitam fidelitatem dicti Regis, nimirum ...... penitus se reducant, illique humiliter pareant, obediant, & intendant, & illico sibi præstent ligium, homagium & fidelitatis debitum juramentum secundum consuetudines regni prædicti, & alias prout est hactenus fieri consuetum, aliaque faciant, quæ ad hujusmodi fidelitatem noscuntur quomodolibet pertinere. Præterea dicto Regi authoritate prædicta districte præcipiendo mandamus, quod ipse Admirato cum aliis superius nominatis expresse quæcumque provisiones & bona burgensatica, hæreditaria, & feudalia, ac empta & juste acquisita per eos ac eis donata, necnon civitates, castra, terras, comitatus, baronias, & omnia alia quocumque nomine censeantur & in quibusvis partibus dicti regni consistant, jura quoque & actiones ad eos pertinentia regia authoritate restituat, illisque si occasione discordiarum quæ inter eos, ut præmittitur, viguerunt crimen læsæ majestatis incurrissent, ad honores, prærogativas, dignitates, famam, status, officia, & beneficia, quibus ante hujusmodi discordias potiebantur, restituere non postponat, & specialiter admiratum prædictum ad ducatum

Bonifacii auctoritate corroboratæ.

Jussi proceres Ladislao fidem sacramento devincere.

Suef-

Ducatus Suessæ a Ladislao restitutus.

Suessanum eidem admirato de injuriis & offensis quibuscumque plenam & generalem remissionem & indulgentiam faciendo; sequaces vero & complices & colligatos eorum adhærentes eisdem, postquam ipsi præfato Regi infra duos menses hujusmodi fidelitatis & homagii præstiterint juramentum, per eundem Regem restitui similiter declaramus. Insuper authoritate apostolica volumus & declaramus, quod quamprimum dictus Rex, præfatæ civitatis Neapolitanæ possessionem pacificam, liberam, & expeditam Domino concedente, fuerit assecutus, Goffridus magnus camerarius antedictus, officialem in civitate Capuana valeat deputare.

XXXVIII. Capua Goffredo restituenda cum Neapoli fuerit potitus Ladislaus.

Cum vero idem Rex prædictæ civitatis Neapolitanæ & fortalitiorum ejusdem cum Dei adjutorio habuerit possessionem pacificam, ut præfertur, Rex ipse dicto Goffrido civitatem Capuanam prædictam cum fortalitiis ejusdem in capitaniam & castellaniam teneatur realiter assignare, præstito tamen prius per eundem Goffridum dicto Regi in hac parte fidelitatis debitæ juramento, sic quod Goffridus ipse in eisdem civitate Capuana & fortalitiis libere possit capitaniatus officium exercere; salvo tamen, quod si pro bono dicti regni ante recuperationem præfatæ civitatis Neapolitanæ nobis videbitur expedire, quod memoratus Goffridus officialem in civitate Capuana prædicta valeat deputare. Rursus volumus & mandamus authoritate præfata, quod Rex præfatus procuret realiter & faciat cum effectu, quod Castrummaris de Vulturno Capuanæ diœcesis nostro ac Romanæ & Capuanæ ecclesiarum nominibus sub oneribus & conditionibus per nos declarandis usque ad beneplacitum nostrum tenendum assignetur. Cum autem dicta civitas Neapolitana ad manus ipsius Regis Domino volente pervenerit, admiratus prælibatus cum dicto magno camerario & ejus benevolis & amicis totis viribus teneantur assistere dicto Regi ad recuperationem dicti castri in casu quo is qui castrum ipsum ad præsens possidet, renitentiam forsitan moliretur. Et paulo infra: *Amplius eadem authoritate volumus & mandamus, quod per dictum regnum fiat moratoria, ut eorum vocabulo utamur, in quantum partes tanguntur aliquibus, usque ad decennium, aliquibus vero usque ad tempus, de quo duxerimus declarandum. Item authoritate prædicta volumus & mandamus, quod præfatus Rex, Jacobo admirato, Goffrido magno camerario, Jacobo comiti Talliacotii, & Jacobo mareschallo præfatis, quæcumque privilegia, litteras, cedulas, prærogativas, immunitates, & gratias, exceptiones & remissiones collectarum, de quibuscumque communitatibus, baroniis, civitatibus, terris, castris, villis, insulibus & feudis per claræ memoriæ Carolum Regem dicti Ladislai Regis genitorem, & charissimam in Christo filiam nostram Margaritam Jerusalem & Siciliæ Reginam tempore quo Regina ipsa in dicto regno, vicariatus officium exercebat, & per eundem Regem illis facta, prout ante ortam discordiam habuerunt, per ipsius patentes & authenticas literas studeat confirmare, &c. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. junii pontificatus anno nono.*

Vetera jura aliis restituta.

XXXIX. Navavit inter cæteros Bonifacio & Ladislao strenuam operam Raymundus e Baucio Ursinus, quem Pontifex hoc ornat elogio (a): *Dilectus filius nobilis vir Raymundus de Baucio de Ursinis comitatus Licii dominus, tanquam dictæ Romanæ ecclesiæ, necnon charissimi in Christo filii nostri Ladislai Jerusalem & Siciliæ Regis illustris pugil fortis contra schismaticos hujusmodi, pro nobis & ecclesia ac Rege præfatis a longis citra temporibus tam virilibus quam efficacibus laboribus insudavit, prout adhuc insudare non formidat.* Cum vero is in eo bello sumptibus non parceret, Pontifex clero, qui in terris Jacobi de Ursinis Nolani comitis versabatur, edixit ut illum subsidiario auro juvaret. Confirmatæ vero in dies tum a Pontifice, tum novorum procerum accessione Ladislai res eo assurrexere, ut demum Neapolim fuerit adeptus, de quo postea agemus. Nunc Trinacriæ res Neapolitanis conjungemus.

(a) Bonif. l.5.p.41.

Florescere cœptæ Ladislai res.

Flagrabat (b) civili bello Trinacria, [t] cum Martinus junior Regis Aragonum filius schismaticus Mariæ Reginæ nuptiis & valida Catalanorum manu fretus regnum illud armis sibi vindicare niteretur: inde fœderati proceres ejus perfidiam aversati pontificiis subnixi studiis ipsius conatibus fortiter se opponerent: neque enim ex veteribus initis cum Friderico olim Rege pactionibus id regnum jure ad Mariam vel Martinum spectabat, cum is schismate esset irretitus. Refert vero Surita (c), Martinum perspecta insulanorum erga Bonifacium & sedem Apostolicam observantia ac pietate, agitasse consilia

(b) Lib.5. p.40.

Civili bello ardet Trinacria. Martinus junior ad Bonif. propendet.

(c) Surit. annal. l. 10. c.68.

NOTÆ [t] Quæ hoc anno civili bello tumultuabat Trinacria, ut annalista scribit, hoc ipso pariter anno pacata est, teste anonymo, synchrono, fragmenti historiæ Siculæ authore vulgati Rer. Italic. to. XXIV. qui ad hunc annum notat magnum Siciliæ justitiarium, aliosque viros potentes armis in regem ac reginam sumptis arces quasdam munitas occupasse; sed regiis armis coactos ad officium rediisse: *Et sic*, addit, *facta est universalis pax in dicto regno, quod* [quæ] *adhuc durat, & durabit dante Domino meliora*. MANSI

Martinus seniora Petro e Luna discedere abnuit.

filia de abrumpendo Lunano schismate: sed a Martino Rege Aragonum prohibitum, cum diceret indignum fore si filius Petro e Luna non pareret, cui pater Sardiniæ & Corsicæ regnum solemni clientelari sponsione accepta retulisset.

Cum vero ambos in schismate obfirmatos cerneret Bonifacius, tum Sardiniam, tum etiam Trinacriam illis eripere nisus; atque Arralem de Alagona comitem Molineti sacro bello in Trinacria adversus Martinum ipsum juniorem præfecit, de quo hæc ad Bosanensem, Plovacensem, ac Sorrensem episcopos (a) scripsit.

(a) Lib. 5. ep. cur. p. 40.

Pellere Trinacria & Sardinia Aragones nititur Bonif.

Bonifacius, &c. Cum, proh dolor! Catalanorum & aliorum schismaticorum effrenata superbia & improbi conatus idea peccatis exigentibus invaluerunt, quod nonnullas civitates, terras & loca regni Trinacriæ, quod de patrimonio sanctæ Romanæ ecclesiæ existit, a longis citra temporibus, dolendis ausibus occuparunt, & adhuc indebite detinent occupata, ac insulam Sardiniæ quotidie infestare ac summis viribus invadere non formidant, & conantur ad ulteriora manus extendere violentas, nos solertius reddimur indefessa soliciti, ut ipsorum Catalanorum & schismaticorum conatibus potenter & vigorose utique obvietur; ea propter de devotione & fidelitate dilecti filii nobilis viri Artalis de Alagona comitis Molineti spe firma confidentes, quod ipse sciet & poterit contra Catalanorum & schismaticorum hujusmodi conatus salubria remedia invenire & tam viriliter quam fideliter resistere, ipsum Artalem ad regimen ipsum præsentialiter destinamus: præcipit iisdem episcopis, ut ex collecto e sacerdotiorum vectigalibus auro illum juvent, *&c. Datum Romæ apud S. Petrum id. octobris pontificatus nostri anno nono.*

Belli ducem creat Artalem de Alagon.

XL. Extendit etiam curas apostolicas in orientem Bonifacius (b), ac precibus Emmanuelis Imperatoris Constantinopolitani, quem Bajazetes (c) post partam prædictam de Hungaris Nicopolitanam in Bulgaria victoriam Turcicorum armorum mole obruere contendebat, permotus militaria subsidia ad eum mittere decrevit, ac Paulo episcopo Chalcedonensi dedit provinciam, ut sacram militiam in Turcas propositis indulgentiarum præmiis promulgaret, edito hoc diplomate (d).

(b) Lib. 4. p. 283.
(c) Leuncl. in Musul. hist. l. 6.

Græcorum Imperator Bonifacii opem implorat.

(d) Lib. 5. ep. curr. p. 26.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper ex cordis compassi illustri Principi Emmanueli Palæologo Imperatori Constantinopolitano ejusque subditis, qui etsi non in plena obedientia & devotione nostra ac sinceritate fidei & unitate sanctæ Romanæ ecclesiæ persistant, invocant tamen salutiferum Christi nomen, & quos immanis & terribilis illa bellua hostis perpetuus Jesu Christi Bajazetes Teucrorum, qui Turci vulgariter nuncupantur, princeps grandi gentium armorum multitudine cumulata invadere, exterminare, conculcare, ac sibi subjugare toto posse festinat in maximum Christianorum dedecus, dispendium, periculum, atque damnum, & volentes catholicos principes, proceres, magnates, ac populum Christianorum ad succurrendum eidem Imperatori, cui ad debitam resistentiam vires non suppetunt, inducere ac fortius animare, venerabilem fratrem nostrum Paulum episcopum Chalcedonensem Apostolicæ sedis nuntium ad prædicandum vivificæ verbum crucis in omnibus & singulis civitatibus, terris, oppidis, castris, atque locis insignibus, quibusdam tamen tunc expressis exceptis, sub nostra obedientia ac devotione consistentibus, dictosque principes, proceres, magnates, ac populum requirendum & peramplius exhortandum, ut ad succursum hujusmodi viriliter se accingerent, vel subsidia ministrarent, duximus destinandum; & eam quam proficiscentibus in subsidium Terræ sanctæ concedere sedes Apostolica consuevit, eisdem accingentibus & subvenientibus sub certa forma indulgentias elargiti; dictoque episcopo formam dedimus secundum quam hujusmodi quæ ministrarentur subsidia recolligerentur, & eidem Imperatori ad usum defensionis hujusmodi cum integritate fideliter assignanda, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Ex certis igitur rationabilibus animum nostrum ad id moventibus causis civitatem, diœcesim, & provinciam Moguntinam a reliquis civitatibus, diœcesibus, & provinciis, in quibus præfatus episcopus nostram prædictam intentionem exequi debet, auctoritate apostolica præsentium tenore sejungimus & penitus separamus: eidemque episcopo districtius inhibemus, ne per se vel alium seu alios in hujusmodi civitate, diœcesi, & provincia Moguntina quomodolibet exequatur; decernentes ex nunc irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. aprilis pontificatus nostri anno IX. Data etiam (e) Augustino de Virdunis Benedictinæ disciplinæ religioso viro fuere mandata (f), ut Christifideles in arma contra Bajazetem in archiepiscopatu Moguntino concitaret, ut vero divina providentia Bajazetis Christianorum hostis ferocissimi victorias represserit, incitato in eum Tamerlane, qui veluti flagellum Dei per orientem arma circumferebat, atque anno superiori Parthos oppresserat, inferius dicetur.

Bajazetis grassationes.

Religiosa militia indicta in Græcorum auxilium.

Contrahi jussa subsidia in Germania excepto Moguntino principatu.

(e) Lib. 5. p. 293. & 295.
(f) Hieron. Beck in annal. Turc.

Tamerlanis progressus.

Non prætereundum visum est hoc anno, ob schismaticorum impetus & molitiones Ostiæ imperium, abrogato Ostiensis in eam episcopi dominatu, ad sedem Apostolicam fuisse revocatum (g).

Ostia ad sedis Ap. imperium revocata.

(g) Lib. 5. ep. cur. p. 16.

Ad perpetuam rei memoriam.

Bonifacii ea de re sanctio.

Considerantes quod civitas Ostiensis, quæ in faucibus Tyberis ad mare patens, & ut plurimum piratis confertum, sita est, si quod absit occuparetur ab æmulis, prout etiam in memoria nostra ea occupationis periculo sæpe fuit, multa & magna incommoda, & clamitates diversas tam ecclesiæ Romanæ & reipublicæ, quam etiam almæ urbis statui posset indubie generare; & quod Cardinalis ejusdem ecclesiæ, ecclesiam Ostiensem in titulum pro tempore obtinens, sub cujus temporali jurisdictione dicta civitas consistit, verisimiliter non est tantæ potentiæ, quod civitatem prædictam posset sufficienter in discriminosis casibus defensare; & etiam ponderantes, quod Romanus Pontifex potest, si principaliter illam gubernet, in casibus arduis eam potenter protegere, & tueri, præmissa omnia fratribus nostris seriose proposuimus, adjicientes ut mala evitarentur, & bona, quæ sunt super descripta, efficacius procurarentur, super præmissis, de solita eorum circumspectione consulerent. De ipsorum igitur librato consilio ac deliberatione matura, civitatem prædictam cum ejus districtu, tenimento, ac juribus & pertinentiis suis, quantum videlicet ad jurisdictionem temporalem & sæculare forum pertinet, ab omni superioritate, dominio, potestate, jurisdictione, & subjectione episcopi, qui fuerit pro tempore, dictæque ecclesiæ, ac dilectorum filiorum capituli Ostiensis, auctoritate apostolica, & de plenitudine apostolicæ potestatis tenore præsentium subtrahimus, separamus, eximimus, & totaliter in perpetuum liberamus, civitatem eandem cum districtu, tenimento, juribus, pertinentiis supradictis, eidem Ecclesiæ Romanæ & sedi Apostolicæ, eo modo, quo dictæ Ostiensi ecclesiæ hactenus subfuerit immediate subjicimus, submittimus, incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod nullo unquam tempore præfati episcopus & ecclesia, necnon capitulum Ostiense de civitate, districtu, tenimentis, juribus, & pertinentiis supradictis, quantum videlicet ad jurisdictionem temporalem & sæculare forum pertinet, ut præfertur, præsumant se quomodolibet impedire; decernimus insuper ex nunc irritum & inane quidquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus constitutionibus, privilegiis, & indulgentiis apostolicis, ac legibus imperialibus, necnon statutis municipalibus, & consuetudinibus, & aliis contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Kal. septembris pontificatus nostri anno nono.

XLI. Hoc eodem anno beata Francisca Romana (a) annorum quatuordecim nupta Laurentio Pontiano, cum anni unius flexu gravissimis morbis attrita decubuisset, ut parum a morte abesse videretur, impudentissima malefica illam adire ausa est, ut se magico carmine curari permitteret: quam cum Francisca asperrimis verbis increpitam pepulisset, proxima nocte, quæ festum diem S. Alexii Romani præibat, idem sanctus ingenti luce thalamum complevit, & peregrini specie juvenili forma pretiosissimis vestibus & aureo ac fulgido pallio decorus se videndum obtulit, sciscitatus Franciscam num curari vellet, respondentique se voluntatem suam divinæ omnino accommodare, sanctus juvenis pallium ægrotanti visus fuit inlicere, ac repente valetudinem viresque restituere perinde, ac si nunquam ægrotasset, moxque ex Franciscæ oculis evanuit. Ut pulsum morbum viresque sibi redditas Francisca sensit, desiliens strato Vannozam glorem laborum sociam adit, acceptum exponit beneficium, hortatur ut se comitem jungat ad divi Alexii templum lustrandum. Illa miraculi magnitudine perculsa stantem, & vegetam Franciscam conspicata, quæ lecto commovere se non poterat, vestes induit, gratias Deo agit, & quamvis tum aurora vix albesceret, antequam famuli consurgerent, ambæ templum S. Alexii adierunt: cujus miraculi non modo universam familiam Pontianam, verum ejus fama Romam pervagata, universos, qui norant quam gravi morbo implicita Francisca (b) decubuisset, stupore complevit. Ipsa porro divinæ gloriæ vindex, cum magicæ artes grassarentur, quoscumque libros magico carmine inquinatos corripere poterat mox injiciebat flammis; ac tum sæpe conflatæ a dæmonibus tempestates, crepitusque horrendi dati fuere.

(a) *Vit. S. Francisc. l. 1. c. 3.*

S. Francisca divinitus curata a S. Alexio.

(b) *Cap. 18.*

Excitata tempestas libris magicis igni injectis.

I. IRruentibus magno fragore in Christianum imperium Tartaris ac Turcis extremumque exitium Græcis præcipue intentantibus, Bonifacius anno a virgineo partu millesimo trecentesimo nonagesimo nono indictione septima pro pontificali munere ad barbarorum comprimendum furorem, Christique tuendos cultores, sacrum (a) concini classicum in occidente, crucesignatasque acies orienti subsidium laturas conficiendas curavit: Bajazetes enim Turcarum Rex in superbiam elatus occidentales Christianos acceptæ ad Nicopolim in Bulgaria cladis pudorem ignave tulisse, deque ea ulciscenda posito consilio mutuas alere discordias, ad expugnandam Constantinopolim, ac proferendas in Valachiam & Hungariam victorias se accinxit. Perculsus illius armorum terrorem Emmanuel Imperator Græcorum Hilarium Auriam Genuensem Romam ad Apostolicam sedem oratorem misit, qui miserum Christianæ rei in oriente statum in extremum adductum discrimen exponeret, rogaretque Bonifacium, ut principes occidentales ad ferendas illi suppetias incitaret. Permotus igitur Græcorum suspiriis Pontifex, qui jam superiori anno Paulo episcopo Chalcedonensi promulgandæ sacræ in Turcas militiæ provinciam dederat, ampliori diplomate idem ipsi (b) munus contulit iterum, crucisque symbolum accepturis noxarum veniam proposuit.

(a) Lib. 5. ep. cur. p. 99.

Bajazetis progressus ingentes.

Bonifacii Papæ opem implorant Græci.

(b) Ibid.

Venerabili fratri Paulo episcopo Chalcedonensi Apostolicæ sedis nuntio.

II. *Vineæ Domini sabaoth, populi scilicet Christiani custodes, licet immeriti, deputati summopere vigilare compellimur, & tenemur, ne singularis ferus de sylva, impiissima videlicet gens Teucrorum, qui alias Turchi vulgariter appellantur, vineam ipsam immaniter depascatur, quantumque nobis ex alto conceditur, ut eadem vinea perseveret illæsa, impetum bestiarum illam demoliri cupientium reprimamus. Verum sacrosancta Ecclesia mater omnium fidelium & magistra suspiria producit ab intimis, oculi ejus solvuntur in lacrymas, vehementibus gemitibus ipsius pectora quatiuntur eo quod propter hostilitates, quæ a blasphemis crucis adversus fidei professores exercentur extrinsecus undique bella fremunt, intrinsecus seditiones intestinæ dilaniant, & inquietant, domestica simultates gladiusque fidelium, qui foret contra hostium fidei cuneos exercendus, conversus in proximos, proh dolor! inebriatur sanguine Christiano & quod acrius exsequitur mentem nostram scelerati filii quasi quodam cæco furore vexati armantur in matrem, ac illam, ex quo prodierunt uterum*

Plangit Pontifex civilia bella.

aituntur pravis viribus lacerare; quo fit, ut nos una cum memorata Ecclesia legitima sponsa nostra circa exhibitionem opportuni subsidii in hac parte juxta desiderium nostrum & officii nostri debitum manus adjutrices extendere nequeamus.

III. *Sane, licet jam pridem non sine prava mentis amaritudine ad nostrum fama publico perduxisset auditum, quod perfidus ille Bajazetes princeps Turcorum manu potenti & brachio extento in Christianum populum immani feritate & fera inhumanitate existens debacchatur, & quod propterea deleta fuerat Christianorum maxima multitudo; tamen nuper dilectus filius nobilis vir Hilarius de Auria domicellus Januensis & cognatus ac nuncius illustris principis Emmanuelis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani ad Apostolicam sedem per ipsum Imperatorem propterea destinatus, auribus nostris lachrymabiliter intimavit, quod præfatus Bajazetes, quodammodo securitate concepta, quod Christianus populus de recepta præterita confusione non pudeat, & de tanto pudore verecundia non suffusus post terga rejecerat contumelias & ruinas illatas sibi per blasphemos nominis Jesu Christi, & quod converterat gladium in propria viscera, in hostes orthodoxæ fidei solitum exerceri, ac negligat causam Christi, de tanta negligentia subsannans & glorians cœpit vires congregare & conflare potentiam non solum in exterminium civitatis Constantinopolitanæ & circumpositæ regionis, cæterorumque terrarum, quæ a Christifidelibus in illis partibus habitantur, verum etiam ad invadendum Valachiæ & Hungariæ regna personaliter se accinxerat, spem gerens civitatem, regionem, & terras & regna prædicta, immo universitatem Christiani populi quod avertat bone Jesu funditus evertere & penitus extinguere, si ejus nefando proposito possibilitas responderet. Attendat populus Christianus quantus sibi ex hoc pudor, quantave confusio resultaret. Ecce jam crebris infidelium arietibus fidei catholicæ fundamenta pulsantur: en, nemine opem ferente, Christianorum reliquiæ illarum partium dantur excidio.*

Turcas insolescere ex fidelium clade.

Insultare quod nullo ab iis repetatur ultio.

Constantinopolim, Hungariam, Valachiamque affectare.

Exponit expugnata Græcia extremam latinis cladem obijci.

IV. *Considerent insuper Christiani si quod absit præfatus Imperator in ditionem ipsius veniat Bajazeti quod, heu, futurum esse conspicimus, nisi Christianus populus dicto Imperatori tam potenter quam celeriter studeat subvenire, in quanto periculo foret universitas Christiani populi constituta. Hæc igitur populus ipse devota meditatione consideans, erigat animos, & in auxilium Imperatoris memorati totis viribus accingatur: nam licet Imperator ipse vetustorum errorum anfractibus circumactus in plena obedientia nostra & sedis Apostolicæ non*

Ferendam opem Imperatori Const.

non consistat, tamen, quia per eum & populos sibi subjectos invocatur salutiferum nomen Christi, & speramus, quod supernæ gratiæ radio illustratus in processu temporis ad Ecclesiæ catholicæ redeat unitatem, attente præfatum publicum malum atque periculum Christianitatis, matura deliberatione, quam super his cum fratribus nostris habuimus diligentem mentes fidelium in subsidium dicti Imperatoris, & per consequens Christianæ religionis, salutaribus & paternis persuasionibus decrevimus excitare. Ideoque virum ad hæc promovenda perutilem eligere cupientes, super quo cum eisdem fratribus solerti facta scrutinio, prout talis & tanti negotii qualitas exigebat, tibi cum de litterarum scientia, fidei puritate, virtutis conscientia, & circumspecta providentia apud nos fidedigna testimonia perhibeantur, prædicationis officium in civitatibus, terris, castris, oppidis, & locis aliis universis in nostra & ecclesiæ Romanæ obedientia constitutis, præterquam in regno Hungariæ, ac civitatibus, terris, & locis aliis subjectis charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Hungariæ illustri, ad cujus instantiam prædicationem salutiferæ crucis in dicto regno Hungariæ & nonnullis aliis locis dudum duximus committendum, nisi forsan ad id ipsius Regis assensus accederet, per te vel alium seu alios, quos ad hæc idoneos fore cognoveris, contra hostes fidei, Bajazetem videlicet antefatum & gentem perfidam Teucrorum, qui civitatem Constantinopolitanam & Imperatorem præfatos incessanter infestant, de dictorum fratrum consilio præsentium auctoritate committimus, & remissionum tibi peccaminum injungentes, quatenus calamitosum nec minus periculosum toti que Christianitati damnosum civitatis & Imperatoris prædictorum statum, necnon præmissa omnia Christi fidelibus diligenter exponens, eos juxta prudentiam a Domino tibi datam attentis inducas monitis, & sedulis prædicationibus exhorteris, ut cogitantes prudenter quod Imperator & civitas prælibati a cunctis fidelibus liberationis suæ subsidium expetant & remedium, auxiliationis eorum expectant ad vindicandum Christiani nominis approbria, & liberandum eosdem Imperatorem & civitatem prompte intendant animis, & suas ad id habilitent facultates, & de bonis sibi a Deo collatis studeant largitiones tam promptas quam uberes elargiri; ut autem hujusmodi ministerium per nos tibi injunctum eo facilius atque felicius prosequi valeas, quo per sedem prædictam muniatus fuerit prærogativa privilegii potioris, fraternitati tuæ, de qua specialem in Domino fiduciam obtinemus, locorum ordinarios, ad quos propterea te declinare contigerit, ut ipsi per se vel alios idoneos & fidei zelo ferventes prædicatores suarum civitatum & diœcesis diebus dominicis & festivis infra missarum solemnia & alias, prout eis melius & magis opportunum videbitur Christifidelibus præmissa proponant seu proponi faciant: ipsosque fideles inanimeat & inducant ad erogandum pias eleemosynas pro prosecutione negotii prælibati, auctoritate nostra requirendi hac vice duntaxat, plenam tenore præsentium concedimus facultatem, &c. Addit indulgentiarum præmia, quæ arma adversum Turcas pro defendenda Constantinopoli corripuissent vel subsidia pecuniarum erogaturis proponit. *Datum Romæ apud S. Petrum 11. non. martii pontificatus nostri anno X.*

Flexum temporis illum ad Eccles. gremium rediturum.

Chalcedonensem episc. ad cogendas auxiliares copias legatum creat.

Constantinopolis oppugnata acerrime a Bajazethe.

Solicitati fideles ad profitendam in Bajazetem religiosam militiam.

V. Pontificius legatus in Angliam dimissus.

Affulsit Pontifici spes ex Anglia, quæ pactis cum Gallo diuturnis induciis potiebatur pace, crucesignatorum expeditionem ad liberandum Turcarum grassationibus Constantinopolitanum imperium educi facile posse, atque ideo Chalcedonensem episcopum & Hilarium Auriam Emmanuelis Imperatoris oratorem ad Richardum Regem proficisci jussit. De quorum adventu in Angliam, ac Pontificis de cogenda pro Græcis contra Turcas religiosa militia, litteris meminit Walsinghamus (a). Sed ademit Bonifacio spem civilis discordia, quæ invasit Angliam, Regeque ac proceribus diffidentibus nulla suscepta expeditio est; quin etiam postquam jam pro sacra concione fideles vel ad sumenda arma, vel ad stipem pro lucrandis indulgentiis conferendam excitati essent, ac plurimum aurum subsidiarium ex piorum condonationem noxarum sumptis rite sacramentis flagitantium largitionibus redactum esset, dicti Chalcedonensis episcopus & Hilarius Auria invicem dissensere, ut eo quoque subsidio Emmanuel Imperator privaretur: cui opis ferendæ solicitus Christi vicarius Ludovico episcopo Vulterano in Anglia internuncio partes dedit (b), ut receptum illud aurum ad sedem Apostolicam transmitteret.

(a) Walsin. in Rich. 2.

Ob civiles discordias expeditio suscipi non potuit.

(b) Bonif. l. 5. p. 234.

Educta quidem tunc e Galliis ad propulsandos Turcarum impetus auxilia fuisse, missumque a Carolo Francorum Rege Bucicaldum ducem valida succinctum militari manu, atque ab eo repressos barbarorum impetus, tradit Monachus S. Dionysii (c): & Juvenalis Ursinus (d) addit illos propter stipendiorum inopiam, quæ ægre pendebat Imperator Constantinopolitanus, atque aeris intemperiem paulo post rediisse. Quo tempore Rhodii equites in Cariam exscensione facta in Halicarnassi quondam regiæ urbis ruinis arcem extruxere ad coercendos fidei hostes, in quam Christiani (e), qui sub Turcica gemebant servitute, sæpius occasione capta ta velut ad tutum asylum perfugiebant: additque insigne exemplum divinæ providentiæ, Christianum profugum, cum a Turcis eum insequentibus urgeretur, se in

Ex Gallia nonnulla contra Turcas submissa auxilia.

(c) Monach. S. Dion.

(d) Juv. Urs. in Car. 6. hoc anno.

In Caria excitata arx a Rhodiis equitibus.

(e) Bosius in hist. equit. Hierosol. p. 2. l. 4.

in cisternam aridam conjecisse ex qua cum nequiret emergere & fame periturus esset, molossum ex Halicarnassea arce panem, quo sustentandus erat, ad eum detulisse: cumque jejunio astrictus canis macie conficeretur, illius dominum causam perscrutatum, ac panem cani pro cibo datum ab eo in cisternam projici inspexisse, Christianumque virum ab interitu liberasse.

VI. Polonie ab infidelibus eodem tempore vexata.

Non Constantinopolitanum modo imperium quatiebant Turcæ, infestabantque Hungariam; verum Polonici regni provinciam Podoliam, Russiam, Lithuaniam, ac Valachiam juncto cum Tartaris aliisque barbaris nationibus armorum fœdere, lacessebant. In quos Wladislaus Poloniæ Rex sacram conficere expeditionem decrevit: missoque ad Apostolicam sedem episcopo Cracoviensi Bonifacium rogavit, ut Christifideles ad sequenda ipsius signa, Christianique hostes nominis retundendos permoveret: cujus votis annuit Pontifex, & episcopo Cracoviensi subjecto diplomate (a) promulgandæ, crucesignatæ militiæ munus injunxit.

(a) Lib. 5. ep. cur. p. 143.

Venerabili fratri episcopo Cracoviensi.

Gustata frequenter amaritudinis calice, super dilatatis oppressionibus Christianorum, quos in partibus regni Poloniæ, principatuum, ducatuum, & dominiis Lithuaniæ, Russiæ, Podoliæ, Valachiæ fauciat laceratque manus impia Tartarorum, paganorum, Turcorum, & aliarum barbararum etiam nationum, madefieri sanguine semper avida Christiano, cujus deploramus angustias, & per affectum compassionis intime secum sui doloris tormenta perpetimur; dolemus inquam de incolarum regni, principatuum, ducatuum, & dominiorum prædictorum, & provinciarum circum adjacentium nomen Christi colentium cruciatu continuo, quibus vix defensionis tutela relinquitur, seu quietis remedium indulgetur: sed potissime circa opprobrium Redemptoris afficimur, cujus hereditatem nationes videlicet Christianas belluæ immanissimæ rabida crudelitate diripiunt, dicti affligunt molestiis & hostili servitute conculcant.

Horrendæ Turcarum in Christianos grassationes.

Nos igitur, qui vineæ Domini sabaoth, populi scilicet Christiani custodes, licet immeriti sumus a Domino constituti, summopere vigilare compellimur, & tenemur, ne gens ipsa immanissima Tartarorum, paganorum, Turcorum, & aliarum barbararum quarumlibet nationum vineam ipsam immaniter profligere queat, quantumque nobis ex alto conceditur, ut eadem vinea a cunctis ingruentium malorum incursibus conservetur illæsa, & ferarum impetum in illum grassantium furore, ut dissipent, & universa disperdant satagentium reprimamus; attendentes incensum desiderium charissimi in Christo filii nostri Vuladislai Regis Poloniæ illustris, quo ad defensionem & exaltationem catholicæ fidei ipsius athletæ promptissimi & pugilis indefessi ducitur incessanter, sicut ex relatis per dilectum filium Albertum Jastrabcz electum Poznaniensem ejus oratorem & nuncium, ac ex fidedignorum testimoniis & ab effectu multiplicium gestorum ipsius agnovimus ut Tartaros, Paganos, Turcos, & alias barbaras nationes regnum, principatus, & dominia hujusmodi assiduis congressionibus & truculentissima sævitia præposse vastantes, necnon ad exterminium Crucifixi nomen colentium & Christianam religionem sectantium laborantes, & ut extinguant se & sua jugiter exponentes, confundat & dissipet, adfligat, atque planet; ac volentes ad confovendum tam Christianissimum præfati Regis propositum, & in tanta necessitatis articulo fidei, ac populo Christiano auxiliis, desideriis promptisque cautelis, quantum nobis ex alto permittitur, salubriter subveniri, & tam Regem ipsum quam alios ad hujusmodi Christi obsequia eo devotius inducere, quo ex hoc dona spiritualium munerum senserint percepturos; fraternitati tuæ, cujus de litterarum scientia, fidei puritate, virtutum constantia, circumspecta prudentia apud nos fidedigna testimonia perhibentur, prædicationis officium verbi vivificæ crucis in civitatibus, terris, castris oppidis, villis, & locis aliis universis in regno Polonia, principatibus, ducatibus ac dominiis aliis Lithuania, Russia, Podoliæ, Valachiæ prædictis præfato Regi subditis, & partibus aliis finitimis per te vel alium seu alios catholicos antistites scientia claros, fidei puritate conspicuos, & providentia circumspectos, quos ad hoc idoneos fore cognoveris, super quo tuam conscientiam oneramus; contra hostes fidei supradictos regnum, principatus, ducatus, ac dominia hujusmodi & partes alias jugiter infestantes, præsentium auctoritate committimus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus præmissa omnia Christifidelibus diligenter exponens, eos juxta prudentiam tibi a Domino traditam attentis inducas monitis, & sedulis prædicationibus exhorteris, ut pro salute Christifidelium, tutela regni, principatuum, ducatuum & dominiorum hujusmodi, & aliarum partium Christianorum remedio eorum auxilia exhibeant ad vindicanda Christiani nominis opprobria, & ad exterminium truculentissimarum hujusmodi nationum promptis intendant animis, strenuis actionibus se exerceant & adhibeant vires suas.

Rex Poloniæ Bonifacium periculi certiorem facit.

Decrevit in eos sacram ducere expeditionem.

Secuturi illius signa crucis symbolo insigniri jussi.

VII. Dato Cracoviensi episcopo provincia ut concionatores constituat.

Ut autem hujusmodi ministerium per nos tibi injunctum eo facilius prosequi valeas, quo per sedem prædictam munitus fueris prærogativa privilegii potiores, eidem fraternitati, de qua in Domino specialem fiduciam obtinemus, locorum ordinarios, ad quos propterea te declinare contigerit, ut ipsi per se vel alios idoneos & fidei zelo ferventes prædicatores suarum civitatum & dio-

& diœcesum diebus dominicis & festivis infra missarum solemnia & alias, prout eis melius & magis opportunum videbitur Christifidelibus præmissa proponant seu proponi faciant, ipsosque fideles inanimeat & inducant ad exhibendum in tam salutari gymnasio vires suas pro prosecutione negotii prælibati auctoritate nostra requirendi, hac vice duntaxat plenam tenore præsentium concedimus facultatem. Et infra : *Et ut Christi fideles præmissa tanto libentius atque ferventius prosequantur, quanto ex eorum labore mercedem potiorem se noverint percepturos, nos de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnes & singulos, qui pro succursu, tutela, & defensione Regis, regni Poloniæ, principatuum, ducatuum, & dominiorum Lithuaniæ, Russiæ, Podoliæ, ac Valachiæ prædictorum & aliarum partium fidelium personaliter contra detestandam rabiem præfatorum Tartarorum, paganorum, Turcorum, & aliarum barbararum nationum accesserint, vel alios miserint, & steterint militando per tempora in hujusmodi expeditionibus solita hactenus per Romanos Pontifices præfiniri, illam suorum peccaminum, de quibus veraciter corda contriti & ore confessi fuerint, veniam consequi volumus, quæ per sedem Apostolicam concedi consuevit proficiscentibus in Terræ sanctæ subsidium; ac eis in retributione justorum augmentum æternæ beatitudinis pollicemur. Tu igitur onus prædictum fiducialiter humeris tuis impositum ad laudem divini nominis, catholicæ fidei augmentum, salutem regni, principatuum, ducatuum, dominiorum, & partium prædictorum & aliorum Christifidelium, qui se regni & aliorum præmissorum constituerunt & constituent defensores, suscipiens illud constanti animo & benigna patientia prosequi studeas cum effectu. Speramus enim in illo, cujus auxiliatrix dextera clementer adest causam agentibus ejus, quod ipse, qui personam tuam providentiæ munere, scientiæ magnitudine, fidei puritate, circumspectionis, & industriæ gratia, multisque virtutibus insignivit, prædictis humeris tuis fortitudinis robur adjiciet, virtutem tecum faciendo, ut præfatum negotium, quod ad suam prosequeris gloriam, felicitatis optatæ suscipiat incrementum, præsentibus post exactæ præfati Voladislai Regis vitæ spatium minime valituris. Datum Romæ apud S. Petrum 10. non maii pontificatus nostri anno x.*

Sacræ militiæ nomen daturis indulgentiæ propositæ.

VIII. Gessisse antea plura bella cum Tartaris Vitoldum Lithuaniæ ducem fratrem Regis Wladislai, atque ultra Tanaim plures barbaros domuisse, referunt Poloniæ scriptores (a); demum cum ad Vorsclam fluvium in Tartaria penetrasset Edigam Tamerlanis Regis ducem, innumeras trahentem acies obvium habuisse: cumque fugam pudori duxisset, commisso prælio barbarorum multitudine obrutos fuisse Christianos circa hunc annum, ac Regis Wladislai fratres Audream & Coributum cecidisse: parta victoria, barbaros excurrisse in Lithuaniam ad Luscum usque; quorum grassationes diro comete, qui octo diebus fulsit, (b), prænuntiari visæ sunt. [1]

(a) *Mi-chov. l.4. c.41. & Crom. l. 15.*

Vitoldi ducis Lithuaniæ expeditio ultra Tanaim.

A Tamerlano duce profligatus. Tartarorum in Lithuaniem excursio repressa.

(b) *Juv. Urfin. in Carol. VI.*

Hoc anno Heduviges Regina Poloniæ morum probitate conspicua, propagandæque apud gentiles Christianæ religionis studiosissima magnum sui Polonis desiderium reliquit; de cujus egregiis virtutibus ac piis gestis hæc narrat Cromer. (c) *Donavit basilicæ Cracoviensi vestem ad sacra peragenda factam margaritis & lapidibus pretiosis distinctam: duo anni tempora quadragesimam & adventum Domini religiosa abstinentia & jejuniis semper coluit, delicias, pompas, & ostentationem divitiarum contempsit, ita ut cum propinqua partus regali cultu atque magnificentia exornere cubiculum Rege absentis literis juberetur, respondisse ei feratur, se pompam omnem & inanem splendorem pridem abdicasse, nec insciam esse sæpe mortem partui comitem esse; tum autem rectius se vilitate & neglectu mundani fastus divinæ benignitati, quæ sterilitatis probrum a se amoverat, responsuram esse. Feruntur autem ob sanctitatem ejus miracula quædam ad tumulum ejus postea fuisse edita.* Exornat etiam maximis elogiis Stephanus Damalevicius (d) additque: *Ostenditur Cracoviæ imago Christi crucifixi, coram qua orare solita fuit, quæ ad eam locuta fuisse dicitur.*

(c) *Cromer. l. 15.*

Heduvigis Reginæ pia mors.

Calcata ab ipsa regii fastus pompa.

(d) *Stephan. Damal. de archiepisc. Gnesnen. in Debrog.*

IX. Inter hæc Carolus Francorum Rex exitiale schisma, quod adeo Christianas vires attriverat, tollere nitebatur, ac ducum suorum opera Avenionensem arcem, in qua antipapa Aragonio præsidio munitus morabatur cingebat; jamque (e) extracta in plures menses obsidione, cum Aragoniæ triremes ob depressiorem Rhodani alveum Petro e Luna ferre auxilium

Fertur imago Christi ad eam dimittere fudisse voces.

(e) *To. to. de schism. p.213.*

NOTÆ [1] Quæ de expeditione Lituanorum in Tartaros narrat horum temporum scriptor Hermannus Cornerus, ordin. Prædicator. in chronico vulgato ab Eccardo inter histor. med. Ævi to. 2. huc transferre operæ pretium censeo. *Alexander*, scribit ille ad hunc annum, *qui & Vitold dictus, dux Lithuanorum, collecto exercitu maximo intravit regnum Tartarorum, ubi prælia grandia agens cum ipsis, victoriam a stelo obtinuit de duobus certaminibus, in quibus Tartari amiserant CCM. armatorum; sed in tertio pugna succumbens Alexander, vix cum octo viris evasit.* Hæc historicus eorum temporum & locorum, a quo recte cum illo anno hanc rem gestam componi in Annalibus discimus. MANSI

um, ut diximus, non potuissent, iisque commeatuum inopia cœpisset laborare, Martinus Rex Aragonum (a), qui antipapæ patrocinium acceperat, abbatem a Rampullo, Geraldum e Cervillione, Petrum Marini, & Petrum Coltam oratores misit ad Carolum Francorum Regem, qui in eam pactionem descendit (b): cohibiturum se Cardinales schismaticæ factionis & Avenionenses a Petri e Luna obsidione, si is sacramento sponderet insignia papalia se positurum cedente æmulo vel extincto, ut catholica Ecclesia a tertio, eoque unico nec ambiguo Pontifice regeretur: jussus præterea antipapa jurejurando fidem suam astringere, nulla se ratione ecclesiarum conjunctionem retardaturum, venturumque ad conventum, qui pro ea adipiscenda celebraretur. Sed a perjuro jusjurandum exigere non profuit, nisi ut magis in perfidia confirmaretur. Firmatis igitur cum Rege Francorum superioribus pactionibus Aragonii oratores Avinionem perrexere. Quæ vero pro restituendo libertati antipapa gesserint, schismaticorum acta tunc scripta ostendunt.

(a) Ead. to. p. 99.

Regis Aragon. legatio ad Franc. Regem pro liberando Petro e Luna.

(b) Ead. pag.

Qua lege soluta obsidio Avenionensis.

(c) Ext. m. 10. p. 203. de schism.

Oratores Aragonii pacis interpretes.

Post quatuor menses Papa & ii, qui tum ipso sic obsessi in palatio remanserant, ad ultimum deficientibus victualibus spes remedii cujuscumque deperiit: sed medio tempore ambaxiatores Regis Aragonum, qui Parisius venerant ad obstandum, quantum possent, prædictis periculis, quibus Papa cum suis noster subjacebat; non valentes aliter providere, reportaverunt Papæ quandam sedulam per consilium Regis Franciæ sic traditam, in qua continebatur inter cætera in effectu, quod super factis Papæ Francorum non intendebat ambaxiatoribus prædictis Regis Aragonum respondere; sed proprios ambaxiatores ad Regem Aragonum mittere, qui sibi consilium Regis Francorum explicarent, & per Avenionem transirent, & si Papa vellet pro bono unionis Ecclesiæ intruso cedente, mortuo vel ejecto, paratus renuntiare ad finem, quod eligeretur tertius unicus verus pastor, &c. quo facto statim, ut ibi continebatur unio Ecclesiæ haberetur, & vellet a se gentem armigeram expellere, Rex Francorum ipsum sub protectione sua regia reciperet, & Cardinales ac cives Avenionenses ab omni via facti cessare faceret, & de securitate debita provideret; quod si Papa statim prædicta se facturum ambaxiatoribus Regis Aragonum promitteret, sui ambaxiatores, cum essent Avenione pro executione prædictorum, ad ipsum intrarent, alias recta via in Aragoniam procederent, prout latius hæc & alia in prædicta cedula continentur. Quod cum Papa innotuit, & in tam gravi articulo constitutos se & suos videt, assistentium inductus consilio, ut non solum sibi & suis, sed futuris Ecclesiæ periculis & erroribus provideret, prædictis annuit: jam enim, deficiente vino & aliis victualibus totaliter, solo pane cum leguminibus, aqua & aceto infra palatium vescebantur. Die veneris post pascha, quæ fuit 10. aprilis, ambaxiatores Regis Francorum, videlicet abbas S. Michaelis in periculo maris & Guillelmus de Tignavilla miles & Ægidius de Campis in theologia magister, qui de Parisius venerant, palatium intraverunt, & Papam ut præmissa capitula sic firmaret ex parte Regis requisiverunt: quod Papa se facturum respondit, si sibi & suis salvagardia Regis & securitas sufficiens traderetur, super quo dicta capitula firmata sunt.

Pactiones a Gallo Rege propositæ ut schismati finis imponeretur.

Oratores ab eo missi.

X.

Extat ea de re Petri e Luna diploma (d), quo leges in regio rescripto contentas se sanctissime servaturum pollicitus est subjectis verbis: *Annuimus dictis capitibus, prout etiam nunc in præsentia omnium ipsorum ambaxiatorum ac notariorum & testium assistentium annuimus, ipsaque capitula ac omnia & singula contenta in eis scientes, voluntarie & spontanee acceptamus, firmamus, & approbamus, ac bona fide promittimus tenere, facere, complere, & inviolabiliter observare; & etiam faciemus per nostros, qui nobiscum remanebunt in palatio, eadem capitula ac omnia & singula in eis capitulis designata teneri, fieri, compleri, & firmiter observari, renuntiantes expresse quibuscumque protestationibus, si quæ per nos factæ fuerint, quæ contra prædicta capitula vel contenta in eis possint in aliquo derogare, &c.* Paucis interjectis adjungitur gestæ ab Aragoniis oratoribus apud Gallum Regem legationis historia.

(d) Ext. in cod. to. p. 93.

Jurisjurandi a Petro e Luna concepti formula.

Gesta ab Aragon. oratorib. cum Rege Francor.

Ista est responsio domini nostri Regis Franciæ facta ambaxiatoribus domini Regis Aragonum, videlicet domino abbati de Rimpullo, domino Giraldo de Cervillione, fratri Petro Marini ministro ordinis fratrum Minorum in provincia Aragoniæ, & domino Petro Coltam legum doctori, nuper pro parte ipsius Regis Aragoniæ missis pro pace & unione Ecclesiæ ad dominum Regem Francorum prædictum.

Primo super quadam cedula per Benedictum olim in Papam electum confecta, & signata, & per ipsos ambaxiatores dicto domino Regi præsentata, & aliquibus aliis pacem & unionem tangentibus dominus noster Rex Francorum prædictus suos ambaxiatores solemnes ad dictum dominum Regem Aragonum, jam mittere disposuit, qui ad plenum de intentione sua ipsum super pace & unione Ecclesiæ ulterius prosequenda informabunt. Item ut via facti, quæ inter ipsum Benedictum & Cardinales facere collegii ac cives villæ Avenionensis jam scandalose multum incœpit, cesset penitus & omnino, & ad ea quæ ad pacem sunt Ecclesiæ liberius intendatur, dominus noster Rex procurabit cum effectu, quod ambaxia-

to-

tores prædicti habebunt accessum ad Benedictum, & intrabunt palatium ad sciendum ejus intentionem super his, quæ sequuntur. Primo si propter reverentiam Dei & salvationem gregis Christi Benedictus prædictus velit acceptare viam cessionis, & promittere quod intruso cedente, mortuo, vel ejecto, ipse renunciabit papatui ad finem, quod eligatur tertius unicus verus pastor, & vicarius Jesu Christi, & penitus dimittere viam facti, & abjicere a se gentem armigeram quam secum habet in palatio, & alibi, tam in terra quam in aqua, Rex procurabit & faciet cum effectu, quod domini Cardinales sacri collegii civesque & habitatores villæ Avenionensis a quacumque via facti cessabunt penitus & omnino. Item etiam idem Benedictus teneatur promittere & promittat, quod ipse directe vel indirecte quovis modo non faciet nec procurabit aliquid, per quod unio Ecclesiæ valeat retardari, nec via cessionis quomodolibet impediri: & hoc etiam jurabunt personæ, quæ apud ipsum manebunt, quodque eidem Benedicto, si contrarium facere vellet, non consentient, nec ei dabunt consilium aut favorem. Item similiter promittat, quod quoties expedierit, ipse ibit ad conventum seu congregationem, quæ fiet pro unione sanctæ matris Ecclesiæ, una cum illis, qui ad eundum ad conventum seu congregationem prædictam sunt vel erunt ordinate de parte, quæ obedivit felicis recordationis domino Clementi Papæ VII. & eidem Benedicto; & mediantibus prædictis, quia dicti ambaxiatores præfati domini Regis Aragonum satis aperuerunt, quod antequam aliquam aliquis pro parte dicti domini Regis Aragonum, reciperet ipsum Benedictum in sua regia & speciali protectione, etiam cum domino nostro Rege Francorum prædicta oporteret primitus ipsum dominum Regem Aragonum adire, & per hoc bonum hujusmodi negotii posset multum differri; dictus dominus noster Rex obtulit eis, quod ipse recipiet personam ipsius Benedicti, & illorum, qui secum erunt, usque ad numerum centum personarum sine armis, cum eorum bonis omnibus in sua speciali custodia, seu protectione; & ex nunc deputabit sibi personas notabiles ecclesiasticas & sæculares, qui ipsum custodient & associabunt & honorabiliter tractabunt in palatio, in quo nunc est, vel alibi ubi ejus mansio expediens & honorabilis videbitur; de quo tamen loco promittet non recedere sine consensu Regum, qui sibi obedierunt, & sacri collegii, & ad hoc dabunt operam, de consensu suo deputandi ex parte Regis quantum fieri poterit honestius. Item quod personæ, quæ cum ipso Benedicto, & ad ejus servitia manebunt, jurabunt & promittent similiter, quod ipsum Benedictum non permittent a dicto loco recedere, nec ad hoc dabunt directe vel indirecte auxilium, consilium, vel favorem.

Expetitum a Petro e Luna, ut Pontifice se abdicante vel decedente cedat.

Spondent profectum eum ad synodum pro redintegranda pace.

Sedei non mutaturum sine Regum & Card. consensu.

XI. *Item faciet Rex, sibi & illis, qui cum eo erunt usque ad numerum centum personarum sine armis ministrari victualia & alia necessaria, eorum expensis honeste sicut decet; & una cum Regibus Castellæ, Aragoniæ, Navarræ, & Scotiæ ad pacem & unionem Ecclesiæ habendam incessanter, quantum plus poterit, laborabit, sic quod per Dei gratiam idem Benedictus, & cæteri omnes Christicolæ pacem Ecclesiæ videre gaudebunt per prædicta; cum in nullo intendit Rex prædictus a conclusione denegationis obedientiæ nuper per ecclesiam regni, & Delphinatus recepta, in aliquo recedere, seu ab ea aliqualiter deviare. Item si Benedictus prædictus suprascripta facere velit, ambaxiatores dicti domini nostri Regis intrabunt palatium ad loquendum cum eo super prædictis, & faciendum circa prædicta quæ videbuntur necessaria, seu etiam opportuna; provisa tamen quod sibi reverentiam papalem non exhibeant.*

Promissa Petro e Luna Regis Gall. clientela.

Si vero concordare & promittere noluerit prædicta, ingressus & collocutio ambaxiatorum domini nostri Regis non videbitur necessarius nec honestus: & ut brevius prædicti ambaxiatores possint esse expediti, ex nunc Rex tradit gentibus suis literas suas super securitate prædicti Benedicti, & literas etiam, per quas committit effectum dictæ securitatis, gardiamque seu custodiam gentium & bonorum suorum archiepiscopo Narbonensi, & tribus baronibus suis, videlicet senescallo Bellicardi, & domini de Cassenatico, & de Voolta, & etiam domino Georgio de Marle senescallo provinciæ, vel eorum tribus aut duobus, &c. Confirmavit hæc omnia solemni sacramento Petrus e Luna, ac postea pari perfidia violavit, receptaque libertate publicas literas (a) edidit, quibus sacramentum per vim metumve contra ecclesiasticam libertatem extortum irritum pronuntiavit: & hæ fuere artes, quibus schisma confirmaret, datumque jusjurandum de antipapatu abjiciendo infringeret.

Datæ ea de re magnatibus literæ.

Illusa a perjuro solita perfidia promissa.

(a) Ext. in lib. privil. Rom. eccl. & in MS. cod. Vallic. sig. lit. D. p. 149.

XII. Quod ad Bonifacium verum Christi vicarium attinet; Treverensis ecclesiæ canonicorum collegium ab eo supplicibus votis flagitavit (b), ut Wernero archiepiscopo mentis impoti, Fridericum episcopum Trajectensem in administrando archiepiscopatu collegam adjungeret, cujus amicitiam Geldriæ, Juliaci, & Montensem duces colerent: quorum ope rem catholicam adversus finitimorum schismaticorum impetus fulcire posset.

Treverensis cleri postulata.

(b) Ext. ejus liter. apud Bonif. l. 5. p. 143.

Humillime ad vestræ sanctitatis pedum beatissimorum oscula devotissima, humiles & devoti vestri oratores, præpositus, decanus, archidiaconus, & capitulum ecclesiæ vestræ Treverensis.

Reverendus in Christo pater & dominus noster, dominus Wernerus archiepiscopus Treve-

Trevirensis capituli lit. ad Bonif.

verensis vestræ sanctitatis & Ecclesiæ Romanæ orator fidelissimus, Dei permissione tali (quod dolenter & non sine gravi suspiriorum amaritudine eidem vestræ significamus sanctitati, infirmitate & mentis alienatione nonnullis hucusque temporibus detentus est, restitutione quam semper sperabamus non subsecuta, & hodie eadem, proh dolor ! infirmitate detinetur, adeo ut ipsum dominum nostrum archiepiscopum ad regendam & gubernandum in spiritualibus & temporalibus ecclesiam Treverensem, ipsiusque terram & dominia juxta ipsorum exigentiam teneremus penitus impotentem : & ne, pater beatissime, ipsa Treverensis ecclesia quæ in faucibus schismaticorum, terminis perversarum nationum & finibus Francigenarum situatur, exinde gravia præjudicia, & irrecuperabilia patiatur damna in curfu quotidiano, in quo illorum & aliorum nunc minantium ecclesiæ Treverensi, & nos persequentium, præsertim hoc tempore, quo pastoris nostri, proh dolor ! destituimur solatio ; non immerito perplexi undique nos & oculos nostros oportet convertere vigilantes ; unde multis capitularibus diversis inter nos, demum etiam propter hoc cum nobilibus vassallis officiatis civitatis, & oppidi dictæ ecclesiæ Treverensis mature, & pro communi bono ejusdem ecclesiæ præhabitis tractatibus, unanimiter concordavimus, necessitate exigente, pro coadjutore assumendo, & admittendo in venerabilem in Christo patrem & dominum, dominum Fredericum episcopum Trajectensem virum utique sanguinis genitura illustrem, vita & scientia commendabilem, maxima cursuum experientia circumspectum & edoctum, & ex causis pro regimine ecclesiæ Treverensis prædictæ, tam in spiritualibus quam temporalibus juxta ipsius ecclesiæ circumstantias patenter facientibus, consideravimus perpensius, quia ipse dominus Fredericus ecclesiæ Treverensis canonicus & decanus extiterat, unde præ cæteris noscit consuetudinem terræ & modos, præfatam ecclesiam Treverensem utroque gladio regendi & gubernandi. Ipse etiam ex diœcesi Treverensi exortus, multa castra & fortalitia, copiososque nobiles & proceres de ipsius prosapia & potentes, undique ecclesiam Treverensem & ipsius dominia, habet contingentes, quibus nedum ipsam ecclesiam nosque membra ipsius bona & jura poterit & debebit, auctore Deo feliciter conservare; verum etiam præmissorum schismaticorum & perversorum hominum ac francigenarum perniciosis incursibus, & astutis machinationibus manu poterit potenti & utiliter obviare. Ipsius etiam contemplatione didicimus illustres Gelriæ, Juliacensem, Montensem duces, & alios comites & barones, fines dictæ ecclesiæ Treverensis attingentes, cum eadem ecclesia, quoad vixerint, fœdera paces percussuros, quo ipsa ecclesia Treverensis veluti fons signatus in concluso viridario desiderata pace frueretur, sperantes etiam firmiter quod sanctitas vestra in præfato domino Treverensi, utique continuata fidelitate, placabili non defraudetur oratore.

Exponunt archiep. mentis captum factum.

Significant delegisse episc. Trajectensem ad administrandum archiepiscopatum.

Idoneum esse ad tuendum contra schismaticos principatum.

Proceres finitimos pacem fovere.

Quare, beatissime pater, præmissis per nos, ut præfertur, perpensius recollectis & digestis, sanctitatem vestram, duximus humillima supplicandi instantia, & præsentibus devotissime supplicamus, quatenus importunitate aliorum, si qui sint supplicantium ecclesiæ Treverensi & patriæ nostræ minime competentium non attenta, sanctitas vestra præfatum dominum Trajectensem, in quem pro adjutore domino nostro archiepiscopo & ecclesiæ Treverensis assumendo & admittendo concordavimus, quem etiam præmissorum intuitu desiderando assumpsimus ; quemque summa devotione a vestra sanctitate postulamus & petimus, præfato domino nostro archiepiscopo & ecclesiæ Treverensi, non obstante vinculo, quo ecclesiæ Trajectensi alligatur, misericorditer dare dignemini præmissorum interventu, & deputare, ut sic ipsius domini Trajectensis nationis & ecclesiæ Treverensis contigua potestas, & virtus sit per vestram sanctitatem, ut optatur, unita fortior, elevetur se ipsa dispersa, nec duntaxat personæ in hoc postulatæ, sed ecclesiæ Treverensi humiliter postulanti utiliter subveniet, & salubriter providebit præfata sanctitas vestra, quam Altissimus diuturnitate temporis incolumem conservare dignetur pro regimine Ecclesiæ suæ sanctæ. Humiles & devoti oratores sanctitatis vestræ præpositus, decanus, archidiaconus, & capitulum ecclesiæ vestræ Treverensis. Assensit illorum postulatis Bonifacius : graves enim illum urebant curæ, ne si Gallica potentia invalesceret, non minus ipse Romæ Gallorum armis premendus foret, quam antipapa Avenione ab illis obsidione cingeretur, non enim deerant proceres in pontificio imperio, qui ad occupanda jura ecclesiæ, cum schismaticis ad Pontificem opprimendum arma expedituri essent, insidiasque clandestinas struerent.

Rogatus Bonif. ut Fredericum in Treverensi administratione confirmet.

Ut itaque se adversus eos muniret, contrahere undique præsidia coactus est. Perstringitur a plerisque Bonifacius, primitias vacantium opulentiorum sacerdotiorum sibi arrogasse; qua de re hæc Theodoricus e Niem (a) stylo mordaci exaravit : *Circa decimum annum sui regiminis, ut cautius ageret in hac parte palliarétque simoniam, quam exercuit quodam necessitatis colore, primos fructus unius anni omnium ecclesiarum cathedralium & abbatiarum vacantium suæ cameræ reservavit, ita quod quicumque ex tunc in archiepiscopum vel episcopum aut abbatem per eum promoveri voluit, ante omnia cogebatur solvere primos fructus ecclesiæ vel monasterii, cui præfici voluit.* Idem auctor ad exaggeran-

(a) Theod. e Niem. l. c. 16.

Annatarum a Bonifacio inventæ.

dam invidiam aculeatis verbis pluries repetit, quem videtur secutus Platina (a), dum in vita Bonifacii hæc inepte scribit: *Annatarum usum beneficiis ecclesiasticis imposuit*: Et infra: *Sunt tamen qui hoc inventum Joanni XXII. ascribunt; hanc autem consuetudinem omnes admisere præter Anglos, qui de solis episcopatibus concessere, in ceteris beneficiis non adeo*. In quibus animadvertendum duo falsa imponi Bonifacio, primum eum simoniæ flagitium admisisse in episcopatuum & abbatiarum primitiis exigendis, alterum pressisse ipsum hoc novo onere catholicum clerum. Quod ad primum attinet; tantum abest, ut Bonifacius in asserendo jure pontificio, cum annatas exigeret, simoniæ crimine se devinxerit, uti temere effutit Niemus, ut potius laude dignus fuerit, cum divina lex (b), quæ decimas pro sacerdotibus imperavit, etiam a sacerdotibus collectarum decimarum decumas summo Pontifici præberi jusserit; quare Gerson (c) Niemo longe peritior in commentario de simonia, ait: *Sicut ex antiqua lege decimæ decimarum debebantur summo Sacerdoti a Levitis Num. XVIII. Deuter. XVI. Sic non minus in lege nova debetur hæc decimatio facienda ipsi Papæ per inferiores. Hæc autem recompensatio videtur rationabilis, quod fructus primi anni a quolibet beneficiato persolvantur, quoniam in hoc Papa servit Ecclesiæ, & ita pro sustentatione status sui potest onerare personas & beneficia*. Hanc Gersonis rationem justam esse & recte concludere, ait Joannes Eckius (d) adversus Lutheranos accusantes tyrannidis Pontifices, subditque: *Sequitur si sacerdotes & episcopi vellent negare annatas summo Pontifici, tunc eadem facilitate laici negarent decimas sacerdotibus, & sacerdotes recusarent medios fructus dare episcopis; unde ex Ecclesia facerent Babylonem, id quod strenue contendunt heretici & eorum adhærentes divina humanaque omnia commiscentes*.

(a) *Plat. in Bonif. IX.*

Ut jure exigantur a Pontifice.

(b) *Num. 258. & Nehem. 10.*

(c) *Gerson. de simonia c. 3.*

(d) *Jo. Eck. c. 26. de Annat.*

XIII. Adversus annatas declamavit Wicleff.

Porro non impegit prius omnium Theodericus e Niem calumniam Pontifici ob repetitas annatas, sed ante ipsum Joannes Wicleffus hæresiarcha (e), qui Pontificem omnemque ordinem ecclesiasticum ad inopiam & mendicitatem redigi cupiebat, in conclusione XXVI. ter damnata: idemque vetabat cogi populum ad pendendas sacerdotibus decumas in execrando libro de officio pastorali cap. VI. atque ulterius progressus, ut gradum sistere nescit impietas, vetuit ullos census & vectigalia magistratibus, principibus, & Regibus pendi, nisi justi viri, idest hæretici hæreticorum judicio, fuerint; atque ita hac sententia annatarum & decumarum abolendarum omnem politicum statum convulsit. [t]

(e) *Walden. doctrinal. fid. l. 2. art. 3. c. 64.*

Demonstratur non inventas a Bonifacio.

Quoad secundum attinet; non annatarum inventor extitit Bonifacius, cum ex Joanne Andrea in cap. inter cetera de officio ordinarii, & ex Ostiensi constet annatas antiquissima consuetudine exactas fuisse ab Romanis Pontificibus; a nonnullis in concilio Viennensi in controversiam vocatas: ad quæ imprudentes & parum accuratos historicos ac novatores obmutescere & pudore suffundi necesse est: tum vidimus Petrum e Luna veteri Pontificum more in Galliis, ubi personatum agebat Pontificem, annatas exegisse, easque a Carolo Rege, cum acephalum se constituit, sublatas.

XIV. Fundorum comes schismatis auctor & propagator.

Hoc anno Bonifacius gravissimum edictum adversus Honoratum Cajetanum Fundorum comitem, schismatis magnum auctorem tulit (f), in quo post recensita atrocia ab eo in Urbanum commissa scelera, acceptamque Cardinalium perduellium clientelam, exponit ut jam ante cum Pe-

(f) *Lib. 5. p. 161.*

NOTÆ [t] Accusat hic Annalista Niemium asserentem per calumniam ut ipse arbitratur, annatarum beneficialium usum a Bonifacio IX. primum cœpisse. Illarum enim originem vetustissimam, & ipso Viennensi concilio antiquiorem statuens de more illo abolendo in eo concilio disceptatum fuisse asserit. Sed nec unus esset Niemus qui ejus rei authorem Bonifacium agnoscat, nec ipse Niemius ea in re quidquam per calumniam Bonifacio affingit. Nam & anonymus Vaticanus in vita Bonifacii, vulgata a Muratorio Rer. Italic. to. III. par. II. col. 830. ita de hac Bonifacii sanctione agit, ut ab eo primum inventa ratio hæc pecuniæ corradendæ videatur. Vera autem scripsit Niemius, hujus moris authorem Bonifacium statuens; licet enim Joannes XXII. de solvendis proventibus beneficiorum primi anni aliquid adumbravit, edita constitutione anno 1317. legenda apud annalistam ad eumdem annum num. 49. hæc tamen exactio intra beneficia per Angliam, Hiberniam, & Valliam vacantia continebatur, nec ultra se porrigebat. Idem vero pontifex in Extrav. anno 1319. cum nonnullos beneficiorum fructus unius anni intra proximum triennium solvendos reservavit, archiepiscopales & episcopales ecclesias ac regulares abbatias exemit. Quare ad annatas nondum propius accedebat. Quod vero asserit Raynaldus, agitatum nempe fuisse in concilio Viennensi utrum annatæ abolerentur; id lucem accipit ex Durandi aureo libello *De modo concilii generalis celebrandi*; qui rerum in Viennensi concilio tractandarum modum, & formam exhibet. In eo enim par. 2. tit. 20. discutiendum proponit utrum præstet abusum tollere qui *maxime in curia Romana* jam inoleverat, *in qua, etiam cœtus dominorum cardinalium vult habere cum domino papa certam portionem a prælatis qui promoventur ibidem*. Sed verba hæc ab annatis beneficialibus, quomodo nunc obtinent, designandis longe absunt; non enim ut probe monet Thomassinus de Ecclesiastica disciplina to. 3. lib. 2. cap. 58. exacti Romæ traduntur primi anni beneficiorum proventus; sed nonnihil solum afferendum statuitur ab iis, qui Romæ promovebantur. Quomodo,

Varias coitiones molitus in Bonifacium.

Petri a Luna administris immanem conjurationem de Bonifacio conjiciendo in vincula conflarit, eaque discassa finxerit ad Pontificis gratiam se redire velle, ac spoponderit schisma se damnaturum; usum vero ea amicitiæ specie ad novas coitiones nefarias faciendas; ac superiori anno cum Petracio Sabba & Petro Centio ac Natolo de evertendo pontificio in urbe imperio, ac vexilliferorum dominatu restituendo consilia molitum, iisque dissolutis vires & impetus ad infestandam invadendamve ecclesiasticam ditionem effudisse, tum ad tyberinas fauces exercuisse piraticam: ob quæ flagitia intentato ei judicio ipsum omni honore & bonis exuendum pronunciavit Pontifex, & Christifideles in eum manus injicere jussit.

Ad perpetuam rei memoriam.

Rex regum, & exercituum dominus clementissimus Dei filius Jesus Christus, qui sempiternus regnans in cœlis perpetua mundum ratione gubernat, quamquam sit fortis & patiens, quamquam sit misericordiarum pater & opifex, est tamen judex justus, ac dominus ultionum, & quo punitionem differt benignius, eo punit acerbius dies suos in detestandis ac obstinatis perversitatibus perducentes: nam etsi lento gradu ad vindictam sui indignatio divina procedat, tarditatem supplicii gravitate compensat. Nos itaque quibus superna providentia, præcipuum super terras contulit magistratum attendentes jam tandem per decem ferme annorum curricula longa patientia expectasse, piis & paternis interim per nos adhibitis ad salutem peccatoris, sed incassum, remediis, ut iniquitatis filius Honoratus Gajetanus olim Fundorum comes ad nostram & Ecclesiæ obedientiam ac fidelitatem filialiter remearet, demumque manifestissime dinoscentes eundem obduratum ac demersum in tenebris malorum omnia nostra & Apostolicæ sedis salutaria monita contempsisse ac damnabiliter contemnere, in eundem nostram censuram judicii decrevimus in virtute Altissimi non immerito exercendam.

Diu expectatus elusit clementiam.

Dudum siquidem fel. record. Urbanus Papa VI. prædecessor noster profunda consideratione dijudicans, quod nisi præsidentis authoritas excedentium culpas condigne corrigere satageret, laxatis temeritate frenis in deteriora prolabi non vererentur damnabiliter qui deliquerunt; quapropter, cum sicut notoria facti evidentia & fama publica tunc temporis divulgavit, perditionis filius Honoratus Gajetanus olim comes Fundorum cum nonnullis iniquitatis alumnis suis in hac parte complicibus atque so-

Recensetur ejus perduellio in Urbanum.

NOTÆ do vero exactio illa tunc solveretur discimus ex cardinali Alliacensi in opusculo *de difficultate reformationis* legendo in appendice tomi secundi operum Joannis Gersonis ex editione Dupinii: *Olim*, ait ille, *quicumque præfecti fuerant cathedralibus ecclesiis: aut monasteriis virorum vacantibus in prælatos, non arctabantur per sedem apostolicam, ut in promptu solverent cameræ apostolicæ; aut collegio dominorum cardinalium pro communi servitio* (ita enim exactiones istas appellatas notat idem in alio opusculo de authorit. eccles. concil. & pontif. ibidem legendo, ubi & addit pensiones fiscales in beneficiis minoribus nomine *primorum fructuum* distingui) *quam medietatem taxæ ad quam ecclesia vel monasteria ipsa in eadem camera reperiebantur esse taxata. Et pro alia medietate solvenda promotis, postquam pacificam administrationem essent adepti competens dilatio dabatur*. Hæc ergo disciplina usque ad Bonifacium obtinuit, qui dein pontifex veterem hanc consuetudinem nova constitutione ita immutavit, ut primo beneficiorum reservationem dilataret immodice, quod ab illo abalienasse Anglos primum, dein & Hungaros tradit idem Alliacensis, in alio opusculo ibidem pariter edito *de necessitate reformationis in concilio*, cap. VII. secundo vero beneficiis hisce omnibus sive majoribus, sive minoribus solvendam edixit omnium totius anni proventuum dimidium. Vectigal istud majoribus beneficiis tunc primo impositum, priori illi solutioni, quam commune servitium appellari, ex Alliacensi animadvertimus, superaddebatur, at postremo hoc manente, annatarum nihilosecius vectigal accederet. Id mihi eruisse visus sum ex libello supplici oblato Alexandro V. in concilio Pisano, legendo inter acta concilii Pisani apud Martene veter. monum. to. VII. col. 1126. *Romani pontifices ab aliquibus annis citra indixerunt, seu sibi reservaverunt primas annatas fructuum prælaturarum, & beneficiorum vacantium, nec non communia & minuta servitia &c.* Cernis hic distingui annatas a communibus servitiis; utraque vero pontifici reservari? Id ergo Bonifacio authori primo tribuendum, idque dein & pontifices Avenionenses renuerunt; quemadmodum & ipsi more pontificum præcedentium annatas minorum beneficiorum, veteri lege impositas, exigere consueverunt.

Discutiendum nunc superest utrum hæc Bonifacii sanctio hoc ipso anno 1399. edita sit, cum apud annalistam ad A. 1392. 1. mentio fiat de constitutione quadam Bonifacii eodem ipso anno signata, qua sanxit, *ut sacerdotiorum omnium, quæ a sede Apostolica conferrentur, vectigalium, quæ primo labente anno obvenirent, dimidia pars in fiscum pontificium inferretur*. Hæc verba sunt annalistæ, qui in Bonifacii regesto ejus anni literas illas pontificias nactus fuit. Ex quo illud consequitur, sive falsum esse Niemium, qui Bonifacii constitutionem de annatis ad annum ejus decimum rejecit; sive bis a Pontifice in eam rem provisum, semel quidem annatas minorum beneficiorum, quæ prius intra triennium integræ solvebantur, dimidiata quidem solutione, sed intra annum pendenda statuente; iterum vero edicente, ut vel ipsa majora beneficia, quæ hucusque immunia censebantur, communi cæterorum beneficiorum legi subderentur. Maluerim tamen errorem in Niemio suspicari, quam binas Bonifacii constitutiones comminisci, cum præsertim annalista, qui Vaticanos Bonifacii regestos consuluit, nullam hoc anno Bonifacii ea de re constitutionem laudet. Quare Bonifacii constitutionem de annatis ex hoc anno ad annum 1392. transferendam censeo. MANSI

sequacibus, ausu temerario ac diabolico spiritu instigatus, ad civitatem nostram Anagninam se conferens, cum sceleratis viris quondam Roberto olim basilicæ duodecim Apostolorum vulgariter dicto Gebennensi, & Joanne olim tit. S. Marcelli vulgariter dicto Ambianensi, & quibusdam aliis olim sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, & aliis ecclesiarum prælatis contra præfatum Urbanum prædecessorem nostrum ac dictam Romanam ecclesiam conspirationes ac colligationes ordinare ac facere, & una cum eisdem olim Cardinalibus & aliis prælatis multitudinem gentium armigerarum conducere præsumpsit, & eandem civitatem Anagninam & nonnullas alias civitates, terras, castra, & loca alia præfatæ ecclesiæ occupavit & occupari fecit, & illa occupantibus dedit auxilium, consilium, & favorem, prout adhuc etiam nonnulla ex eis occupata detinet de præsenti; ac nihilominus præfatis iniquitatis filiis olim Cardinalibus & prælatis aliis in facienda antipapam præfatum Robertum auxilium, consilium, vel favorem præbere, dictoque antipapæ credere, adhærere, ac favere præsumpsit, prout adhuc antipapa, qui dicto Roberto se successisse prætendit, & sequacibus ipsius facere præsumit, & una cum prædictis olim Cardinalibus, & nonnullis aliis prælatis opem & operam dedit, quod prædicti Roberti antipapæ scelerata creatio, quin verius profana confusio celebrata fuit, & contra præfatum prædecessorem nostrum & statum præfatæ ecclesiæ quamplurima mala dicere, facere, & ordinare, & quantum in eo fuit, schismo & divisionem in Ecclesia Dei præfata ponere præsumpsit hactenus & præsumit, crimen hæresis læsæ majestatis, schismatis, & apostasiæ damnabiliter incurrendo: propter quæ idem prædecessor noster considerans, quod facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, contra eundem Honoratum & sequaces decrevit, non immerito, insurgendum & etiam procedendum justitia mediante, ipsumque ad sui præsentiam citatum & vocatum legitime, quamvis rebellem & contumacem die præfixo in generali ejus consistorio præsente fidelium multitudine copiosa, secundum formam juris & sacrorum canonum sanctiones sententialiter declaravit eundem Honoratum fuisse & esse schismaticum, apostatum, & blasphemum, & tanquam hæreticum puniendum & reum criminis læsæ majestatis, ipsumque præter præmissa incidisse in pœnas & sententias tam a jure quam ab homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas, & ipsum fore privatum & depositum, ac privavit & deposuit a comitatu Fundorum & aliis quibuslibet dignitatibus & honoribus, necnon omnibus feudis, quæ a dicta Romana & quibuslibet aliis ecclesiis & personis ecclesiasticis, aut Romano imperio, aut quibuscumque Regibus aut principibus aut aliis quibuscumque, quomodolibet obtinebat; ipsumque comitatum Fundorum & bona prædicta cum universis & singulis aliis bonis fuisse & esse confiscata & confiscavit, ac ipsum comitatum & bona hujusmodi ab omni alio dominio, protectione, subjectione, & jurisdictione removit ac immediate subjecit & recepit sub protectione beati Petri & sua, prout hæc & alia latius in processibus contra ipsum Honoratum per eundem prædecessorem nostrum factis & solemniter publicatis seriosius continetur.

Favit creando antipapæ.

Schismatis & hæreseos crimina contraxit.

Omni jure & dignitate exauctoratus ab Urbano.

XV. Postmodum vero præfato prædecessore nostro, sicut Altissimo placuit, viam universæ carnis ingresso, nobisque divina cooperante clementia ad apicem summi apostolatus assumptis, cum præfatus vir iniquus & maledictionis alumnus Honoratus Gajetanus olim Fundorum comes, in sentinam malorum omnium descendens, post & contra processus per ipsum prædecessorem nostrum adversus eum, ut præfertur, habitos & solemniter publicatos, inter alia maxima & detestanda ipsius ac ipsorum sequacium crimina perpetrata per ipsum ac sequaces contra nos & præfatam Ecclesiam sponsam nostram conspirationem, ligam, confœderationem, & pacta truculentissima cum perditionis filio Petro de Luna olim sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono Cardinali tunc, & nunc antipapa, qui se Benedictum XIII. ausu sacrilego nominare præsumit, per quendam sceleratum nuntium una cum certis aliis conspiratoribus sub certis modis & conditionibus iniisset & tractasset & firmasset, ac inire, tractare, & firmare præsumpsisset, per quæ nos sub captivitatis angustiis coarctaret: sed Salvatore omnium tam immane flagitium contra nos & ecclesiam damnabiliter ordiantum de suæ pietatis throno clementissime irritante, idem sceleratus vir Honoratus in nostram perniciem abominabiliter desæviens ac immaniter æstuans, ut infandum ejus propositum posset facilius adimplere, sub adumbratæ firmamenta concordiæ, ad nostram & præfatæ ecclesiæ devotionem, obedientiam, fidelitatem, & gratiam venire velle fraudulentissime simulavit, & multis prius nobiscum, qui more pii patris cunctos ad gratiam nostram & præfatæ ecclesiæ in humilitatis spiritu redire volentes complectimur per suos oratores ac nuntios, quos benigne recepimus, ratiociniis ac colloquiis celebratis, tandem per procuratorem ac nuntium suum specialiter ad talia constitutum in præsentia dilectorum filiorum nostrorum Angeli tit. S. Laurentii in Damaso, Francisci tit. S. Susannæ, Cosmati tit. S. Crucis in Jerusalem presbyterorum Cardinalium & venerabilis fratris nostri Antonii episcopi Firmani tunc rectoris provinciarum nostrarum Campaniæ & Maritimæ, & quondam magistri Francisci de Fara physici civis Romani promisit inter cætera & solemniter convenit, quod cum idem Honoratus

Post Urbani mortem fœdera init cum Petro e Luna.

Proditione Bonifacium vinculis tradere molitus est.

Divina providentia antipapæ & Gajetani discussit consilia.

Novæ Fundorum comitis fraudes.

ratus desideraret Ecclesiæ unionem, honorem Italiæ, statum & honorem nostrum, & dilectorum filiorum populi Romani statum, postquam inter nos & ipsum Honoratum esset celebrata hujusmodi concordia, quæ tractabatur cum præfato procuratore, & ex tunc extitit firmata concorditer, idem Honoratus per se vel nuntium suum nobis aut nuntio nostro aliqua magna & ardua secreta revelaret, & de ipsius secretis fidem faceret per publica instrumenta, quæ exhibere deberet loco & tempore opportunis, prout nobis videretur expediens, ex quibus secretis, ut asseruit verisimiliter deberet sequi unio universalis Ecclesiæ & præsentis pestiferi schismatis extirpatio; subdens quod talis materia dissimulari deberet & sub silentii taciturnitate usque ad festum omnium Sanctorum jam præteritum tunc secuturum tenaciter retineri, ac juxta ipsius consilium practicari, & nihilominus interim inter nos & ipsum fieri treugam, quam ex tunc fieri fecimus nostro & præfatæ ecclesiæ nomine per venerabilem fratrem nostrum Corradum archiepiscopum Nicosiensem camerarium nostrum, cum ejusdem Honorati nuntio usque ad dictum festum inter nos & ipsum & nonnullos alios in eadem sub certis pactis interclusos inviolabiliter duratura.

XVI. Promisit insuper idem nuntius & procurator dicti Honorati nomine & convenit, quod adveniente termino supradicto idem Honoratus per se vel procuratorem suum cum speciali mandato, nos fuisse & esse verum & unicum Christi vicarium Petri successorem & Papam Bonifacium nonum canonice electum & inthronizatum consiteretur, juraret, recognosceret, ac præstaret in forma debita fidelitatis sacramentum; & quod per omnes terras, quas detineret, publice & cum effectu faceret inhiberi, quod nullus nomen Benedicti antipapæ in missarum solemniis aut in contractibus nominare seu intitulare præsumeret, sed solummodo nomen nostrum poneret, armaque ipsius antipapæ devastare & aboleri faceret ubicumque in terris ipsis posita forent, & arma nostra in locis eminentibus pingi honorifice, ut est moris, nostrasque & ecclesiæ præfatæ legatis, nuntiis, & officialibus in terris hujusmodi per suos officiales & subditos reverentiam exhiberi, præmissa & nonnulla alia in dicto contractu contenta servare promittere sub pœna perjurii & fidei fractæ & centum millium florenorum auri cameræ apostolicæ applicandorum, prout hæc & alia in instrumento super dicto contractu prædictæ concordiæ confecto sub anno dominicæ nativitatis millesimo trecentesimo nonagesimo septimo die penultimo Februarii pontificatus nostri anno octavo, inter nos & præfatum procuratorem & nuntium dicto nomine celebrato & rogato manu dilecti filii magistri Francisci de Montepolitiano Aretinæ diœcesis notarii publici & secretarii nostri plenius & seriosius continetur.

Spondet damnaturum se schisma.

Deinde præfatus Honoratus dictam concordiam, ac omnia & singula in contractu prædicto contenta ex certa scientia in civitate Terracinensi, anno, indictione, & pontificatu prædictis die decima mensis martii ratificans & approbans, juravit in manibus Antonii episcopi Firmani tunc rectoris provinciæ nostræ Campaniæ supradicti, quem ad dictum Honoratum instanter petentem destinavimus pro prædictis, corporaliter super sanctis evangeliis manu tactis plenarie sub pœnis & obligationibus in dicto contractu appositis observare, prout latissime constat per publica instrumenta manu Francisci prædicti secretarii nostri, necnon manu notarii Nicolai Rubei de Alatro secretarii Honorati, de præmissis omnibus vocatorum solemniter & rogatorum. Verum hæc omnia ideo sub placida sed affectatæ pestiferæ concordiæ adumbratione idem Honoratus firmavit, prout succedentium rerum denotavit eventus, ut nos & statum nostrum & præfatæ ecclesiæ sponsæ nostræ commodius & facilius, quantum in eo erat, posset efficacius deducere in ruinam, ac personam nostram in hostium tradere potestatem: constat enim quod ipse cum quondam Petrucio Sabbæ Juliani, & quondam Petro Centii civibus Romanis, conspiratoribus ac reis criminis læsæ majestatis, de anno & mense augusti proxime præteritis tractatum, & conspirationem habuit de subvertendo & deponendo præsentem pacificum & tranquillum statum nostrum & præfatæ urbis, & ipsorum Petrucii & Petri statum deperditum in ipsa urbe recuperando, offerendo eisdem receptum in terris Marenæ, Sermoneti, & aliis terris quas ipse Honoratus detinet, personam suam, gentes armigeras, equites ac pedites, & omnem ejus potentiam pro guerra exercenda contra nos & præfatam urbem modis omnibus fortique brachio exercenda, ut ad statum pristinum banderensium urbe ipsa rediret.

Fidem solemni sacramento obfirmavit

Cum aliquot proceribus Romanis coitiones constat.

Denuoque idem Honoratus præmissis malorum cumulis non contentus, Dei honore postposito, iterum conspirationem iniit in tractatum cum quondam Natolo dudum Butii Natoli de regione pontis de urbe prædicta, & quibusdam aliis facinorosis in perturbationem & subversionem status nostri & ecclesiæ memoratæ, ac pacis præfatæ urbis & partium vicinarum, & sub signo & nomine præfati populi tam detestabile facinus daretur habilius adimpleri, vexilla & banderias ac arma præfati populi, necnon banderensium & capitum regionum dictæ urbis in civitate Terracinensi prædicta de anno & mense augusti præfatis fieri fecit, ac de terra Marenæ prædicta, direxit ad ipsum Natolum talis criminis patratorem. Gentes insuper ipsius armigeras in numero copioso ad portam S. Joannis Lateranensis capiendam tempore ordinato transmittere promiserat, ut talia possent sub obtentu præ-

Fucavit scelus popularis libertatis nomine.

fidii

Copias ad occupandam S. Joannis Lateranensis portam submisit.

fidii facilius adimplere; & per ipsum non stetit quominus præmissa omnia adducerentur modis omnibus ad effectum. Cumque deinde, mala malis accumulans, contra nos, Romanam ecclesiam, subditos, & adhærentes nostros ac Romani populi præfati rupta prædicta treuga nobiscum habita offensiones multiplices tam per mare quam per terram intulisset manifestas, prout inferre non desinebat juxta vires, tentans assidue alias civitates, terras, & loca nostra & præfatæ ecclesiæ, quæ detinuerat, prout detinebat ac detinet occupata alias civitates, terras, castra, & loca tam nostra & Romanæ Ecclesiæ quam populi supradicti occupare de novo, & schismaticos, hæreticos, ac rebelles nostros & præfatæ ecclesiæ receptando eis favere & adhærere præsumpsisset ac præsumeret, & in nostrum ac præfatæ ecclesiæ vilipendium ac gravem Dei offensam literas nostras apostolicas aliis directas & alias nobis missas detineri & aperiri faciendo; necnon nuntios nostros & præfatæ sedis ambaxiatores, cortesanos, romipetas, & alios ad Romanam curiam venientes, & ad ipsam urbem deferentes granum tam per mare quam per terram impedivisset, & impediri fecisset quominus ad easdem urbem & curiam venire possent, & nos alias per se & alios multipliciter vexare & molestare præsumpsisset, ac præsumeret, ut multa alia & diversa excessus & crimina perpetrasset in nostrum & præfatæ sedis contemptum & gravissimum dispendium plurimorum: & præfatos Romanum populum eum Romana curia famis acerbitate affligere, & a nostræ devotionis affectu retrahere, ac in nos eundem populum convertere posset furialiter insultantem per maritimos fines usque ad Tybridis ostia exerceri piraticam usus extitisset; & incessanter utebatur; ex quibus truculentissimis sceleribus nonnullæ hominum strages, terrarum, locorum, ecclesiarum, ac monasteriorum excidia, rapinæ, spolia ædium, incendia ac demolitiones, virginum & matrumfamilias violationes, ac innumerabilium nostrorum ecclesiæ & Romani populi subditorum & adhærentium infausta dispendia, secuta fuerunt & assidue provenirent, & insurgerent in posterum, nisi salutari occurreretur remedio in futurum: & quamvis præmissa omnia & singula adeo essent prout sunt, notoria, quod nulla potuissent tergiversatione celari, neque absque alia informatione juste potuissemus animadvertere in Honoratum ipsum; attamen ad cautelam & majorem præmissorum certitudinem venerabili fratri nostro Pileo episcopo Tusculano & dilectis filiis nostris Cosmato tit. sanctæ Crucis in Jerusalem presbytero & Raynaldo S. Viti in macello diacono Cardinalibus commisimus oraculo vivæ vocis ut se de præmissis informarent, & ea quæ per informationem hujusmodi reperirent, nobis referre procurarent, ipsique Cardinales informatione hujusmodi per eos recepta nobis in consistorio retulerunt, se reperisse omnia & singula præmissa fuisse & esse vera & manifesta atque notoria.

Schismaticis, & perduellibus iterum se conjunxit.

Institutus in eum ordo judiciarius.

Nos igitur attendentes, quod error cui non resistitur, approbari videtur, & latum pandit delinquentibus sinum, qui eorum perversis conatibus non resistit & nequeuntes absque gravi offensa Christi & remorsu conscientiæ tot & tantos excessus amplius tolerare per nostras literas hujusmodi processus Urbani prædecessoris nostri contra eundem Honoratum cum per ipsum prædecessorem alias formatos & factos & contenta in eis, quæ in dictis literis haberi volumus pro sufficienter expressis, de fratrum nostrorum consilio ex certa scientia ratos habentes & gratos authoritate apostolica confirmavimus, continuavimus, & innovavimus supplentes earundem tenore literarum omnes defectus, si qui forte intervenissent in eisdem, adversus iniquitatis filium Honoratum prædictum de eorundem fratrum nostrorum consilio in virtute Altissimi decrevimus insurgendum, & contra ipsum super præmissis sceleribus procedendum, ac processus hujusmodi aggravandos justitia mediante.

Præfatum igitur Honoratum præsente fidelium multitudine copiosa cujusmodi citandi modum ex certis causis elegimus, dictarum literarum tenore citavimus, ut secunda die præsentis mensis maii tunc proxime futura, si ea die consistorium esset, alioquin prima die ex tunc sequenti, qua consistorium per nos teneri contigerit, compareret personaliter coram nobis ubicumque tunc essemus visurus & auditurus per nos decerni & declarari, ipsum fuisse & esse excommunicatum, perjurum, schismaticum, apostatam, & blasphemum, & contra nos & dictam ecclesiam conspiratorem ac tanquam hæreticum puniendum, ac reum criminis læsæ majestatis; ipsumque propter præmissa incidisse in dictam pœnam centum millium florenorum cameræ præfatæ applicandorum & in refectionem damnorum, expensarum & interesse ac in alias pœnas & sententias tam a jure quam ab homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas, ac contra eundem hujusmodi processus per præfatum Urbanum prædecessorem nostrum solemniter factos ac publicatos per nos aggravari, ac eum fuisse & esse privatum & depositum a comitatu Fundorum, gradu militiæ, cingulo militari ac aliis quibuscumque dignitatibus & honoribus, necnon omnibus feudis & bonis quæ a dicta Romana & quibuslibet aliis ecclesiis, aut Romano Imperio seu Regibus vel personis ecclesiasticis vel aliis obtinebat, ejusque bona omnia fuisse & esse confiscata; ac prætermissa hujusmodi occupationem dictarum terrarum præfatæ Romanæ ecclesiæ & alia supradicta incidisse in pœnas & sententias contentas in processibus XVII.

Pronuntiatur apostata & reus læsæ majestatis.

feli-

Veterum pontificum in rebelles edicta in eum instaurata.

felicis recordationis Joannis XXII. & Clementis VI. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, per quos omnes & singuli occupatores, invasores, & turbatores terrarum dictæ Romanæ ecclesiæ seu alicujus ipsorum ac ipsas occupantibus, invadentibus seu turbantibus dantes auxilium, consilium vel favorem excommunicationis sententia innodantur ac privantur omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, immunitatibus realibus & personalibus de dicta Romana, & quibuscumque aliis ecclesiis, ecclesiasticis personis, Romano imperio, Regibus & aliis supradictis, aut eorum aliquo concessis eisdem, & nihilominus visurus & auditurus per nos & alias pœnas infligi, prout nobis videretur & justitia suaderet, aperte prædicentes eidem, quod sive veniret sive non, nos in dicto termino ad declarationem, aggravationem, & privationem, ac inflictionem hujusmodi, prout justum foret, procederemus ejus absentia vel contumacia non obstante. Cæterum voluimus & auctoritate apostolica decrevimus, quod hujusmodi citatio perinde valeret & plenum robur obtineret firmitatis, dictumque citatum perinde arctaret, quacumque constitutione contraria non obstante; ac si ei intimata & insinuata personaliter vel præsentialiter extitisset, & nihilominus eidem Honorato de salvo conductu, ut moris est in talibus fieri, duximus providendum, prout in dictis nostris inde confectis literis plenius continetur quas quidem literas in audientia publica literarum contradictarum legi & portis basilicæ principis Apostolorum de urbe prædicta ac palatii nostri apud eandem basilicam siti affigi fecimus, ne idem Honoratus, quod ad ipsum non pervenissent, vel eandem citationem ignorasset, nullam posset excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, cum non esset verisimile quod ad eum remaneret incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

XVIII. *Adveniente igitur prædicta secunda die maii videlicet hodierna nobisque cum dictis fratribus nostris in consistorio publico existentibus, comparuit coram nobis dilectus filius magister Jacobus de Sabinago procurator fiscalis dictæ Romanæ ecclesiæ, & prædicti Honorati citati non comparentis contumaciam accusavit, & petiit ipsum per nos contumacem reputari ac decerni & declarari, dictos processus aggravandos fore & aggravari debere, ac ipsum in pœnas & sententias prædictas in ipsis processibus contentas & alias præter præmissa a jure vel ab homine in talia perpetrantes inflictas, & quomodolibet promulgatas seu etiam ordinatas ac in dictam pœnam centum millium florenorum cameræ apostolicæ applicandorum, & refectioni damnorum & expensarum incidisse, & alias pœnas per nos infligi, & contra ipsum procedi juxta terminis assignationem, prout nobis videretur & justitia suaderet.*

Ad mulctam de qua pepigerat obstrictus pronunciatur.

Nos igitur dilectis filiis nostris Angelo S. Luciæ in septemsoliis & Landulpho S. Nicolai in carcere Tulliano diaconis Cardinalibus vivæ vocis oraculo mandavimus, ut ad portas palatii nostri prædicti accederent, & ibi per se & alios publice clamarent & clamari facerent, ut si prædictus Honoratus vel alius pro eo ibidem existeret, dictum palatium intraret, & ad nostram præsentiam veniret: ac deinde dicti diaconi Cardinales ad nos redeuntes retulerunt, se ad portas accessisse & ibidem per se & alios clamasse & clamari fecisse, prout mandaveramus, quod si præfatus Honoratus vel aliquis pro eo inibi existeret prædictum palatium intraret, & ad nostram præsentiam accederet, ac retulerunt se dictum Honoratum vel aliquem pro eo minime reperiisse, propter quod præfatus Jacobus procurator iterum petiit, prout alias petierat & superius est expressum.

Alia in eundem sententia decretoria.

Nos igitur præfatum Honoratum, de dictorum fratrum consilio reputavimus, prout est, merito contumacem: & volentes nec valentes hujusmodi ipsius Honorati excessus amplius tolerare, de dictorum fratrum consilio, per hanc nostram sententiam pronunciamus, decernimus, & declaramus processus prædictos per præfatum Urbanum prædecessorem nostrum contra eundem Honoratum, ut præfertur, factos & solemniter publicatos, & contenta in eis fuisse & esse aggravandos & aggravari debere, & ipsos, & contenta in ipsis tenore præsentium aggravamus & aggravatos esse volumus in omnibus & singulis, & quoad omnia & singula contra ipsum Honoratum & sequaces in qualibet eorum parte ac propter hujusmodi excessus & debita dicti Honorati, & alia, supradicta civitates Fundorum, Terracinam, terras & castra Piperni, Torritis, Fresoloni, castri Trajecti, Siniæ, Ceperani, & alias terras & loca quæcumque detinet cum earum comitatibus, territoriis, districtibus, ecclesiastico supponimus interdicto. Et nihilominus præsenti populi multitudine copiosa per eandem sententiam pronunciamus, decernimus & declaramus, præfatum Honoratum fuisse & esse excommunicatum, perjurum, sacrilegum, schismaticum, apostatam, & blasphemum, & contra nos & eandem Ecclesiam conspiratorem, & tanquam hæreticum puniendum, reumque criminis læsæ majestatis, ipsumque propter præfata incidisse in præfatam pœnam centum millium florenorum auri cameræ apostolicæ applicandorum, & in refectionem damnorum & expensarum, ac in alias pœnas & sententias contentas in dictis processibus felicis recordationis Joannis XXII. ac Clementis VI. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum contra occupatores, invasores, & detentores terrarum dictæ ecclesiæ per dictos prædecessores, ut præfertur, factis; ac etiam decernimus iterum,

ipsum

ipsum Honoratum propter præmissa, fore depositum & deponimus a comitatu Fundorum, ac gradu militiæ, & cingulo militari, ac eum omnibus dignitatibus & officiis, Civitatibus, terris, locis ac feudis & bonis, quæ a præfata ecclesia, & quibuslibet aliis ecclesiis & personis ecclesiasticis, Romano imperio, Regibus, principibus, vel aliis obtinuisset vel detineret, fuisse & esse Ejus bona fisco addicta. *privatum, ipsumque privamus, ipsaque bona mobilia & immobilia, jura & jurisdictiones fuisse & esse confiscata, & iterum ea omnia confiscamus, & personam ejus detestabilem, & infamem fuisse exponendam & exponimus a Christifidelibus capiendam, ut sic capta, si absque fuga, & evasionis periculo tute fieri poterit, nobis indilate transmittatur: si autem id tute fieri non* Imperat ut capiatur. *posset, volumus & mandamus eum detrudi in arctis carceribus, & tam diu inibi sub fida custodia detineri, donec captio, detrusio, & detentio hujusmodi nobis fuerint intimata, & donec detinentes eundem aliud a nobis habuerint in mandatis.*

Et quoniam dignum est, ut tam nefandorum ratione flagitiorum, ultionis severitas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum, pœnarum modus exuberet, sit etiam idem Honoratus intestabilis, nec testamenti habeat liberam factionem; ad bona quoque aliorum ex testamento, vel ab intestato nullatenus admittatur; nulla fides, nulla credulitas ei adhibeatur, sed a testimonio velut infamis, & indignus totaliter repellatur: sit ei judicatus, & cujuslibet alterius publici officii exercitium interdictum, sitque ei ad præmissa, & similia denegatur ascensus; filii quoque, & nepotes prædicti Honorati ex recta linea descendentes usque in secundam generationem, dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis ecclesiasticis sint privati, & eos privamus, & inhabilitamus etiam ad ea, vel similia imposterum obtinenda, omni spe dispensationis eisdem adempta, pœnis aliis contra ipsos de jure statutis in suo robore duraturis.

Episcopi promulgare jussi pontificium adversus eum edictum. *Et ut hujusmodi damnati Honorati eo sit major confusio, quo ipsius culpa patentius fuerit divulgata; omnibus, & singulis archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum Prælatis sub excommunicationis pœna, quam in ipso incurrant, nisi mandatis nostris hujusmodi, postquam ad eorum pervenerint notitiam, paruerint cum effectu, districte præcipiendo mandamus, quatenus omnes, & singuli, in singulis ipsarum ecclesiis cum in eis aderit major populi multitudo, singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, & demum extinctis, & in terram projectis, per se vel alios ipsum Honoratum publice, alta, & intelligibili voce, fuisse & esse excommunicatum, perjurum, schismaticum, & blasphemum, & tanquam hæreticum puniendum, & contra nos, & eandem Romanam ecclesiam conspiratorem, & reum criminis læsæ majestatis, ac excommunicatum, & anathematizatum denuncient, & ut talem tamdiu faciant a Christifidelibus evitari, donec ad cor reversus, suos recognoscens errores, a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, absolutionis beneficium meruerit obtinere. Quod si forte ipse Honoratus propter mortis articulum imminentem, ab alio, quam a nobis, vel successore nostro Romano Pontifice fuerit absolutus, nihilominus perpetuo careat ecclesiastica sepultura: & quicumque eundem Honoratum scienter præsumpserit ecclesiasticæ tradere sepulturæ usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se noverit subjacere, nec absolutionis beneficium mereatur, nisi propriis manibus exhumulet, & procul ab ecclesiastica sepultura projiciat corpus ejus, & locus ille nihilominus careat etiam perpetua sepultura. Et si idem Honoratus supravixerit, volumus quamcito poterit commode coram nobis, vel* Ecclesiasticæ sepulturæ jure privatur. *dictis successoribus nostris se personaliter repræsentet, recepturus, & facturus prout justitia suadebit, alioquin ne propter hæc censura ecclesiastica illudatur, in eandem excommunicationis sententiam reincidat ipso facto. Volumus insuper, quod omnes Christifideles, qui crucis assumpto charactere ad præfati Honorati exterminium se accinxerint, & eum, ejusque sequaces pro posse persequentur, illa gaudeant indulgentia, illoque privilegio sint muniti, quæ accedentibus in Terræ sanctæ subsidium conceduntur. Nulli ergo, &c. Datum & actum Romæ apud S. Petrum VI. non. maii pontificatus nostri anno decimo.* Indixit mox in eundem Honoratum Bonifacius (a) sacram militiam immisso cum exercitu Andrea Thomacello: ac tam plures Honorati servitutem auctore Luca Spinello excussere (b), Anagninique initis cum Ludovico e Flisco S. Hadriani diacono Cardinale pactionibus, veniam stadii in conflando schismate Roberto antipapæ navati, admissæque Honorati Gajetani servitutis veniam poposcerant (c).

(a) Ibid. p. 38. Immissus in eum exercitus. (b) Ib. p. 128. Anagnia ad pontificium imperium revocata. (c) Ib. p. 171. & 173.

Rediere etiam alii multi, deserta Honorati factione, ad Pontificis obsequium, ut Nicolaus (d) Sabellus & Bonifacius (e) & Antonius (f) Gajetani: tum Verulani (g) & Pontiscarvi oppidani (h), in quos Bonifacius clementiam explicuit. Quo vero magis Honorati confunderetur audacia, Ludovicus sancti Adriani diaconus Cardinalis, qui Andreæ Thomacello adjunctus fuerat, non modo Campaniæ & Maritimæ præses creatus est, sed etiam comitatus Fundorum præfectura ei demandata (i). Eversum autem hoc bello a Bonifacio Honoratum, tradit Gobelinus (k): *Comitem,* inquit, *Fundorum, qui principium schismatis stabilivit, penitus exterminavit.* At

de

Deseritur a nonnullis Fundorum comes. (d) Ib. p. 190. (e) Ib. p. 198. (f) Ib. p. 142. (g) Ib. p. 221. (h) Ib. p. 229. Procurati schismatis pœnas luit. (i) Ib. p. 202. (k) Gobelin. in Cosmodr. at. 6. c. 8.

de eo iterum inferius, ob res enim adversas ipsum dolore contabuisse visuri sumus.

XIX. Præclare etiam gesta res est in Neapolitano regno, in quo Carolus Artus comes S. Agathæ Casertam, Magdalonam, & comitatum Molisii Casertano comiti schismatico eripuit, iisque terris in præmium virtutis donatus (a) a Ladislao est, atque a Pontifice uti supremo domino in ea ditione confirmatus (b). Amplissima etiam provincia hoc anno ad Ladislaum traducta est, debilitataque admodum Ludovici Andegavensis potentia: cum enim Raymundus e Baucio Ursinus, qui post Othonis Brunsvicensis mortem principatum Tarentinum magna ex parte sibi pepererat, nec Ladislao nec Ludovico studuisset, ac demum Ludovicum, qui Tarentum ad eum principatum sibi offerendum se contulerat, obsidione clausisset, partes Ecclesiæ, ac Ladislai aperte professus est, cui ut se conjungeret expedito succinctus exercitu provolavit Cajeta Ladislaus, Tarentumque Raymundo sibi occurrenti jure fiduciario tradidit, de quo publicas has literas rei testes vulgavit (c).

(a) Bonif. l. 5. p. 203.
(b) Ibid.

Proceres Neapolitani traducti ad Ecclesiam.

Raymundus e Baucio Pontifici & Ladislao se conjungit.

(c) Ext. apud Bonif. l. 5. p. 2305.

Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Jerusalem, & Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæ Rex, Provinciæ, & Folcarquerii ac Pedemontis comes, universis & singulis præsentes literas inspecturis tam præsentibus quam futuris.

Ladislai Regis lit.

Magna præmia gratitudinis debita magnis debentur obsequiis, & ea præsertim retributionem vendicant ampliorem, quæ sponte & in necessitate amicum se tenente fictum a vero liberaliter exhibentur. Quantus bellorum turbo diebus nostris orbem terrarum invaserit, & præcipue regnum nostrum internis externisque cladibus laterum, & undique lacessitum cuncti novere mortales, qui eorum ætate pacem e terris exulem vix viderunt, ad cujus regni regimen & reipublicæ curam hoc in tempore deputati justo a teneris annis arma induimus, ut pacem ipsam nostris subditis pareremus, in qua quærenda rebus nunc prosperis succedentibus, nunc adversis magna pars temporis est elapsa. Nuperrime vero quod semper speravimus præsidium nobis opportune se obtulit, & quasi cælitus est transfusum: siquidem vir spectabilis & magnificus Raymundus e Baucio de Ursinis miles princeps Tarentinus, consiliarius noster dilectus, homo egregius & Deo devotus & quasi mirum in tot humanis erroribus moderatus & prudens, licet in eodem regno pene solus & liber ac nondum nobis aut alteri sacramento fidelitatis & homagii obligatus, quiete cum suis frueretur & pace, cernens tamen integrum singularem hac tempestate se fore quod non facile ab aliis actum esset neglecta quiete ad labores & sumptus, ut fortem decet virum disposuit se & suos, ut ex iis continuis pax & quies præsentibus & posteris oriretur. Transmissis itaque oratoribus suis ad nos, & reserata per eos intentione sua per facta & arcana cum voluntate quam ad eam diem ad hæc usque tempora, & non absque causa repositam mentem servaverat: intuentes spem & fiduciam, quam de Raymundo jamdudum mens nostra conceperat, nunc opportune fructum re & opere allaturam, illico & confestim nostro exercitu congregato a supero mari & civitate Gajetæ ultimo regni angulo longis laboriosisque itineribus ad intimum Hadriatici maris sinum, & Tarentum usque pervenientes, in ultimo pene recessu Italiæ situatam, ubi ultra spem melius, Raymundum ipsum sanctæ matris Ecclesiæ erecto vexillo sua castra tenentem in hostem vestrum regnique invasorem, filium olim ducis Andegaviæ, mari terraque viriliter obsidentem invenimus, qui cum eis exercitu viris & viribus copioso obviam nobis veniens, in conspectu & pene ad portam Tarenti sponte ac libere cum ingenti alacritate & lætitia nobis fecit homagium, & fidelitatis debitæ præstitit juramentum.

Raymundi elogium quod opportune partes Rom. ecclesiæ tuendas susceperit.

Præcurrit in ejus auxilium Ladislaus adversus Andeg.

Hic igitur promeritis grandibusque & memorandis obsequiis, quibus jam elati hostium animi corruerunt, & superbia est collapsa, accessitque non mediocre, sed magnum nostro statui incrementum; considerato etiam eundem Raymundum ex generosa & nobili prosapia ortum, natumque peroptimo quondam Nicolao de Ursinis Nolano comite & regni Siciliæ magistro justitiario nostra ætate incomparabili viro, a quo & nos veluti a parente cura sedula instructi fuimus, & quodammodo educati, de cujus innumerandis virtutibus putamus melius silere quam parum dicere quid dignum & magnificum commode gloria & honore retribuere eidem Raymundo possemus perpeti meditatione occurrit ipsum Tarentum, quod ante oculos situm erat. Ex propter his & aliis moti rationibus atque digne eidem Raymundo ac suis utriusque sexus heredibus ex suo corpore legitime descendentibus natis jam, & in antea nascituris in perpetuum, principatum & civitatem Tarenti cum mero & mixto imperio ac gladii potestate & jurisdictione omnimoda una cum ipsa titulo principatus devolutum seu devolutam per idem ad excelsæ majestatis nostræ manus per obitum quondam domini Othonis ducis Brunsvicensis & principis Tarentini absque legitimis liberis decedentis cum civitatibus, terris, castris, casalibus, & locis aliis & etiam fortalitiis, & infra, *de certa nostra scientia damus, concedimus, & donamus in feudum novum nobile sub contingenti proinde feudali servitio, ad rationem videlicet de unciis viginti valoris anni dictorum principatus, civitatum, ter-*

Sacramentum fidei ab eo excipit.

Laudatur Raymundus a parentibus.

Tarentum illi collatum a Ladislao.

varum & castrorum, &c. Actum in campo nostro felici prope & contra Tarentum anno Domini MCCCIC. die xx. mensis maii se. prima indictionis regnorum nostrorum anno xrss Confirmavit eam Ladislai donationem Bonifacius eidem Raymundo e Baucio ob grata obsequia in difficili bello Regi præstita, ac pœnas quas ob distractam ex aula Sicula principatum incurrerat dissolvit datis ad ipsam eo argumento literis (a).

Tarentini principatus donatio confirmata a Bonifacio.

(a) *Lib.* 5. *p.* 314.

Recepto a Ladislao in fidem Raymundo Ursino, cum in dies Ludovici Andegavensis res inclinarent, Neapoli ad Ladislaam victorem spectavit: longiora jamdia colloquia Bonifacius, patria Neapolitanae, ad schismaticos ea pellendos iniverat, atque hoc ipso anno Angelum patriarcham Constantinopolitanam plurima instruxit (b) auctoritate, ut proceres ad populam ad Ecclesiæ sinum redituros cum ea in gratiam conciliaret.

De Neapoli recuperanda agitat Bonifacius.

(b) *Bonif. l.* 5. *p.* 245.

Venerabili fratri Angelo patriarchæ Constantinopolitano in civitate Neapolitana ac ejus provincia Apostolicæ sedis nuntio.

Cum sicut ad nostrum pervenit auditum, nonnulli principes, duces, barones, milites, & nobiles ac magnates, personæ ecclesiasticæ tam sæculares quam regulares, & etiam laicales utriusque sexus civitatis Neapolitanæ & ejus provinciæ nonnullorum schismaticorum deceptæ versutiis damnatæ memoriæ Roberti olim basilicæ duodecim Apostolorum presbyteri Cardinalis tunc antipapæ, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominabat, ejusque sequacibus & adhærentibus eidem etiam post & contra processus per felicis recordationis Urbanum Papam VI. prædecessorem nostrum contra eundem factos & solemniter publicatos per quos idem prædecessor eundem Robertum velut hæreticum & schismaticum puniendum sententialiter condemnavit, notorie adhærere & favere præsumpserit, nunc vero divinæ gratiæ radiis illustrati & ad cor reversi ac suos recognoscentes errores desiderent ad nostrum gremium ac fidei catholicæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ unitatem devote redire, & nostris & dictæ sedis parere mandatis: nos qui licet immeriti, illius vices gerimus in terris cujus proprium est misereri semper & parcere, singulorum fidelium animarum saluti salubriter providere cupientes, fraternitati tuæ per te vel alium seu alios tam duces, principes, barones, magnates, milites, & nobiles necnon omnes & singulas personas ex regno Siciliæ, quæ dictis antipapæ, & sequacibus adhæserint, & pro absolutione & reintegratione eorum ad te venerint, qua & qui postergatis prorsus hujusmodi erroribus ad nostram & ejusdem sedis obedientiam redire voluerint, & infra, *absolvendi in forma Ecclesiæ consueta hac vice dumtaxat injunctisque eis pro modo culpæ pœnitentia salutari,* & infra, *plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. septembris pontificatus nostri anno decimo*. Potitum vergente anno Neapoli Ladislaam, refert Juvenalis Ursinus (c), qui res horum temporum accurate scribebat: (alii tamen ad proximam ineuntem id retulerunt) ac proceres suasisse Ludovico Andegavensi ut expeditionem ad Tarentum recuperandum compararent, eo dacti consilio, ut de Neapoli dedenda Ladislao occasionem aucuparentur, Hectoris Pignatelli diaria MS. referunt, qua de re inferius.

Neapolitani damnata schismate ad Bonifac. se conferre meditati.

Dats internuntio eorum Ecclesiæ conciliandor. provincia.

(c) *Juv. Urs. in C. VI. hoc anno.*

XX. Richardi Regis tristes exitus.

Interea Richardus Angliæ Rex, qui Romani Pontificis œcumenicum conciliam, in quo schismatis causa cognosceretur, damnato antipapa ecclesiarum pristina conjunctio instauraretur offerentis, patrocinium abjecerat, & consilium ceperat una cum Gallis de Pontifice cum antipapa ad abdicationem vi & armis adigendo, divino destitutus patrocinio, cum ob Gallicum fœdus constabilisse potentiam existimaret, in Anglorum odia incurrit, sibique conflavit exitium eo ipso, quod salutis munimentum futurum existimarat: eam enim expeditionem in Hiberniam adversus rebelles confecisset, aurumque subsidiarium a suis acerbe exigeret, publica in se convertit odia, quod munitissimas duas arces, nimirum Brestam in Britannia & Chereburgum in Normannia Gallorum Regi tradidisset, quodque se nonnullis nimirum in Angliæ rei administratione addixisset (d), atque etiam principes sibi conjunctissimos morte exiliove affecisset, in se conjuratos asperavit. Ex his Henricus dux Lancastriæ patre mortuo captata Richardi absentis occasione evocatus a Thoma archiepiscopo Cantuariensi, ac nova exorta factione, in Angliam clam ingreditur, amicos ad armorum societatem peragrata simulato cultu Anglia allicit, exercitumque ingentem comparat. De his turbis certior factus Richardus intermisso Hibernico bello trajecit in Angliam, ut Lancastriam pelleret: sed omnium studiis in æmulum inclinatis, fugere compulsus, demumque a perduellibus comprehensus; atque in custodiam traditus est, donec ordinum regni solemnibus comitiis coactis regios apices post fassa plura errata posuit (e), transfuditque in Henricum Lancastriam, cum vitæ suæ consulere ea ratione putaret. Ita, Richardo exau-

(d) *Valsin. in Rich.* 2. *& in Henric. V. Polydor. Virg. l.* 20. *Harpsf. sæcul.* 14. *&* 15.

Conflata in eum conjuratio.

(e) *Id. ib.*

ctora-

ꝼorato conjectoque in vincula, [1] Henricus sceptrum Anglicum capessivit: utque sibi apud populum majorem auctoritatem conciliaret, certo quodam oleo in thesauro Richardi reperto, quod a Deipara virgine S. Thomæ Cantuariensi datum ferebatur, magna pompa inungi voluit. Porro nullo firmo argumento rem nixam ex Joannis XXII. literis ad Eduardum II. Regem datis (a), vidimus an illud oleum vere datum divinitus, an ficta sit ab impostore, qui Eduardo id detulit, fabula, augetque suspicionem cum vaticinium adjectum ferret, Regem, qui illo oleo delibutus foret, Syriam Christi cultui redditurum: cum tamen Henricus oleo illo litus hujusmodi laudem non fuerit assecutus. Ut vero is infelicem Richardum regno exutum vita etiam spoliarit, proximo anno dicetur.

Henricus Lancastrius sceptris potitus.
(a) Ext. to. 25. ann. 1319. n. 20.
An chrismo ad sacrandos Reges divinitus Angli acceperint.

XXI. Concitati (b) sunt hoc anno in Italia ingentes motus animorum, [2] qui insolito pietatis sensu delibuti, pœnitentium candido cultu solemnes supplicationes obiere ad vicinas urbes, quas pari pietatis ardore accenderunt. De quo admirabili motu, deque celebratis divinis laudibus, susceptis jejuniis, politisque in proximos odiis, hæc S. Antoninus testis oculatus refert (c): *Per hæc ipsa tempora anni MCCCXCIX. mirabilis factus est populorum motus: omnis quippe multitudo vestes exteriores induit albas, lineas tamen, ad pedes usque protensas cum caputiis ad modum capparum religiosarum, quibus facies velabant, ad oculos tantum foraminibus ad videndum relictis: omnes mares & feminæ, laici & clerici & religiosi cujuscumque ordinis, grandes & parvuli similibus vestibus hujusmodi incedebant, monialibus & reclusis exceptis, quibus non licebat claustra exire; incredibilique devotionis ardore longa horum dealbatorum agmina ad vicinas urbes commeabant processionaliter bini pergentia, pacem & misericordiam supplici clamore sæpe clamantia, ac laudes & hymnos in Latino vel vulgari decantantia, præcipue sequentiam illam, quam dicunt Gregorium edidisse: Stabat mater dolorosa juxta crucem lachrymosa, dum pendebat filius, cum versibus sequentibus. Prorsus miranda res & quasi incredibile negotium, nisi oculis nostris vidissemus. Peregrinatio ista ordinaria erat novem vel decem dierum jejunantibus qui poterant illis diebus, & aliquibus in pane & aqua: accessus vero in aliena oppida, etiam parum antea pacata, liberi fuerunt. Nemo per id tempus dolo fallere tentavit, nemo advenarum oppressus: tacitæ cum hostibus induciæ fuere. Innumeræ paces ex mortiferis & dentinis inimicitiis in diversis locis confectæ sunt: confessiones & communiones frequentatæ. Cumque proficiscerentur populi in alienas urbes & alii in suas adventarent; mira hospitalitas ubique, & benigna susceptio a communitatibus providebatur de victu etiam mille hominibus sine pretio. Duravit hic motus per duos vel tres menses ad plus. Unde autem hoc initium habuerit, haud obscurum; Dei opus fuisse negari non potest: & alii quidem dixerunt ex Hispania hoc habuisse exordium, alii in Scotia, alii in Anglia, nonnulli ex Francia. De modo etiam dicebatur apparuisse beatam virginem Mariam cuidam rustico, & revelasse ei filium suum contra mundum propter scelera ejus valde turbatum; unde ad reconciliandum eum & placandum illud observandum: nihil tamen certi de hoc habitum est.*

(b) Leonard. Aretin. l. 12. in princip. Walsin. in Rich. 2.
(c) S. Anton. 3. par. tit. 22. c. 3. §. 32.
Animorum motus ad noxas expiandas facti.
Albatorum agmina.
Reflorescere in iis visa innocentia.
Initia ex Deo fluxere.

His consentanea tradit Sigonius (d) ex veteribus monumentis in Bononiensium episcoporum historia; additque sacerdo-

(d) Sigon. de episc. Bonon. l. 3. in Cos-

NOTÆ [1] MEnsem, & diem, quo Richardo pulso, & in carcerem detruso Henricus Lancastriæ dux regnum Angliæ usurpavit, notat Cornelius Zantfliet Leodiensis monachus, qui chronicon suum vulgatum inter vetera monumenta Martenis to. V. ad annum 1461. perduxit. Narrat enim ille Henricum die festa S. Michaelis Archangeli, nempe XXIX. septembris anni hujus convocata Principum concione exposuisse depositum a se abjectumque Richardum regem, quippe quem regno indignum ipse & populus judicasset. Eo vero deficiente ad se regnum pertinere, qui ex Joanne de Gandavo altero Eduardi regis filio editus esset. Rogato igitur ut, quod sibi natura dabat, sibi regnum non denegarent. Ingenti omnium favore excepta oratione, rex acclamatum salutatus est: regiamque deinde coronam die XIII. qua S. Edoardi regis memoria solemnis agebatur, regio apparatu manu Cantuariensis archiepiscopi accepit. MANSI

[2] REligiosa illa populorum commotio, cujus hic sermo apud annalistam, una fuit ex multis, quæ subinde christianum populum incessivit. In eo vero ab aliis præcedentium temporum differt, quod reliquæ pium exordium, impium exitum habuerunt. Hæc vero sicut pie instituta, ita & pie absoluta est; valuit enim ad excitandos ad pietatem animos, ad pacandas lites, ad componenda dissidia. Quia & hic figenda est epocha religiosi moris, qui nunc passim obtinet, saccos nempe certi coloris & formæ induendi ab iis qui in piam aliquam societatem coalescunt. Quamquam enim societates illæ religiosæ dudum ante cœperunt, at certos tamen saccos induerent, nondum moribus invectum fuerat. Hinc eorum temporum scriptor Georgius Stella in annalibus Genuensibus ad hanc annum, motum hunc religiosum *novam literarum devotionem* appellat. Unde primum, & quo authore id cœperit ignoratur; quamquam extra Italiam primo coortam inde facile conjicimus, quod eorum temporum æquales scriptores Itali ab exteris regionibus in Italiam advectam unanimi assensu conveniunt. MANSI

Ingenies animorum conversiones factæ.

tem Paternensem a Deipara excitatum ad vitam pietatis studia inflammasse, adeo ut nonnulli episcopi huic soldalitio se addixetint: *Sæva*, inquit, *ubique terrarum jampridem pestilentia perfurente, qua passim multa hominum millia sine discrimine sternebantur, repente exortus est in Gallia Narbonensi sacerdos, qui B. Virginem sibi apparuisse, ac maximam cladem mundo instantem nunciasse asserit*. Et infra: *Multi peccatorum suorum dolore compuncti veterum simultatum memoriam abjecerunt, atque ultro cum inimicis suis in gratiam redierunt; quique alios forte læserant, eosdem iis, quos violarant, gladios offerentes sese totos illorum potestati atque arbitrio permittebant, eosque ut sibi ignoscerent obsecrabant. Ex his IV. non. septembris episcopus Mutinensis a Regiensibus inflammatus cum universo omnis ætatis sexusque populo albato & sub vexillis suis instructo (ad vigintiquinque millia fuisse feruntur) Bononiam versus iter instituit: ubi vero ad pontem Rheni pervenit, aris sub eo duabus erectis, rem divinam fecit ac populo Bononiensi, qui frequens occurrerat, rationem atque initium novæ hujusmodi religionis exposuit, ac postridie domum repetiit. Bononienses inde pridie nonas & ipsi alba lintea suadente Bartholomæo episcopo induerunt, & novem dies festos tabernis clausis egerunt, parochiis quotidie sub vexillis suis ad S. Petrum atque ad eas, quas ille constituerat, ecclesias cum hymnis & canticis adeuntibus. Interim presbyter quidam a pago Paterno in medium prodiit, ac tota audiente populo, se a mortuis post tres horas quam obierat a B. Virgine suscitatum asseruit, ac multa sibi comperta de iis, qui pridem obierant nuntiavit. Cujus rei magnitudine episcopus percitus, ac nova religione perfusus, eodem ordine populum & ipse suum Imolam albatum ac supplicabundum adduxit, atque ad Santernum amnem progressus, ibi aris item duabus excitatis sacra confecit, ac presbyter Paternensis quomodo mortuus revixisset, edocuit. Inde Imolenses Faventiam, Faventini Forumlivium contenderunt: demum hæc religio Viterbii dicitur constitisse.*

Parochus a B. Virg. excitatum se ad vitam prædicat.

De Genuensibus, Lucensibus, Pistoriensibus, Florentinis, qui pias illas peregrinationes instructo agmine religioso objere, hæc tradit sanctus author. *Ex his divina clementia quandam præparationem hominibus procuravit ad mortem vix propinquam: multi enim & magni obdurati peccatores conversi sunt tunc ad pœnitentiam, quos Deus ad se vocavit anno sequenti peste grassante Florentiæ, ut dicitur, & postea in Gallia, ut ad illud alludere videatur, quod Christus dixit: Videte regiones quia jam albæ sunt ad messem; scilicet colligendam per falcem mortis, dum hæc religio tenuit animos, nihil de periculis belli cogitabatur: sed postquam finis fuit dealbatorum fervori, ad primas rursus curas animi redierunt.*

Multi peccatores ad felicem mortem comparati.

Pisæ in Galeatii potestatem redactæ.

Angebat (a) Florentinos Galeatii ducis Mediolanensis potentiæ terror, ut qui Pisas, cum Gerardo Appianensi regendæ urbi dispari pactus, in suam potestatem redegisset, Senas (b) traxisset in partes suas, ac Perusinos dum pontificium imperium excussere, in suam clientelam accepisset (c). Ne itaque ab eo occulta vi opprimerentur, bellum apertum in insidiatorem gerere decreverunt (d).

(a) Aretin. hist. Flor. l.12. in princ.
(b) S. Anton. 3. par. tit. 22. c.3. §. 10.
(c) S. Anton. ibid. §. 31.
(d) Ibid. Eod. §.

XXII.

Hoc anno Raymundus Capuanus ordinis Prædicatorum magister, in religiosa disciplina instauranda ardentissimus, ad Deum feliciter migravit (e). Fuerat sanctæ Catharinæ Senensis confessarius, atque ita in excolenda pietate illi præfuerat, ut divinæ providentiæ consilio ab ea sanctitatis præceptis excultus fuerit. Refert (f) ipse in commentariis, quos de ejus vita conscripsit, plura quæ sibi contigerunt, ad ostendendam ejusdem sanctissimæ virginis gloriam; in quibus licet piam demissionem consectetur, divina tamen munera, quibus ornatus fuit in luce collocat: *Scire*, inquit, *te volo, lector dilecte, quod in principio cum audito ejus præconio cœpi familiariter cum ea conversari, multifarie multisque modis de incredulitate, Deo permittente, pro meliori, tentatus fui: quærebam enim per omnem modum & viam, quibus investigare possem, si facta ejus erant a Domino aut aliunde, si erant vera aut ficta. Occurrebat enim, quod nunc tempus est illius tertiæ bestiæ pellis leopardinæ, per quam hypocritæ designantur, & quod dicebat mens aliquas invenerim & potissime in fœminis, quæ agiliter vacillant in capite, agiliusque seducuntur ab hoste, sicut patuit in prima omnium matre, pluraque similia tunc menti meæ porrigebantur, quæ ipsam fluctuare cogebant circa istam materiam: dumque sic in bivio quodammodo positus ad neutram partem firmiter declinare, nutansque in mente anxie dirigi cuperem ab illo, qui nec falli potest nec fallere, subito menti occurrit, quod si posset mihi constare, quod precibus ejus obtinerem a Domino unam magnam & insolitam contritionem omnium peccatorum meorum ultra communem omnem consuetudinem meam, hoc esset mihi perfectum signum, quod a Spiritu Sancto procederent omnia facta ejus: nullus enim potest hanc contritionem habere nisi a Spiritu Sancto: & quamvis nemo sciat an gratia, odio vel amore sit dignus, magnum tamen signum Dei est cordialis contritio peccatorum: nec cogitationem hanc usque ad linguam seu vocem duxi, sed totaliter tacitus accessi ad eam, & petivi ab ea instanter, quod vellet pro me efficaciter Dominum deprecari, ut indulgere mihi dignaretur peccata mea. Quæ cum ex sua plenitudine charitatis læ-*

(e) Leander. lib.1.
(f) Raym. Capu. in vit. S. Cathar. Sen. par. 1. c.9.

Raym. Capuani pia mors.

Ui o S. Catharinæ Senen. ope vehementem contritionem obtinuerit.

tan-

tanter respondisset, quod libentissime faceret, replicavi ego quod hoc desiderium meum non quietaretur nisi de hac indulgentia more curiæ Romanæ bullam haberem: qua subridente ac petente qualem bullam vellem de hoc habere, respondi me loco bullæ pro signo petere unam magnam & insolitam contritionem peccatorum meorum; quæ mox annuit sese hoc indubitanter facturam, visumque est mihi tunc quod omnes cogitationes meas intellexisset, sicque abscessi ab ea hora dici, si non fallor, penultima.

In crastinum contigit me quasdam meas solitas infirmitates pati satis graviter, unde in lectum decidi astante mihi quodam devotissimo & dilectissimo Deo & mihi socio fratre ordinis mei Nicolao, qui erat Pisanus origine. Quod cum illa percepisset, quia pro tunc eramus quasi vicarii in quodam monasterio sororum ejusdem ordinis, nec multum ab habitatione nostra, quæ distabat, de lectulo in quo febribus & aliis passionibus attrita jacebat surrexit, & dixit sociæ: Vadamus ad videndum fratrem Raymundum, quia patitur; illa vero respondente quod non multum erat necesse, ac etiam si foret, ipsa plus gravabatur quam ego, ultra omnem morem consuetam festinanter socia comitante venit ad me, dicens: Quid habetis vos? Qui dum videlicet vix præ debilitate potuissem prius socio aliquid dicere, totum feci ad respondendum conatum, & dixi: Ut quid, domina, huc venistis? pejus est vobis quam mihi; ipsa vero incipiente juxta morem suum loqui de Deo & de ingratitudine nostra, qui tantum benefactorem offendimus, quasi confortatus, simul & propter honestatem coactus de lecto surrexi, non tamen memor in aliquo promissionis, quam in præcedenti vespere fecerat mihi, & posui me ad sedendum in alio lectulo ibi propinquo. Sed ipsa inceptum sermonem continuat prosequente, supervenit mentis meæ quædam insolita consideratio peccatorum meorum tam clara, quod absque velamine aliquo cernebam me ipsum in judicio justi Judicis positum, ac indubitantissime reum mortis in similitudinem eorum qui propter malefacta per judices hujus sæculi quotidie condemnantur. Videbam etiam benignitatem ejusdem Judicis & clementiam, qui propriis demeritis me deputatum morti justissimæ non solum liberabat a morte, sed suis vestibus induebat nudum, suaque in domo cubans ac confovens, ac suo servitio deputans, mortem in vitam, timorem in spem, dolorem in gaudium, ignominiam in honorem sua infinita bonitate sola gratia convertebat. His considerationibus immo, ut magis proprie loquar, clarissimis mentis visionibus rupta sunt cataracta durissimi cordis mei, & apparuerunt fontes aquarum, revelata fuerunt fundamenta culparum mearum, in tantumque fletum & rugitum prorupi, quod verecunde dico, quod verisimiliter timui, ne pectus & cor pariter finderentur. At illa prudentissima quæ ad hunc finem tantam venerat, mox ut hæc vidit, conticuit, & permisit me lacrymis satiari & singultibus: post aliquam autem moram admiranti mihi de insolita novitate, inter fletus occurrit petitio mea, quam præcedenti die feceram & promissio ejus; statimque me ad ipsam convertens dixi: Est ne bulla hæc, quam heri petivi? illa respondit: Hæc est, & mox surgens, si non fallor, tetigit humeros meos retro, dicens: Sitis memor donorum Dei, statimque abscessit: & ego cum socia remansi ædificatus similiter & lætificatus. Hæc coram Deo, quia non mentior.

XXIII. Non prætermittendum etiam visum est ad illustrandam servi Dei virtutem, ipsum sanctæ Catharinæ hortatu, dum pestis Senas depascebat, ad lucrandas Christo animas sese mortis discrimini exposuisse, cumque epidemicum morbum ex ægrorum contagione contraxisset, sacro Catharinæ manus contactu in extremo morbi impetu fuisse pristinæ valetudini restitutum, quæ sine fuco non ad sui, sed ad ejusdem virginis gloriam recenset (a). *Adveniente, inquit, pestilentiali morbo in civitate prædicta, disposui pro salute animarum periculo mortis corpus exponere, & nullum vitare infirmum, constat enim quod morbus ille contagiosus est & aerem & homines inficit circumstantes: verum considerans quod multo plus potest Christus quam Galenus, & plus gratia quam natura; attendens etiam quod cæteris fugientibus animæ transeuntes absque consilio & auxilio remanebant, charitate qua tenetur plus diligere animam proximi quam proprium corpus, sacra etiam virgine ad hoc me inducente, omnino decrevi omnes quos poteram visitare, confortare, ac informare, quod juxta gratiam mihi datam, Domino auxiliante perfeci. Verum quia solus quasi eram in civitate tam grandi, vix tempus aut cibi aut somni mihi relinquebatur, quo paulisper respirare valerem, tot infirmantium meatis domum exire cogebar. Quadam autem nocte dum more solito quievissem, & pro laudibus Dei perficiendis vellem de lectulo surgere, sensi dolorem non parum in inguine, manuque palpans reperi apostematis inflaturam, ex quo non modicum territus, non sum ausus surgere; sed cœpi de hujus vitæ transitu cogitare. Optabam diem cito fieri, ut virginem sacram possem adire priusquam amplius aggravarer. Inter hæc supervenit febris & dolor capitis juxta morem illius morbi, egoque supra modum affligor, conor tamen laudes debitas perficere; advenienteque die, accito socio, domum virginis adeo sicut possum; sed frustra pro tunc, aberat enim; quia quemdam infirmum iverat visitatum. Sed ego ipsam omnino determinans expectare,*

(a) *Id. ib. p. 2. c. 8.* Raym. charitas in sacramentis ministrandis afflictis peste.

ctare, nec valeas me ipsum quomodolibet sustinere, coactae sum in quodam ibi posito lectulo reclinare, rogans existentes in domo, quod pro ipsa mittere non tardarent : quod & factum est. Ipsa igitur veniente, meque ita gravatam inveniente, audito quod patiebar, mox coram lectulo fixit genua, manuque sua frontem meam cooperiens cœpit modo consueto sibi orare mentaliter; orando autem a sensibus vidi raptam, juxta quod olim sæpius videram, & expectabam aliquod singulare videre pro bono animæ & corporis mei. Igitur dum sic stetisset quasi per dimidiam horam vel circiter, sensi totaliter corpus meum commoveri per omnes partes, putavique quod vomitus me tunc invaderet, sicut plures qui eodem morbo extracti fuerant viderem invasisse : sed sic non accidit, immo visum est mihi quod de qualibet extremitate corporis ad extra aliquid traheretur quodammodo violenter, cœpique me melius sentire, ac paulatim semper me melius habere. Quid plura? Priusquam sacra virgo ad sensus rediret corporeos ex toto fui curatus, debilitate tamen aliqua remanente vel in signum morbi curati, vel propter debilitatem fidei meæ. Virgo autem Domini postquam obtinuerat a sponso perfectam gratiam, sciens me fore curatam, ad sensus corporeos est reversa, mandavit cibum, infirmis dari solitam, pro me parari : quo facto, & sumpto de sacris manibus ejus, jussit ut paulisper quiescerem : quod & ei obediens feci. Surgens autem adeo fortis fui, ac si nihil passus fuissem. Quod ipsa cernens inquit : Vadatis ad laborandum pro salute animarum, gratiasque referatis Altissimo, qui vos de præsenti periculo liberavit ; sicque accessi ad mera consueta, magnificans Dominum, qui talem potestatem dedit huic homini virginali.

Invisitur a D. Catharina.

Repente valetudini ob ea restituitur.

XXIV. Dorotheæ obitus.

Hoc anno in Prussia B. Dorothea miraculis & sanctitate illustris ad cælestem gloriam evolavit, cui extrema suspiria trahenti, cum deesset sacerdos, Christus ipse Eucharistiam porrexit cujus vitæ admiranda acta auctoritate Bernardi Maciejowskii Cardinalis & archiepiscopi Gnesnensis Cracoviæ excusa fuerunt, ex quibus hæc pauca delibamus : *Antequam ex hac vita migraret, insigni privilegio a Domino, cui toto corde servierat, exornata est : nam cum morti proxima sacram corpus dominicum suscipere ardentissime desideraret, nimisque animadverterent ii, quibus eam tali viatico muniendi cura incumbebat, profunda suspiria ex intimo cordis affectu trahenti ipsemet Salvator noster Jesus Christus cum sanctissima sua Matre apparuit, eamque per eamdem fenestram, per quam ipsum toties in missæ sacrificio sub speciebus panis & vini latentem adoraverat, ipsemet proprio corpore sub speciebus panis refecit : quo illa percepto non multo post ad eundem sponsum feliciter migravit die secunda mensis septembris. Post mortem labia ejus liquore mirabili & odorifero sudare visa : corpus vero licet macilentum, squallidum, & lividum, suavissimum ex se diffundebat odorem, cujus attactu & odore plurimi debiles & claudi fuere sanati, atque cæci visum receperunt. Sepulta est magno cum honore in eodem loco, in quo mortua est : ad ejus sepulchrum multi obsessi a dæmonibus liberati, plurimaque miracula alia ad ejusdem invocationem patrata. Quibus permoti generales magistri Prussiæ cum episcopis & capitulis circumvicinis nomine totius ordinis Cruciferorum a Bonifacio Papa IX. postularunt, ut eam catalogo sanctarum mulierum adscriberet.*

Christus Eucharistiam præbet.

Ejus corpus suavissimum odorem dedit.

Hoc circiter anno, ut colligitur ex Thoma a Kempis, Liduvina sive Lidia virguncula, instar S. Job acerbissimis doloribus, febribus, ulceribus, vulneribus a Deo exercita, cum miseram sortem, effusis dolori habenis, intemperanter deploraret, a pio sacerdote correpta, edoctaque multa commentatione atque meditatione dominicæ passionis ad sanctitatis pervenit apicem, de qua hæc tradit idem author (a) : *Transactis tribus aut quatuor circiter annis ab exordio infirmitatum ejus virgo Lidewigis, divinæ adhuc disciplinæ impatiens, & nec dum Deo sponte subjecta, a qua tamen nihil fit in terra sine causa, cum videret consodales suas se visitantes sanas, lætas & semetipsam graviter languere, optavit cum cæteris magis corporis salutem, quam animæ beatitudinem per patientiæ virtutem : & quia nec dum spiritualia sapiebat, & quod Deo magis acceptum erat ignorabat, idcirco nonnunquam murmurabat, & super doloribus suis multum dolebat, atque tam amarissime flebat, quod nullius consolationem admittebat. Ingressus ergo ad eam dominus Joannes Pot confessor ejus, qui bina vice in anno eam communicare solebat, nitebatur ipsam consolationibus suis inducere, ut ab hujusmodi fletibus se temperaret, & modum doloribus suis imponeret ; unde suasit ei benevola exhortatione ut divinæ voluntati se crederet & conformaret, atque in dominica passione meditanda se exercitaret, spondens quod ea mediante & juvante faciliter consolationem bonam susciperet. Quærens igitur modum hujus sanctæ exercitationis, & accepto a sacerdote modo salutiferæ meditationis, cum se in eadem secundum traditam sibi formulam exercere vellet, nec statim ex ea mel de petra fluere sentiret, neque farinam propheticam ibi inesse gustaret, quasi amarum absinthium fastidio irruente, quod in corde acceperat, & nondum radicitus fixerat, cito abjecit.*

Sed dum idem sacerdos amplius instaret, & fortius hortaretur, ut violentiam sibi inferret, & in inceptis perseveraret, at-

B. Liduvina exemplum patientiæ.

(a) Thomae a Kemp. in vit. S. Liduvin. par. 2. c. 1.

Ex Christi passionis meditatione assidua ad sanctitatem promota.

atque fastidium pie commune vinceret, illa optimis consiliis instructa sacerdotis sui monitis facile consensit, tandemque per violentiam inducta bona consuetudo de Deo meditanti tantam ei suavitatem successu temporis aspirante superna gratia generavit, quod perfecte se abnegando libere dicebat, quin si posset per unam salutationem angelicam plenam corporis salutem recuperare, non tamen hoc faceret, nec optaret. Vere hæc fuit mutatio dexteræ excelsi, qui manum suam misit inopi, & diu languentem consolatus est per noctes in lectulo doloris sui: siquidem attractu & allectu Dominicæ passionis suavitate occulta historiam ejusdem sacratissimæ passionis in septem partes secundum numerum septem horarum canonicarum divisam, die noctuque statutis temporibus percogitanda ruminabat, & absconditum manna in ea reperiens, tanta suavitatis gaudio replebatur, ut jam non ipsa, sed Christus, cujus passionem recogitabat sustinere videretur, quæ hactenus ipsa in corpore pati videbatur. Poterat tunc plane per experientiam a Spiritu datam cum Esaia dicere: Vere tu es Deus absconditus; & iterum exclamare: Anima mea desideravit te in nocte: sed in spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.

Cœlestes inde libat delitias.

XXV. Hoc anno Laurentius Justinianus, cum antea in ipsis primis puerilibus annis multa pietatis signa dedisset, ob quæ aliquando increpanti illum Quirinæ matri magnum se Dei servum evasurum prædixerat, cœlesti viso confirmatus ad sanctimoniæ studium, mortalibus rebus valere jussis, se contulit, ut narrat Bernardus Justinianus (a) ejus nepos; *Annum*, inquit, *erat natus undevigesimum, ejus scilicet ætatis, in qua carnis illecebræ ancipitem facere solent humanæ vitæ viam. Dominus autem Jesus manum illi adhibere volens, apparuit illi, sicut ipse in eo libello, qui fasciculus amoris inscribitur meminit. Ipsius verba subjiciemus: Erum vestri similis quærens æstuanti desiderio pacem in rebus extrinsecis, nec inveniebam. Tandem quandam virgo sole splendidior mihi apparuit, cujus nomen ignorabam. Hæc propius accedens venusto vultu placidoque affatur: O juvenis, ait, dilecte cur effundis cor tuum, & pacem sectando per multa variaris? quod quæris, penes me est, quod concupisti, tibi polliceor, si tamen in sponsam me habere volueris. Cum vero nomen ejus & genus & dignitatem scire peroptarem, se ait Sapientiam Dei esse, quæ propter hominum reformationem humanam formam suscepit. Assensi igitur, & data pace oscula læta discessit. Hac igitur visione perculsus, rem detulit ad Marinum Quirinæ matris consobrinum, qui fuit tam vita quam doctrina sanctissimus.*

Cœlesti visu humana repudiat B. Laur. Justinianus.

(a) Bernar. Justinian. in ejus vit. cap. 1.

XXVI. Addit author illum juvenis animum & corporis firmitatem experiri voluisse; cumque mater ac fratres uxorem ei adjungere vellent, ad se perfugientem in religionem canonicorum collegiatorum S. Georgii in Alga admisisso, in qua mox virtutum omnium genere se excoluit, ac divinis visis sæpius collustratus (b) est, & aliquando dum nocte dominicæ nativitatis rem divinam celebrabat, in ecstasim abreptus fuerit ac diacono illum casula trahenti ad sensus reversus dixerit: *Prosequor frater, sed quid de infantulo isto tam pulchro faciemus? quomodo solum & nudum in tanto frigore relinquemus?* prophetiæ etiam dono claruit (c) atque ob insignium virtutum ornamenta anno ætatis (d) quinquagesimo ab Eugenio IV. pontificatus anno tertio primum episcopus, deinde patriarcha Venetiarum a Nicolao V. creatus est, in quo gerendo munere virtutum & miraculorum gloria effulsit (e); sed de eo inferius.

Religiosam vitam amplectitur.

(b) Cap. 3.

Christus inter divina se illi objicit.

(c) Cap. 4.

(d) Cap. 5.

(e) Cap. 8. &c.

XXVII. Hoc eodem anno, ut scribit Mathias Michovias (f), in paludibus Posnaniensibus abjecta est sacra Eucharistia: quo in loco cum divina vis maxima miracula edidisset, Wladislaus Poloniæ Rex magnificum templum excitavit: meminitque Martinus Cromerus (g) Eucharistiam ipsam in luto jacentem ex miraculis quibusdam insignibus repertam, sed ea silentio præterit, narrat vero ex vetustis monumentis Thomas Treterus (h), quem pius lector consulat, nimirum Judæos rabie in Christum efferatos Christianam famulam subornasse, ut sacram victimam iis venderet, quam in subterraneo loco confodere cultris, simul effusis plurimis blasphemis vocibus. At divina vis eorum vultus sanguineo colore e vulnere manante aspersit, qui elui non potuit, multisque aliis prodigiis territi Eucharistiam in aliquot particulas divisam in prato Posnaniensi infodere, ne aliquod divini prodigii vestigium extaret: sed dum puer Christianus armentum pascebat, illam vidit volitare in aere, ac boves supplici genu ad eam adorandam mox procumbere; cumque aliquot vicibus id inspexisset, patrem de cœlesti prodigio fecit certiorem, isque postea ejusdem miraculi testis oculatus factus rem ad magistratus Posnanienses retulit a quibus cum inclusus fuisset carcere quasi fallacibus nuntiis publicam pacem stulte turbaret, divina vi solutus vinculis & carcere patefacto eosdem adiit, monuitque ut sui muneris fungerentur: re delata ad episcopum, instructa solemni supplicatione, conquisita sacra hostia reperta est patratis nonnullis miraculis, sacellumque in eo loco conditum fuit ab episcopo, famula proditrix Christi capta, comprehensi pariter Judæi, ac lento igne concremati una cum canibus, a quibus ignis vi efferatis laniabantur

(f) Michov. l. 4. c. 49.

(g) Cromer. l. 6. & Damalev. in archiepisc. Gnez.

(h) Treter. de mirac. Euchar.

Eucharistia confossa a Judæis, Sanguinem fundit.

Sepelitur in paludibus Posnaniensibus.

A bobus adoratur.

Sumptum de reis supplicium.

tur: at famula admissum crimen planxit, Judæi vero in scelere partinacissimi obduruerunt. Inde plura cœlestia prodigia edidit pietas divina, quibus permotus Wladislaus Rex Poloniæ magnificentius templum condidit, ac sanctissimi Corporis Christi nomine consecrandum curavit; necnon qui ad eum locum religionis ergo confluxere divinis beneficiis supra naturæ vires donati fuerunt: quorum insignem catalogum ex monumentis pervetustis votivis tabulis illius ecclesiæ exscripsit prædicatus Thomas Treterus ad novatores confundendos; testaturque Stephanus (a) Damalevicius cruentum stigma in sacra Eucharistia ibi asservata suis oculis inspexisse: *Agitur*, inquit, *quotannis memoria solemnis a prædictis religiosis*, scilicet Carmelitis, *translata ad ecclesiam mensa in qua sacra confossæ fuerunt hostiæ. Cicatricem punctionis cruentam in una ex eis fidelibus usurpavi oculis anno Domini MDCXXVIII.*

Editæ in eo loco cœlestes virtutes.

Adhuc visitur cruentum hostiæ stigma.

(a) *Damalevic. de archiep. Gueznen. in Dobogrosl.*

Sæcula-

I. Gallorum pii concursus in urbem.

(a) Theod. a Niem. l.2. c. 28.

SÆculari anno millesimo quadringentesimo indictione octava, *Galli*, inquit Theodoricus a Niem (*a*), quæ præsens vidit monumentis suis consignans, *asserentes hunc annum jubileum secundum antiquam institutionem ecclesiæ Romanæ ad urbem catervatim utriusque hominis sexus causa devotionis in maxima multitudine pene per totum illum annum advenerunt, quorum multi erant nobiles & egregiæ personæ ac longa offertoria ad urbis ecclesias attulerunt.* Cur vero Galli hoc anno Romæ limina Apostolorum perlustrarint, indicat Gobelinus (*b*), dum ait: *Primo pontificatus ipsius*, nempe Bonifacii, *anno cum juxta ordinationem domini Urbani Papæ VI. & approbationem istius domini Bonifacii plurimi pro indulgentiis anni jubilei consequendis de universis mundi partibus obedientiam ipsi domino Urbano præstantes ad urbem Romanam confluerent, illi qui de regno Franciæ erant & alii obedientiam ejus repudiantes illo anno pro hujusmodi indulgentiis Romam non venerint, sed juxta priorem ordinationem Clementis VI. anno Domini MCCCC. in maxima multitudine pro hujusmodi indulgentiis consequendis Romam venientes, limina sanctorum visitabant.* Confudit (*c*) eam transalpinorum pietatem effrenis grassatorum licentia, qui Romano in agro peregrinos auro & vita etiam spoliarunt: infestaque itinera a Joanne & Nicolao Columnensibus fratribus, queritur Bonifacius (*d*) in lata adversus eos sententia. Graviora etiam incommoda passi sunt peregrini ob pestem quæ Italiam vastabat, adeo ut Florentiæ sexcentos & etiam octingentos singulis diebus absumpsisse, tradat Boninsegnius (*e*).

(b) Gobelin. in Cosmodrom. æt. 6. c.86.

Nolebant in decretis Urbani, sed Clementis insistere.

(c) Theod. a Niem. l.2. c.28.

(d) Bonif. l.6. p. 68.

Pestis Italiam vastat.

(e) Boninsegn. l.4.

II.

Verterat tum universa arma in Honoratum Gajetanum olim Fundorum comitem Bonifacius, ut meritas pœnas de eo tot scelerum reo exigeret: quem, revocatis in Ecclesiæ ditionem pluribus oppidis, eo compulit, ut se pontificiis imperiis obsequentem fore polliceretur, concordiæque interpretem Regem Siciliæ Ladislaum adhiberet; erga quem Pontifex, qui nunquam hosti redire ad officium præferenti veniam negabat, clementia uti meditatus, Ladislao Regi potestatem fecit (*f*), ut cum illo ad Ecclesiam traducendo pacisceretur, modo ecclesiasticæ ditionis oppida & agros ac jura occupata restitueret.

Fundorum comes veniam poscit a Pontifice.

(f) Lib. 5. p.343.

Charissimo in Christo filio Ladislao Regi Siciliæ illustri salutem, &c.

Cum tua serenitas ob traditas a Largitore gratiarum virtutum dotes, ex quibus laudabilium fructus operum multifariam producantur, spem nobis tribuat, ut ea, quæ sinceritati tuæ committenda duxerimus, agantur sincere, ac felicia suscipiant incrementa, & paterna dilectione jugiter perquirentes reductionem quorumlibet, qui a gremio sanctæ matris Ecclesiæ sponsæ nostræ cunctorumque Christifidelium matris & dominæ, ac ab obedientia nostra & felicis recordationis Urbani Papæ VI. prædecessoris nostri se præcipitabiliter subtraxerunt, eidem serenitati tuæ iniquitatis filium Honoratum Gajetanum olim Fundorum comitem ad fidelitatem, obedientiam, & devotionem nostram & ipsius Ecclesiæ pure & simpliciter ac cum effectu redire volentem nostro & ejusdem Ecclesiæ nomine recipiendi & admittendi, ac cum eodem Honorato, si se reduxerit, ad gratiam, fidelitatem, obedientiam, & devotionem hujusmodi, ac plene & cum effectu restituerit, aut restitui fecerit, omni exceptione remota, nobis aut aliis per nos cum nostris deputando literis apostolicis civitates, terras, castra, & loca, ac jura & jurisdictiones, quæcumque quæ detinet quomodolibet ad nos & eandem Ecclesiam spectantia cum fortalitiis, juribus, ac pertinentiis universis eorundem, quæcumque pacta, promissiones, & conventiones congruentia & honesta honorique nostro & sedi Apostolicæ consona, prout tibi videbitur præfato nomine faciendi ac promittendi, quibuscumque processibus & sententiis tam per dictum Urbanum quam nos contra ipsum Honoratum factis & solemniter publicatis, quam aliis contrariis quibuscumque, auctoritate apostolica tenore præsentium plenam concedimus potestatem: nos enim hujusmodi pacta, promissiones, & conventiones ac omnia & singula, quæ in præmissis & circa ea per te, honestati honorique tamen nostro & præfatæ sedis conformia, ac restitutione ut supra præmittitur adimpleta, facta, pacta, conventa, & promissa fuerint, rata & grata quantum cum Deo poterimus, habebimus, ac faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Dat. Romæ apud S. Petrum Kal. aprilis pontificatus nostri anno 11. At qui tandiu divinam misericordiam spreverat Honoratus comes, apostolica benignitate non usus, labente mense infeliciter periit in schismate ex dolore adversarum rerum, cum Ladislaus parta Neapoli in eum irruisset, dignaque schismatis conflati præmia tulit: quamobrem damnatur illius memoria cum in pontificiis literis ad Richardum (*g*) Rosam Terracinensem ejus factione irretitum datis, tum in edicto (*h*) proposito adversus Columnenses, qui jam ante conjurationem cum Honorato ipso fecerant adversus Pontificem; de quo aliisque facinoribus memorat Bonifacius, cum ii ineunte hoc anno, pristinis inhærentes consiliis invadendæ rei Romanæ, irrupissent

Ladislaus Rex concordiæ interpres adhibitus.

Repetitæ a Fundorum comite terræ ditionis ecclesiasticæ.

In schismate periit.

(g) Lib.6. p.16.

(h) Ib. p. 68.

Colomnensium in Pontificem conjuratio.

(a) Lib. 5. p. 358.

sent noctu in urbem, impressionemque in Capitolium fecissent, unde propulsati demum fuere præcipua virtute Zachariæ Trivisani patritii Veneti, ut Bonifacius testatur (a), qui etiam præmio, ejus fortitudinem ornandam decrevit.

Dilecto filio nobili Viro Zacharia Trivisano militi Veneto Castellanæ diœcesis salutem, &c.

Noctu in urbem irrumpunt cum copiis.

Propulsati Capitolio.

Probata in arduis nostris & Romanæ ecclesiæ negotiis tuæ devotionis sinceritas, quam ad nos & præfatam geris ecclesiam gratissimaque in tanto rerum turbine ad defensam status nostri & præfatæ ecclesiæ, dum almam in urbem per nocturna silentia copioso numero hostes nefarii irrupissent, ac Capitolium usque ad solis ortum machinamentis hostilibus obsedissent, per te nobis & eidem ecclesiæ impensa servitia; & quæ impendere non desistis, speque firma tenemus; te successivis temporibus peramplius impensurum, non immerito promeretur, ut erga personam tuam nostræ liberalitatis dexteram extendamus. Ut igitur in effectu percipias quod suggerit nostræ mentis affectus tibi quingentos florenos auri de camera per te singulis annis usque ad nostrum beneplacitum a dicto filio nobili viro Nicolao marchione Estensi in nostra civitate Ferrariensi pro nobis, & Romanâ ecclesia in temporalibus generali vicario & quocumque alio in dicta civitate vicario pro tempore existente, ex censu nobis & eidem ecclesiæ ab eodem vicario debito, & debendo levandos & recipiendos auctoritate apostolica tenore præsentium liberaliter donamus, deputamus, & etiam assignamus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. februarii pontificatus nostri anno undecimo.

(b) Theod. e Niem l. 2. c. 27.

Solicitati frustra ad defectionem Romani.

Meminit de nocturna ea Impressione Theodoricus e Niem (b) his verbis: *Anno undecimo pontificatus ejusdem Bonifacii supradictus dominus Nicolaus de Columna cum aliquibus civibus Romanis conspiravit contra Bonifacium, conatus violenter auferre dominium temporale ab eo urbis prædictæ; unde quadam vice noctis sub silentio mense januario clanculo cum multis armigeris, equitibus & peditibus portam Populi urbis intravit; ad plateam Capitolii penetrarunt, & ad portas domorum plurium civium Romanorum tum forte dormientium, quos crediderant eis in hac parte velle adhærere, ipsosque juvare pulsarunt; sed illis non respondentibus timuerunt, credentes quod hæc Bonifacius rescisset: sicque ipsi catervatim, eorum negotio imperfecto remanente, ab urbe fuga lapsis & aliquibus eorum peditum in quibusdam viciis intus & extra urbem sensque ad crepusculum matutinum occultantibus illi infelices usque ad numerum XXXI. per Romanos capti, nec mora morti addicti.* Deinde nititur auctor in invidiam adducere Bonifacium, qui tuendi ecclesiastici dominatus causa af-

Affecti supplicio aliqui conjurati.

fici hos extremo supplicio sit passus: ex quo satis ejus acerbus & iniquus in Pontifices animus perspicitur; quid enim æquius quam in flagranti proditionis scelere deprehensos legum severitati subiici, neque abire impune, qui ad humana & sacra evertenda noctu in urbem irruperant? Eodem vero justitiæ studio adductus Dei vicarius hanc in Nicolaum ac Joannem Columnenses sententiam tulit (c).

Theodor. e Niem. ineptiæ.

(c) Lib. 6. ep. curr. p. 68.

III. Lata a Bonif. sententia in Columnenses.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regnans in excelsis triumphans Ecclesia, cui pater est Pastor æternus, cui sanctorum ministrant agmina & laudum gloriam angelorum chori decantant, in terris sibi vicarium constituit, Ecclesiam militantem unigeniti filii Dei vivi domino nostro Jesu Christo ineffabili commercio copulatam; Ad cujus quidem Ecclesiæ regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputare ministrum, qui inter cætera, ex commissi cælitus sibi cura regiminis apostolici culminis, dum justorum & delinquentium merita digna censura judicii pertractantur, justis per retributionis semitam ad gloriæ titulum, ab errorum quoque tenebris revocatis, sua sinum misericordiæ cum humilitate & contritione petentibus, perveniam ad gratiam; delinquentibus vero qui in sentinam malorum omnium descendentes, contemptis salutaribus monitis ac præceptis, viam perfidiæ & obstinatæ pertinaciæ damnabiliter sunt secuti & justitiæ regulam abdicarunt, nisi convertantur & vivant, per pœnam ad damnationem perpetuam respondeant. Nos itaque superna disponente clementia constituti in suprema præfatæ militantis Ecclesiæ statione, cui divinæ sapientiæ inscrutabilis altitudo consilii dispositione incommutabili præcipuum super terræ latitudinem contulit magistratum, jampridem in nostræ considerationis speculam extollentes, quod licet olim felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster infructuosos palmites pestiferos & nocivos, quos tunc quasi ficus fatua domus de Columna de Preneste nuncupata produxerat, curavisset quantum fuit in eo succidere; tamen nuper quod non sine gravi cordis amaritudine recensemus, nec ferme revoluto centesimo, infra quem centesimum, ut prædecessorum iniquitatis alumnorum Joannis & Nicolai de Columna de Preneste nuncupatorum, contra felicis recordationis prædecessores nostros Romanos Pontifices ac Romanam ecclesiam, nec non almam urbem enormia & detestanda per eos patrata scelera, taciturnitate silentii, mundo tamen notoria, transeamus, nostris tamen ac modernis temporibus præfati Joannes & Nicolaus nonnunquam conspirationibus guerrarum, plerumque turbinibus etiam usque ad hostilem ingressum jam effluxit quinquennium in ipsam urbem in nostrum, ac sedis Apostolicæ contemptum

ac

Quinquennale bellum jam gesserant cum Bonifacio.

ac perturbationem tranquillitatis pacificæ dictæ urbis, damnabiliter factum perversis conatibus affligere tam ipsam ecclesiam, quam dilectos filios Romanum populum & subditos eorundem, ac cum perditionis alumno Petro e Luna olim S. Mariæ in Cosmedin diacono Cardinali & nunc antipapa, qui se ausu sacrilego Benedictum tredecimum nominare præsumpsit, prout etiam

Romam Petro e Luna subjicere meditati.

præsumit ad præsens, ac cum quondam viro iniquissimo damnatæ memoriæ Honorato Gajetano olim Fundorum comite & nonnullis aliis schismaticis contra præfatam Romanam ecclesiam tractatus & conspirationes damnabiliter ordinare ac firmare & quantum in eis fuit, adimplere minime destiterint, domus ipsa demum pullulavit.

IV. *Nam sicut est, proh dolor! manifestum, præfatus iniquitatis alumnus Nicolaus de Columna, qui de Preneste vulgariter appellatur, cum favore ac opere Joannis de Columna, germani sui prædicti associatis sibi quibusdam aliis Romanis civibus suis in hac parte complicibus his ferme diebus, cum de ipsis tanquam de filiis, quos sinceræ charitatis brachiis complectebamur, amplis clarisque prosequebamur honoribus, plenam fiduciam haberemus usque adeo, ut dum de diversis partibus atque fidelibus ante novitatem execrabilem per ipsos in præfata urbe contra nos, Romanam ecclesiam,*

Tentata urbis proditio.

ac Romanum populum supradictos de præsenti anno & mense januarii proxime præteriti iniquissime attentatam, nobis fuisset veridice nunciatum hujusmodi novitatem & subversionem status pacifici nostri & Ecclesiæ atque urbis prædictorum proculdubio emersuram, id minime verebamur, cum vigore fœderum inter venerabilem fratrem Conradum archiepiscopum Nicosiensem camerarium nostrum, nostro & ecclesiæ præfatæ nomine ex una, & dilectum filium Angelum quondam Joannis de Urbeveteri scribam, secretarium, ac procuratorem dicti Nicolai ejusdem Nicolai & dicti Joannis ejus germani nomine agentes & de rato promittentis ad hæc specialiter constitutum ex altera partibus in an. nativitatis Dominicæ MCCCXCVII. Indictionis quinta die decima septima mensis junii prædicti anni, pontificatus vero nostri anno octavo Romæ celebratorum, inter cætera pacta & capitula in dictis contenta fœderibus per dictum eorum procuratorem solemniter & in substantia promisissent dicto camerario dicto nomine recipienti, quod ipsi Joannes & Nicolaus essent obedientes, fideles, & devoti nobis & præfatæ ecclesiæ, & quod ipsi aut eorum gentes & vassalli non offenderent neque offendi permitterent, aut offendentibus darent auxilium, consilium, vel favorem aut receptaculum seu subsidium contra Romanam ecclesiam, nos aut dilectos filios nobiles viros germanos nostros, & terras ecclesiæ seu cortisanos & alios venientes ad dictam urbem seu ad loca ubi cum curia nostra residentiam faceremus, ac etiam si ipsi vel eorum alter sciret aliquod damnum sive præjudicium contra nos & statum nostrum & præfatæ ecclesiæ quomodolibet attentari, id pura fide ac celeriter nobis reserare curarent, nec non quod durante triennio etiam nondum elapso a dicta die computando, ipsi Joannes, & Nicolaus aut eorum alter non facerent ligam aut confœderationem cum aliquo domino spirituali vel temporali, universitate vel loco, seu aliud pactum quod esset seu esse posset contra statum nostrum & ecclesiæ prælibatæ, & insuper præmissis & nonnullis aliis firmatis & conventis inter camerarium & procuratorem prædictos dictis nominibus, & sigillorum Nicolai & Joannis prædictorum munimentis roboratis nomine inviolabiliter observandis & fideliter adimplendis, idem procurator quo supra nomine præstitisset in forma debita juramentum, & propterea & per dictum Nicolaum, dum præsenti anno in albis vestibus cum nonnullis aliis ad nostram venisset præsentiam, ut de veris filiis in Domino gerentes fiduciam pleniorem ad præfatum Nicolaum primo venerabilem fratrem nostrum Bartholomæum episcopum Piligmatasmensem administratorem ecclesiæ Prænestinæ, ac honoris, & status præfati Nicolai ex suorum paterno zelo ferventissimum promotorem, & deinde cum

Albatorum religio suscepta a Nicolao Column. ad tegendam proditionem.

cumularentur de novitate certissima multiplices revelationes, una cum dicto episcopo, dilectos filios nobiles viros Alysium Carazolum militem Neapolitanum, Baffalum de Cancellariis, & Paulum Stati domicellos Romanos parte nostra explicaturos eidem Nicolao; nobis tamen minime credita, quæ de diversis partibus senseramus, & de intentione sua, quam cunctis respectibus putabamus sincerissimam & fidelem, mentem nostram paternis affectibus ad statum & honorem suum dispositam, certissime certiorarent, qui redeuntes ab eo, nobis compluries retulerunt ex assertione ejusdem præfatum Nicolaum ferventi devotione dispositum usque ad extremum vitæ suæ spatium nullis parcendo periculis, laboribus, vel dispendiis suis aut suorum, in nostra, ecclesiæ, ac Romani populi prædictorum fidelitate, obedientia, & devotione persistere, ac pro statu nostro & ejusdem ecclesiæ exponere indesinentibus studiis ac totis viribus se & sua; tandem idem Nicolaus viperinæ fraudis communitus, dictique pestiferi Romani cives ejus in hac parte complices, fidem eorum in sceleratissimam vertentes perfidiam, nocturno tempore cum non parva equitum & peditum comitiva tanquam factiosi & perturbatores status boni pacifici, & tranquilli præfatæ urbis & partium vicinarum urbis, ipsam urbem, in qua tunc cum nostra curia residebamus, prout etiam residemus, intrarunt, & arcem Capitolii

Patefactæ Bonifac. insidiæ.

Obsessum noctu Capitolium.

pitolii ac locum fratrum Minorum de Aracœli temerariis atque sacrilegis ausibus obsederunt, nostrum & dictæ urbis statum subvertere, aliaque detestanda etiam in personam nostram perpetrare, quæ propter honestatem summi apostolatus duximus involvenda silentio perversis & nefandis conatibus molirentur. Sed illo, a quo bona cuncta proveniunt, faciente præfati sacrilegi conspicientes eorum esse temeraria molimina manifesta, cum ingenti eorum confusione, nemine persequente fugerunt nonnullis ex eis, qui tam celeriter fugæ remedio se committere nequierunt, captivatis & prout illorum præsumptuosa temeritas meruerat, ultimo supplicio condemnatis.

Nemine persequente Colomnenses fugam cepere.

Hoc autem reticere non possumus nec debemus quod dictus Joannes, dum ad nostra & præfatæ ecclesiæ stipendia militaret, quondam Simonem Coccholi de Perusio, virum utique nobis & dictæ ecclesiæ fidelissimum, cum ad nostram præsentiam per nos vocatus una cum dilecto filio Jasone ejus nato venisset, ac deinde Perusium se transferret, dilectum filium Nicolaum de Imola familiarem nostrum proditorie captivavit, ipsosque tam diu detinuit carceribus mancipatos, donec idem Simon & Nicolaus se pro non exigua quantitate pecuniæ redemerint, & deinde præfatum episcopum administratorem dictæ ecclesiæ Prænestinæ, ut eundem Nicolaum ab erroribus revocaret paterna confidentia ad ipsum accedentem, in contemptum pontificalis dignitatis, damnabiliter captivavit, & adhuc detinet captivatum. Nos autem paternæ sollicitudinis gravitate erga filios oberrantes, pastoris officium diligenter exequi cupientes, ac pro illis consilium capientes, diu expectavimus, ut ipsi ab hujusmodi resipiscentes erroribus, & saniori usi consilio, ad nostram, & dictæ ecclesiæ eorum matris & dominæ reverti obedientiam niterentur: ipsi vero descendentes in profundum malorum, nolentes intelligere, ut bene agerent, sed mala malis, divino timore postposito, cumulantes ex tunc non destiterunt contra nos, & ecclesiam, ac Romanum populum prædictos & provinciales patrimonii beati Petri in Tuscia, Sabinæ districtus Spoletani, & alios nostros, & prefatæ ecclesiæ subditos cavalcatas facere, prædas abducere, stratas publicas perturbare, peregrinos, & alios utriusque sexus de diversis mundi partibus ad urbem ipsam causa devotionis, & alias ad Romanam curiam accedentes spoliare, verberibus cædere, diversis tormentis afficere, & alias male tractare, & quamplures ex eis immaniter trucidare, præsumpserunt hactenus, & adhuc præsumere non verentur, in Dei omnipotentis injuriam, nostrum & præfatæ sedis contemptum, ecclesiarum, monasteriorum, & piorum locorum, ac personarum ecclesiasticarum enorme dispendium & præjudicium,

Episcopis Prænestinus ab eo in custodiam traditus.

Hostiles excursiones in terras ecclesiæ factæ.

& Christifidelium scandalum singulare.

Nos igitur attendentes, quod præmissa cedebant in detestabilem exempli perniciem, ut est notorium incurrendo eo ipso in pœnas & sententias per processus apostolicos tam felicis recordationis Joannis XXII. & Clementis VI. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum contra perturbantes, occupantes, invadentes, aut aliter molestantes almam urbem ejusque districtum, provincias nostras, & ecclesiæ præfatæ, videlicet Patrimonii B. Petri in Tuscia, Campaniæ, Maritimæ, ducatus Spoletani, Marchiæ Anconitanæ, & alias civitates, terras, & loca dictæ ecclesiæ, & alias a jure, vel homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas, & non valentes absque gravi offensa superni arbitrii, cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, talia conniventibus oculis pertransire, tam detestabilem ac Deo pariter & mundo execrabilem actionem decrevimus nisi forsan, quod magis appetebamus, prout appetimus, ad cor reversi suos errores corrigant puniendam, & quamvis præmissa omnia & singula adeo fuissent notoria, quod nulla potuissent tergiversatione celari, nosque absque alia informatione, juste potuissemus animadvertere in Nicolaum & Joannem prædictos; attamen, ad cautelam & majorem præmissorum certitudinem dilectis filiis nostris Angelo tit. S. Laurentii in Damaso, Cosmato tit. S. Crucis in Jerusalem presbyteris, & Landulpho S. Nicolai in carcere Tulliano diacono S. Romanæ ecclesiæ Cardinalibus committimus oracula vivæ vocis, ut se de præmissis omnibus informarent, & ea, quæ per hujusmodi informationem reperirent, nobis in consistorio referre curarent; ipsi Cardinales, informatione hujusmodi per eos recepta, nobis in consistorio retulerunt se repertisse, omnia & singula præmissa fuisse & esse vera, manifesta, & etiam notoria.

Servatus ordo judiciarius.

Nos igitur attendentes, quod error, cui non resistitur, approbari videtur, & latum pandit delinquentibus sinum, qui eorum perversis conatibus non resistit; & nequeuntes absque gravi offensa Christi, & remorsu conscientiæ, tot & tantos detestabiles excessus & horrendos amplius tolerare, adversus præfatos iniquitatis filios Nicolaum & Joannem de Columna de Præneste nuncupatos, de fratrum nostrorum consilio in virtute Altissimi decrevimus insurgendum, & contra ipsos & eorum utrumque super præmissis sceleribus procedendum, ipsosque Nicolaum & Joannem præsente fidelium multitudine copiosa hujusmodi citandi modum ex certis causis elegimus, per alias nostras literas; citavimus, ut quartadecima die præsentis mensis maii tunc proxime secuturi, si ea die consistorium publicum & generale per nos teneri contigerit, comparerent personaliter coram nobis, ubicumque tunc

Dicta illis dies.

esse-

essemus, visuri, & audituri decerni per nos declarari fuisse & esse excommunicatos, perjuros, schismaticos, apostatas, & blasphemos, & contra nos, ecclesiam ac Romanum populum prædictum conspiratores & tanquam hæreticos puniendos, & reos criminis læsæ majestatis, & eos ac eorum utrumque propter præmissa incidisse in pœnas & sententias tam a jure quam ab homine in talia perpetrantes inflictas, & promulgatas, ipsosque Nicolaum & Joannem, eorumque descendentes, & posteros fuisse & esse privatos & depositos, ac per nos fore & esse privandos, & deponendos quibuscumque dignitatibus, & honoribus, nec non omnibus feudis & bonis, quæ a dicta Romana & quibuslibet aliis ecclesiis, aut Romano imperio, seu Regibus, ducibus, marchionibus, comitibus, aut principibus, vel personis ecclesiasticis, seu aliis quomodolibet obtinebant, eorumque & utriusque eorum bona, jura, & jurisdictiones fuisse & esse confiscata, ac per nos fore & esse cameræ apostolicæ confiscanda, & propter hujusmodi crimina, excessus, & delicta per eos, ut supra præfertur, commissa & alia supradicta incidisse in pœnas & sententias in processibus supradictis, per quos omnes & singuli occupatores, invasores & turbatores provinciarum & terrarum hujusmodi, seu alicujus ipsarum, ac ipsas occupantibus invadentibus, seu perturbantibus dantes auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis sententia innodantur, ac privantur omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, ac immunitatibus realibus, & personalibus per dictam Romanam & quascumque alias ecclesias, Romanum imperium, Reges, duces, marchiones, comites, principes, & alios supradictos, aut eorum aliquem, eisdem quomodocumque concessis, & nihilominus visuri, & audituri per nos eisdem Nicolao & Joanni alias pœnas infligi, prout nobis visum foret & justitia suaderet, &c. Datum & actum Romæ apud S. Petrum 11. idus maii pontificatus nostri anno xi. Præterea indixit (a) in eosdem religiosam militiam: cujus terrore perculsi Columnenses veniæ precandæ specimen præ se tulere; ac Bonifacius, qui clementiam justitiæ semper conjungebat, concessit (b) hosti inducias, publicaque syngrapha permisit (c); ut ad crimen expiandum, in urbem accederent.

Pœnæ ipsis irrogandæ.

(a) *Lib.6. p.51.*

(b) *Ibid. p.26. 27. 33. 34. 49. 50. 55. 75. 76.*

(c) *Ib. p. 100.*

V.

Quod ad Albatos attinet, de quibus in superioribus literis memorat Bonifacius; ipsos instructo religioso agmine Romam venientes a Bonifacio humaniter & pie acceptos, dum pietatem præ se ferebant: sed piis impii, simplicibus impostores, insontibus proditores & conjurati in Pontificem sese permiscuerunt. Pervulgatum fuit Christi e cruce pendentis imaginem sudore sanguineo manasse, adeo ut Walsinghamus in (d) Anglica historia de Albatis locutus addat: *Sub hoc tempore Romæ imagines Crucifixi & B. virginis Mariæ humorem sanguineum sudaverunt;* tradit que Philippus (e) Bergomensis, eam Crucifixi imaginem, quæ præferebatur religiosis Albatorum agminibus & sudisse sudorem cruentum vulgabatur, sua ætate Lucæ cultam fuisse: At Theodoricus e Niem (f) impostorum subtili arte sanguineum sudorem expressum fuisse, ita narrat:

Conficta ab impostoribus falsa prodigia.

(d) *Walsin. in Henr. 4.*

(e) *Philip. Bergom. in chron.*

(f) *Theodor. e Niem. l.2. c. 26.*

Anno decimo ejusdem Bonifacii aliqui truffatores de Scotia partibus ad Italiam venientes, cruces lateritias subtiliter per infusum sanguinem in conspectu populi exprimentes, dictas cruces etiam olei liquore intus madefactas æstivo tempore sudare fecernat; & fingentes unum ipsorum esse Heliam prophetam & de paradiso rediisse, mundumque in brevi terræmotu perire debere, & totam pene Italiam, Romam quoque & campaniam Romanam pervagantes omnem populum mirabiliter deceperunt; ita quod etiam presbyteri & clerici ac laici utriusque sexus; & pene totus populus in Romana & vicinis regionibus, necnon etiam quidam Cardinales decepti per hujusmodi truffatores se induerunt saccis seu albis camisiis, accaon cantantes nova carmina per modum letaniæ processionabiliter iverunt per civitates & loca vicina per tredecim dies continuos antequam ad domos proprias redierunt nocturno tempore cubantes in ecclesiis & monasteriis ac eorum cœmiteriis & aliis efficiunt illa turpiter defœdando, necnon penes ipsa repertos fructus in arboribus totaliter devorando, in quibus quidem processionibus & stationibus maxime nocturno tempore multa fiebant anomala, quia senes & virgines necnon & mulieres pariter & virgenes absque prava suspicione simul de nocte in eodem loco cubabant, & mane surgentes ibant ulterius cantando tota die sicut die præcedenti fecerunt; sed demum uno comprehenso pseudopropheta in Aquapendenti, necnon ad quæstiones posito, ipse flagitium detexit pœna docente quem flamma combussit, quod cum acciperent aliqui ex ejus complicibus ne ipsi etiam in locum venirent tormentorum ab illis partibus clanculo abjerant. Hæc Theodoricus.

Pseudopropheta exustus.

VI.

Cæterum ipse infensus pietati omnes, qui religiosas peregrinationes illas obibant, velari deceptos deceptoresve proscindit: nam, ut ex S. Antonino vidimus, accensus a divino Spiritu piacularis illu fervor creditus est. Neque obstat aliquos pseudoprophetas pravis impulsos consiliis pietatem simulasse, in quos juste Pontifex animadverterit, atque immerito a Platina (g) & Sabellico (h) perstringitur Bonifacius quasi injuste sacerdotem Albatorum signiferum, qui tantam modestiam vultu ac verbis ostentabat, ut ab omni-

(g) *Plat. in Bonif. 9.*

(h) *Sabellic. enne. ad 10. lib. 9.*

Hæretici plures inter Albatos deprehensi.

omnibus sanctus haberetur, uti a patre suo qui hominem viderat, se intellexisse idem Platina ait, oppressisset: nam hypocrita a pio non facile discerni potest; & in Germania hominem plenum hypocrisi, qui alba veste sanctitatis opinionem collegerat, fœminarum pudicitiæ insidiantem, atque hæretica lue respersum flammis traditum visuri sumus.

(a) Gerson. tom. 1. contra Flagel.

Non congregandi propria auctoritate religiosi cœtus.

Et certe nulli quantumvis pio licet propria authoritate religiosos cœtus conflare, ut adversus Flagellantes egregie demonstrat Joannes Gerson (a): *Non est*, inquit, *malum quod subsistere posset, si non aliquam speciem haberet in se boni; propterea fallit hæc argumentatio: Provenitunt ex hac secta Flagellatorum multa bona, non igitur tollenda vel reprobanda. Lex Christi ut dum ordinat hominem ad Deum, sed etiam ad proximum, & ad principem seu prælatum suum. Propterea non debet qualiscumque ritus introduci per populos, qui possit causare seditionem vel partialitatem vel superstitionem; sed debent omnia regulate fieri, & ordinate de mandato & ordinatione superiorie, ut nullatenus ordo hierarchicus confundatur; quod fieret, si quilibet ad arbitrium suum posset instituere vel fovere novum ritum sine duce, sine lege stabili, sine ordine, ubi sunt juvenes & virgines, senes cum junioribus, simul in unum dives, & pauper, & illorum turba magna; de quibus ait Ecclesiastes* (b): *Stultorum infinitus est numerus.* Et infra: *Est contumax humana natura, quæ postquam destituta est ab originalis justitiæ statu, cupidius fertur in illa, quæ sunt adinventionis suæ quam quæ sunt divinæ jussionis.* Et infra. *Sub hoc velamine & prætextu pœnitentiæ fiunt innumera mala, sicut experti testantur: insurgunt hæreses, vilipenduntur proprii sacerdotes, contemnuntur confessiones & pœnitentiæ sacramentales, extorquentur dolosis modis pecuniæ, otia quæ pigros occidunt nutriuntur, silemus de furtis, de stupris, & adulteriis, de periculis, quæ sunt in falsis fratribus & fraudulentis solicitationibus ad omne faciunt atque flagitium, ita ut boniis & malis hinc inde statera justa vel æqua lance pensatis mala multo plura quam bona parturire cognoscatur hæc secta se flagellantium pridem & pluries jam damnata.*

Flagellantes pœnitentiæ specie multa mala patrarunt.

(b) Eccl. l. 11.

Jure etiam dissolutas fuisse Albatas turmas authoritate apostolica patet, cum pudorem fœminarum discrimini objicerent.

(c) Hieron. Rub. l. 6. & Ludov. Cavitell. in histor. Cremon.

Structæ Bonif. insidiæ ab hypocritis.

Pertimuisse tradunt (c) nonnulli Bonifacium ne, cum tot millia Albatorum cogerentur; aliqua in eum conjuratio studio ac dolo antipapæ conflaretur: neque sine causa conceptus is pavor erat, cum Nicolaus Columna, qui Albatorum religiosa instituta professus ad eum venerat, seque observantissimum & amantissimum pietatis finxerat per eos ipsos dies, quibus Albatorum agmina Romam confluebant, corruptusque a Petro e Luna Pontificem facta conjuratione opprimere nisus sit, ut in suis edictis conquerentem Bonifacium audivimus.

VII. Quamvis autem domesticis bellis implicitus esset Christi vicarius, tutando tamen gregi suo, atque ab infidelium incursionibus vindicando non defuit. Intentabant (d) Poloniæ exitium victores Tamerlanis duces, Regisque Wladislai virtutem exercebant: cui subsidii comparandi gratia Pontifex non modo laicos ad capienda pro defendenda religione arma concitavit, verum & ecclesiasticos viros annuam decumam in sacri belli sumptus pendere jussit, datis Wratislaviensi episcopo hisce mandatis (e).

(d) Cromer. l. 5. Salomon. Neugeb. l. 3.

Tamerlanes ducum opera infestat Poloniam.

(e) Lib. 5. p. 306.

Venerabili fratri .. episcopo Vuratislaviensi salutem, &c.

Nonnullorum perversorum, a quorum oculis Dei timor abscessit, & quorum viæ perversæ sunt & infames gressus eorum, sic excrevit damnata præsumptio, quod ipsi velut alieni filii per cæcitatis devium oberrantes, Romanam ecclesiam matrem cunctorum fidelium & magistram injuriis atque damnis afficere, ejusque & etiam catholicorum Regum & principum ac aliorum Christifidelium terras, bona, & jura occupare, invadere ac fidem catholicam, quantum in eis est, inficere, depravare, ac præsertim damnatæ personæ, quæ Tartari nuncupantur, regnum Poloniæ dominisicare, ac charissimum in Christo filium nostrum Vuladislaum Regem Poloniæ illustrem a dicto regno expellere posse tenus non verentur; ad quorum insolentias refrænandas & prædictorum defensionem ac ipsorum Tartarorum exterminium, prout debitum nostri requirit officii, tot & tanta nos de præsenti subire oportet onera expensarum, quod ad illa ferenda proventus nostræ cameræ omnino pecuniis exhaustæ sufficere non possunt, quod nos anxit cogitantes & vias ac modos rationabiles & honestos quibus necessariæ supportationi hujusmodi onerum valeamus sufficere, solicite perquirentes, ac reputantes æquum & congruum, ut dicta Romana ecclesia ab aliis ecclesiis & personis ecclesiasticis, quarum ipsa est caput, in suis necessitatibus adjuvetur; & quod mediantibus subsidiis ecclesiasticarum personarum præfati regni videlicet in terris dicto Regi immediate subjectis dumtaxat, perfidiæ dictorum Tartarorum resistatur, & Rex ac regnum prædicta a noxiis releventur, deliberatione super iis præhabita diligenti, decimam omnium redditum, & proventuum ecclesiasticorum in eodem regno & in tota provincia Gneznensi consistentium per unum annum a die, quo præsentes literæ in eisdem regno & provincia fuerint publicatæ inchoandam, & colligendam, ac in relationem onerum, & exterminium Tartaro-

Vuladisl. Rex Polon. poscit opem a Bonif.

Concessa illi sacerdotalium vectigalium decuma.

turorum prædictorum convertendam, imponendam duximus & imponimus per præsentes &c. Dat. Romæ apud S. Petrum XIV. Kal. februarii pontificatus nostri anno XI.

VIII. Bajazet Constantinop. imperium opprimit.

Affligebant tum etiam pontificium animum labentis orientalis imperii curæ, ne Bajazetes, expugnato eo Christianæ reipublicæ propugnaculo, reliqua fidelium regna victor invaderet: ad quem reprimendum, licet superioribus annis militiam sacram indixisset, illam tamen iterum, ne pristinus ardor defervesceret, promulgandam decrevit. Adhibuit (a) inter cæteros tanta in re Augustinum de Undinis Benedictinæ disciplinæ virum religiosum, ut Norvegos, Suecos, Danos, Germanos ad religiosa arma suscipienda accenderet.

(a) *Bonif. l.5. p.300. & lib.6. p.92.*

Data Græcis subsidia.

Bonifacius, &c. Tibi per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus per te vel alium seu alios quos duxeris eligendos exemptos & non exemptos etiam non mendicantium & mendicantium ordinum professores verbum hujusmodi in tota provincia Moguntina ac regnis Norvegiæ, Daciæ, & Suetiæ, nec non in diœcesi Lausanensi, Bambergensi, Misnensi, Lubicensi, & Caminensi, & aliis civitatibus, oppidis, terris, & locis quibuscumque venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Moguntino & episcopis ejus suffraganeis pro tempore existentibus qualitercumque subjectis fidelibus ipsis proponere, ac eos, quos ad negotii executionem hujusmodi idoneos fore putaveris, ut venerabile signum crucis hujusmodi debita reverentia eorum imprimentes cordibus & humeris affigentes ad expugnationem prædictorum perfidorum Turcorum hostium crucis viriliter se accingant per prædicationes & alias prout expediens extiterit solerter, & salubriter inducere non postponas, &c. Datum Romæ apud S. Petrum II. id. januarii pontificatus nostri anno XI.

Illustri ad bellum crucis symbolo insigniti.

Imperata fuerat anni unius flexu sacra militia ad præmia indulgentiarum comparanda; sed cum plures diuturnitas laboris a crucis symbolo sumendo deterreret, de quo ante memoravi, Pontifex (b), Augustino permisit ut militiæ tempus contraheret, vel etiam stipendia minora daturis noxarum veniam conferret. Extulerat vero sese adeo effera Turcarum superbia, ut Constantinopolim quotannis hostili impressione tentarent, eoque Emmanuelem Imperatorem adduxerint, ut is ad elicienda ex occidente auxilia regia urbe discesserit. De cujus profectione, & Bajazetis in Constantinopolim & Hungariæ ac Valachiæ regna conatibus hæc apud Bonifacium leguntur (c): *Cœpit vires congerere, & conflare potentiam non solum ad exterminium civitatis Constantinopolitanæ & circumpositæ regionis cæterarumque terrarum, quæ a fidelibus in illis partibus habitantur, verum etiam ad invadendum Valachiæ & Hungariæ regna personaliter se accinxit, spem gerens civitatem, regionem, terras, & regna prædicta immo universitatem Christiani populi quod Deus avertat funditus evertere & prorsus extinguere, si ejus nefandæ proposito possibilitas responderet: propter quod cum præfatus Imperator insultibus Turchorum hujusmodi per se sine fidelium suffragio resistere non valeat, civitatem ipsam Constantinopolitanam quod utique dolenter referimus deseruit, ac diversas mundi partes circuit auxilium hujusmodi fidelium imploranda. Ecce jam crebris infidelium arietibus fidei catholicæ fundamenta pulsantur. En nemine opem ferente, Christianorum reliquiæ illarum partium dantur excidio. Considerent Christiani, si quod absit præfata civitas, quæ quodammodo, ut ita loquamur, propugnaculum Christianitatis existit, in manus ipsius veniat Bajazeti quod heu futurum esse conspicimus, nisi Christianus populus dicto Imperatori tam potenter quam celeriter studeat subvenire, in quanto periculo foret universitas Christiani populi constituta.*

(b) *Lib. 5. p.302.*

Emmanuelis Imp. in Occid. profectio.

(c) *Lib.6. p. 28.*

Bajazetis in Valachiam, Hungariamque expeditio.

Funestus rerum orientalium status.

IX. Emmanuelis peregrinationes per occidentem.

Meminere profectionis Emmanuelis in primis Græci authores (d), illum Venetias appulisse, inde ducem Mediolanensem convenisse, ab eoque amplo auctum comitatu accessisse in Galliam, tertiaque die junii ingressum Parisios, ac magnificentissima exceptum pompa, ut Monstreletus (e), monachus S. Dionysii, & Juvenalis (f) referunt. Sed cum Regem recurrente mania laborantem reperisset, nullum a consiliariis certum responsum accepisse, ait Phrantzes, cujus verba exscribenda visa sunt: *Abiturus Joannem ex fratre nepotem ad urbem inter ea regendam & impetum hostium propulsandum reliquit: ipse cum Despœna conjuge in Peloponesum solvens Spartæ eam apud fratrem Theodorum deponit, & in Italiam navigationem subit ac primum Venetiis excendit, post ad ducem Mediolanensem pergit, a quo honorificentissime splendidissimeque habitus, & muneribus cultus est: ingens præterea equitum peditumque comitatus ei ad Franciæ Regem adjunctus. Spopondit insuper dux, si cæteri quoque in eandem voluntatem incumberent, semetipsum illi & imperio Romano subsidio sponte venturum, ac discrimen depulsurum. At Regem Franciæ cum venisset morbo gravissimo conflictantem & mentis impotem offendit, cujus consiliarii responsum soli dare se posse negabant: ita rebus infectis Constantinopolim repetiit.* Prætermittit hoc loco author Emmanuelis ex Gallia in Angliam profectionem, quem die S. Thomæ, perhonorifice ibi exceptum fuisse, refert Walsinghamus (g). Ob conjurationes autem procerum, quos

(d) *Chalcond. l.2. Phrantz. l.1. c.20. & alii.*
(e) *Monstr. vol.1. c.4. ann. 1401.*
(f) *Juv. Urs. in Car.6.*

Ducis Mediol. sponsio.

In Gallia nullum certum responsum accipit.

Proficiscitur in Angliam.

(g) *Valsin. pag. 319. & Monstrel. ibid.*

quos erga exauctoratum Richardum commiseratio commoverat, Henricus Rex in iis regni exordiis, cum multorum odia in se incendisset, bello sacro abstinuit; neque ita multo post Richardus ipse crudeliter in custodia necatus est (a) fame. Sed redimus ad institutam narrationem Phrantzis (b), qui hæc addit: *Amerat Bajazetes, Jacupem bassum, & Brenezem Peloponeso occupanda cum exercitu quinquaginta millium misit qui & in ipso itinere, & in insula multis incommodis, calamitatibus, ac servitutibus Christianos mactarunt.*

(a) Id. ib.

(b) Phrantz. ib.

X. Coegit ea calamitas Theodorum despotam, ut Spartam Rhodiis equitibus pretio tradere meditaretur, ut sequenti anno (c) dicemus. Exinde vero Turcæ in Achajam irrupere, ac fusi fugatique a catholicis fuere duce Petro e sancto Superano, cui de parta victoria gratulatus est Bonifacius (d), confirmandæque ejus virtutis gratia in Achaiæ principatu, quem Urbanum ob Caroli Dyrrachini perduellionem sedi Apostolicæ asserere conatum vidimus, signiferum Romanæ ecclesiæ creavit, fidemque ex concepta in literis formula obstringere eidem Apostolicæ sedi jussit.

(c) Ann. 1401. n. ult.

Turcæ in Achaja profligati.

(d) Lib. 5. in Haur.

Dilecto filio nobili viro Petro e sancto Superano principatus Achajæ vicario, ac in ipso principatu nostro & ecclesiæ Romanæ vexillifero salutem & apostolicam benedictionem.

Ecclesia Romana, cujus regimini nos divina providentia deputavit, tanquam Regina in vestitu deaurato circumdata varietate, ac diversarum emicans fulgoribus dignitatum, a qua veluti a scaturienti, & primitivo fonte bonorum & potestatum insignia uti purissimi rivuli derivantur, catholicos filios, prout rerum & temporum qualitas exigit, præclaris consuevit titulis illustrare, illos præsertim, quos in fidei sinceritate & devotione illibata ipsius ecclesiæ stabilitos seu legitimos pugiles & athletas eximios læta conspexit adversus hostes fidei intrepide ac jugiter dimicare; sane sicut ex frequenti fidedignorum assertione didicimus, tu qui ad nos & Ecclesiam Romanam geris sinceræ devotionis affectum, assumpto fortitudinis spiritu in nomine illius, quo non deserit de sua clementia præsumentes, cum impiissimis sceleratis atque nefandis Turchis nominis æmulis Christiani, qui partes illas frequenter infestant ex Christianis partium ipsarum multis per eos immaniter, proh dolor! trucidatis quamplurimis vero in captivitatem reductis hactenus viriliter pugnavisti, illosque in fugam divino fretus auxilio convertisti. Meretur itaque tua sinceræ devotio, ut personam tuam illo decoremus honore, per quem ad continuationem tam gloriosi tamque divinæ majestati grati operis fortius animeris,

De parta victoria gratulatur Bonif. Petro e S. Superano.

Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, te in principatu Achajæ nostrum & ecclesiæ prædictæ vexilliferum auctoritate apostolica tenore præsentium de fratrum nostrorum consilio creamus, facimus, constituimus, & etiam deputamus tibi, ut quandocumque sive contra Turchos eosdem sive alios te capere arma juste contigerit, nostra & ecclesiæ præfatæ devotione solideris, opus continuans laudabile, quod incœpisti, quo ad faciendum tibi ampliorem honorem vehementius incitemur. Per hoc autem charissimo in Christo filio Ladislao Regi Siciliæ illustri non intendimus in aliquo derogare. Volumus insuper quod antequam hujusmodi vexilliferatus officium incipias exercere, in manibus dilectorum filiorum magistrorum Antonii de Teramo cantoris ecclesiæ Mothoniensis decretorum doctoris capellani, & Nicolai de Casalcon de Brevet Benevento canonici Patracensis scriptoris & familiaris nostrorum, vel eorum alterius fidelitatis præstes in forma, quæ sequitur juramentum: forma autem juramenti talis est: Ego Petrus de sancto Superano vicarius principatus Achaiæ domini Papæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ in isto principatu vexillifer ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & sanctæ Romanæ ecclesiæ & domino meo domino Bonifacio Papæ IX. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, auxilio, consensu, vel favore ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione: consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios, ad eorum damnum me sciente nemini pandam: si vero ad mei notitiam devenire contigerit quod in periculum Romani Pontificis aut ecclesiæ Romanæ vergeret seu grave damnum, illud pro posse impediam & si hoc impedire non possem, procurabo bona fide id ad notitiam domini Papæ perferri. Papatum Romanum & regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Legatos Apostolicæ sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo, sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XIV. Kal. martii pontificatus nostri anno XI.

Creatur signifer ecclesiæ Rom.

Consultum Ladislai Regis juribus.

Sacramenti formula ab Achajæ principe nuncupanda.

XI. Professus est iis literis Bonifacius non esse sui consilii Ladislai Regis in Achajam juribus detrahere; ad illum quippe hereditario nomine spectabat, ob gestas vero cum Urbano inimicitias Carolus Dyrrachinus amplissimam in Græcia ditionem amiserat, quam Ladislaus confirmatis viribus recuperare meditabatur; hoc autem anno Neapolim (e), ac mox universum regnum suæ ditioni subjecit præcipuo Pontificis studio, qui nuntios apostolicos in id incumbere, ac fessos schismate populos ad Ecclesiæ gremium traducere jussa-

Amissæ in Græcia ditiones ob schisma.

(e) Collenu. hist. Neap. l. 5. & Summont. l. 4. c. 2.

(a) *Hect. Pignattel. in diar. Neap.*

ferat. Refert Hector Pignattellus (a) Neapolitanos proceres, cum regnum a duobus Regibus tandiu laniari ægre ferrent, de prodendo Ludovico iniisse consilia, eique persuasisse, ut Tarentum se conferret ad Raymundum e Baucio eo principatu deturbandum; & interea Sanseverinates in Ladislai partes traductos, ac denique Ladislaum ipsum Neapoli potitum deditione voluntaria; perculsum vero subita defectione Carolum Ludovici Andegavensis fratrem in arcem, cui Castri novi nomen est, una cum Gallis se recepisse (b), cinctumque mox a Ladislai studiosis obsidione, Ludovicum autem, cum se illusum ac proditum a Neapolitanis doleret, constituisse regno abire; atque ita Tarentum Raymundo e Baucio distraxisse auro, & conscensa quam habebat classe, Capreas venisse, & pactione militari recepto fratre Castrumnovum Ladislao, qui duodecima julii Neapolim solemni pompa erat ingressus restituisse (c). Damnabant ejus consilium bellicarum vicissitudinum periti, hortabanturque eum fidissimi, ne recederet exemplo ipsius Ladislai, qui pulsus Neapoli in Cajetanam arcem se receperat, atque ex ea latius victoriam circumtulerat: sed cum amicorum preces non valuissent, in Provinciam discessit; sicque Neapolitanum regnum damnato schismate coaluit cum Romana ecclesia, quæ post plura adversa gloriosum de hostibus suis triumphum egit: contra vero Galli, qui Romæ Pontificem oppressuri putabantur, Italia ejecti.

(b) *Summont. ib.*

Gallorum a Neap. regno discessus.

(c) *Id. ib.*

Neapolis a Ladisl. recuperata.

Vvenceslaus imperiali honore a septemviris depositus.

De insigni ejus socordia.

XII. In Germania novi motus hoc anno sunt excitati, quandoquidem principes electores Wenceslai Regis Romanorum inertiæ, vitiorum pertæsi, imperialem dignitatem ei abrogarunt, de quo Gobelinus (d) eorum temporum scriptor hæc affert: *Cum Vvenceslaus Rex schisma, quod in ecclesia Dei ab exordio regni sui per annos xv. duraverat conniventibus sustinuit oculis; nec ad extirpandum ipsum animum quoquomodo intenderet, regnique negotia minus solerter disponens coronam imperii tanto tempore recipere neglexit, atque alia plurima decus regni denigrantia commisit, principes electores post plurimos tractatus singulares missis epistolis diversis regni principibus conventum publicum in mense majo in oppido Franchenfurt habendum de anno Domini MCCCC. pro negotiis regni disponendis indixerant.*

(d) *Gobelin. in Cosmodr. æt. 6. c. 70. Theod. a Niem. l. 2. c. 14. Aretin. histor. Flor. l. 12. S. Anton. 3. par. tit. 22. c. 3. §. 35. Æn. Silv. hist. Bohem. c. 35. Lang. in chron. Citicen. Anonym. de Lang. Turon. & Serar. l. 5. Magunt. rer. in Jo.*

Addit auctor (e), Rudolphum Saxoniæ ducem & Fredericum ducem Brunsvicensem, cum ex his comitiis redirent, a Waldechiano comite ex insidiis oppressos. Saxonem quidem captum, Brunsvicensem vero, quem electum Cæsarem ferunt, cum nobilibus viris quampluribus cæsum: quod flagitium cum in archiepiscopatu Maguntino patratum esset,

(e) *Gobelin. ibid.*

Dux Brunsvic. cæsus.

occultæ societatis suspicione Joannes archiepiscopus aspersus est: quam tamen publicis literis (f) Friezlaviæ hoc anno, dominica proxima ab evoluto festo beatorum Petri & Pauli exaratis comes ipse sceleris admissi reus ab eo detersit. Deinde mense augusto coacti sunt iterum principum conventus in oppido Lonstein in principatu Treverensi sito, in quibus Joannes archiepiscopus Maguntinus Wenceslaum reperita sententia (g) imperiali fastigio, quod fœdarat vitiis, pontificia auctoritate ex arcano fretus septemvirum nomine deturbavit. Datam autem fuisse electoribus imperii perdito Regi, quem conjurasse cum schismaticis in Pontificem vidimus, abrogandi potestatem, refert Emundus (h); cui consensit Æneas Silvius (i) de Wenceslao in historia Bohemica ita locutus: *Vino siboque marcens, simulque dormiendo noctes conjungens, ab electoribus imperii, comprobante Romano Pontifice, dejectus.* Sed rei gestæ ordinem ipse Bonifacius docet (k) apertius.

(f) *Ext. apud Serar. ibid.*

(g) *Ext. to. 2. rer. Germanic. p. 2. c. 180.*

(h) *Emund. apud chronic. magn. Belg.*

(i) *Æn. Silv. hist. Bohem. c. 34.*

(k) *To. 12. de schism. p. 247.*

Nobis, inquit, *per eorum proprium nuntium*, de electoribus principibus loquitur, *significare curarunt, quod præfati Vvenceslai segnitie diligenter inspecta, eo quod dietim mundo discrimina & innumera scandala pullulabant, ad ipsius depositionem & alterius electionem, qui hujusmodi discriminibus & scandalis potenter occurreret, procedere disposuerant: cui quidem nuntio volentes prius cum fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus in tanta gravitate negotii maturius cogitare, & firma credulitate tenentes, electores ipsos in tanta negotiorum mole via duntaxat juridica processuros, determinatum responsum non dedimus. Ipsi vero ex tali non datione determinati responsi credentes forsitan nos hujusmodi amotioni seu depositioni & novæ electioni tacite consensisse, licet ejusdem depositio ad eos nullatenus pertineret, tamen de Apostolicæ sedis benignitate confisi ad ipsius Venceslai depositionem a præfato regno Romanorum unanimiter processerant.* Hæc Bonifacius proximo anno, qui postea confirmata magis Roberti potentia dixit (l) de electoribus: *Ad ipsius Venceslai depositionem seu amotionem a præfato regno Romanorum auctoritate nostra suffulti concorditer processerunt.* Sententiæ (m) vero a Maguntino archiepiscopo pronunciatæ formula his verbis concepta erat.

(l) *Bonif. l. 7. p. 181.*

(m) *Ext. tom. 2. rer. German. par. 2. p. 180.*

In nomine Domini. Amen.

XIII. *Nos Joannes Dei gratia sanctæ Moguntinensis ecclesiæ archiepiscopus sacri Romani imperii per Germaniam archicancellarius, notum facimus universis præsentibus & futuris, quam varia, multiplicia, & gravia cum incommoda, tum dissidia multis ab hinc annis in sacram ecclesiam invecta sint etiamnum durantia, atque in dies uberius pullulantia in sacri Romani* im-

imperii quod Ecclesiæ Dei & orbi Christiano præsidio esse debebat gravissimam convulsionem, imminutionem, & dissipationem, id omne ut scribi nequit, sic mala in dies ingruentia manifeste satis docent atque comprobant: eamque ob rem sacri Romani imperii domini electores intervenientibus sacræ Ecclesiæ principum, dynastarum, civitatum, provinciarum, & subditorum sacri imperii prudentem moderatorem, expetentium ardentibus precibus, illustrissimum principem dominum Venceslaum Bohemiæ Regem tum sua tum amicorum opera, literis denique jampridem persæpe & serio nobiscum admonuere, eique diligenter ob oculos posuere privatim ac publice indecentes ac detestabiles ejus in imperando mores & actiones, nec non ejusmodi Ecclesiæ orbisque Christiani defectus, incommoda, atque dissidia; gravissimas item membrorum sacri imperii avulsiones, diminutionesque contra nominis sui dignitatem damnose factas, fierique permissas, nempe quod pacem in Ecclesia non promoverit, quamquam id summa orbis Christiani necessitas, necnon ipsius seu advocati & defensoris Ecclesiæ munus flagitaret, & ad id faciendum sæpius rogatus, requisitus, & admonitus esset, ipso nihilominus imperium membris aliquot perniciose mutilante & mutilum reddi permittente, in quorum numero sunt Mediolanum & provincia Longobardiæ, quæ juris sacri Romani imperii fuerant, redeuntibus inde ad imperium amplissimis emolumentis, in qua ditione Mediolanensis veluti minister sacri imperii partibus fungebatur, cum is contra quod ejus sublimitatem & dignitatem decebat, accepta pecunia Mediolani ducem & comitem Papiensem creavit.

Sententia septemvirum nomine lata a Magunt. archiep.

Objectum Vvencesl. non dedisse operam ut schisma tolleret.

Longobardiæ jura abalienasse.

Complures insuper urbes terrasque tam in Germania quam Italia ad imperium pertinentes, quarum quædam ad idem redierant alienavit, parum pensi habens, ut eas sacro imperio retineret. Præterea membranas perplures nudas ratasque, sua tamen majestatis sigillo munitas amicis pecunia vendidit, in quibus cum illic tum aliis, in quorum manus ejusmodi membranæ venerunt sub regio sigillo quæ scribere vellent licuit: qua ex re ob sacri Romani imperii jurium & emolumentorum damnosam imminutionem & dissipationem graves querelæ subortæ sunt. Controversias porro bellaque quæ proh dolor! Germaniam aliasque sacri imperii terras misere afflixerunt & pessumdederunt atque etiamnum pessumdant, nil unquam curæ habuit. Hinc prædationes, incendia, & latrocinia orta adeo funestis atque hodie incrementis, ut nulli neque clerici, neque laici, neque agricolæ, neque mercatores, neque viri, neque mulieres sive terra sive mari tuti versentur. Templa, cœnobia, & domus sacræ, quas sacrum imperium manu asserere atque tueri decebat, rapinis & incendiis pateant & ad interitum rediguntur. Eo res abiit, ut quivis contra juris & æqui rationem alium pro arbitrio tractarit ac etiam tractet absque ulla sacræ spretæque diu imperialis authoritatis reformidatione, sic ut & locus conveniendi quempiam ubi nomine juris defensio & patrocinium suscipiatur, plane ignoretur. Denique quod horrendum & immane dictu cum propria tum aliorum facinorosorum, quos secum habet, manu reverendos sacrorum antistites, sacerdotes, & spirituales personas, alios iterum plures honestæ notæ homines contra juris normam, secus quam Romanorum Regem decebat, neci dedit, atque submersit, igne cremavit miserabiliter, atque truculenter peremit. Quæ quidem memorata aliaque multa gravia facinora atque damna adeo divulgata sunt & palam nota ut & excusari vel celari nullatenus queant.

Justitiam auro vendidisse.

Latronibus laxasse liberas habenas.

In sacerdotes & honestos viros sævisse.

XIV.

Confirmantur hæc ex Dubravio (a): cæteroqui in laudes Bohemorum Regum effuso, dum ait Wenceslaum ob fœdam in adeundis lupanaribus consuetudinem reprehensum ab uxore indecora verba protulisse; ac sacerdotem, qui Reginæ exomologeses excipiebat, cum ejus peccata patefacere detrectaret, flumine mersisse: *Hac, inquit, turpitudine Joanna uxor maritum dehortari conata, offensionem tantam subiit, ut audiret minantem se quoque in lupanar ab illo transferendam esse, si has dehortationes non supersederet: ac paulo post ira adhuc flagrante accersit Joannem sacerdotem audire Reginam solitum quæ sibi delicta fidelibus auribus committeret: quæ quidem delicta Rex ab eo dum authoritate, minis, carcere frustra explorat, victus iracundia Joannem de ponte Pragensi dejici ac submergi jubet.* [1] *Quam vero sanctus & innocens sacerdos ille fuerit; ipse fluvius ostendit, ita de repente arefactus, ut*

(a) Dubrav. hist. Bohem. l. 23.

Ut Martyrium affecerit Reginæ confessarium.

Exaruit fluvius donec martyr sepulchro conderetur.

NOTÆ [1] S. JOannis Nepomuceni martyrium, quod isto quidem anno recitat annalista diu ante contigisse ex Balbino, cæterisque qui de illo scripserunt explosum est. Omnes enim summo assensu in profluentem dejectum scribunt anno 1383. quoad diem, & mensem dissident. Alii enim diem XVI. maji quæ memoriæ ejus sacra habetur assignant; alii diem XIX. maji cum Bollandistis præferunt. Scriptorem antiquum, qui ejus meminerit neminem laudat annalista, uno Dubravio, seculi XVI. ineuntis scriptore, contentus. Balbinus vitæ S. Joannis scriptor, cujus opus Bollandistæ adoptarunt, scriptam prius a Georgio Fero societatis Jesu vitam, & MSS. codices Bohemicos consuluit Scriptorem exterum veterem, qui viri hujus sancti famam late sparsam prodat, nemo indicavit. Mihi adeo felicem esse licuit, ut unum saltem proferrem scriptorem Germanum, qui per hæc tempora floruit, quique Joannis hujus cum elogio meminit. Eccardus inter

ut corpus nudaret submersi : in statuque illo triduum permanens, donec submersus ad S. Vitum sepeliretur : ubi in hunc diem quicumque sepulchro temere insultaverit immunis ab infamia non evadit. Mortua deinde Regina quoque est ex mœstitia & dolore, quem ex iniquissima Regis suspicione cum maximo animi cruciatu toleravit. Prolabebatur in furorem, & sanguinem humanum velut alter Nero fundebat, cum epoto mero æstuaret : nam dum sobrius erat, regiæ majestatis decus clementiæ officiis & honestate eum sustinuisse, refert Emundus (a), qui in ipsius aula familiariter versatus est :

(a) Emund. apud Chronic. Belg.

Quando, inquit, *ad lætitiam & sobrie bibit tum fuit optimæ conversationis, prudens, & discretus principes, comites, barones, & oratores sive nuntios Regum & principum ad ipsum venientes honorifice, sicut regalem decor magnificentiam, acceptavit, benigne audivit, & gratiose pertractavit, prout ego vidi in illustri Ernesto duce Austriæ.* Et infra : *Quando vero Rex Vvenceslaus bibit excessive & ad ebrietatem, incurrebat in furiam & fuit tunc multum perversus & periculosus, & dicitur quadam vice coquum suum, qui ad voluntatem suam seu secundum appetitum suum cibos non paraverat, ad veru ligatum assari jussisse. Item quodam tempore ad experiendum quid decapitandi sub tempore executionis cogitarent, accersivisse spiculatorem, cujus computer fuit, & flexis genibus oculisque suis velatis præcepisse ut se decollaret, & quia spiculator ense nudo dissimulans ipse cum platto eum in collo percussisset, surrexisse Regem & dixisse spiculatori ut poneret se super genua, quem sic velatis oculis tunc decollavit. Accidit etiam quodam tempore ; dum Rex causa venationis ad nemus pergeret & monachum in via reperiret, ut statim a mangone suo balistam peteret, qua tensa & ex pharetra, quam semper ad latus suum ferebat, sagitta extracta monachum sic sagitta percussit, ut inde mortem obiret, dicens astantibus se ferum singularem sagittasse : quibus dicentibus non ferum sed monachum, respondit monachum esse & manere debere in suo claustro, non in silva ubi esset habitatio & conversatio ferarum. Audivi etiam dici de eo, cum quadam vice videret ad parietem scriptum. Vvenceslaus alter Nero, statim accepta creta manu propria adjunxisse hæc verba : Si non fui, adhuc ero.*

Ebrietas Vvenceslaum in crudelitatem, & impudicitiam egit præcipitem.

Aliqua efferæ crudelitatis exempla.

Spurcitiæ, ebrietatis ac crudelitatis scelera magorum familiaritate & patrocinio cumulavit, seque dæmonum præstigiis illudi delectabatur ; interque alios magum insignem, alterum putares Apollonium Tyanæum, habuit charissimum, qui dæmones ad festivas agendas comœdias adhibebat. Is cum Wenceslaum Regem & regis aulicos ac Pragenses ludis nefariis recreasset, dæmonibus funesto ludo cessit ; uti narrat Dubravius (b), cujus verba reperamus, ex quibus paret quam tristes sint ludentium cum dæmone exitus, & quam misere stultissimis ineptiis dæmon suæ salutis immemores irretiat.

Magorum consuetudine delectatus est.

(b) Dubrav. hist. Bohem. l. 23.

Novus socer, nimirum Joannes Stephanus Bavariæ princeps, *ubi generum ludicris spectaculis & magicis præstigiis delectari cognovit, plenum ludionum & præstigiatorum plaustrum secum Pragam advexit. Ibi dum præstantissimus artificum ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adest inter spectatores Zitto Vvenceslai magus ore usque ad aures dehiscente, accedensque proprius artificem illum palatini cum omni apparatu subito devorat, solos dumtaxat calceos quia luto obliti videbantur, expuens ; secessumque inde petens ventrem insolita esca gravem in solium aqua plenum exonerat, præstigiatoremque adhuc madidum spectatoribus restituit passim deridendum adeo, ut cæteri quoque ejus socii a ludo destiterunt. Ipse vero artem suam ostentans nunc sua nunc aliena facie, staturaque modo item in purpura & serico, at confestim in lana & panno sordido Regi se offerebat ; ambulantemque in solido ipse in eodem solido tanquam in aqua adnavigabat, & aliquoties Regem equis ebedariis vectum, idem gallis gallinaceis ad epirhedium suum illigatis subsequebatur. Convivas præterea Regis varie ludebat, interdum manus eorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum interdum, in ungulas equorum transformans, & aliquoties fronti illorum cornua cervorum latissima adjiciens, quoties videlicet e fenestris ad subitum spectaculum prospicerent, ne rursus caput & ora ad mensam referre possent, antequam ipse vino dapibusque illorum se ingurgitasset : atque ut ostenderet se pecuniam quoque pro*

Præstigiæ Zitonis magi.

Falsodæmonis miracula ;

NOTÆ inter scriptores medii ævi to. II. dedit chronicon Andreæ cujusdam Ratisponensis usque ad annum 1438. perductum. Hic vero ad annum 1389. de Wenceslao, occasione electionis ejus in regem Romanorum agens, ejusque mores pessimos describens inter cætera addit ; *Hic Johannem doctorem egregium theologiæ, submersit, eo quod dixerat* (tunc forte cum a rege urgeretur ut secrum arcanum panderet) *hunc esse dignum nomine regis, qui bene regna regeret*. Sermonem hic esse de S. Joanne Nepomuceno nemo prudens dubitaverit. Viri hujus sanctimoniam, quam & mortis genus, & statim ab obitu prodigia declararunt, Benedictus XIII. pontifex Maximus non ita pridem solemni assertione confirmavit, edita anno 1729. die 19. maii constitutione qua illi Martyris cultum religiosum concessit ac vindicavit. Mansi

usu suo facile sanflare posse, triginta sues bene saginatas ex manipulis graminum procreat, illasque pastum proxime suos pistoris parci sed locupletis extrudit proponitque venales quo pistor vult pretio, hoc tantum emptorem admoneat, ne gregem novum ad flumen latum propellat, quo ille monitione neglecta cerait in flumine manipulos fluitare, suibus submersis, ita ut neque straminibus neque suibus potiri potuerit, nihilominus pretium datum recuperare parat: denique venditore quæsito atque in taberna vinaria tandem reperta, in qua porrectis pedibus in scamno recubabat stomachabundus alterum pedem excitandi causa invadit, eumque a sorpore protinus cum caxendice avellit clare Ziitone quiritante, & obtorto collo pistorem ad judicem trahente. Quid faceret pistor in manifesto deprehensus ut sibi videbatur facinore, etsi ut damnum damno adderet, atque de hac insuper injuria cum Ziitone desideret. Usurpant ad hos usque tempus Bohemi, ut malam emptionem exprobrarent vice proverbii dicunt: Lacrum facies quatuor Michael in suibus; pistori namque ille Michael nomen erat. Cæterum Ziita impostor ad extremum a cacodæmone superstes cum corpore & anima de medio hominum sublatus fuit, injecitque Vvenceslao curam de religiosis deinceps ac magis seriis rebus cogitandi. Dum ita Pragenses publice & impune se ludificari a dæmonibus magorum opera paterentur, dæmon Joannem Hus ad eos hæresi implicandos incitavit, de quo inferius. Nunc ad Wenceslaum redimus. De his & aliis Wenceslai vitiis consultam diximus sedem Apostolicam, ad quam exauctorandi Cæsaris, cum id necessitas exigit, jus pertinet: sed veritus Bonifacius ne Bohemia Hungariaque ac forte etiam Polonia ab obsequio Romanæ ecclesiæ descederent, rem arduam permisit septemviris: a quibus antequam decretoria ferretur sententia, sæpius Wenceslaum admonitum fuisse, ut e vitiorum cœno emergeret, curasque ad imperium pie & strenue administrandum conferret, profitetur Moguntinas archiepiscopus dum subdit (a).

Exitiale cum magis commercium.

Funestus magi Ziitonis exitus.

(a) *Ext. to. 2. rer. Germ. p. 2.*

XV. Wencesl. admonitus sæpius regii officii.

Nos igitur, ut præscripsimus, sæpius eum perquam studiose oravimus, admonuimus, & requisivimus, ut desereret hac vitæ ratione repudiata, id sibi studii & laboris sumeret, quo sacra ecclesia opem ejus veluti Romanorum Regis & advocati sui multoties implorantes pacem & tranquillitatem, sacro autem imperio pristinum honorem, terras, ditiones, emolumenta denique sua recuperaret in subsidium & consolationem orbis Christiani hoc tempore graviter debilitati atque oppressi. Etsi vero prædicto domino Vvenceslao hos aliosque graviores defectus ipsum tanquam Romanorum Regem imperiumque concernentes, clarissime explicuerimus, ac scriptis exhibuerimus; auditis tamen illius responsis, reiteratisque seriis nostris exhortationibus communicatoque etiam super sedi Romanæ negotio, nunquam adhuc deprehendimus eum sic, ut Romanorum Regem decet, mores compasuisse, scilicet ad ecclesiæ pacem orbi Christiano summe necessariam, sacro item imperio dignitates, terras, ac ditiones suas recuperandas & fructuose conservandas, quod per universas imperii provincias est notissimum.

Monita neglexit.

Consultus a septemviris Bonifacius.

Quoniam igitur commemoratos pluresque alios defectus Sacram Ecclesiam & imperium gravi cum damno gemituque tangentes ob instantes prædictorum preces, maxime vero sacramenti ratione, quo nos sea sacri imperii proxime superiora membra eidem obstringimur hæc retisere nec sustinere diutius potuimus; idcirco ex officio debito cogitandum, committendumque nobis fuit, ut sacro imperio, cujus vecordi & & negligenti administratione incommoda ista hac irrepserant, in orbis Christiani præsidium & consolationem rectius & salubrius provideretur. Et sane ut is parendo nobis rem gratum præstitisset, sic eum sufficienter & seria vocavimus atque citavimus, adeo ut ei significaverimus, nisi loco & die definitis præsto esset, fore ut cum exhibitacum nobis pretum, tum juramenti nostri respectu ejusmodi consilium capere & inire cogeremur, quibus sacrum imperium melius constitueretur, literis id nostris clarissime attestantibus: ea propter loco & tempore præscriptis una cum coelectoribus nostris sufficienter exoratis ceteris item sacri imperii principibus & urbibus, comparuimus de die in diem expectantes, num præfatus dominus Vvenceslaus compariturus esset morbis prædictis remedium adhibiturus, ac sacri imperii rebus rectius deinceps consulturus: at is nec comparere, nec quemquam procuratorio nomine ad nos destinare dignatus est: quare eum tot perniciosorum defectuum causa cum privatim & benigne inde vero cum nil proficeremus, coram principibus, optimatibus, & urbibus imperii in diversis conventibus, non sine magnis gravibusque expensis, absque tamen ullo fructu admonuerimus & redarguerimus; ideo commemorata omnia ad sacram sedem Romanam detulimus. Cæterum cum nec tum cuncta hæc quidquam pensi habuerit, nil aliud inde conjicere potuimus, quam eum & Ecclesiæ & Christiani orbis in primis autem sacri imperii curam deposuisse. Idcirco malum hoc tot Christianæ reipublicæ exitiale minime diutius ferendum & tolerandum censentes, animo bene confirmato, post multos variosque tractatus consultationesque tam inter nos ipsos, tum etiam cum aliis principibus & optimatibus sacri imperii serio habitos pro Ecclesiæ salute, Christiani orbis consolatione, sacri im-

Abiiciente curas imperii Cæsare publicæ rei consulendum decernunt septemviri.

In jus vocatus ab illis spernit eor. judic.

Consultus iterum Romen. Pontifex.

In Vvencesl. late ab electoribus sententia. *imperii honore & utilitate, præfatum dominum Vvenceslaum tanquam negligentem & destructorem imperii, eoque indignum a sacro Romano imperio omnique ejus dignitate hoc tempore penitus removendum esse duximus.*

Nos itaque Joannes archiepiscopus nomine prædictorum dominorum sacri Romani imperii coelectorum nostroque, tum commemoratis, tum pluribus aliis insignibus defectibus causisque moti, hac nostra sententia quam præsenti scripto damus atque ferimus, prædictum dominum Vvenceslaum, ceu inutilem, negligentem, dissipatorem, & indignum sacri Romani imperii defensorem, eodem Romano imperio omnique ejus gradu dignitate, ac ditione ad idem pertinente privamus & submovemus, cunctis principibus, optimatibus, equitibus, ingenuis urbibus, provinciis, & subditis sacri Romani imperii Soluti sacramento fidei subditi. *denuntiantes, eos ab omni homagio & juramento personæ Vvenceslai nomine imperii præstito prorsus esse liberos, requirentes atque monentes eos sub jurisjurandi fide, qua sacro imperio adstricti tenentur, ne prædicto domino Vvenceslao tamquam Romanorum Regi deinceps obediant & obsequantur, neque illi jus ullum, obsequium, censum, reditum, aut ullam aliam obventionem quocumque nomine tandem appellanda veniat, ceu Romanorum Regi pendant, exhibeant, aut exhiberi permittant; sed ejusmodi debita utili & idoneo Romanorum Regi, divino favente numine, deinceps sufficiendo, asservent. In quorum omnium fidem & testimonium nos Joannes archiepiscopus Moguntinus præsens instrumentum per subscriptos notarios hac forma patente confici, & majus nostrum sigillum appendi curavimus. Lecta & renunciata fuit sententia præmissa per nos Joannem archiepiscopum Moguntinum nostro & dominorum coelectorum nostrorum ante memoratorum nomine sub castro Lonstein ad Rhenum Treverensis diœcesis Brabachium versus progressis, e publico solio in tribunali usum erecto, dominis coelectoribus nostris ibidem judicio assistentibus, anno dominicæ incarnationis MCCCC. indictione octava feria sexta die xx. mensis augusti paulo ante nonarum tempus pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini domini Bonifacii IX. divina providentia Papæ anno* Locus & tempus latæ sententiæ. *xi. &c.* Contulere plura inter se septemviri in Lonstensi convento de imperio in pristinum splendorem vindicando.

XVI. Bopardienses conventus. Denique mense septembri alios conventus coegere apud Bopardiam, in quibus Robertum ducem Bavariæ creatum fuisse Regem Romanorum subjectis verbis narrat Gobelinus (a): *Post hoc principes circa Rhenum prope Bopardiam convenerunt & ibi elegerunt Regem Robertum ducem de Bavaria & de Hidelberg virum armis strenuum, consiliis acutum & Deo devotum. Robertus electus in Regem post electionem suam in mense septembris juxta oppidum Francofort tentoriis fixis in campo una cum principibus per septimanas & dies, prout electis ad regnum moris est, sub dio moram traxit, & postea idem oppidum festivis gaudiis intrat.* Eadem verba reperit auctor chronici magni Belgici (b). Meminit Juvenalis Ursinus (c) de Roberto in Wenceslai exauctorati locum suffecto, [1] additque Francorum Regem oratores ad Germanos decrevisse, qui pro ecclesiarum conjunctione redintegranda exposcerent, ut Bonifacius pontificio gradu una cum antipapa Avinionensi deturbaretur: responsum autem a Germanis operam se daturos, ut Gallis Ecclesiæ gremium panderetur, eo vero scelere nolle se obstringere, ut Christi vicarium e dignitatis grado dejicere molirentur.

(a) Gobelin. in Cosmo. æt. 6. c. 70. Naucler. vol. 2. Manstrel. vol. 1. c. 6. & alii.

Robertus creatur Roman. Rex.

(b) Magnum chron. Bel. hoc anno.

(c) Juv. Urs. in Car. VI. hoc anno.

Solicitati Germani ut Bonif. pontificatu deturbent. Eorum responsum.

XVII. Hoc anno divina providentia insigni mi-

NOTÆ [1] AMotus hoc anno, augusto mense, ab imperio Wenceslaus, & eodem mense Robertus Bavariæ dux substitutus, quæ de re satis in annalibus. Neque repetere hic momenta juvat, quorum impulsu alium sibi regem electores præfecerant. Multa illa & gravia. Wenceslao successit Robertus, cujus electionis mensem & diem nec satis accurate, nec satis feliciter ex Gobelino expressit annalista. Non enim septembri mense renunciatus est rex, ut annalista hic statuit, neque id ait Gobelinus, qui tantummodo asseruit, Robertum septembri mense in castris ad Francofurtum substitisse. Amoto enim Wenceslao die XX. augusti, statim biduo post, die XXII. augusti Rupertus assumptus fuit. Hanc diem & mensem principes electores designant in epistola ad cardinales Bonifacii, legenda in anecdot. Martene to. II. col. 1626. sed nec in epistola illa electionis dies certa satis accurate exprimitur. Nam acta electionis ejusdem publica apud Martene veter. monum. to. IV. col. 22. diem sabbati *ante* [lege post] *festum Assumptionis B. M. V.* exhibent quæ dies cum die XXI. augusti congruit. Hæc ergo dies electionis statuenda, quamquam forte omnibus sequenti die XXII. augusti Rupertus publice renunciatus fuit. Quamquam vero Bonifacio palam favebat Rupertus, oratoresque Gallos suadentes, ut pontifici utrique obsequia negaret, generoso illo responso, de quo annalista hic, rejecit; occulta tamen consilia cum Gallis miscuisse illum non immerito suspicaremur; clandestinas enim ejus molitiones prodit Simon patriarcha Alexandrinus, quem Gallicana ecclesia auctorem potissimum habuerat deserendi Petrum de Luna. Dedit ille hoc anno literas ad Cantuariensem episcopum, suadens, ne quod Angli sub Richardo rege inierant continendi se ab obsequio utriusque pontificis, consilium retractarent, laudatque exemplum Roberti, de quo scribit: *Dominus Robertus Bavariæ per dominos archiepiscopos electores ad regnum Romanorum recenter assumptus, & domini archiepiscopi prædicti noviter significaverunt regi nostro, quod in festo B.* Joan-

miraculo & cultum sacrarum imaginum & vitæ monasticæ instituta, cum Wicleffistæ utraque oppugnarent, confirmavit: duobus enim viris piis B. Virgo cœlesti specie se videndam objecit, præcepitque ut monasterium Nussiense collapsum instaurarent quorum alter medicus & sacerdos longo intervallo disjunctus, cum nunquam antea Nussiam accessisset, imaginem quam viderat & locum agnovit, ac vitam religiosam in eo sancte excoluit, ut ex fidedignis monumentis narrat auctor chronici Belgici (a), testaturque monasticam disciplinam Nussiæ refloruisse: *Cum*, inquit, *anno Domini MCCCC. divinæ placuisset voluntati monasterium canonicorum regularium extra muros civitatis Nussiensis suæ sanctissimæ matris semper virginis Mariæ Coloniensis diœcesis ad regularem vitam, unde multis annis exciderat, reducere, personas ad hoc aptas ex pluribus sibi elegit: nam idem monasterium usque ad ultimam desolationem tunc temporis erat perductum, ut ruinæ tectorum monasterii & alta ædificia ruinosa ad oculum demonstrarentur. Igitur tunc temporis erat ibidem præpositus a fratribus monasterii electus Petrus de domo Theutonica nominatus, de civitate Nussiensi oriundus, qui vidit visionem in somnis in hunc modum. Visus est ante altare stare S. Joannis evangelistæ quod situm est in sinistra parte ecclesiæ monasterii, quæ nunc in sacristiam ordinata est, in quo collocata erat imago beatæ & gloriosæ Virginis Mariæ sub pedibus suis conculcans antiquum serpentem; quæ imago nunc anno Domini MCCCCXCVIII. stat in altari virginum, &c. Ibi igitur præpositus Petrus visus fuit flectere genua & eam salutatione angelica scilicet Ave Maria salutare; cujus salutationem eadem imago tanquam ab indigno sibi oblatam respuens, extensa manu prædictum præpositum ab altari cum indignatione removerat, præpositus videns se despectum a tanto & tam sibi dilecta patrona, in quam suam fiduciam, post Deum semper ponere consuevit, totus in lacrymas resolutus est, ita ut lacrymæ illi non imaginariæ sed reales essent & veræ, ambas maxillas ipsius humectarent: tunc per imaginem illa Virgo beata prædictum præpositum sic affatur: Si vis te emendare, juvabo te. Ad hanc vocem præpositus cum lacrymis respondit: Etiam domina charissima, volo me emendare: cumque illa manum suam extendens ad eum diceret, ut id promitteret, præpositus prædictus misit manum suam in manum imaginis, & ut sibi videbatur mollitiem aliquam manu sua sensit & evigilavit. Cum autem redisset ad se, invenit adhuc lacrymas per maxillas defluentes, & vehementer attonitus quid ista quæ viderat significarent, tacita mente secum sæpe revolvebat. Ista ab ipsius præpositi ore semel & iterum a quodam fratre inter conferendum fuerunt audita: & ut nota essent posteris nostri monasterii, rogatus ab aliquibus fratribus idem qui audivit, conscripsit. Rursus de eadem reformatione alia visio facta est partibus inferioribus, & æstimo quod eodem tempore quo prima.*

B. Virg. jussu monasterium Nussiense instauratum.

(a) Ibid.

Erat in Almelo vir venerabilis bonæ vitæ & famæ laudabilis Eberhardus, qui pastor ecclesiæ in Almelo fuit arte medicus non solum corporum exteriorum, sed multo magis animarum. Iste venerabilis pastor scripsit præposito monasterii regularium prope Nussiam, quomadmodum scilicet beata Virgo Maria in specie cujusdam imaginis quæ posita fuerat in ecclesia monasterii prædicti supra summum altare (nunc autem scilicet anno Domini MCCCCXCVIII. posita est in altare sancti Laurentii) sibi apparuerit, præcipiens ut surgeret & iret ad monasterium regularium juxta Nussiam prope Rhenum, & juvaret præpositum ad reformandum prædictum monasterium in disciplina regulari: cui visioni non incredulus prædictus pastor misit primo literas tenorem visionis continentes, cum quodam fratre congregationis suæ: qui postea in eodem monasterio in habitu religionis regulariter diu supervixit; literas vero cum præpositus aperuisset & tenorem perlegisset, præ nimia lætitia vix se potuit continere: & statim cogitans de visione quam ipse prius habuit, cognovit visionem quæ per literas sibi denuntiata erat, visionis suæ quam ante paucos dies habuit, esse firmamentum & declarationem. Subdit author, mox pium illum præpositum detulisse literas Eberhardi ad Fridericum archiepiscopum Coloniensem, qui eas miratus, ac præsagiens

Deum

NOTÆ *Joannis Baptistæ proxime futuro, Metis, vel in Argentina sunt ad tractandum de pace ecclesiæ cum illis, qui Clementi, & Benedicto obedierunt, & nobiscum convenire parati.* Epistolam hanc legas inter acta de schis. pontif. Avenio. anecdot. to. II. col. 1249. Sed hæc de Ruperto falso rumore sparsa fuisse non dubito. Cum enim in conventu dein Metis habito a Gallis, Germanisque de ratione abolendi schismatis actum, nihil vero decretum fuerit; rumor idem, quem patriarcha Alexandrinus in literis supra laudatis captavit, de Germania cum Gallia in consilium coeuntibus increbuit, & ad aures Bonifacii perlatus fuit. Quare Rupertus sese apud pontificem purgaturus per magistrum Albertum ablegatum suum certiorem illum fieri curavit: *In facto ecclesiæ ne rumoribus credat sinistris: habere enim eum informatum primo de dieta Metensi, quomodo illa mendose fuit facta, præsertim de conventione regum & principum utriusque obedientiæ, & aliquorum anticardinalium prout scitis.* Hæc legas in charta, quam Rupertus eidem Alberto ad pontificem mittendo porrexit, legenda inter acta schismatum Avenion. anecdot. to. II. col. 1670. MANSI

Deum gloriam suam in eo monasterio propagaturum, clementer assenserit, piaque conjunxerit studia, ut monastica disciplina in eo restitueretur: atque Eberhardum, cum ad monasterium Nussiense, ut dictum est, accessisset, imaginem Virginis, cujus species, antea illi objecta fuerat, agnovisse, eamque jussisse ex altari sancti Servatii in principem aram, in qua eam viderat, transferri.

Eodem anno obiit Florentius congregationis pauperum studentium magister, sanctimoniæ laude conspicuus, cujus vitam Thomas e Kempis (a) conscripsit, narratque ut cælesti viso felicitatis ejus gloria ostensa sit: *Fuit*, inquit, *in civitate Goricbem vir quidam fidelis bonæ vitæ, & famæ laudabilis, Joannes Hermanni nomine, cujus uxor Jutta vocabatur, qui pariter secundum mandata Dei viventes, complures alios ad Dei servitium traxerunt; frequenter sacris diebus de Deo in domo sua loquebatur, hospitalitatem multis devotis ad se venientibus libenter exhibentes. Erant autem ambo valde familiares domino Florentio, a quo sanctæ conversationis formam habentes, etiam proximis suis vitæ exempla præbuerunt. Post abitum igitur domini Florentii supradictus Joannes in brevi ex hoc sæculo migravit. Evenit quadam die ut Jutta (vidua nempe) Deo devotissima in camera sua orationi incumberet, qua consummata surrexit aperiens ostium ad exeundum de camera sua: quod cum aperiret, repente audivit fenestram cameræ post se aperiri; respiciens ergo vidit quemdam lumine splendoris circumamictum, & aspectu amabilissimum eamdem fenestram intrantem viro suo facie tenus similem, cui illa ait: Es tu ibi Joannes dilecte conjux? cui ille: Ego sum, sed ne modo voces me conjugem tuum: cui illa: Et quo modo est tecum? ille respondit: Ego salvatus sum & gaudiis cælestibus & præsentia Dei fruor, & cui illa; Et quomodo est cum domino Florentio patre nostro? respondit ille: Dominus Florentius est in valde magna gloria, ac omnia ejus incœpta recta & bona fuerunt; & adjecit: Mane in hac domo, & non mutes locum; quia cito morieris, & hac recttrici sororum Alryda Thomæ revelata; & tandem hæc visio disparuit. Post hæc ista ita fervida ad Deum corde dies suos licet perpaucos peregit, ut omnia temporalia tamquam despecta stercora ei viderentur: ex quo signo sola evidenter apparet, quod supradicta visio non fuit delusio vana, sed revelatio cælestis a Deo facta. Cum quæreret quidam de magna gloria domini Florentii in cælo, responsum est propter tres maxime virtutes. Prima propter eximiam charitatem, quam habuit ad Deum, omnia bona sua finaliter ad eum referendo, & Dei honorem & beneplacitum in omnibus quærendo. Secundo propter zelum animarum, quem ad proximos suos habuit, salutem omnium desiderando, & ad servitium Dei eos alacriter habendo. Tertio propter magnam humilitatem suam & contemptum sui ipsius, semper parva & vilia de seipso sentiendo: & hæc tria satis lucide & distincte in vita ejus superius descripta apparent, & a multis fidelibus non ignorantur.*

(a) *Thom. a Kemp. in vita Florentii c.29.*

Florentius congregationis pauperum studentium auctor.

Animæ beatæ apparitio.

Excultus fuerat a Florentio pietate & & literis septemnii flexu idem Thomas e Kempis, ejusdemque Florentii piissimis documentis suavissime ad canonicorum regularium instituta traductus est (b), in quo multa purioris virtutis signa emicuerunt, nam in pueritia, cum singulis diebus beatissimæ Virgini statas precationum formulas repeteret, atque obrepente sensim segnitie, ut facile imbellis ætas a bene cœptis deflectere solet, quotidianam precum pensionem intermisisset, cælesti objecta specie a Deipara acertime increpitus est, culpæque pœnitens numquam toto vitæ cursu religiosum sacrarum precationum censum Virgini pendere prætermisit. Cum sanctiori vitæ & sacrarum rerum commentationi magno pietatis ardore operam daret, hæc ipsi contigisse narrat vitæ ejus author (c): *Cum quadam vice*, inquit, *prædictum fratrem Thomam dæmon vellet deterrere nocte in teterrima horrendaque forma apparuit: quem cum frater Thomas lecta appropinquare vidisset, intremuit primum ad larvalem intuitum, & quid contra tam horrendi hostis insidias auxilii sumeret ignoravit: tandem divino Spiritu instigatus angelicam cœpit salutationem tremula voce (nam vehementer extimuit) quam melius potuit personare: sed diabolus quasi nihil ad hanc salutationem motus, magis magisque trepido cœpit proximare, quousque monachus in salutatione prædicta eousque pervenisset, ut dominus noster Jesus Christus amen acclamaret. Quod terrificum nomen ubi dæmon audivit, quasi horrendo quodam tonitruo pavefactus vultum vertit, & quam citissime potuit clamantis votem aufugit. Videns igitur frater Thomas ad tanti nominis virtutem dæmonem stare non posse, audacius caput pavidum erexit, & repetitis vicibus benedictum nomen Jesus Christus post fugientem hostem inclamavit; & quo ipse clamat fortius, eo vehementius teter spiritus fugiebat. Quod ubi cognovit religiosus vir gratias agens domino Deo dixit apud se. Si hoc sanctissimo nomine tam facile possum adversæ potestatis vires infringere, de cætero nolo, ut hactenus feci, vel dæmonum machinamenta timere, vel sub eorum quamvis horrendis minis fide vacillante trepidare.* De piis ejusdem scriptis, eximia probitate, vita, ac obitu felici, suo loco dicetur.

Thomas a Kempis institutus a Florentio.

(b) *Georgius Chartus. in vita Thom. a Kemp.*

Increpitus a B. Virg. ob intermissam precum pensionem.

Dæmon nomine Jesu implorato fugatus.

(c) *Id. ib.*

Quanta sit domini nostri Jesu Christi nominis vis.

No-

I. Robertus germanico diademate redimitus.

(a) Gobelin. in Cosmodr. at. 6. c. 70. Chronic. mag. Belg. Sevar. l. 5. Mighnt. rer. in Jo.

Italicam suscipit expeditionem.

(b) Gobel. ibid. Theod. à Niem. l. 2. c. 14. Aretin. hist. Flor. l. 12. S. Anton. 3. par. tit. 22. cap. 3. §. 36. Manstr. vol. 1. c. 6.

Imperialia insignia optat.

(c) To. 12. de schism. p. 243.

NOvo ineunte sæculo indictione nona Robertus superiori anno, ut vidimus, Imperator designatus sacro epiphaniæ die Coloniæ solemni ritu ab archiepiscopo Coloniensi corona est redimitus (a), cum Aquisgranenses Wenceslai partium sectatores nec promissis allicere, neque armis frangere posset, ut in ea urbe ex more argentea corona redimiretur. Illos vero fuisse ob id gravibus affectos damnis, refert Gobelinus, cujus historiam hoc tempore conscriptam constat. Confecisse etiam hoc anno Robertum expeditionem in Italiam adducendam, tradit idem author (b); sed non iis succinctum viribus fuisse, quæ ad perrumpendos hostes pares essent. Incitatus ad iter fuerat a Florentinis cum Galeatio bellum gerentibus, quem ille etiam recuperandorum imperii jurium studio deturbare Insubriæ principatu cupiebat, cum maxime inter cæteras exauctorandi Wenceslai causas datum fuisset crimini ipsum Mediolani ducem Galeatium, Vicecomitem creasse. Tum si progressus secundi cœptis responderent, imperialis insignibus dignitatis, quæ Wenceslaus non erat adeptus, a Bonifacio redimiri cupiebat; in quem Pontifex propendebat quidem, sed aperte studia nondum explicabat, ut cautius in re ancipiti se gereret; misitque (c) ad Robertum, antequam transiliret alpes, oratorem Antonium e Montecatino jurisconsultum, qui post amplissimas officiorum significationes exploraret, an jure Wenceslaus deturbatus imperio esset, ne in designato Rege confirmando Ecclesiæ honos obsolesceret, exponeret Italiæ & Germaniæ statum, neque merito timeri posset, ne Bohemia, Hungaria ac forte Polonia a catholica Ecclesia desciscerent, si Romanus Pontifex Roberto adversus Wenceslaum adhæserit: adituram pariter periculum Germaniam nisi pacata fuerit: quam quidem ingenti concussam hoc anno bello ex Gobelino (d) dicetur inferius. Scrutari etiam jussus est orator, quo tempore Robertus Italicam expeditionem suscepturus foret, quantas adducturus copias, quos habituros fœderatos, quibus præsidiis difficultates itinerum superaturus; tum etiam demandata provincia est, ut Robertum, antequam ingrederetur Italiam, fidei sacramento adigeret, obstringeretque jurejurando, se turaturum Bonifacium ac verum & unicum Christi vicarium professurum, ditionem ecclesiasticam sedi Apostolicæ asserturum, nec Siciliæ & Trinacriæ regna affectaturum, jus pariter ecclesiasticum in suum splendorem vindicaturum, neque cum Gallo Rege principibusve schismaticis fœdera

(d) Gobelin. ibid.

affinitatemve sine pontificia venia devincturum; cum regia studia ad Petrum e Luna & pseudocardinales a schismatis erroribus revocandos conversurum, ac Reges & principes schismaticos ex edictis apostolicis bello insectaturum: quæ ex tomo duodecimo de schismate (e) ad majorem rei historicæ dignitatem afferenda visa sunt.

(e) To. 12. de schism. p. 243.

Copia capitulorum & informationum data per dominum Bonifacium domino Antonio de Montecatino legum doctori, per eum transmisso ad novum electum in Regem Romanorum.

II. Dato illi a Bonif. mandata.

Primo exponere qualiter dominus noster, considerans zelum & devotionem maximam, quam illustris genitor & ipse inconcusse ad dominum nostrum & Ecclesiam habuerunt, sicuti multiplex experientia docuit; attendensque celebrem famam ipsius & nomen etiam gloriosum, quibus princeps noster, opitulante Altissimo, illustratur; percipiens quoque dilectionem, quam ad Deum, justitiæ cultum; & ecclesiasticam monarchiam toto mentis gerit affectu, si de aliquo mundi principe exultaret, de ipso peramplius, cujus principis honorem & gloriam dominus noster a primordiis suæ assumptionis ad apostolatus apicem sincerissima intentione dilexit, ejusque mores illustres partes ac honores gessit in corde, ad eamque oculum suæ mentis præcipue direxit & habuit. Et infra: *Dominus noster pro meliori, & ut factum hujusmodi habeat, prosperiorem successum, informari affectat si hujusmodi electionis processu aliquod intervenerit juridicum fundamentum, & qualiter quo habito possint facilius remedia adhiberi, ne Romana ecclesia in suis juribus, privilegiis, & honoribus supprimatur: quod quidem, consideratis pluribus, princeps ipse exquirere conatibus tenetur, & debet, quoniam conservando Ecclesiæ decus atque honorem, conservatur & ipse in prosperum & favoribus decoratur. Dominus noster sumpta fiducia magna de bonitate ipsius principis, si in processu dictæ electionis fundamentum juridicum non intervenerit, sicut luculenter apparet, & firmiter creditur, affectat quam maxime ab eo exquiri qualiter privilegium & decus Ecclesiæ in hac parte salubriter, & honor & gloria ac celebris fama ejusdem principis apud Deum & homines integre perseveret.*

Jussus explorare an Wencesl. jure sit exauctoratus.

III. *Quia tenet dominus noster indubie principem eumdem in tam gravi arduoque negotio finem & exitum favorabiliter cogitasse, & ut prosperos sibi successus inveniat, conferre secum de omnibus tam favoribus Alamanniæ, quam etiam de conditionibus & statu Italiæ. Quibus omnibus diligenter attentis, magnum in humeris portat onus,*

Exponere pericula si Bonif. operte Roberto adhæreret.

quod

quod tamen allevari poterit prudentia & potentia dicti principis : & quantum ad factum Alemanniæ primo tactum de Rege Bohemiæ & Rege Hungariæ, eorumque sequacibus & adhærentibus, & etiam dubitatur de Rege Poloniæ, quorum Regum atque regnorum favoribus primo obedientia carebit Ecclesia penitus, & nisi Alemannia quietetur ex toto, si qui inobedientes dicto principi remanerent, adversarentur etiam & Ecclesiæ; conferat attendens ad plenum cum dicto principe de statu Italiæ, & quibus discriminibus Ecclesia subjacet tali pendente negotio quibusque persecutionibus se exponit : quibus omnibus, providentia opitulante divina, nisi potentia & forti brachio obvietur, hæc Petri navicula de proximo permaxime, proh dolor ! turbaretur. Est propterea vigilandum ne mora tot secum pericula undique trahat, ne unde speratur remedium, tendat id quodammodo ad interitum & super iis exponantur scandala & pericula Ecclesiæ, & imperio, & Italiæ eventura, nisi solicitudine, potentia, prudentia, & juris clypeo obvietur.

Ingenti potentia opus esse in Italia.

IV. Scire de intentione sua ad descendendam ad partes Italiæ, & quo tempore, quo ingentium armorum numero, quorum fultus præsidio & de facilitate viarum, & omnibus quæ descensum poterunt præbere securum. Exponere sibi qualiter dominus noster cum fuerit, ut est moris, de quibusdam certificatus, intendet in hac parte procedere cum ad partes Italiæ disponet & ipse descendere; vult tamen ex nunc de quibusdam pro statu Ecclesiæ & fidei orthodoxæ certificari, ut decet, primo ante approbationem & confirmationem quamcumque præstet debitum & solitum juramentum cum clausulis opportunis omnibus : Item per simile juramentum promittet Ecclesiam & dominum nostrum suosque successores canonice intrantes defendere, eumque successorem Petri Romanum ac summum & unicum Pontificem & successorem ejusdem habere, tenere, reputare, & manutenere, bonaque omnia Ecclesiæ sponsæ suæ ubicumque existentia custodire & conservare. De Patrimonio B. Petri, Campaniæ, & regno Siciliæ, ducatu Spoletano, marchia Anconitana, Romandiola, civitatibus Perusii, Bononiæ, & Ferrariæ, ac regno Siciliæ & Trinacriæ ad Ecclesiam pleno jure spectantibus, in præjudicium domini nostri & successorum & Ecclesiæ non se in aliquo intromittet, sed potius, si & cum opportunum fuerit, in subsidium & favorem Ecclesiæ regna prædicta, provincias, civitates, & loca proteget & manutenebit, & in protectione terrarum Ecclesiæ manus adjutrices, cum fuerit requisitus, apponet.

Sacramentum fidei a Roberto postulatum.

De tuenda ditione ecclesiastica.

Item bona ecclesiarum & nostra & libertatem ecclesiasticam toto posse defendet; de iis quoque quæ ad forum ecclesiasticum spectant non se, nec sui imperii officiales

De asserendis ecclesiarum juribus.

per se vel alios intromittat. Provisiones ecclesiarum, monasteriorum, & quorumcumque beneficiorum per sedem Apostolicam factas & fiendas nullo colore quæsito impediet, nec impediri faciet, quin suum debitum consequantur effectum. Electiones quoque ipsarum ecclesiarum, monasteriorum, & collegiorum & conventuum quorumcumque, si fieri contingat, libere & secundum canonicas sanctiones celebrari permittet. Mandata apostolica & rescripta, etiam legatorum in aliquo non impediet quovis modo.

V. Item cum Rege Franciæ & successoribus quibuscumque de domo ejusdem quandiu in hoc nefando schismate perdurabunt, nec cum aliquo Rege, principe, duce, & quibuscumque aliis simili schismate irretitis, cujuscumque status, dignitatis, & præeminentiæ existant, ligam & confœderationem, pactionem, unionem aliquam per se vel alium non faciet, nec fieri permittet, & si aliqua facta fuerint, revocabit & annullabit.

De non ineundo cum schismaticis fœdere.

Item cum dicto Rege Franciæ vel aliquo de domo ejusdem & quibuscumque aliis schismaticis, cujuscumque status & præeminentiæ existant, aliquam parentelam non contrahet absque requisitione & licentia domini nostri præfati.

Item cum Petro de Luna, qui se Benedictum XIII. ausu sacrilego nominare præsumit, & anticardinalibus & sequacibus eorumdem & dicti Petri similiter nullam ligam & conventionem habebit; sed si vellent a præconceptis & inveteratis erroribus resipiscere, & viam veritatis agnoscere, licet sibi eos requirere & monere, atque urgere, & ad lucem & gremium domini nostri reducere. Item quod absque licentia, consilio, & mandato domini nostri ejusque sacri collegii Cardinalium ad sedandum præsens schisma nefarium se non impediet, nisi quantum sit & evidenter appareat, atque cedat in augmentum & conservationem & statum domini nostri, & successorum ipsius canonice intrantium sacrique collegii Cardinalium, non obstante quacumque promissione alias per eum forte super iis facta : & ex hoc etiam nullam viam super iis datam vel dandam ab adversariis acceptabit, nec ab aliis acceptare permittet :

Nec cum Petro e Luna & pseudocard.

Item pro viribus laborabit ope & sermone ad gremium domini nostri & sanctæ matris Ecclesiæ Regem Franciæ & domum ejus aliasque orbis Reges & principes, Petrum e Luna, anticardinales, & alios quoscumque schismaticos reducere, & quos rebelles atque protervos reperiet, compellere, maxime dictum Petrum antipapam & anticardinales, prout fuerit sibi possibile & videbitur opportunum.

Ut vires exerceat pro Gallo & Petro e Luna a schismate abducendis.

VI. Pollicitus est omnia pontificia postulata conficere Robertus Rex ac fidem summa religione coluit; quamvis vires illi

Robertus pontificiis postulatis assentitur.

ad Ecclesiæ hostes expugnandos, ac sedandas schismatis tempestates, vel imperii restituendum splendorem, defuerint: misitque Satalem episcopum Verdensem ad Bonifacium, qui in amplissimo Cardinalium cœtu Reges publicæ populorum saluti exitiales exauctorari, atque alios in eorum locum divinæ providentiæ munere ad publicam rem juste administrandam asserendamque religionem posse subrogari pluribus exemplis demonstravit: tum sapientiam, clementiam, & justitiam Roberti, quibus veluti tribus regiis insignibus ornabatur commendavit panegyrica oratione (a), quam ex veteribus monumentis, quæ descripta servabat antipapa, decerpsimus.

Mittit oratorem ad Bonif.

(a) Ext. to. 15. de schism. p. 216.

Collocutio Conradi Satalis episcopi Vverdensis facta pro Romanorum Rege coram antipapa.

Sanctissime pater & domine (Ita schismatici) *metuendissime, devotissimus sanctitatis vestræ filius princeps invictissimus dominus Robertus Romanorum Rex semper augustus ad pedes ejusdem sanctitatis vestræ, & suum quod est ipsius sanctitatis regnum sincerissima devotione recummendat, offerens se & sua cum pura & cordiali benevolentia ad singula sanctitatis vestræ arbitria pariter & mandata. Et in primis pro jucundissimis novis sanctitati vestræ per nos ejus ambaxiatores humiliter & animo devoto insinuat ejus electionem canonice celebratam & factam per principes electores, ad quos de jure spectabat hujusmodi electio, unanimi concordia ab omni privato affectu, vitio, aut defectu, Altissimo assistente, feliciter consummatam: deinceps, ut tenetur vestro apostolico conspectui per nos & procuratores suos, sufficiente mandato fulcitus, suam exhibet personam, & pro ejus approbatione petitionem simplicem & instantem, pro qua inducenda occurebat nobis illud sacra Scriptura verbum: Eum constitues Regem, quem dominus Deus tuus elegerit. Deuter. XVII. sanctissime pater in divinis legimus historiis, quod Rex regum & dominus dominantium Apoc. XIX. in cujus ditione cuncta sunt posita Esth. XIII. Cujus providentia gubernantur omnia. Rom. XI. quempiam Regum quandoque despexit, quempiam Regum, ne regnaret abjecit, quempiam Regum etiam ut regnaret elegit: quod enim quempiam Regum despexit, divina pandit historia de Pharaone Rege Ægyptiorum, de quo Exod. III. & sequentibus capitulis legitur, quod Dominus cor ejus induravit, quod suis exigentibus demeritis gratiam sibi non donavit: & sic Rex Pharao a Deo despectus incorrigibilis fuit juxta sententiam spiritus sapientiæ sic dicentis: Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit, Eccles. III. Sic etiam legimus, quod Dominus dominantium quempiam Regum quandoque ne regnaret abjecit, sicut Saul uti Samuel propheta in verbo Domini dixit: Abjecit te Dominus ne sis Rex; scidit enim Dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. I. Regum III. & quia Samuel, ad quem Regum unctio tunc spectavit, de hoc turbatus fuit, dixit ei Dominus: Usquequo tu luges Saul? cum ego projecerim eum, ne regnet super Israel. I. Reg. XVI. Pater sanctissime sic etiam legimus in divinis historiis, quod Dominus dominantium quempiam Regum ut regnaret elegit, ut David filium Isai, historia est I. Reg. XVI. ubi Dominus dixit Samueli: Imple cornu tuum oleo, veni ut mittam te ad Isai Betlehemitem, providi enim in filiis ejus mihi Regem, quo sic electo dominus dixit; Elegi virum secundum cor meum.*

Electionis suæ jura exponit.

Pontificia auctoritate confirmari expetit.

Exempla exauctoratorum Regum.

Et suffectorum in eorum locum.

Sane pater sanctissime, sacri imperii electores & cæteri Alamanniæ inclyti principes absque ambiguo tenent pro constanti quod sanctitas vestra nullatenus velit pro Romano Rege quempiam manutenere, consecrare, ungere, aut Imperatorem coronare, quem dominus Deus, cujus est vicarius, despexerit aut abjecerit; sed illum dumtaxat, quem ipse Rex regum & Dominus dominantium elegerit, cum non sit qui ejus voluntati resistere possit Esth. III.

Robertus cum Davide comparatus.

VII. *Quod Rex regum, & dominus dominantium istum Regem Romanorum elegerit, videlicet, dominum Robertum olim comitem Palatinum Rheni & Bavariæ ducem, serenissimum & invictissimum atque Christianissimum principem, certo ostenditur indicio, si eum contemplamur, ornatu Regum præcipuo Romanorum insignitum: & etenim Romanus Rex præ cæteris Regibus & principibus debet esse omnium virtutum decore insignitus. Præcipuus, ut Scriptura docet, triplex est ejus ornatus, videlicet sapientia, justitia, & clementia, ut sit in intellectu sapientia illustratus, in effectu justitia regulatus, in affectu clementia decoratus. Primus itaque Regis Romanorum est ornatus, ut sit sapientia illustratus, cujus exemplum legimus de Rege Salomone, cui cum Dominus apparuisset per somnium dicens ei, Pete quod vis ut dem tibi; ipse Salomon non petiit dies multos neque divitias neque animas inimicorum; sed sapientiam dumtaxat devoto desiderio legitur postulasse, quam Deus ei donavit affluenter cum divitiis & gloria magnifica historia est III. Reg. III. de qua gloriatur in domino, dicens: Super salutem & omnem plenitudinem dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam: venerunt mihi omnia bona pariter cum illa Sapient. II. quocirca spiritus sapientiæ cunctis Regibus & principibus legem statuit dicens: Si delectamini in sedibus & sceptris, o Reges populi, diligite justitiam. Sapientia VI. nimirum quia ibidem legitur: Rex sapiens stabili-*

Sapientia piorum Regum ornamentum.

Justitiæ commendatio.

bilimentum populi; quocirca Eccles. x. dicitur, quod Rex insipiens perdet populum suum. Secundus Regis Romanorum ornatus est, ut sit justitia regulatus: Rex enim justus erigit terram. Proverb. xx. Rex justus omnem dissipat malitiam, quia summus Rex sedet in solio judicii dissipat omne malum intuitu suo. Proverb. xx. Rex justus dat pacem secundam, ut probat Cassiodorus super illo verbo psalmi. Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam; ita dicens: Justitia Regis pax est populorum. Propterea cum totus orbis esset pace orbatus, sicut hodie est mundus omniquaque turbatus, propter hoc pacis præsidium flagitabat dicens: Rorate cœli desuper & nubes pluant justum, & justitia oriatur simul. Isa. xx. Tertius Regis Romanorum ornatus est, ut sit clementia decoratus, quod sub eleganti parabola spiritus sapientiæ sic indicat: Aufer rubiginem de argento & egredietur vas purissimum; aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur clementia thronus ejus. Proverb. xxiii. Sed his tribus ornatibus regalibus serenissimus princeps dominus Robertus Romanorum Rex semper Augustus, & præ cæteris Regibus mundi & principibus ab Altissimo dominantium domino gloriosissime insignitus: sapientia quidem illustratus, quia ipse regnabit, Rex & sapiens erit. Jerem. xxiii. Justitia regulatus, quia orietur in diebus ejus, justitia & abundantia pacis psal. xxx. clementia decoratus, quia totus imitator est sanctorum Regum Israel, qui semper clementes fuerunt iii. Regum xix. Et ideo, pater sanctissime, certe videtis quem elegit Dominus, quod non sit ei similis in toto populo 1. Reg. xix ubi eliciantur circa præsens negotium concernentia. Primo quidem electionis declaratur evidentia, cum dicitur: Certe videbitis. Secundo electi approbatur præsidentia, quem elegit Dominus. Tertio electorum commendatur providentia, quia elegerunt talem, cui non est similis in omni populo. Et ideo, pater sanctissime, ut præmissum est, non constituet quem Dominus despexerit aut abjecerit, sed cum constitues Regem quem dominus Deus tuus elegerit, quod fuit verbum in principio propositum: in quo verbo contemplamur hunc serenissimum Robertum, ut paternali assistentia roborandum, quia cum constitute, ut tribunali eminentia sublimandum Regem, ut divinali providentia confirmandum, quem dominus Deus tuus elegerit.

Clementia firmantur Regum solia.

VIII. Poscit Robertus a Bonif. imperialia insignia.

Et ideo, sanctissime pater, juxta ambaxiatam nobis impositam devotissima supplicamus instantia, quatenus sanctitas vestra de benignitate solita hujus præclarissimi principis personam, cujus fama gloriosa per universum redolet orbem, dignetur approbare, & tempore congruenti ipsum ungere, consecrare, & ad Romanum imperium & totius mundi monarchiam solemniter sacratis manibus vestris coronare, quia ipse absque retardatione negligenti proponit ad vestram sanctitatem personaliter accedere, schismaticos ad obedientiam vestram reducere, & hoc modo unionem Ecclesiæ procurare, Romanam ecclesiam & ejus subditos magnifice defendere, tyrannos comprimere, & malos extirpare, pacem tranquillam pro viribus ordinare, & Romanum imperium item multifarie dissipatum quanto poterit excelsius reformare. Et ut ista votive possit perficere, intendit cum multo magnorum & multorum principum, comitum, & nobilium comitiva armorum potentia magnifica tam celebriter suum facere introitum, ut in ipso veraciter cernatur adimpletum illud Ezechielis vaticinium: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Ezech. xvii. etiam nos hujus clarissimi Regis ambaxiatores, nuntii, & procuratores pleno fulciti mandato parati sumus ejus nomine, & pro eo facere fidelitatis sinceræ juramenta debita & consueta, & alia quæ circa hoc factum & negotium fuerint quomodolibet opportuna. Et ut concludam, pater sanctissime, Dei Patris potentia, Filii sapientia, & Spiritus Sancti clementia sint in corde vestro ad perficiendum tam feliciter & celeriter illud, pro quo cuptamus humiliter, ut Romana & universalis Ecclesia vestra sancta tanto tempore fletu & planctu anxiata se sentiat lætanter consolatam. Amen.

Spondet Schismaticos ad gremium Eccl. adacturum.

IX. Electio Roberti confirmata a Bonifacio.

Confirmavit Roberti electionem Bonifacius, cum antea septemviri ex arcano ad Wenceslaum exauctorandum & novum Regem Romanorum creandum apostolica auctoritate instructi fuissent; de quibus extant publica monumenta (a) in antipapæ Avenionensis libris, qui non modo omnia quæ Avenione fiebant, verum quæ gerebantur Romæ, ut invidiam crearet æmulo, accuratissime colligi & recondi jubebat. Quæ monumenta prætermittimus, cum eisdem pene conceptis verbis pontificio in edicto, quod ad novum Romanorum Regem transmisit Bonifacius, quando Rabanus episcopus Spirensis & Matthæus canonicus oratores cæsarei fidem ipsi solemni jurejurando Roberti nomine obstrinxerunt; inferius afferendo (b) consentiant: atque in eo discrepant, ut in his dicat Bonifacius se consultum rogatumque a septemviris de exauctorando Wencelao ob rei gravitatem respondisse, deliberaturum cum Cardinalibus, ac septemviros interpretatos ipsum tacite Wencelai dejectione assensisse; timebat siquidem, ut dixi, ne Bohemia & Hungaria ad antipapam deficerent, atque ideo mentem regere coactus est ob temporis difficultates. Deinde vero, depresso Wen-

(a) To. 12. de Schism. p. 247.

(b) A. C. 1403. n. 8.

(a) Bonif. l.7. p. 181.

cessao, aperte dixit (a) septemviros auctoritate apostolica in Wenceslao evertendo deligendoque Roberto fultos fuisse.

X. Germania intestino bello implicita.

Agitata sant hæc commeantibus ultro citroque pontificiis cæsareisque oratoribus ante Italicam expeditionem, quam Robertum serius duxisse, quam ductu rum fama tulerat, resve poposcerat Leonardus Aretinus (b) & S. Antoninus (c) tradunt. Et quidem eam aggredi turbata Germania rerum non erat, quam gravi bello fluctuasse hoc anno Gobelinus (d) testatur, cum Henricus dux Luneburgensis ejusque frater Bremensis archiepiscopus Friderici fratris necem ulturi, de qua antea dictum est, una cum fœderatis pluribus Saxoniæ proceribus & Lantgravio Hassiæ acre bellum in Joannem archiepiscopum Moguntinum & Valdechianum comitem moverint: mense vero septembri demum Robertus Italico se accinxit itineri, Tridentumque perveniens in Brixianum agrum Mediolanensis principatus irrupit (e): sed Jo. Maria Vicecomes ad tantum propulsandum periculum comparaverat copias armorum usu exercitatissimas, quare Roberti exercitus commisso ad Benacum lacum infeliciter prælio retro gressus vertere stipendiorum inopia coactus est; tum vero ad res instaurandas subsistere Patavii decrevit Robertus ubi hyemavit [t]. Cur vero Robertus minus prospere res gesserit, nec pares arduis conatibus vires adduxerit, indicat Gobelinus (f); dum illum scribit vires distraxisse, ipsoque Alpes transgresso, ejus partium studiosos a Wenceslao in Germania civili bello petitos: *Wenceslaus enim*, inquit Emundus, (g) *semper magnam partem principum & civitatum Alamanniæ habuit pro se, qui eum pro Rege Romanorum coluerunt*, sustinuere etiam Wenceslai partes Galli: misisse enim Robertum ad Francorum Regem oratorem Stephanum Reginæ patrem ad vetera inter Cæsares & Francos instauranda fœdera, refert Monstreletus (h), exceptumque honorificentissime: verum Wenceslai Regis, qui cæsareos jam titulos gesserat, damno quidquam decernere

(b) Aret. hist. Flor. l.12.
(c) S. Anton.3.p. tit.22.c.3. §.36.
(d) Gobel. in cosmod. æt.6.c.70.
(e) Id. ib. Theod. a Niem. l.2.c.14. Aretin. & S. Anton. ubi sup. Corius hist. Mediol. par. 4. Cuspin. in Robert.

Robertus a Mediolanensi duce propulsatus.

(f) Gobel. sup. c.70.

Ejus studiosi a Wencesl. petiti bello.

(g) Emund. apud chron. Belg.
(h) Monstr. vol. 1. c.6.

Francos respuisse; additque Bavarum Italicam expeditionem ad recuperanda imperii jura conficere constituisse, ac præmisisse copiarum partem, quæ cum a duce Mediolanensi propulsatæ essent, cœptis destitisse: Aurelianensem (i) autem ducem inita cum Wenceslao pactione ducatu Lucemburgensi potitum. De Roberti in Germaniam recessu proximo anno dicetur.

(i) Id. ib. c.5.

De Roberti virtutibus.

(k) Jo. Nid. formic. l.4. c.3.

Ipsum porro Robertum fuisse regiis virtutibus ornatissimum, divinique Numinis timorem altius animo impressisse, ostendit Joannes Nider (k) insigni exemplo justitiæ, quod in blasphemum hominem edidit, cum in cæteros plurium criminum reos clementiam explicuisset: *Rem memoria dignam perpetua fecit meo tempore Rex Romanorum Robertus, qui antea comes fuerat Palatinus. Hic vir bonæ fuit conscientiæ, religiosis suam regulam servantibus gratiosissimus, zelator justitiæ, & persecutor eorum, qui honori derogabant divino. Electus autem in Romanorum Regem civitates imperiales visitare cœpit in negotiis reipublicæ. Cum igitur civitatem intraret Spirensem cum comitatu non modico, multitudoque proscriptorum & exulatorum a dicta civitate se caballo Regis approximarent, cui insedit, phaleras & apparatus tetigerunt, & sic civitatem cum principe intraverunt: est enim consuetudo Germaniæ, ut proscripti a civitatibus, sub spe obtinendæ gratiæ per preces intraturi principis se eidem jungant intranti civitatem aliquam, & postmodum rectoribus collectis principalibus princeps causis proscriptionum auditis solet pro reis intercedere si placet, vel silere, si libet. Consulatu igitur civitatis accersito Rex omnium, qui sub sua tutela civitatem intraverunt, causas demeritorum audire volebat primum. Varia igitur referebantur & diversorum crimina*, & infra, *homicidii, vulnerationis, discordiæ, & similiter. Tandem autem potiores civitatis & adjacentium partium amici intercesserunt pro quodam de Spira nato, qui una cum aliis civitatem intraverat, vir non infimi generis, ut securus deinceps manere posset: volente autem religioso principe omnium causam exulationis illius scire, dictum est, & ve-*

Insigne in blasphemum justitiæ exemplum.

NOTÆ [t] ACcurata itineris Roberti in Italiam narratio ex variis eorum temporum scriptoribus, tum ex ipsis Roberti epistolis, vulgatis a Martene Anecdot. to. I. col. 1674. &c. petenda est. Itineri se tradens die XXV. septembris *Insbruck* agebat, qua die ibidem signavit epistolam, seu belli denunciationem in Joannem Galeatium. Die XVI. octobris Tridentum pervenerat; unde epistolam signatam num. XLVI. ad pontificem direxit. Non diu post, videlicet die XXI. octobris, in agrum Brixianum intravit teste Sozomeno Historiæ Pistoriensis scriptore coævo. Ibi cum equitibus Joannis Galeatii male pugnatum, qua de causa ab archiepiscopo Coloniæ, & Leopoldo Austriæ duce desertus Tridentum iterum repetiit; quæ omnia ex fide ejusdem Sozomeni damus. Resumpto redeundi consilio Paduam intrasse se die *XVIII. mensis novembris*, datis die XXI. ejusdem mensis literis, Robertus ipse Bonifacio pontifici significavit. Eo venerunt Florentinorum legati, a quibus cum rex pecunias pactas exigeret, negarentque illi se daturos, quod pactorum conditiones minime implesset, iratus Robertus Venetias divertit. Venetorum interventu pax conciliata, Florentinis florenos LXV. M. solventibus, bellumque in Galeatium spondente rege. Interim Paduæ a Germanis hyematum. Hæc omnia Sozomenus. MANSI

& vere quod in ludo quodam blasphemasset Deum, non semel, sed sæpe. Tunc zelo divini honoris motus Rex substulit. Rogamina fundenda pro omnibus aliis isto dempto: Alii, inquit, charissimi cives, in homines peccaverunt, supplex peto hominibus talibus parcere velitis, pro isto vero qui Deum blasphemavit, & in Creatorem suum virus suæ iræ retorsit, nihil intercedo; & ita miser iste exul iterato factus est a loco nativo.

XI. Usus est hoc anno Pontifex clementia (*a*) erga Nicolaum & Joannem Columnas, quos jam ante Capitolina arce atque urbe propulsatos vidimus: Joannes enim, cum ad conciliandam sibi pontificiam gratiam accessisset, suo ac fraterno nomine præterita flagitia in Bonifacium a se commissa damnavit, ac sacramento spopondit, imponendis sibi a Pontifice pœnis dolorque voluntario tire illa se expiaturum, futurumque sedi Apostolicæ obsequentem; dicta actaque in publicas tabulas (*b*) hisce contenta verbis redacta fuere.

(*a*) *Bonif. l.6. pag.* 108. 110. 117. 123. 125. 127. 136. 137. & 163.

Columnenses conciliati Bonifacio.

(*b*) *Ext. ibid.*

Fatentur perduellionis scelus.

In primis quidem dictus Joannes de Columna pro se & nomine procuratorio & modo confessus fuit & recognovit, se ipsum & dominum Nicolaum ejus germanum graviter errasse & deliquisse contra Romanam ecclesiam & contra dominum nostrum Papam, Romanum populum, & eos multipliciter offendisse & contra eosdem damnabiliter & detestabiliter rebellasse, & infra, *& seipsos ab ejusdem domini nostri, & Ecclesiæ obedientia subtraxisse, & almam urbem, nonnullas civitates, terras, & castra, & alia loca ipsius dicti domini Papæ, Romanæ ecclesiæ, & Romani populi in dicto tempore dictæ rebellionis extra invasisse & invadi fecisse, necnon libertatem Ecclesiæ violasse, ecclesias & ecclesiasticas personas jura, bona, & jurisdictiones ipsorum graviter offendisse, inimicos præfati domini nostri, ecclesiæ, Romani populi rebelles contra mandata & voluntatem ipsius domini nostri Papæ receptasse & tenuisse in terris & fortalitiis ipsorum, quæ tenent, eisque dedisse auxilium, consilium, vel favorem contra dictum dominum nostrum, ecclesiam præfatam, & ejusdem ecclesiæ adhærentium & subditorum suorum damnum & detrimentum, cavalcatas etiam per se & gentes eorum ad nonnullas terras, & territoria eorundem, & adhærentium prædictorum fecisse, sententias & processus ipsius domini nostri Papæ & dictæ ecclesiæ temere contempsisse, ac multa alia & diversa crimina & delicta gravia & enormia commisisse & perpetrasse in animarum eorum grave periculum, perniciosum exemplum, & multorum scandalum; propter quæ in pœnas & sententias juris, & etiam multorum apostolicorum processus, & specialiter felicis recordationis dominorum Joannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Innocentii VI. summorum Pontificum, & præfati domini nostri Papæ sunt dubio inciderunt. De quibus omnibus, ad cor reversi, dolent, & ex iis dictus Joannes pro se & nomine procuratorio domini Nicolai sui germani prædicti & modo quibus supra, humiliter, reverenter, & devote petiit de prædictis omnibus & singulis veniam, & ut pro modo culpæ eis injungatur pœnitentia salutaris, ac remissionem, absolutionem, liberationem, & reductionem ad gratiam & misericordiam præfati domini nostri Papæ, & habilitationem ad omnia, ad quæ habiles erant ante omnia supradicta, per eos vel eorum alterum commissa, & restitutionem in integrum, & repositionem in eo statu, in quo erant antequam prædicta vel eorum aliquod perpetrassent; jurans dictus Joannes pro se & procuratorio nomine & modo quibus supra, quod stabunt & parebunt mandatis præfati domini nostri Papæ & Romanæ ecclesiæ.*

Et factas hostiles excursiones.

Veniam poscunt.

Quæ omnia præfatus dominus noster benigne ex sui solita clementia ipsi Joanni pro se & fratre suo gratiose concessit, injungens pœnitentiam & remittens, absolvens, liberans, reducens ad gratiam, habilitans, in integrum restituens, & eo pristino statu reponens, prout superius per ipsum Joannem pro se & fratre suo prædicto extitit supplicatum, &c. Adjiciuntur redintegratæ pacis leges, tum subjicitur: *Post publicationem dictorum capitulorum in eodem instanti, sine aliquo temporis intervallo non vi, dolo, vel metu, sed sponte, & ex certa scientia, & sua bona voluntate, nomine suo proprio & procuratorio, quo supra, cum maximis devotione & reverentia ad sancta Dei evangelia ambabus manibus tactis scripturis ad pedes præfati domini nostri Papæ positis infrascriptum præstitit juramentum.* Concepta est sacramenti forma iisdem fere verbis, quibus alias eam attulimus. Ita vero consignatæ sunt superiores tabulæ. *Anno* * *nativitatis MCCCC. indictione IX. die XVI. mensis januarii*. Egregium quoque clementiæ exemplum præbuit Bonifacius, dum Jacobellium Gajetanum Honorati olim Fundorum comitis, præcipui auctoris schismatis filium, læsæ majestatis reum, quamvis magna eum clade, ut enarrat Summontius (*c*), affecisset, omninoque excindere, incitato in eundem Rege Ladislao victore potuisset, veniam flagitantem paterno ita excepit (*d*) situ, ut devoluta ob paternum crimen ad fiscum pontificium, Sermonetæ, Bassiani, & Nimphæ castra irrevocabili dono illi tradiderit (*e*). Restituti quoque plures alii in pristinos gradus fuere, cum Bonifacius tantum reatus delere, reos vero servare amantissimi patris instar peroptaret. At de his hactenus nunc de antipapæ rebus est dicendum.

Spondent pontificis imperiis obsequentes futuros.

Sacramentum fidei nuncupant.

* incarnationis.

Bonifacii clementia in Jacobellum Gajetan.

(*c*) *Summont. l.4. c.2.*

(*d*) *Bonif. l.6. p.150.*

(*e*) *Ib. p. 143. & 248.*

Subornavit ipse ingentibus promissis ducem XII.

Dux Aurelianensis ab antipapa subornatus.

Nititur illi Gallos pseudocard. conciliare.

(a) To. 2. de schism. p. 236.

Ut Petrus e Luna nisus sit Avenionem evertere.

cem Aurelianensem, ut ejus clientelam contra pseudocardinales susciperet. Fascinatus itaque is princeps ambitione, agitare coepit de schismaticis Cardinalibus Petro e Luna conciliandis, ob idque oratores misit; qui cum caussas alienatæ voluntatis ab pseudocardinalibus exquirerent, hoc responsum ab illis tulere (a): *Fuit*, de Petro e Luna loquuntur anticardinales, *in tantam malitiam & iram conversus, quod quantum fuit sibi possibile, istam inclytam civitatem*, Avenionem scilicet, *fuit funditus conatus evertere; ac contra eam, dum adhuc tota esset inermis, & nos, Deo teste, nihil cogitavissemus de aliqua via facti; ipse viam guerræ sævissime & inhumane prius incoepit, occupando turres portalium, terrendo populum, noctis etiam tempore de culmine turrium jactabatur ignis sulphureus, quo possent domus cum inhabitantibus concremari: fecit pontem ad non modicum Regis & reipublicæ injuriam concremari: bombardæ quotidie resonabant: ballistæ, lapides funda contorti miseros istos & fidelissimos cives ad interitum deducebant, & hæc omnia fiebant actu, & facta fuerant per plures dies antequam esset per nos de aliquo remedio cogitatum, unde fidelissimi cives hujus inclytæ civitatis, videntes civitatem istam, nisi occurreretur insultibus, depopulari & destrui, ad nos tunc in Villanova degentes habuere recursum, suppliciter implorantes auxilium, & lacrymabiliter supplicantes, ut civitatem istam vellemus defendere; maxime quia fama erat, sicut postea apparuit per effectum, classem magnam gentibus armorum refertam venire ad exterminium civitatis. Nos igitur pro nostra justa defensione & hujus civitatis conservatione intravimus civitatem, Christo teste, non ad offendendum nec faciendum guerram offensivam per viam facti, sed ad defendendum nos, ad obviandum, & resistendum, ne civitas ista, jocale pretiosum Ecclesiæ, destrueretur, ita quod absit, quod a nobis quæcumque guerra offensiva habuerit principium.*

Avenionenses ab eo lacessiti concitarunt in ipsum Gallos.

XIII.

Perfecit postea Aurelianensis dux, ut Petro e Luna negatum antea a pseudocardinalibus suis jure obsequium fuerit restitutum; qua de re hæc habent vetera instrumenta publica (b) tunc a schismaticis confecta: [1] *Concordia fuit tractata & consummata inter dominum nostrum Papam & Cardinales Avenionenses post exitum palatii per dominum nostrum, & de illa fuit factum instrumentum inter cætera continens primo capitulum sequens. Primo, quod Papa mandet dari dominis Cardinalibus instrumentum & instrumenta in forma publica de hic, quæ alias concessit ad instantiam Regis Franciæ nihil mutando seu innovando; cujus concessionis & instrumenti tenor incipit. In nomine Domini, Amen, &c.* Concordiæ vero formula his verbis est concepta.

(b) Ext. in cod. v. MS. Card. Barb. to. 2. de schism. p. 62.

Obligatio obtenta a domino nostro Papa dum erat obsessus in palatio apostolico Avenionensi.

Anno a nativitate Domini MCCCCI. *indictione* IX. & *mensis martii die trigesimo*, & infra, *nuntii illustris principis domini Ludovici ducis Aurelianensis eidem domino nostro Papæ exposuerunt verbo in effectu quod cum dudum, videlicet de anno a nativitate Domini* MCCCXCIX. *indictione* VII. *die vero* X. *mensis aprilis pontificatus præfati domini nostri Papæ anno quinto, ipse dominus noster Papa ad instantiam illustris principis domini Caroli Regis Francorum quædam capitula concessisse cum renunciatione quarumcumque protestationum, si quæ per ipsum factæ forent, quæ contra prædicta capitula vel contenta in eis possent in aliquo derogare, quorum capitulorum tenor talis est: Primo quod propter reverentiam Dei & salvationem gregis Christi Benedictus prædictus velit acceptare viam cessionis, & promittere quod intruso cedente, mortuo, vel ejecto, ipse renuntiabit papatui ad finem, quod eligatur tertius unicus verus pastor & vicarius Jesu Christi. Item quod ipse Benedictus teneatur promittere & promittat quod ipse directe vel indirecte quovis modo non faciet,* nec

Repetita sponsio de abdicatione a Petro e Luna.

NOTÆ [1] CArdinales Benedicto XIII. rebelles hoc anno ad obsequium rediisse annalista hic scribit; redeuntique fidei pacta ea MS. codice recitat. Verum haud ante multos annos Martene in to. II. Anecdotorum col. 1266. ex MS. cod. Gemmeticensi aliam dedit concordiæ ejusdem formulam quæ biennio post hanc ab annalista vulgatam signatur, præfert enim annum MCCCCIII. indictionem XI. diem XXIX. mensis martii. Recitantur in illa pacta, concordiæ, quæ ea ipsa die firmari dicitur, inter pontificem, cardinales, & Avenionenses. Nihil vero ibi de acceptanda a Benedicto via cessionis, quæ in tabulis annalistæ prima omnium pactionum occurrit. In iisdem pariter Martenii tabulis ita de Benedicto agitur, ac si plene libertati nondum redditus fuisset: *postquam restitutus fuerit pristinæ libertati*. Posterior hæc epocha restitutæ a Cardinalibus obedientiæ utique retinenda est, cum hanc cardinalium cum pontifice conjunctionem proxime sequutus fuerit totius Galliæ reditus ad obsequium pontificis, ut ex tomo V. Hist. Univ. Parisiens. discere licet. Rediisse vero Gallos ad Benedicti obsequium anno 1403. majo mense ex diplomate Caroli regis in eadem historia recitato compertum est. Forte igitur quæ in annalibus recitantur, literæ signatæ anno 1401. indictione IX. vel successu caruerunt, vel potius in notis chronicis corruptæ sunt ab amanuensi, qui in signandis annis Christi duas postremas numerales notas omisit, in indictione ordinem notarum invertit, ut pro XI. scripserit IX. MANSI

nec procurabit aliquod, per quod unio Ecclesiæ valeat retardari, nec via cessionis quomodolibet impediri: & hoc etiam jurabunt personæ, quæ apud ipsum manebunt; quodque eidem Benedicto, si contrarium facere vellet, non consentient, nec eidem dabunt consilium aut favorem. Item similiter promittat, quod quoties expedierit, ipse ibit ad conventum seu congregationem, quæ (De adeundo concilio.) *fiet pro unione sanctæ matris Ecclesiæ una cum illis, qui ad eundum ad conventum seu congregationem prædictos sunt vel erunt ordinati pro parte quæ obedivit felicis recordationis domino Clementi Papæ VII. & eidem Benedicto: quorum capitulorum tenorem, prout superius est insertus, prædicti ambaxiatores sive nuntii in quadam cedula papyrea præsentarunt, & ibidem legendum nobis notariis tradiderunt concludentes, quod cum nunc præfatus dominus Rex pro utiliori prosecutione negotiorum Ecclesiæ prædictorum capitulorum concessione indigeret, ipsum dominum nostrum Papam requisiverunt & rogaverunt tam ex parte ipsius domini Regis quam præfati domini Ludovici ducis Aurelianensis, quatenus pro bono & acceleratione unionis sanctæ matris Ecclesiæ vellet de prædictis capitulis & sua concessione cum renuntiatione quarumcumque protestationum, si quæ per ipsum factæ forent, quæ contra prædicta capitula vel contenta in eis possent in aliquo derogare, mandare, confici, & eis tradi unum, duo, & plura publicum instrumentum vel publica instrumenta.* Et infra: *Et ideo volens,* idest Benedictus, *ut asseruit, ab illa deviare, eandem responsionem etiam nunc omnino & sub eadem forma faciebat & fecit, ut sequitur in hæc verba.*

XIV. Vaferrima perfidi antip. promissa.

Nos Benedictus, &c. confidentes primo & principaliter in Deo, cujus res agitur, quod Ecclesiam suam quam rexit in prosperis, in adversitate non deseret, sed inter fluctus sævientes speciali providentia gubernabit; deinde post Creatorem ad creaturas non referentes, quantum in homine licet confidere, etiam confidentes in prædicti serenissimi Regis Francorum excellentia, quod a præclarissimis & Christianissimis progenitoribus exemplar impressum retineat protegendi Ecclesiam qui etiam in minoribus casibus se ei devotum exhibuit protectorem, quod in eam periculoso articulo, quantum ad se pertinet, eam non velit opprimere, nec permittet ruere vel incidere in errorem, sed erga ipsam fidem suam & devotionem catholici principis & erga nos, & si indignum verum Christi vicarium in terris, humanitatem & magnificentiam tanto Regi convenientem ostendet, annueramus dictis capitulis prout etiam nunc in præsentia ipsorum ambaxiatorum & notariorum & testium infrascriptorum assistentium annuimus, ipsaque capitula & omnia & singula contenta in eis scienter, voluntarie, & spontanee acceptamus, firmamus, & approbamus, & bona fide promittimus tenere, facere, complere, ac inviolabiliter observare, & etiam faciemus per nostros, qui nobiscum manebunt in palatio, eadem capitula ac omnia & singula in eisdem capitulis designata teneri, fieri, compleri, & firmiter observari, renuntiantes expresso quibuscumque protestationibus, si quæ per nos factæ fuerint, quæ contra præmissa capitula vel contenta in eis possent in aliquo derogare, pro quorum omnium majori firmitate nos huic cedulæ propria manu subscribimus. Dum favet Aurelianensis princeps antipapæ hosti Numinis, permisit divino odio, ut sævus hostis nimirum dux Burgundiæ gerere cum ipso inciperet inimicitias; de administratione enim regni cum eo disceptasse, memorat Juven. Ursinus (a).

(a) *Juv. Urs. in Car. VI. hoc anno.*

XV. Bellum Anglos inter & Gallos accensum.

Indictum hoc anno a Franco Rege bellum Henrico Lancastrio Anglorum Regi, cum is, quamquam Isabellam Richardi cæsi uxorem & Caroli filiam in Gallias dimisisset, pactam tamen dotem non restituisset, narrat Monstreletus (b); additque Henricum ancipiti & cruento certamine Thomam Perusium & comitem Nortumbriæ profligasse; tum in Wallenses, qui adversam factionem tuebantur, signa movisse: ad hos vero tuendos auxiliarem exercitum a Jacobo Borbonio proximo anno adductum, ac ducem Aurelianensem provocasse (c) Anglum Regem ad certamen equestris centuriæ, hunc autem respondisse parem Regi dignitate non esse ducem, neque hujusmodi pugnas nisi pro divino honore & bono Christianæ reipublicæ conferendas.

(b) *Monstrel. vol. 1. c. 4.*
(c) *Ib. c. 7.*

Studiosa Richardi factio oppressa. Dux Aurelian. Henricum provocat ad certamen equestre.

XVI. Sapiens illi datum responsum.

Cæterum in Anglia: *Post epiphaniam,* inquit Walsinghamus (d), *factum est parlamentum Londoniis, in quo statutum fuit edictum de Lollardis, ut ubicumque deprehenderentur suam pravam doctrinam amplexantes caperentur, & diœcesano episcopo traderentur; quod si perseveraverint pertinaciter opiniones suas defendere, degradarentur & jurisdictioni sæculari committerentur: practicataque fuit hæc lex in pseudopresbytero, qui apud Smithfield multis aspectantibus est combustus.* Londinensis conventus acta recenset accuratissime ex veteribus monumentis in historia Wicleffiana Nicolaus Harpsfeldius (e), nimirum Wicleffistas instruxisse artes omnes & dolos, ut proposita ecclesiasticarum rapinarum illecebra Regem regnique proceres hæreseos laqueo irretirent, edito scilicet libello supplici, in quo, ut alias Richardo regnante vidimus, exposuere redigendum ad paupertatem evangelicam clerum, illiusque opes partim proceribus, partim regio fisco addicendas, quibus aucta respublica ad maximum splendorem reflorescerет.

(d) *Vualsin. hist. Angl. in Henr. VI.*

Sacerdos Wicleffista flammis exustus. Wicleffistarum doli pro Rege & magnatibus subornandis.

(e) *Harpsf. in hist. Wicleff. c. 17.*

Unus

Unus, inquit, ex præcipuis scopis, quo Vvicleffiani collimabant ille erat, ut possessiones omnes clero excuterent, atque in summa illum egestate constituerent, quo & libellus ille, de quo commemoravi, licet tectius, spectabat: sed regnantibus Henrico IV. atque V. callidum hoc & nefarium consilium apertius & violentius erupit, resque in ipso parliamento tractata est, rapinæque huic speciosus quidam regiæ & publicæ utilitatis fucus ad Reges, illustrioresque viros inescandos obtendebatur. Jactabant itaque temporales, ut appellant, Ecclesiæ possessiones, quas monastici viri & alii ex clero male & perdite, ut isti ajebant, collocabant posse insignem & incredibilem Regi regnoque fructum adferre: posse ex his emolumentis xv. comites, CIↃ. IↃ. equestris ordinis homines, duo millia armigerorum, ut appellamus, ad reipublicæ defensionem atque tutelam foveri: posse præterea centum pauperum hospitia ædificari: præter xx. mille librarum annuos proventus, qui fisco accederent. Hoc certe fuit novum sub pietatis specie aucupium, quo Reges facile irretiendos existimabant. Tentata res est, ut dixi, sub Richardo, tentata sub Henrico IV. tentata & sub Henrico V. sed privatis illi compendiis Dei & Ecclesiæ honorem proinsita sua pietate prætulerunt. Obstruxit itaque aures blandis vocibus sirenum trahentium in exitium Henricus Rex: cumque hæretici sibi verbi divini populo exponendi authoritatem arrogarent, atque impia deliramenta sacrorum oraculorum, quæ ipsi pervertebant, fucis oblita docerent, in eodem conventu Henricus regia authoritate eos coerceri jussit, qui sine episcoporum venia concionarentur, omnesque hæreticorum cœtus vetuit. Amplissimo etiam edicto novatores, qui de Ecclesiæ authoritate & sacramentis ad aures obganniebant, editisque libris evertere religionem, ac populos ad seditiones concitare moliebantur, flammarum incendio si pertinaciter tuerentur errorem, abolendos sanxit, ut narrat Harpsfeldius (a) sic inquiens:

Ostentatæ pestiferæ illecebræ.

(a) Harpsf. ibid.

Pia Henrici decreta.

Henricus pater, scilicet Henrici V. *maximorum illorum comitiorum auctoritate constituit & sancivit, ne quisquam sine licentia episcopi [exceptis iis quos jus ecclesiasticum admittit] concionari audeat: ne quisquam ad prava & damnata dogmata discenda conventus aliquos hominum cogat: ne quis aurem hujusmodi docentibus præbeat: ne quis damnatos libros apud se retineat: ut qui obstinati in erroribus persistunt palam incendio ad terrorem & exemplum aliorum absumantur: quod tamen decretum ita accipi non debet, quasi nulla prius fuisset de hæreticis comburendis per leges regni cautio atque provisio; in quo tamen errore quosdam versari video: nam & Albigenses ignis prius supplicium subiere, regnante Joanne, & rescriptum de hæreticis comburendis tam antiquum est, atque ullum aliud rescriptum. Communi itaque & aliquo jure satis de hac re cautum est: sed non licebat sine rescripto regio, hanc prius pœnam irrogare; jam per hanc sanctionem, semoto hujusmodi rescripto licet. Erit autem ni fallor, operæ pretium causam, quæ hanc Regi omnibusque regni ordinibus sanctionem quasi extorsit hoc loco subiicere, quæ ex præfatione statuti abunde liquet, quæ eo potissimum respicit, ut ostendat catholicam fidem super Christum fundatam, perque Apostolos atque Ecclesiam catholicam sufficienter atque abunde declaratam atque definitam fuisse integerrime, constantissime atque religiosissime ut in nulla magis natione a Regibus hactenus observatam; ecclesiamque Angliæ ad summi Dei totiusque regni honorem amplissimis per eosdem possessionibus, amplissimis privilegiis, libertatibus, atque prærogativis quæ hactenus sarta tecta atque inviolata permansere fuisse ornatam: fidem quoque catholicam hactenus sartam, tectam, atque inviolatam permansisse. At nuper multos erupisse novorum & damnatorum dogmatum improbos sectatores, qui de sacramentis & de Ecclesiæ auctoritate pessime & perditissime sentirent; quique, spreta tam humana quam divina lege, concionandi ipsi sibi munus arroganter vendicarent, concionandoque improbata & execranda dogmata proponerent, quæ catholicæ fidei atque Ecclesiæ sanctionibus prorsus repugnarent; quique ad disseminanda eadem dogmata, illicitos conventus & fœdera inirent, scholasque tenerent, libros conscriberent, & quoad possent populum ad perniciosos motus seditionemque, magnaque dissidia, atque contentiones in regno excitarent, quotidieque alia horrenda piacula designarent ad extremam catholicæ fidei ruinam, ad divinæ majestatis omniumque Ecclesiæ libertatum & prærogativarum imminutionem; imminere itaque ingens quoddam periculum non solum animabus populi, sed & alia quædam immensa pericula ni ocyus his tantis malis idonea cautione, legumque severitate occurratur. Hæc & alia id genus in illis comitiis. Adeo autem Rex iste ad profligandam hanc hæreticam luem accuratas cogitationes suscepit, ut episcopos ad suum in hac causa munus vigilanter & strenue obeundum, missis selectissimis ad ipsorum synodum ex sua nobilitate, secretoque consilio viris vehementer & solicite excitarit, & eis in hac tam necessaria perfunctione quodammodo præjerit.* Vindicata est hac diligentia & severitate, quæ proximis etiam annis in impios est adhibita, ab hæresi Anglia, innumerasque propulit calamitates, quæ postea Bohemiam sub inerti Rege hæreticos tolerante merserunt, de quibus dicetur postea: nunc ad orientales

Quando sint damnati in Anglia flammis hæretici.

Quæ causæ Henricum moverint ad sanctionem ferendam in hæreticos.

Impii eorum conatus.

Episcopi regia potentia fulti adversus hæreticos.

les tes narrationum convertimus.

(a) Diar. MS. Ven. Petr. Marc. in Michaele Steno. Briar. Genuen. hist. l. 10. Foliet. l. 9.

Famagusta obsidione liberata. Berytus direpta a Bucicaldo.

Apparavit hoc anno (a) navale bellum in Cyprum Bucicaldus a Gallo Rege Genuensium præses creatus, ut Janum Lisinianum Regem, qui Famagustam Genuensis ditionis urbem ingenti obsidione pressferat repelleret, regnoque etiam deturbaret: ac Janus vim Gallicam veritus, pacem æquis conditionibus postulavit, solutaque obsidione, sumptus bellicos refecit [1]. Convertit itaque Bucicaldus impetus in Saracenos; atque in Candelorio portu barbaricas naves incendit, ac loci principi pacem flagitanti leges dedit. In Syriam conversus, Berytum vi expugnatam diripuit, oramque maritimam devastavit. Direxit etiam vela in Alexandriam, ut eam impetu caperet; sed contrariis ventis propulsatus est, ac tum classiarii epidemico morbo magna ex parte absumpti sunt: quamobrem redire coactus, cum Peloponesum præterveheretur, Carolus Zenus Venetus ut mercatorum Venetorum, quibus damnum in Syriaca excursione fecerat, injuriam ulcisceretur; instructis undecim triremibus e portu, cui Juncus nomen est, egressus, ejus classem invasit cruentoque, & ancipiti prælio Hermolai Lombardi opportune cum duabus triremibus supervenientis ac triremem cum bellatoribus infusto ictu subvertentis auxilio adjutus, tres Bucicaldo naves abstulit, tres alias mari depressit: Bucicaldus vero in itinere triremim Venetam majoris alvei intercepit; cumque ex his initiis atrocioris belli periculum immineret, controversia communium amicorum, præcipuo Florentinorum opera composita est.

Caroli Zeni cum Bucicaldo prælium navale.

Pax composita.

Traditur etiam in Veneto diario (b), Tamerlanem irrupisse hoc tempore in Syriam, tantumque terrorem populis injecisse, ut quocumque incederet, omnia in suam potestatem redigeret, ac Venetos mercatores ex ea Syriæ clade mercibus etiam spoliatos. Ipsum quoque Turciæ hoc anno signa victricia intulisse, & Sebastiam (c) funditus evertisse, Chalcondyles tradit, ac Bajazetis filium Orthogulem (d) necasse; tantam vero adhibuisse sævitiam, ut ad centum vigintimillia Sebastenorum ferro conciderit, ac puetos imbelles & fœminas in unum congregatos, immisso equitatu, equorum pedibus protriverit, quo immani spectaculo oculos suos pascere consueverat (e). His vero cladibus Turcos affici justu divina providentia passa est, ut fusi innoxii Christiani sanguinis ultionem ab iis repeteret, quæ post Chalcondilem ex veteribus monumentis Bizarrus (f) fusius narrat, & Constantinopolim a Turcarum impressionibus assiduis liberatam tradit. Indicat hæc Tamurlanis bella verbis obscurioribus Walsinghamus (g), additque Emmanuelem Imperatorem Græcorum, qui in Anglia ad elicienda in Turcas auxilia versabatur, accepto nuntio Turcarum Regem suorum Asiaticorum cladibus revocatum solvisse Constantinopolis obsidionem, admodum recreatum. De inito vero Bajazetem inter & Tamerlanem prælio sequenti anno agemus.

Tamerlanis irruptio in Syriam.

(b) Diar. Venet. MS. mag. chron. Belg.

(c) Chalcond. de reb. Turc. l. 3.

(d) Idem ibid.

Turcarum strages ab eo editæ.

(e) Leuncl. hist. Turc. l. 6.

(f) Biz. hist. rer. Pers. l. 9. Mag. chro. Belg. & Chalcond. ibid.

(g) Walsin. in hist. Angl.

Rediit quoque animus Græcis, qui continuis a Bajazete cladibus atterebantur. Immiserat ille jam ante Jacupum Bassam quinquaginta millibus Barbarorum succinctum in Peloponesum, totque strages ediderat, ut Theodorus despota porphyrogenitus Emmanuelis Imperatoris frater, cum ex obsessa Constantinopoli nulla accersere auxilia posset, Spartam Rhodiis equitibus pretio vendiderit, ut eo reliquam ditionem facilius tueretur, ac Spartiatæ Latinorum virtute contra barbarorum impetus tuti essent. Meminit Jacobus Bosius (h) ex vetustis equitum religiosorum monumentis Raymundum Lestura Tolosanum priorem & Eliam Fossatum præceptorem ad ineundam Spartæ possessionem missos, atque hoc anno xxi. junii die, religiosi ordinis equestris in Peloponeso legatos creatos, instructosque summa auctoritate, ut cum Spartiatæ equitum dominatum admittere abnueret, de variis arcibus peninsulæ cum Petro e S. Superano Achajæ moderatore paciscerentur. Hic vero observandum, ut Spartiatæ se Turcarum furori objicere maluerint (i), quam equitum Hierosolymitanorum imperium suscipere, unde justa in eos Dei ultio perspici possit: nam miseri repudiato Latinorum patrocinio ac dominatu, postea Turcica tyrannide sunt oppressi.

Bajazetes a Constantinop. obsidione divulsus.

Turcarum in Peloponesum excursio.

Sparta Rhodiis equitibus divendita.

(h) Bos. hist. equ. S. Jo. Hierosol. l. 4.

(i) Phrantzius l. 1. c. 20.

Eorum imperium detrectat.

NOTÆ [1] EX MS. Veneto diario expeditio Genuensium in regem Cypri in annalibus hoc anno narratur; sed a Georgio Stella, qui circa hæc tempora annales gentilium suorum Genuensium scribebat, in annum sequentem rejicitur. Quæ vero ex eodem diario adduntur de Turcis hoc anno Syriam invadentibus vera sunt, & ab æqualibus non paucis scriptoribus adstruuntur, qui & tradunt ea Turcarum invasione Damascum igne ferroque vastatum fuisse. Verum Damasci direptio, & eversio nonnisi anno sequenti contigit, ut in nota ad annum 1402. 5. demonstrabitur. MANSI

I. *Cometa ingentium conversionum prænuntius.*

ANno a Christo nato secundus supra millesimum quadringentesimum indictione decima maximis rerum conversionibus insignis fuit, quas ingentem cometem hoc anno visum portendisse vulgus existimavit. De eo hæc Theodericus Niemus (a): *Anno decimatertio pontificatus Bonifacii circa tempus quadragesimale continuo per quadraginta dies serotinus apparuit grandis cometa, cujus caput versus Italiam & cauda protendebatur versus occidentem.* De eodem comete etiam in Anglia viso Walsinghamus (b) aliique aliarum gentium auctores meminere. Subdit vero Theodericus Joannis Galeatii Vicecomitis ducis Mediolanensis, qui totius Italiæ tyrannidem affectabat, ac Florentinos graviori bello premebat, obitum consecutum. De ejus interitu consentiunt cæteri scriptores, dejectumque e summo secundarum rerum culmine in tumulum, cum Alberico duce, deletis auxiliaribus Florentinorum copiis Bononiam eripuisset Joanni Bentivolo, quem inimici adversæ factionis Bononiensis facto concursu fine victoris imperio peremerunt: deinde adversus Florentinos exercitum promoturus esset: cujus ægritudo ac mors Florentinorum rebus in extremum discrimen adductis saluti fuit. Cæterum de Galeatii morte nuntiis acceptis Florentinos ipsos ex maximo metu recreatos describit Leonardus Aretinus (c), memoratque ut Galeatius ægritudine implicitus de redintegranda pace egerit, quo pacatum principatum filiis relinqueret; verum ejus conatus præcipiti morte ad irritum recidisse; tum addit (d): *Ex illius confestim morte tanta rerum conversio secuta est, ut qui prius vix ullam salutis spem reliquam habebant, hi maxime confiderent; qui autem se vicisse putabant, omnem spem amitterent resistendi;* hisque verbis auctor historiæ suæ Florentinæ finem imponit, quam S. Antoninus exscribere consuevit. Quæ vero de Joannis Galeatii heredum retusa tyrannide ait, ex dicendis sequenti anno magis patebunt. [r]

(a) Theod. a Niem. l.2. c.29.

(b) Valsin. in Henr. & alii.

Affectatum Italiæ imperium a Mediolanensi.

Interitum Florentinis exitium.

(c) Aretin. hist. Flor. l.12. S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. §. 39. Corius histor. Mediol. par. 4. Sigon. l. 3. de episcop. Bononien. & alii.

(d) Aretin. ubi sup.

Res Italiæ conversæ.

II. *Scotiæ sceptri hæredis tristis mors.*

Hoc anno David Roberti Regis Scotiæ filius, cum in libidinum omni genere volutaretur, atque virgines, matronas, moniales per blanditias, perque apertam vim contaminaret, a patre Roberto fratri suo traditus, ut lascivientem juvenem coerceret, miserando mortis genere in vinculis periit (r): nam patruus nepotis non emendandi, sed perdendi cupidus, ut solium regium tandem occuparet, fame illum enecare constituit: cujus sortis miseræ duæ mulieres, cum illius famem levare niterentur, a tyranno morte affectæ sunt. Earum altera, ut ingeniosa misericordia est, clam frustula panis per angustum foramen immittebat in carcerem, altera expressum mammillis lac per canalem in moribundi adolescentis regii os fundebat, denique omni solatio destitutus juvenis, cum fœdissima quæque absumpsisset: digitos suos infeliciter arrosit; triste posteris plexæ, permittente Deo, lasciviæ documentum daturus, cum ob regiam potentiam laxatas in omne scelus liberas habenas putaret: de cujus mortis acceptis nuntiis Rex pater dolore confectus extabuit. Mirum est Reges omnes, qui se schismatis laqueis temere irretierunt, infelices extitisse.

(r) Bohet. l.16. & Buchanan l.10.

Funesti schismaticorum Regum exitus.

III. *In Anglia recrudescit Wicleffi hæresis.*

In Anglia Wicleffi hæresis, quæ præsulum pio ardore ac diligentia extincta putabatur, iterum erupit; sed ita e laribulo edu-

NOTÆ [s] EOrum quæ hic leguntur in annalibus chronologiam ita diligentius retexo ex Sozomeno horum temporum æquali historiæ Pistoriensis scriptore; ex Jacobo da Del' Ayto qui per hos annos Estenses annales usque ad annum 1409. perductos digerebat, vulgatos rer. Italic. to. XVIII. Igitur cometes hoc anno videri cœptus non quidem martio, sed februario mense die XXIII. quamquam etiam martio mense perseveravit teste Del' Ayto. Eodem martio mense Rupertus de auxiliis sibi præstandis a Florentinis, & a Bonifacio pontifice desperans, redit in Germaniam, ait Sozomenus. Tunc Galeatius invalescens Bononiam cepit, Joanne Bentivolio principe urbis, factione conjuratorum cæso die XXIX. junii. (Ayto). Ipse tandem Galeatius fato cessit die III. Septembris (Sozomenus, aliique). Hæc chronologia gestorum quorum in annalibus mentio est.

Cæterum reditus sui ex Italia in Germaniam causam hanc prætendit Rupertus in epistola ad *civitates directa*, legenda inter acta varia de Winceslao, & Ruperto imperatoribus, apud Martene veter. monum. to. IV. col. 92. *Aliqui nostrorum legatorum* (ad pontificem) *retulerunt, ipsum a nobis quosdam articulos prætendere, quos prius nunquam audivimus, quique non solum ad nostram personam, sed & sanctam ecclesiam, sacrum imperium, universamque christianitatem concernunt. Qua de re statuimus nihil concludere absque nostrorum electorum &c. consilio.* Porro rerum, quas pontifex a Ruperto exigebat, gravissima habebatur illa, quam in folio legatis suis ad Principes electores ab eodem Ruperto tradito expressit: *quod se deberet obligare non se velle procuranda sanctæ ecclesiæ unitati immiscere.* Id vero pontifex exigendum forte censuit, quod suspicaretur, Rupertum, diu a Gallis tentatum, in eorum tandem sententiam concessurum, cogendo utrumque pontificem ut cederet dignitate. Vide quæ disseruimus in nota ad A. 1400. 16. Folium vero, de quo hic, legas inter acta varia de Wincesiao, & Ruperto imperator. Marten. Veter. monum. to. IV. col. 74. MANSI

educta sunt colubri capita, ut eliderentur; infundique simplicibus solita ab impiis venena producta in lucem fuere, ut quisque ad ea cavenda communiretur; quorum errorum pars maxima a novatoribus præteriti sæculi iterum ab inferis revocata est. Enumerat eos subjectis verbis Walsinghamus (a):

(a) Walsin. hist. Angl. in Henr. 4. hoc an.

Sacramenta spreta ab hæreticis. Conjugium ab hæreticis virginitati præfertur,

Eo tempore Lollardi docuerunt conclusiones execrabiles, in occulto tamen propter metum judiciorum, quæ sunt istæ. Quod septem sacramenta non sunt nisi signa mortua, nec valent in forma, qua eis utitur Ecclesia. Item quod virginitas & presbyteratus non sunt status approbati a Deo; sed status conjugii optimus est & ordinatus a Deo: quapropter omnino virgines & presbyteri religiosique, si salvari desiderant, debent conjugari, vel esse in voluntate & proposito se conjugandi, alias sunt homicidæ & destruunt sanctum semen; unde consurgeret secunda trinitas, & sic impediunt numerum salvandorum pariter & damnandorum. Item si vir & fœmina convenerunt una voluntate nubendi, ipsa voluntas sufficiens est conjugium sine majori obedientia Ecclesiæ faciendu, & sic conjuncti plures, scilicet matrimonio, *quam nos cognoscimus, prout dicunt. Item quod Ecclesia nihil est aliud quam synagoga satbana, & ideo nolunt adire illam ad honorandum Dominum, neque percipiendum sacramentum aliquod, & præcipue sacramentum altaris, quia, ut asserunt, non est nisi buccella panis mortui, & turris sive pinnaculum antichristi. Item si haberent puerum modo natum, non baptizaretur per manus presbyterorum apud Ecclesiam, quia puer iste est secunda trinitas non contaminata peccata, & pejor esset, si deveniret in manus eorundem. Item quod non habemus aliquem sanctificatum vel sanctum, sed nec diem dominicum; sed quilibet dies est ejusdem libertatis ad operandum, comedendum, & bibendum. Item quod non est purgatorium post hanc vitam, neque quod oportet agere majorem pœnitentiam pro ullo peccato quamquam vilissimo; sed tantum ut committentes illud deserant, & apud se pœniteant; quia, ut dicunt, in fide stat quidquid est, sicut Mariæ Magdalenæ dixit Christus: Fides tua te salvam fecit.* Ex his facile agnoscas, ex quibus Lutherani sua dogmata hausերint. *Hæc conclusiones Ludovicus de Clifford miles, qui jamdudum Lollardis fautor extiterat, diu sub terminorum involucris palliatas, sed jam denudatas archiepiscopo Cantuariensi patefecit, ut videlicet se ostenderet non ex pertinaci malitia, sed simplicitate cordis & ignorantia communicasse cum impiis: dedit etiam nomina Cantuariensi dictus dogmatizantium pravitates.*

Blasphemata in Ecclesiam convicia.

Et in Eucharistiam.

Negata ab iis baptismi necessitas. Dies festos & jejunia tollunt. Negabant purgatorium.

Sola fide justificationem conferri astruunt.

IV. Eadem repetit Nicolaus Harpsfeldius (b) in historia Wicleffiana de hæreticorum arcanis dogmatibus a Cliffordio in luce collocatis, atque doctorum impiorum nominibus designatis: tum addit ex regestis Thomæ Arundelii archiepiscopi Cantuariensis, nonnullos ad diei dominicæ celebritatem abolendam sabbatumque instaurandum delapsos: qui quidem ex falso principio, quod omnia, quæ non continentur in sacra Scriptura sint veluti hæretica contemnenda, apud eos pro oraculo habito, falsam conclusionem eruere, nimirum dominicam diem non celebrandam, cum illius loco in Scripturis sabbatum commendetur; nec meretricios concubitus ut licitos laudare perhorruere, ac Wicleffi doctrinam doctrinæ Ecclesiæ antecellere contenderunt: *Multi ex Vuicleffi discipulis ad Judaicum plane præsidium delapsi sunt; e quibus quidam Joannes Seignour affirmavit, debere nos observare sabbatum, ut Judæos olim in vetere lege, & abstinere a carne porcina. Hæc & alia quædam a nobis prius non commemorata prava, & detestanda dogmata multos passim corrupere. Cumque propter Arundelii & aliorum quorumdam episcoporum accuratiorem diligentiam Vuicleffiani ægre se in Anglia in latebris occultare potuissent, frequentes Caletum quasi ad securiorem forsan locum se contulere. Quo tamen loco diu consistere non potuere, quod quibusdam ibi Arundelius amplissimam potestatem dederat, qui adversus hujusmodi diligenter inquirerent, eosque aut ad catholicam fidem revocarent, aut ut perfidos & obduratos ex Ecclesia obiicerent. Fuit & Joannes Becket parochiæ ad Podesumbe Londini, qui asseruit nec Regi nec episcopo, qui peccato mortali impliciti essent, ulla ratione obediendum; asserebat licere coire cum muliere extra matrimonium atque nuptias, nec ullum in ea re peccatum subesse: asserebat doctrinam Vuicleffianorum probatiorem atque præstantiorem esse, quam illa fuit hactenus, quæ in catholica Ecclesia docebatur. Inter alios qui opera suasuque Arundelii ab hæresi resipuere, fuere Joannes Purvejus, Joannes Edwardes, Richardus Herbert cum aliis; igne autem, eo sedente, inter alios Londini absumpti sunt Guillelmus Sautrey presbyter, qui post abdicationem hæresis in eamdem relapsus est, & Joannes Badby.* Capessivere flammarum metu præcipitem ex Anglia fugam in Germaniam nonnulli Wicleffitæ, quorum etiam aliquos proximo anno detectos in Wandalia flammis injectos visuri sumus: alii in Bohemiam ad serenda venenata zizania irrepsere. At de his hactenus nunc Turcicarum rerum conversiones percurramus.

(b) Harpsf. in hist. Wicleff. c.16.

Traditiones respuunt.

Meretricios concubitus jactabant licitos.

Districtæ in eos leges.

Hæresis ad seditiones concitandas conficta.

Wicleffi impietas ecclesiæ doctrinæ prælata. Presbyteri Wicl. flammis traditi.

V. Hoc anno Christianorum orientalium sortem miseratus Deus, supplicium sumpsit de crudeli religionis nostræ persecutore Amera sive Amoratto Bajazete, concitato in cum

eum Temire sive Tamerlane alias Tambouriano, Mussagetarum, Persarum, & Aqnilonarinm Scytharam Regn, qui cum imperium Turcicum victrici exercitu, ut vidimus, post Sebastiæ excidium pervasisset apud Ancyram in Phrygia cum hoste Bajazete, quem Constantinopolitanam obsidionem solvere coegerat, signa contulit. Quadringenta equitum, sexcenta peditum millia Tamerlanem numerasse sub signis tradunt (a): cui impar numero, sed non audacia erat Bajazetes, atque ideo cam filio Muse & præcipuis ducibus captus est. Describunt plures tum Græci tum Latini auctores superiorem Turcarum cladem, ex quibus Theodoricum e Niem (b) hujus temporis scriptorem afferimus: *Anno*, inquit, *decimotertio pontificatus Bonifacii*, & infra, *in æstate*, his verbis consignatur tempus magnæ sævæque pugnæ, quam nonnulli ad alia anteriora tempora male retulerunt, *maxima bella inter Tamerlanum Tartarorum, & Bajazetem Turcorum ammiratos sive Imperatorem commissa fuerunt, ubi fortis impegit in fortem, & tandem Bajazetes captus*. Ob hanc Tartarorum in Turciam irruptionem plures Christiani, qui in Asia barbarica servitute premebantur, Peram, indeque Constantinopolim perfugere. Ipsametiam Constantinopolim a proximo exitio liberatam, tradit auctor dum subdit: *Creditur quod Deus misertus eorum, qui habitabant Constantinopoli & Pera in aliquibus terris propinquis, quas paulo ante Bajazetes per octo annos continue obsedit, & quasi jam cepit, sed audiens adventum dicti Tamerlani solvit eandem obsidionem, credens Tamerlano posse resistere manu forti: sed secum pugnando defecit. Ubi dicitur plusquam quingenta millia hominum pugnantium simul diebus multis in bello cecidisse, ac unus filiorum dicti Bajazeti junior, in tempestate deveniens ad manus Imperatoris Græcorum, qui jam regit, & duo alii ejus filii*. [1]

(a) Gobel. in cosmod. æt. 6. c. 77. Theod. a Niem. l. 2. c. 29. Urs. in Car. VI. Calchond. hist. Turc. lib. 2. Monstr. vol. 1. c. 16. Naucler. gen. 47. & alii.

Bajazet. Constantinop. obsidionem coactus solvere. Profligatus a Tamerlane & captus.

(b) Theod. a Niem. sup. c. 29.

VI. De cæsorum numero retulere (c) alii in literas Tartarorum bis centena millia, Turcarum vero supra centum & quadraginta millia in eo prælio cecidisse: alii imminuentes numerum circiter centum quadraginta millia utrimque cæsa testati sunt. Pugnæ ordinem describit Calchondyles (d); traditque Turcas initio tanto impetu in Tartaros incurrisse, ut Sachruchus Tamerlanis filius terga verterit: sed Bajazetem metuentem ne sui circumfunderentur a Tartaris, eos revocasse a persequendo hoste: ac tum Tartaros vehementiori impetu in Turcas illatos victoriam detulisse, fugientemque Bajazetem, comprehensum a Tartaris, cum equo siti æstuans in flumen ad potandum se conjecisset, neque illa habenas ob chiragræ dolores adducere posset, dissolutis enim parum viribus quadrupes cursum pari pernicitate urgere non potuit. Quamquam non desunt, qui in acie captum Bajazetem ipsum tradunt. Quot vero & quantis contumeliis affectus sit a Tamerlane, recenset idem Calchondyles, atque Tamerlanem ipsam illi vere objecisse, eundem Deum procacem ejus fastum fregisse, misisseque accipitres & canes, ut veluti venatorem illuderet, jussisseque multo impositum circumduci per castra ad insolentum militum excipienda convicia. Addunt plures gravissimique auctores (e), demum Ta-

(c) Bizar. histor. rer. Pers. l. 5.

Pugnæ ordo.

(d) Calchond. l. 3.

Bajazetis fastus dersus a Tamerl.

Ut fera includitur cavea.

(e) Histor. Mussulm. l. 6. in Bajaz. l. 7. in Temire & alii.

NOTÆ [1] MEmorabilis pugnæ Tamerlanum inter, & Bajazetem certum tempus definit Jacobus de Del'Ayto in annalibus Estensibus ad hunc annum, scribens: *Die 24. augusti conserto prælio inter eos, Tamberlanus ipsum Bayseth cum universo exercitu suo debellavit cum strage & sanguine vix æstimabili, trahens captivum miserabiliter, & ignominiose eundem Bayseth* (non ergo in paludibus periit ut nonnulli scripserunt). *Conflictus iste Turcorum*, prosequitur historicus, *clare cognitus fuit divino judicio evenisse, nam Bayseth ante cœptam discordiam cum Tamberlano, se paraverat ad perniciem Christianorum velle transire, terrestri atque navali exercitu, invasurus primo Constantinopolim, & se deinde longius & latius effusurus. . . . Dum fortius se accinxerat ad executionem perniciosi propositi, subiit jam dicta discordia ob cupiditatem regni, quod contigit in regionibus illis vacare* (Immo potius ob occupatam a Tamerlano Sebastem, quæ Turcicæ ditionis urbs erat, Biblioth. Orient. pag. 88a.) *& quod Tamberlanus, & Bayset certatim occupare conati sunt. Idem Tamberlanus deinde totam occupavit Turchiam. . . . transivit insuper Damascum, & urbem illam. . . . evertit &c.* Postquam hæc scripseram contigit ut legerem Venetorum Ducum res gestas a Marino Sanuto, vernacula sermone descriptas, vulgatasque Rerum Italicarum tomo XXII. in quibus literæ quædam recitantur a Venetis quibusdam Constantinopoli agentibus scriptæ; in illis de victoria hac Tamerlani certiora dantur. Ex ea enim, quæ die IV. septembris data est, discimus die XXVI. Julii pugnam cœpisse, quæ cum tum triduo duraverit; ut in alia epistola ibidem proditur; hinc die XXVIII. julii victoriam a Tamerlano relatam ejusdem secundæ epistolæ author recte notat. Cæsorum numerus ibi nullus definitur. Bajazetem cum uxore, *filia*, ut in una ex iis epistolis legitur, *Lazari*, & filiis ejusdem Saraceni capti sunt. Verum ad filios quod attinet unum tantummodo in potestatem victoris cecidisse in alia epistola relatum est.

Cæterum Bajazetem sinistro fortunæ casui non diu superfuit, ejus enim obitum cum Hegiræ anno 805. idest Christi 1404. componit Hazi Halife Mustafà in chronologia historie, ad annum usque Hegiræ 1058. idest Christi 1648. perducta, quam ex Arabico Italice vertit Joannes Raynaldus Carli Justopolitanus, vulgavitque Venetus anno 1697. MANSI

Tamerlanem illum inclusisse cavea ut feram, ac sub mensa cibos & ossa ut cani obiicere consuevisse, & quoties in equum assiliret, dorsum calcasse Bajazetis.

Caeterum non indigne habitum a Tamerlane initio, refert Turcica historia (a): sed eum denique, cum superbum & crudelem animum aperuisset victori eadem passum, quae stulte minitabatur: *Cum*, inquit, *Temur aliquando eum interrogaret, atque etiam libere dici peteret, si sua situm esset in potestate cum Temure pro suo agere libitu, quid de eo facere vellet, ferociter respondit, si Temur in potestatem ipsius Bajazetis venisset, omnino se ferrea conclusum cavea hinc inde circumvehendum fuisse: quo Temur audito mox e ferro caveam fabricari jussit instar sella cancellis undique ferreis inclusa, per quos videri quavis ex parte poterat. In hac cavea duo inter equos vehebatur, quoties Temur cum suis ad iter motis castris se comparabat ante Temurem vehi solebat in ea cavea, quam diximus; & quoties itinere confecto ex equis descendebat ante tentorium Temuris deponebatur*. Et infra: *Cum vir excelsi spiritus & indolis esset generosissima, tantam calamitatem indignissimo ferebat animo, adeoque sibimet ipse mortem attulisse creditur, cum annis xiv. regnasset*. Mortis genus ita referunt, nimirum altero a captivitate anno, cum mortem sibi imprecaretur, nec ferre posset imperatricem denudatis partibus obscoenis proceribus Tartaris pocillatricis instar famulari, clathris ferreis caput ictibus illisum perfregisse. Hic tristis saevissimi Christianae religionis hostis exitus fuit: cumque e Graecia Turcae eiici caeso tyranno potuissent, Christiani discordiis & schismate inter se discissi, idoneam amplissimamque occasionem amisere; quo factum est ut illata Turcicae bestiae plaga non fuerit ad mortem, sed iterum ad devorandos pios ferocior reviviscerer.

(a) *Jo. Leun. ex ea p. 339.*

Insana ejusdem arrogantia.

Desperatus sibi caput illidit.

Christiani delendi Turcici imperii occasione non usi.

Hoc anno Bonifacius Papa, ut ex libro divisionum observat Felix Contelorius (b) adscripsit in Cardinalium numerum Antonium Cajetanum Romanum patriarcham Aquilejensem ac presbyterali titulo S. Caeciliae insignivit, Balthasarem Cossam archidiaconum Bononiensem S. Eustachii diaconum creavit, quem indicto sibi Joannis XXIII. nomine pontificatum adversus Gregorium Papam XII. & Petrum a Luna antipapam corripientem, ac deinde exauthoratum in Constantiensi concilio postea videbimus. His addit Ciacconius, Leonardum Cybo & Angelum Cybo Genuenses quos SS. Cosmae & Damiani, & S. Martini in Montibus diaconos Cardinales creatos refert, sine ullo authore: *Nec enim*, inquit Contalorius, *ex bullis Pontificum aut libris sacri collegii ulla extat memoria, nec in albo Cardinalium, si fuissent, praeteriri ab amanuensi potuissent* [1].

VII.

(b) *Contel. in elench. Cardd. & Ciacc. in Bonif. 9.*

Creati hoc anno a Bonif. Cardd.

Ab-

NOTAE [1] RENunciatos hoc anno Cardinales Antonium Cajetanum, & Balthasarem Cossam, ultro admitto. Quos vero addit Ciaconius Leonardum, & Angelum Cybo, neque anno isto neque omnino a Bonifacio adlectos fuisse inter Cardinales judico cum Contelorio apud annalistam hic. Etenim post Bonifacii obitum, qui anno 1404. contigit, inter Cardinales, qui ad successorem deligendum convenerunt, ambo hi viri non recensentur. Lege Cardinalium tunc superstitum nomina apud annalistam ad A. 1404. 10. Utrumque vero jam tunc obiisse agre in animum inducerem. MANSI

I. Confirmat Bonif. sententiam in Wenc. latam.

ABstinere a vitiis, & Romani imperii curam gerere respuente Wenceslao, Bonifacius anno humanæ salutis millesimo quadringentesimo tertio indictione undecima, latam in illum a principibus electoribus sententiam, de qua anno superiori diximus, ratam ac firmam jussit esse, regnum vero Roberto Bavariæ duci confirmavit, cujus rei gestæ diem consignat ad hunc annum Gobelinus (a): *Bonifacius*, inquit, *Papa IX. tertia Kal. mensis octobris Vvenceslau Rege Bohemiæ reprobata, Robertum Regem approbavit*. Meminit de eodem Theodoricus a Niem (b), & solemni Cardinalium consistorio, in quo perfecta res est, se interfuisse subjectis verbis testatur: *Electionem de domino Roberto moderno Rege Romanorum per archiepiscopos Moguntinum, Coloniensem, & Treverensem electores imperii contra dictum dominum Vvenceslaum Regem factam, me etiam tunc præsente, in consistorio publico approbavit, promittens quod sibi favores apostolicos impendere vellet.* Confirmatur hæc pontificiis ad Robertum Regem Romanorum datis literis (c), quibus Bonifacius deturbati imperio Wenceslai, Robertique in ejus locum suffecti causas graviores, gestaque in consistorio adducit; ut nimirum ille rogatus sæpius ab Urbano VI. de ornanda in Italiam expeditione ad imperiale diadema pontificia manu accipiendum, ac Romanam ecclesiam ab improborum hominum conatibus vindicandam, tuendaque jura imperii, ac principes electores, ut ipsum ad id excitarent, solicitasset; vitaque functo Urbano, ipsemet Bonifacius cum Ecclesiæ splendorem obscurari ab impiis & decus imperii obsolescere doleret, iterum Wenceslaum per literas perque internuncios suos hortatus sit, ut arma caperet adversus Ecclesiæ hostes, atque imperiale diadema a vicario Christi sumeret: demum vero irruentibus in Italiam Gallis, ac rempublicam Genuensem occupantibus, cum urserit, ut expeditionem instrueret ad eos a progressibus arcendos; Wenceslaum vero nec Pontificis monitis, nec principum electorum adhortationibus, nec labantis imperii periculo, neque afflicti Ecclesiæ statu moveri ad Italicam profectionem potuisse, jure itaque principes electores pontificia fultos auctoritate ignavum Regem Romani imperii gubernaculis dejecisse, iisque Robertum Bavariæ ducem admovisse.

(a) Gobel. in Cosmodrom. æt. 6. c. 70. Chron. mag. Belg.
(b) Theod. a Niem. l. 2. c. 14. & chron. mag. Belg.
Et Roberti electionem.

Gravissimis causis ad id adductus.
(c) Bonif. l. 7. p. 181.

Charissimo in Christo filio Roberto in Regem Romanorum electo illustri salutem, &c.

II. *Pater immensæ majestatis altissimus, clementi providentia cuncta disponens, terrarum orbem disposuit sub distinctione regnorum, illaque consulta dirigi voluit & salubri regimine gubernare, ut humanæ creaturæ statum, quam sui Creatoris imaginem & similitudinem reputavit, tempestuosæ fluctuationes mundi confunderent, vel ejus quietis dulcedinem impedirent: quinimmo, ut omnes sub juris & honestatis regula limitati vitam pacificam viverent, & ab offensis alterutrum abstinerent, ac naturali affectu Factorem suum cognoscerent, recognitum colerent, & suo reverenter imperio subjacerent. Demum vero Pater ipse ex alto prospiciens populum, quem ipse creaverat, damnationis sententiam incurrisse, Regem pacificum unigenitum filium suum dominum nostrum Jesum Christum misericorditer in mundum pro ipsius redemptione populi destinavit, qui carnem nostræ mortalitatis indutus populum eundem ab æterno cruciatu mortis eripuit, & suo Sanguine pretioso redemit. Nos igitur in hac terrestri patria gerentes, licet immeriti, vices ejus, levamus vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos, in circuitu visuri quid gregi nostro nobis commisso expediat, & quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti præsidio, cujus sunt terræ cardines, cui cogitationes hominum præparantur, quique actus mortalium superat, & infirmus robore potenter accingit, pariter efficacius salubriter & utiliter exponamus ad ea, quæ fidelibus populis necessaria expedire viderimus & noverimus profutura.*

Pontificium ea de re edictum.

Ut imperia ad Deum finem ultimum sunt referenda.

Quanta sit in iis dirigendis auctoritas Pont.

III. *Sane dudum felicis recordationis Urbanus Papa VI. immediatus prædecessor noster provida meditatione considerans mundum positum, peccatis exigentibus, in maligno, & quod disponente Domino cui obediunt universa, Romana mater ecclesia super Reges & regna tanquam mater omnium & magistra supremum obtinet principatum, ut per ejus ministerium regatur salubriter catholicæ fidei firmamentum, per diversos nuncios, atque literas repetitis vicibus, paternis & accuratis affectibus excitavit charissimum in Christo filium nostrum Vvenceslaum tunc Romanorum & Bohemiæ Regem, ut pro defensione militantis Ecclesiæ ac honore & statu sacri imperii, prout ejus exigebat officium, ad suscipiendum imperiale diadema ad Italiæ partes accederet, & videns eum ad hoc perficiendum nimis tepere & desidem, ejusdem imperii electores tanquam ipsius imperii membra præcipua, sæpenumero interdum literis, nonnunquam vero nunciis specialibus instantissime requisivit, ut præfatum Vvenceslaum ad descendendum præmissorum causa in Italiam opportunis modis atque remediis hortarentur ac instantiis & monitionibus debitis pulsarent.*

Vvencesl. ab Urb. evocatus ad imperiale diadema.

De-

IV. Demum autem, eodem Urbano prædecessore nostro, sicuti Domino placuit, ab hac luce subtracto, nos Divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, maximo animi fervore flagrantes ad obviandum jacturis & scandalis, quæ Romanæ ecclesiæ sponsæ nostræ & ipsi consequenter imperio cernebamus jugiter exoriri, nonnumquam interposuimus tam per literas quam etiam per nuncios speciales paternis affectibus partes nostras, ut præfatum Vvenceslaum ad hujusmodi defensum diversis modis, quos opportunos putavimus, nihil possibilitatis penitus omittendo quod expediens visum fuerit, inducere valeremus, & videntes adhortationes, inductiones, & monitiones præfati prædecessoris nostri, nostrasque nihil omnino proficere, ne quid intentatum in tam gravi tamque ponderoso negotio providentia apostolicæ servitutis omitteret, venerabilibus fratribus & dilectis filiis nobilibus viris sacri imperii electoribus crebro scripsisse meminimus, ut attentis periculis, quæ ex tanta socordia Vvenceslai præfati Ecclesiæ atque imperio & Christianæ religioni jugiter ingruebant, & signanter cum Gallici, quos semper animadvertimus ad usurpationem vel saltem divisionem Ecclesiæ & imperii totis studiis totisque conatibus inhiare, imperialem civitatem Genuensem in ipsius Italiæ faucibus positam occupassent, eumdem Vvenceslaum ad veniendum in Italiam more prædecessorum suorum, ut e manibus nostris imperiale diadema reciperet, & ad occurrendum ne prædicti Gallici pedem in eadem Italia firmioribus radicibus solidarent, necnon Ecclesiam & imperium, ipsiusque terras & bona juxta sui status debitum defensaret, debitis modis & opportunis remediis & monitionibus excitarent. Tandem vero electores ipsi, videntes ulteriorem moram dicti Vvenceslai infinita secum dispendia trahere, ac quascumque adhortationes, excitationes, invectiones, & monitiones præfati prædecessoris nostri nostrasque, ac ipsorum etiam, proh dolor! frustra fore, & aures ejusdem ad hanc rem tam sanctam, tam piam, tamque Christianitati utilem & necessariam penitus obduratas, ipsumque Vvenceslaum ad regimen dicti imperii esse omnino inutilem, & propterea non solum statum universalis Ecclesiæ atque imperii, sed totius Christianæ religionis turbari; & ut bona præfati imperii desidia ipsius Vvenceslai tenderent irreparabiliter in collapsum; nobis per eorum proprium nuncium significare curarunt, quod præfati Vvenceslai segnitie diligenter inspecta, ex qua dietim mundo discrimina & innumera scandala pullulabant, & quod prædicta erant adeo per terrarum orbem notoria, quod non poterant aliqua tergiversatione celari, ipso amoto ad alterius electionem, qui hujusmodi discriminibus & scandalis potenter occurreret, procedere disposuerunt: & demum, cum ejus depositio ad nos dumtaxat spectaret, ad ipsius Vvenceslai depositionem seu amotionem a præfato regno Romanorum auctoritate nostra suffulti concorditer processerunt, & deinde te charissimum filium nostrum tunc comitem Palatinum Rheni Bavariæ ducem, eorumque coelectorem in Regem Romanorum, in futurum Imperatorem postmodum promovendum, concorditer elegerunt; tuque super hoc digesta meditatione præhabita ad ipsorum electorum & multorum aliorum instantiam hujusmodi electioni consensum tuum libere præbuisti.

Bonif. ad eundem monita, ut Ecclesiam tueretur.

Septemviri eundem sollicitarunt ut moras tolleret.

Perspecta ejusdem ignavia discrimen reipublicæ exposuere Pontifici.

Concessa est illis auctoritas ut eundem exauctorarent, deinde ab iis electus est Robertus.

V. Postmodum vero per solemnes ambaxiatores & nuntios tuos pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut hujusmodi depositionem sive amotionem Vvenceslai præfati & electionem de te factam, ut præfertur, & quæcumque inde sequuta auctoritate apostolica approbare, & personam tuam habilem & idoneam ad suscipiendam præfatam imperialis culminis dignitatem decernere & declarare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de omnibus præmissis & de hujusmodi depositione facta, necnon de concordi electione tua fide plenaria nobis facta, & de persona tua, quantum patiebatur absentia, de tuis quoque moribus & conditionibus virtuosis ac sinceritate & devotione, quam te erga nos & eamdem Ecclesiam gerere comprobaris, & aliis, quæ ad hujusmodi culminis apicem requiruntur, diligentius inquisito, & super iis omnibus cum præfatis fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus diligenti deliberatione præhabita, hujusmodi tuis supplicationibus inclinati, de ipsorum fratrum consilio ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti & beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac exaltationem & honorem dictæ Romanæ ecclesiæ, orthodoxæ fidei bonum, & promotionem sacri imperii, & prosperum statum mundi discriminibus & periculis ex præmissa dicti Vvenceslai negligentia Ecclesiæ atque imperio verisimiliter eventuris attenta consideratione pensatis, depositionem præfati Vvenceslai & electionem de te factam & quæcumque inde secuta rata habentes & grata, te in specialem nostrum & dictæ Ecclesiæ filium suscipimus, tibi nostros favores & gratiam concedentes, tuamque personam idoneam reputantes, te nominamus, pronuntiamus, & in Regem Romanorum assumimus, tuam approbantes personam, teque sufficientem & habilem atque idoneum declarantes ad suscipiendum præfatæ imperialis culminis dignitatem, ac decernentes unctionem & consecrationem imperialem necnon ejusdem sacri imperii diadema per manus nostras tibi opportunis loco & tempore impendenda, supplentes nihilominus

Missi oratores ad Bonif. ut sua gesta firmaret.

Roberti electio confirmata.

Decretum ei insigne augustale.

omnem defectum, si quis aut ratione formæ, aut ratione personæ tuæ, aut personarum dictorum electorum, seu quavis alia ratione vel causa in præmissis vel aliquo præmissorum intervenerit quovis modo, ex certa scientia & apostolicæ plenitudine potestatis: præcipientes quoque omnibus fidelibus & vassallis imperii, cujuscumque conditionis existant, etiam si regali vel pontificali dignitate præfulgeant, ut tibi sicut Regi Romanorum in Imperatorem promovendo pareant efficaciter & intendant. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostræ ratificationis, reputationis, nominationis, pronuntiationis, assumptionis, declarationis decreti, suppletionis, præcepti ac constitutionis infringere, &c. si quis autem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Kal. octobris pontificatus nostri anno XIV.

Clientes imperii jussi Roberto obsequi.

VI. Interea cum Wencestaus, quem Romano deturbatum imperio vidimus, in vitiis adhuc sordesceret, haud multum abfuit (a) quin Bohemico folio, quod innocuo cruore fœdabat, everteretur, ditam quippe clam & palam exercebat carnificinam, & vino madens humanum sanguinem per jocum proditionemque fundebat; de quo verius carnifice quam Rege, hæc tradit Dubravius (b): *Rex alia occultiora naufragia adversus suos adversarios excogitavit, extructo sub arce Vicegradensi in ripa Vultaviæ balneo, nam sæpissime balneis utebatur machinosa, in qua tabulæ pavimenti certa sui parte ita leviter compactæ fuerunt, ut vel uno pede proculcata facile laxarentur. Quos igitur ex iis, qui ad lavacra invitati erant, perdere volebat per hanc rimam ruinamque præcipites in flumen dabat; adeo natura ferus & sanguinarius, ut assiduum penes se carnificem haberet, quem vulgari vocabulo compatrem familiariter appellabat; quia filium ejus de fonte sacro levavit, & tam proximum sibi adhibuit, ut aliquoties una eademque equo secum vehi illum passus fuerit, desilientemque rapi ad pœnas quos jusserat spectaverit.* Fatigata est tot sævitiæ exemplis Bohemorum patientia, proceresque ac populus facta conjuratione, illum cum paucis in villa lasciviemtem ceperé, usque misericordia illius vitæ pepercerunt; in publicum tamen carcerem reorum instar conjecerunt, ut narrat Dubravius (c).

(a) Chron. mag. Belg.

(b) Dubrav. hist. Bohem. l. 23.

Vvencesl lai crudelitas.

(c) Id. ib. Cuspin. in Wencesl.

A suis, inquit, *captus est, qui in illum tam ex plebe quam nobilitate conspiraverant, inde recenti irritati quia pridie duos cives Pragenses & duos ex procerum ordine Giroffium & Hroscam occidi gladio jussit. Captum igitur quod nulli unquam Regum ante contigit in carcerem publicum, in quem supplicio afficiendi passim conjiciebantur, detruserunt; & menses ibi quatuor in fœtore & squallore miserie modo habuerunt. Exoratus deinde multis Regis sui precibus senatus Pragensis, ut loco illo ei tantisper egredi, dum illuviem & sordes balnei lavacro elueret, deducendum eum in servili habitu quatuor publicis custodibus ad balneum juxta Vultaviam in veteri Praga positum commiserunt.* Et infra: *Secedens refrigerandi causa extra hypocaustum conspicatur lemunculum piscatorium cum remo in ripa vacuum, & mulierem interrogat an remigare tantum sciret, quantum remigio ad traiciendum in alteram ripam opus esset? qua annuente, abdit se in lembum ac repente ab oculis custodum elabitur, venitque per devia nudus cum nuda ad novum illum suum arcem, præfecto multum admirante domini sui fortunam.* [1] Subditque illam pristino impudicitiæ luto se immersisse, ac veluti feram dilapsam cavea, in eos, qui ipsam emendatum voluerant, atrocissime debacchatum, atque a scorto suo vilissimo malceri tantum potuisse. At Æneas Sylvius, Dubravio discrepare videtur (d), dum a duce Lusatiæ & marchione Moraviæ liberatum tradit. Addit Dubravius (e) illum fratris Sigismundi opera iterum captum, atque in turris Viennensis latebras detrusum, ut a nemine, quam a consciis inveniri posset, evasisse tamen piscatoris opera scribit: quippe divina providentia emendare illum tot adversis volebat, ut abjectis vitiis regias virtutes sectaretur: ac merito hæc ob crimina se perpessum esse Wencestaus ipse agnovit (f), regnoque admiranda forte restitutus est.

In publicum carcerem conjectus Vvencesl. a Bohemis.

Mulierculæ opera evadit.

(d) Æn. Sil. hist. Bohe. c. 34.

(e) Dubrav. l. 23. & Cuspin. in Wencesl.

Iterum regno exutus & inclusus.

(f) Id. ib.

VII. *In latebras*, inquit Dubravius, *turris cujusdam Viennensis ita abstrusus est, ut inveniri nisi a consciis non potuerit: nam Joannes frater Vvencesl. & Procopius patruelis, cum ad vindicandum Regem in libertatem capias ille in Lusatia, hic in marchia Brandeburgensi comparassent, atque*

ambo

NOTÆ [1] SI ea, quam Wenceslaus passus est a fratre Sigismundo, in carcerem Viennensem detrusio, posterior fuit ea injuria quam tulit a Bohemis, apud annalistam hic loco non suo relatam in annalibus suspicor. Qui enim per hæc tempora in Germania agebat F. Hermannus Cornerus ord. S. Dominici in chronico ad A. 1402. scribit: *Cometa magnus apparuit in Occidente tempore Quadragesima* (nempe martio mense anni superioris) *& duravit per mensem & amplius, qui tandem disparuit dum Wenceslaus rex Bohemorum secundario* (nam priorem capturam a Bohemis factam idem pariter historicus non silet, sed cum anno 1394. illam componit, additque libertati redditum fuisse a Joanne duce Gorlitz) *a fratre suo Sigismundo rege Ungariæ caperetur. Quem captum in Viennam urbem deduxit:* sed tandem fuga elapsus in Bohemiam rediit. Anno igitur præcedenti Wenceslaus a fratre Sigismundo captus carcerem sustinuit. MANSI

ambo Pragam venissent, captivo ibi non reperto, insistebant vestigiis Crumloviam tendentes: sed eis Henricus Rosensis cum valida armatorum manu occurrere non longe a Buduiceo parabat, quod ubi compertum simulque certum habuerunt Regem apud Bohemos in custodia non retineri, progressu omisso retrocesserant, ita Vuenceslaus ab omnibus desertus esse videbatur, suo vero judicio etiam inter desperatos numeratur. Erat senex quispiam piscator, qui pietate ductus frequenter miseros carcere inclusos cum jentaculo pisciculorum a se captorum revisebat. Hunc Vuenceslaus propius ad fenestram admotum grandibus promissis onerat, si opera ejus carcerem frustratus fuerit: respondet ille, se nisi excussum intromitti, ne una cum cibo instrumenta secum ferret, quorum præsidio captivi queant elabi: mihi quidem zona dumtaxat serica opus est hac longitudine; atque utrumque piscatori indicat: Eam facile vel excussus celare poteris, si illa ad nudum corpus præcinctus fueris. Recepit ad se negotium piscator, & paulo post zonam affert. Tum Vuenceslaus paratam illum naviculam habere jubet, qua Danubium trajiciat, illoque trajecto: Nullis, inquit, peccatis meis ego in hanc alteram, mi senex, erumnam incidi: sed iterum per oblatam mihi divinitus navicularii operam salutem me recuperasse video: dignus ergo & tu alter navita qui dignum a me opera pretium accipias: sed in loco tuto ad quem ut me deducas opus facto est. Ac ne diutius, qui sim, hareas, Rex ego Bohemiæ sum: cæterum per viam tuam me sociam esse assimilabo, & tu ne me aliter nomines aut honestes caveto. In via porro hæc fuerat expiscatus, Sigismundum rebus Hungaricis impeditum nondum in Bohemiam ad capessendum regnum venisse, Pragæ autem alteram arcem a nobilitate, alteram quæ Visegradensis dicitur a Pragensibus teneri, eique Lanium quemdam præpositum esse. In hanc Vuenceslaus mendicus propemodum habitu cum piscatore suo se insinuat, occlusaque manu sua porta, ac persona detecta, exclamat: qui regius est, ad auxilium Regi suo ferendum accurrat. Plures quam viginti præsto fuerunt, intellaque præfecto catena vinctum illum Regi tradiderunt. Administratum ab eo male regnum, infectumque Wicleffistica atque Hussitica hæresi dicetur inferius: nunc ad Robertum a quo digressa est, redeat narratio.

Arte elabitur.

Regnum audacia recuperat.

VIII. Oratores a Roberto ad Bonifacium decreti.

(a) Ext. juram. formul. apud Bonif. l. 7. p. 183.

Firmato pontificia auctoritate ejus solio, regii oratores, nimirum Rabanus Spirensis episcopus & Matthæus eques Cracoviensis cæsareo nomine in pontificia verba jurarunt (a), ac spopondere Robertum ipsum, si Romam se conferret, vires pro Ecclesiæ gloria amplificanda, augendaque Pontificis dignitate impensurum, neque Bonifacium ad pontificios apices ponendos aperta vi occultave adacturum; ditionis vero ecclesiasticæ jura ab hostibus occupata restituturum.

Forma juramenti præstiti per ambaxiatores Regis Romanorum nomine ipsius.

Solemni ritu fidem obstringunt.

Tibi sanctissimo in Christo patri, & domino domino Bonifacio sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Papæ IX. serenissimus princeps dominus Robertus Romanorum Rex & devotus filius vestræ sanctitatis per nos Rabanum Dei & Apostolicæ sedis gratia episcopum Spirensem, ac Matthæum de Cracovia in sacra pagina professorem, ipsius Regis procuratores & nuntios, ad pedes vestræ sanctitatis per eumdem dominum Regem specialiter destinatos, & nos Rabanus episcopus & Matthæus prædicti procuratores & nuntii ipsius ad hoc speciale & sufficiens mandatum ab ipso domino Rege habentes, nomine ipsius domini Regis promittimus & juramus in animam ipsius domini Regis per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per hoc lignum vivificæ crucis, & per has reliquias sanctorum, quod si, permittente Domino, præfatus serenissimus princeps Romam venerit, sanctam Romanam ecclesiam & te rectorem ipsius exaltabit secundum suum posse, ut vitam nunquam aut membra, neque ipsum honorem quem habes, sua voluntate aut suo consilio, aut suo consensu, aut sua exhortatione perdat, & in Roma nullum placitum aut ordinationem faciet de omnibus, quæ ad te pertinent, aut ad Romanos sine tuo consilio, & quidquid de terra S. Petri ad suam potestatem pervenerit, tibi reddet, & cuicumque regnum Italicum commiseris, illum jurare faciet, ut adjutor tui sit ad defendendum terram S. Petri secundum suum posse: & sic Deus ipsum adjuvet & hæc sancta Dei evangelia. Significavit Germanis Bonifacius (b), quæ sanxisset de Wenceslao exauctorato, ac de novo suffecto Rege, cui etiam superioris & inferioris Germaniæ decumas attribuit (c) in sumptus conficiendæ Italicæ expeditionis: sed cum jam exigi cœpissent, rem intermissam, repugnantibus nonnullis archiepiscopis, Gobelinus (d) refert, traditque (e) Germaniam intestino arsisse bello hoc anno, cum Lantgravius Hassiæ & Henricus Luneburgensis dux Moguntinam provinciam magnis cladibus attriverint, ob quas dissensiones ac decumas non solutas Roberti expeditio videtur retardata.

Sacramenti formula.

Bonif. German. Rob. parere jubet.

(b) Bonif. l. 7. p. 184.

(c) Eod. ep.

Intestina bella in Germ.

(d) Gobelin. in Cosmod. æt. 6. c. 70. ad ann. 1404.

(e) Id. in eod. sup. ad an. 1303.

IX. Bonif. curæ pro recuperanda Bonon.

At licet Robertus promissam opem ob Germaniæ impacatas res porrigere Pontifici non potuerit, non tamen occasionem repetendarum bello ecclesiasticarum urbium, quas Joannes Galeatius Vicecomes suæ tyrannidi subjecerat, Bonifacius abire passus est: mortuo enim, ut diximus tyranno, cum Florentinis ejus hosti-

(a) Lib. 7. p. 117. (b) Bonf. l. 6. pag. 118. 119. 123. (c) Ib. p. 122. (d) Ib. p. 162. (e) Ib. p. 102.

Baltassar Cossa creatus legat.

(f) S. Anton. 3. p. tit. 12. c. 3. §. 42. (g) Ead. cap.

bus armorum societatem inivit (a) oppigneratis Terracina (b), Interamna (c), ac Nuceria (d) ad comparanda in bellicos sumptus necessaria auri subsidia, ac Balthasarem S. Eustachii diaconum Cardinalem legatum creavit (e) in pontificio exercitu, quod factum commendat S. Antoninus (f), ac perstringit Joannem Galeatium Vicecomitem, qui ita principatum testamento diviserat, ut Gabrieli notho Pisas, Philippo Mariæ Papiam, Veronam, Vicentiam, Joanni Mariæ majori natu Mediolanensem ducatum, urbesque ecclesiasticæ ditionis Bononiam, Perusium, & Assisium relinqueret, arguitque non injustitiæ modo, verum summæ imprudentiæ, cum latere ipsum non posset, non diu filium raptis potiturum (g): *Numquid vir*, inquit, *ad cætera egregius ac prudens ita rerum ignarus erat, & ita fortuna fidens favoribus, ut quæ per vim, fraudem, dolumve de alienis ceperat, permansura diutius penes filios existimaret? cum nullum violentum perpetuum, quinimmo gaudium hypocritæ teste Job, idest tyranni ad instar puncti, & ut de reliquis taceatur, Pontifices omnes Romanos ita parvi faciebat aut ignavos insulsosque putabat fore, ut quæ summo jure ad Ecclesiam pertinerent diutine a tyrannis possideri paterentur, & patrimonium B. Petri tanto tempore possessam, tantaque impensa sæpius ab Imperatoribus tyrannisque recuperatum auferri sibi per ignaviam æquo animo ferrent?*

Ejusdem væcordia in contemnendis Pontificibus.

Describit easdem justissimi belli caussas Bonifacius in literis, quibus Balthasari Cossæ Cardinali legato Bononiæ ad imperium Romanæ ecclesiæ revocandæ provinciam dedit (h).

(h) Lib. 3. p. 102.

Dilecto filio Balthasari S. Eustachii diacono Cardinali Apostolicæ sedis legato salutem.

Pater futuri sæculi princeps pacis sui pretiosi aspersione Sanguinis humanum genus, quod per lapsum & culpam primi parentis prævaricatoris damnum salutis æternæ dispendiose incurrerat, operatus in medio terræ salutem tandem a suis discipulis discessurus & ad Patris dexteram ascensurus in cælum, pacem dedit & pacem reliquit eisdem, ex ipso donationis & donantis tempore & recipientium qualitate patenter insinuans fore pretiosissimum donum pacis, utpote in ejus ortu pronuntiatum ab angelis & in ipsius ad Patrem regressu ab eo bonorum omnium largitore suis charissimis adoptionis filiis, dum destituerentur ipsius præsentia corporali, quasi pro hereditario censu relictum: hoc est enim donum, per quod ipsi, cujus est factus locus in pace, indissolabili fæderis conjungimur unione: hoc quippe donum ipse Rex pacificus & humanæ salutis amator, cujus sunt dona perfecta volens suis subditis vicariæ operationis ministerio conservare, ut ipsis mundi cursus hujus pacifice suo dirigeretur ordine, regimen sub districtione disponens, ipsius primatum militantis Ecclesiæ super gentes & regna constituit, in cujus eminenti specula positus ejusdem pacifici Regis vicarius commissas sibi vices implere satagens, & in domo Domini speculatoris officium prospectans, undique & more pervigilis pastoris singula pro data sibi possibilitate contemplans, quæ ad pacem & exaltationem catholicæ fidei, prosperum ecclesiarum statum, commodum ecclesiasticæ libertatis, bonorum augmentum, repressionem infidelium, & iniquorum ac rebellium & obstinatorum protervium consternendam fore noscuntur promovet, scandalis & discordiis obviat; & inter cunctos Christifideles pacis & charitatis servare suggerit unionem, & præsertim ut grex dominicus suæ curæ commissus in semitis dirigatur justitiæ, ut in errorum devium non labatur, & quæ perierant recuperari valeant. Veluti etiam istis temporibus, peccatis exigentibus, dudum peculiaris & dilecta filia civitas nostra Bononiensis intestinis agitata discordiis a gremio sanctæ matris Ecclesiæ atque nostro quorumdam perversorum impellente nequitia, quamvis, ut certi reddimur, dolenter se retrahens cum legum ac bonarum artium inter Italicas urbes mater consueverit reputari, jugum quod anxio corde referimus miserande subjecit, prout subit præsentialiter, servitutis cum ejus comitatu, fortia, territorio, pertinentiis, & districtu ac locis plerisque, quæ per communes dictæ civitatis hactenus sunt detenta, & quæcumque alia deperdita vel oberrantia recuperanda & reducenda, ac pace ipsis procuranda fidelibus indesinenter studia impendimus & labores; & attendentes quod licet ubilibet pro Christifidelibus vigiles mente simus, personaliter tamen pro nostro exequendo desiderio impossibilitate repugnante naturæ, adesse non valemus ubique, cogitare tamen cogimur ut viros electos ex millibus fide constantes, ornatos virtutibus, sermone potentes & opere, & in lege Domini eruditos in partem solicitudinis assumamus, ut ipsis vices nostras supplentibus sperata Christifidelibus pacis & unitatis commoda proveniant, & formata charitatis vinculo illibata consistant.

Pontificiæ auctoritatis conditor Christus.

Bononia ob intestinas discordias a Mediolanen. occupata.

Levantes igitur in circuitu oculos nostræ mentis ad personam tuam, in cujus desideriis geritur pacificare discordantes, recuperare deperdita, & errantes in viam reducere veritatis, nostræ deliberationis convertentes intuitum in te, de tuarum dono virtutum in Altissimo confidentes, ac in universo nostri Salvatoris pietate sperantes noster, de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium deliberatione, spiritus requievit. Considerantes itaque quod te charismatum dator almificus donis suis præveniens, tibi ea dedit, ac sapientiam & linguam eruditam,

Balthasaris Cossæ elogium.

ut

ut sciat quando debeat proferre sermonem, personam tuam scientiæ magnitudine, industria claritate, & maturitate consilii decoravit, plenissimum quoque de tuis claris meritis & tuæ personæ generosi sanguinis puritate ingentem fiduciam obtinentes, quamvis apud sedem Apostolicam ex tui eminentia consilii valde accessarius haberis, nosque & dicti fratres nostri tantis viri præsentia propter urgentes necessitates inviti careamus, tamen propter evidentem necessitatem recuperationis ac reductionis ad nostram & præfatæ ecclesiæ fidelitatem, devotionem, & obedientiam civitatis nostræ Bononiensis, ejusque comitatus, territorii, fortiæ, & districtus, ac universitatum & singularium personarum & habitatorum ipsorum & cujuslibet eorundem, & omnium aliarum civitatum, terrarum, castrorum, locorum, fortalitiorum, territoriorum, & districtuum in provincia nostra & exarchatu Ravennate illisque partibus existentium, ad nos & ipsam Ecclesiam spectantium: per quascumque universitates aut singulares personas, cujuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis, aut præeminentiæ ecclesiasticæ vel mundanæ existerent, etiamsi pontificali dignitate fulgerent, occupatas & detentas, & quæ tua durante legatione quomodolibet occuparentur in partibus ipsis, & maxime infra limites tuæ legationis, ab aliquibus in futurum ac propter conditiones illarum & circumadjacentium partium, quibus speramus per tuam circumspectionem provida illo, qui in sublimibus suis & terræ finibus pacem parat circa reformationem pacis, justitiæ cultum, charitatis vinculum, & reductionis ad ipsius ecclesiæ Romanæ obedientiam, fidelitatem, ac devotionem præmissorum & aliorum oberrantium quorumcumque, & ut existat cor unum omnibus in præmissis salubriter consuli & utiliter subveniri.

Amplissimis instruitur mandatis.

Ut fortem mittamus ad fortia, tuisque robustis humeris grandia opera imponamus, tanquam pacis angelum, reformatorem pacis & unitatis, fidei propagatorem, & fautorem virtutum, ac recuperatorem maxime civitatis, comitatus, territorii, fortiæ, & districtus Bononiensis & omnium aliorum, ut supra præfatur, occupatorum, & quæ occuparentur in posterum, ad civitatem, exarchatum, & provinciam Ravennatem, civitates Ferrariensem & Ariminensem, & partes illas ad nos & præfatam ecclesiam pertinentes præsentialiter destinamus; tibi in eisdem civitatibus, provincia, exarchatu, & partibus hujusmodi plenæ legationis officium apostolicæ potestatis plenitudine, quam non ab homine; sed a Deo recepimus usque ad prædictæ sedis beneplacitum, committendo, ut in illis evellas, destruas, dissipes, & disperdas, ædifices & plantes, deformata reformes, indirecta dirigas, aspera in vias planas convertas, corrigenda corrigas, deperdita restaures, ac tueis reddas populum acceptabilem in domino & bonorum operum sectatorem, & alias statuas, & prout gratia cœlestis infusio, tuaque tibi providentia ministrabit inter ecclesiasticas & mundanas personas, Reges, duces, principes, marchiones, comites, barones, nobiles, communitates, universitates, ac populos & alios universos & singulos discordes & dissidentes, donum pacis reformare, & concordes in fraterna dilectionis fœdere studeas conservare, errantes ad rectitudinis callem reducere, & ea quæ perierant, tuo humero ad ovile dominicum reportare, & qui callidi hostis seducti versutiis, ad agnitionem veræ fidei, sine qua non est salus nec ullus Deo placere potest, ad inextimabile lumen Christi satagas revocare, & agere ac tractare quæcumque ad cultum divinum & exaltationem catholicæ fidei, dictæ sedis honorem, recuperationem ac reductionem civitatis, comitatus, territorii, fortiæ ac districtus Bononiensis, & aliorum superius comprehensorum, ad fidelitatem, devotionem, & obedientiam hujusmodi, observantiam censuræ, & redintegrationem libertatis ecclesiasticæ, relevationem ecclesiarum & locorum ecclesiasticorum, & pauperum defensionem, & exterminium reproborum, salutem animarum, tranquillitatem corporum, ac robur, statum prosperum provinciæ, exarchatus, civitatum, & partium prædictarum quomodolibet pertinebunt, contradictores quoque rebelles quoslibet per excommunicationis, suspensionis, & interdicti, amotionis, privationis, & depositionis sententias, & alias auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendi, & infra, plenam & liberam concedimus harum serie facultatem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum XIV. Kal. februarii pontificatus nostri anno XIV.

Bononiam ad ecclesiasticum imperium revocare jussus.

Legatus Bononiæ receptus.

X. Progressum ad Bononiæ mœnia legatum apostolicum edito levi certamine facile a populo receptum, tradit Sigonius (a). [1] Pari etiam incubuit studio ad Perusium

(a) Sig. l. 3. de episcop. Bononien.

NOTÆ [1] QUi exitus fuerit expeditionis Legati apostolici in Bononiam ex S. Antonino, cujus verba inferius §. 12. recitat annalista, melius quam ex Sigonio discere potuit. Bononiæ enim potius fuit legatus non quidem post leve quoddam certamen a populo admissus, sed eam urbem habuit cessione Vicecomitis, quorum pax hoc ipso anno die XXV. augusti composita, ea conditione ut Bononia pontifici dederetur. Expeditionis hujus historiam diligentissime describit Jacobus de Del Ayto in annalibus Estensibus, quem lector consulat. MANSI

sium, Assisium, atque diœcesis Nucerinæ loca ex hostium rapacibus manibus vindicanda, utque cives ad depellendum e suis cervicibus Mediolanensis tyranni servitutis jugum concitaret; ni parerent, ipsos anathemate percellendos, pœnisque gravissimis afficiendos pronuntiavit (a).

(a) Lib. 6. p. 105.

Ad futuram rei memoriam.

Attendentes dudum ad nostrum fuisse notitiam fidedigna relatione deductum, quod tunc filia prædilecta universitas civitatis nostræ Perusinæ ad suggestionem nefariam quorundam perversorum hominum tam de civitate ipsa, quam de aliis locis, jugum lugendæ servitutis subire debebat; quodque iis, execrabili cupiditate & ambitione vario damnabiliter obcæcatis, auro patriam vendere non veriti, & absque nostra licentia vel mandato, cum nobis & ecclesiæ ipsa civitas cum comitatu, territorio, & districtu fuerit & existat etiam in temporalibus immediate subjecta, in suum superiorem & dominum, quamvis de facto quondam Joannem Galeaz ducem Mediolanensem, tunc in humanis agentem, recipere & habere id permaxime procurantem; nos ex paterno charitatis affectu, quo ad salutem & conservationem præfatæ civitatis nostræ excitabamur ab intimis, per plures nostros nuntios dictæ civitatis magnatibus destinatos, & maxime per dilectum filium magistrum Antonium de Montecatino & quondam Laudum de Mirtontibus tunc in humanis ducentem vitam, paternalibus monitis & exhortationibus requiri fecimus & moneri, ut a talibus tractatibus præcaverent, ne talia possent contingere quovis modo, cum nostræ intentioni existeret, prout erat, communitatem & singulares personas dictæ civitatis ejusque comitatus, territorii, & districtus in potiri conservare dulcedine; ac apostolicis gratiis tamquam prædilectos filios confovere; ac per nostras varias & diversas literas eis directas & exhibitas similia monita & exhortamina fecimus: inter cætera subjungentes, quod si a talibus non desisterent, nostri erat propositi eos persequi, ac pro nostris & præfatæ ecclesiæ rebellibus facere modis omnibus pertractari, & ex tunc civitatem ipsam Perusinam, ac civitatem Assisinatem, ac bastitam, terras, & castra Spelli, Gualdi Nucerini, castri Plebis, Cannarii, Spoletanæ, Assisinatis & Clusinæ diœcesum, & alia ad nos & præfatam ecclesiam pleno jure spectantia, quæ per ipsos tenebantur indebite occupata, auctoritate apostolica ex certa scientia earumdem literarum tenore ecclesiastico supposuimus interdicto, mandantes id ab omnibus inviolabiliter observari tamdiu, quamdiu ad nostram & præfatæ ecclesiæ fidelitatem ac obedientiam plenarie rediissent, prout in ipsis literis plenius continetur.

Data impetie ut recuperando Perusio incumberet.

Assisium & plures aliæ arces a Galeatio fuerant occupata.

Cum autem, sicut facti evidentia demonstravit ac demonstret, plus nefanda perversorum suggestio, cupiditas & ambitio detestenda, quam paternalis affectio nostra valuerit, sicque ex seditione ipsorum abominabile jugum tyrannicæ pravitatis præfata communitas subjerit ac subeat de præsenti, contra nos & præfatam ecclesiam eorum matrem, dominam, & magistram se rebellaverint, ipsaque civitates, terras, & castra præfata occupaverint, & indebite detineant occupata, & plures cavalcatas contra civitates, terras, castra, & loca nobis & præfatæ ecclesiæ immediate subjecta, necnon arma & insignia nostra de frontispiciis & palatiis nostris & præfatæ ecclesiæ in dicta civitate in nostrum & prædictæ ecclesiæ vilipendium & contemptum ignominiose deleri, ac ordinamenta, quia verint detrimento contra ecclesiasticam libertatem & obedientiam debitam nobis & eidem ecclesiæ, subtrahendo impositiones ac onera varia ac indebita ecclesiasticis personis, rebus, & bonis, ac capi & carcerari clericos ac hujusmodi onera exigi contra canonicas sanctiones ac hostilia plurima varia & diversa excessus crimina & delicta, conjurationes, & ligas fecerint & fuerint perpetrata, quæ nec possumus nec intendimus aut debemus ulterius conniventibus oculis pertransire; & attendentes, quod impunitas scelerum fideles exanimat & armat terribiliter audaciam contra bonos ac volentes hujusmodi detestabiles excessus, prout ex debito pastoralis tenemur afficii, ac obstinatam illorum perfidiam tam spiritualibus, quam temporalibus pœnis condigna animadversione corrigere, dilectum filium nobilem virum Joannem Thomacellum comitem Soræ & generalem capitaneum gentium nostrarum & præfatæ ecclesiæ armatarum ad recuperandum civitates, comitatus, territoria, & districtus Perusinum & Assisinatem, & alias terras, bastitam, terras, castra & loca prædicta, & ad nostram & præfatæ ecclesiæ fidelitatem & obedientiam omnibus viis & modis, prout poterit, dante Domino, reducendum, in virtute Altissimi, de cujus omnipotentia summa confidimus, jam pridem duximus destinandum. Et quoniam invalescente præfatorum sceleratorum suggestione nefaria tam Perusinæ & Assisinatis civitatum, quam terrarum Bastitæ, castrorum & locorum hujusmodi, universitates, ac singulares earumdem personæ animo persistunt in rebellione damnabiliter indurato, quærentes ac habentes contra nos, statum, & honorem nostrum & præfatæ ecclesiæ, armorum & alia diversa præsidia, maxime natorum dicti quondam Joannis Galeatii ducis & aliorum adhærentium ipsorum, in nostram ac præfatæ ecclesiæ & subditorum gravissimum detrimentum ac ipsorum periculum animarum, hostilia qualibet damnabiliter committendo; dignum ar-

Ecclesiastica libertas oppressa.

Jo. Thomacellus immissus ad recuperanda jura pontificia.

arbitramur & debitum, ut ratione tam nefandorum scelerum ultionis severitas amplius per spiritualis potentiam gladii in ipsos extendatur, ac propter enormitatem culparum pœnarum modus exuberet.

Sententia in Perusinos, Assisinates, & alios perduelles lata.

Nos igitur, iis & nonnullis aliis causis rationabilibus animum nostrum ad hæc moventibus ad correctionem universitatum ac singularium personarum civitatum Perusinæ & Assisinatis, earumque comitatuum, territoriorum, districtuum, bastitæ, insulæ, terrarum Spelli, Gualdi, Nucerinæ, castri Plebis, Cannarii & aliorum castrorum & locorum prædictorum eorumque adhærentium, fautorum, complicum, & sequacium virtute & fortitudine attendentes, ex certa scientia, ac de plenitudine apostolicæ potestatis tenore præsentium decernimus & declaramus singulares personas civitatum Perusinæ & Assisinatis, ac Bastitæ, necnon terrarum Spelli, Gualdi, Nucerinæ, castri Plebis, Cannarii, & aliorum castrorum & locorum prædictorum, earumque comitatuum, territoriorum, & districtuum, ac etiam adhærentium, complicum, & sequacium præfatorum propter præmissa fuisse & esse conspiratores & rebelles contra nos & præfatam ecclesiam, ac reos criminis læsæ majestatis, ac excommunicatos & anathematizatos harum serie, ac etiam declaramus eos incidisse in pœnas ac sententias in talia perpetrantes tam a jure quam ab homine promulgatas & inflictas, ac propter hujusmodi occupationes civitatum, terrarum, castrorum, & locorum prædictorum eas in pœnas & sententias contentas in processibus felicis recordationis Joannis Papæ XXII. ac Clementis VI. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, qui eos vim perpetuæ constitutionis habere voluerunt, damnabiliter incurrisse, ac extitisse & esse eis sententialiter irretitas: per quos processus omnes & singuli occupatores, invasores, & detentores marchiæ Anconitanæ, ducatus Spoletani, patrimonii B. Petri in Tuscia, Romandiolæ, Campaniæ provinciarum, civitatis Perusinæ ac terrarum specialis commissionis & Arnulphorum, civitatum, terrarum, vel locorum nostrorum, seu alicujus eorum, etiamsi imperiali, regali, aut pontificali, vel quavis alia ecclesiastica vel mundana dignitate fulgerent; necnon occupatoribus, invasoribus, detentoribus eorundem dantes auxilium, consilium, vel favorem excommunicationis sententia innodantur, ac privantur omnibus dignitatibus, honoribus, privilegiis, indulgentiis, gratiis, immunitatibus realibus & personalibus, per eandem vel alias Ecclesias seu Romanum imperium Reges vel principes concessis eisdem: quibus omnibus occupatores & alios supradictos & ipsorum quemlibet, etiam privamus harum serie, ac inhabilitamus ad ea & quæcumque alia in posterum, quomodolibet obtinenda.

Loca ecclesiastica a filiis Galeatii tenta sacris interdicta.

Et ut hujusmodi personæ juxta eorum demerita pœnis gravioribus affligantur, quousque revertantur & vivant scientia, auctoritate, ac potestate prædictis civitatem Perusinam & Assisinatem ac bastitam, terras prædictas Spelli, Cannarii, Gualdi, & castri Plebis & alia, terras, castra, & loca quæ per ipsos seu eorum aut natorum dicti quondam Joannis Galeaz ducis nomine in provinciis nostris prædictis vel earum aliqua vel alibi quomodolibet detinentur, ad nos & præfatam ecclesiam quovis modo spectantia, habentes ea nomina & diœceses eorumdem hic alias pro sufficienter expressis, fuisse & esse supposita ac de novo supponimus ecclesiastico interdicto, mandantes interdictum hujusmodi a dilectis filiis universo clero, civitatum, terrarum, castrorum, & locorum præfatorum, ac ordinibus etiam mendicantium quibuscumque exemptis & non exemptis in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœnis excommunicationis, privationis, & suspensionis, quas auctoritate, scientia, & potestate præfatis ex nunc contra contemptores mandati hujusmodi proferimus in his scriptis, & a quibus nisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, a quoquam absolvi nequeant tamdiu & inviolabiliter observari, & a divinorum cultu cessari protinus quousque ad nostram & præfatæ ecclesiæ fidelitatem, devotionem, & obedientiam plenas universitates & singulares personæ præfatæ redierint, & satisfactionem perfecerint competentem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum v. Kal. februarii pontificatus nostri anno XIV.

XI. Pandolfus Malatesta Florentinos vexat.

Conjunxit censurarum religioni armorum vim Pontifex, convertitque studia, ut hostis duces ab illius obsequio divelleret, inter quos Pandulphum Malatestum, pluribus nominibus Romanæ ecclesiæ obstrictum, qui sub ducis Mediolanensis signis stipendia merebatur, atque Senensi agro in Florentinum hostili furore excurrebat, admonuit (a), ut Philippi Mariæ Vicecomitis partes desereret; ni pareret, collatis omnibus pontificia beneficentia bonis exuendum edixit, eique alias graves pœnas est minatus, tum etiam significavit, se fœdus iniisse cum Florentinis, quos ab Ecclesiæ cliente injuria ulliqua affici nefas esset.

(a) *Ib. p.* 117.

Dilecto filio nobili viro Pandulfo militi de Malatestis in nostra civitate Faventina pro nobis & Romana ecclesia in temporalibus vicario salutem, &c.

Meminimus nobilitatem tuam per nostras literas, & sicut fide digna relatione comperimus, pro parte dilecti filii nobilis viri Caroli domicelli de Malatestis in nostra Ariminensi civitate pro nobis & Romana ecclesia in temporalibus vicarii germanique tui, fuisse cum instantia requisitum, ut ex quo nati quondam ducis Mediola-

nen-

nensis, nostrae & præfatæ ecclesiæ nimirum Romanæ, *civitates, terras, castra & loca ad nos & Romanam ecclesiam spectantia per eorum quondam progenitorem damnabiliter occupata, & per ipsos detenta restituere contemnebant, ac non volentibus paternalibus nostris monitis ac requisitionibus toties repetitis, tibique cognitis sed incussum tendentibus, ab eorum præsidiis ex debito fidelitatis, quo nobis & eidem ecclesiæ extas obnoxius tum omnibus tuis gentibus deberes ex toto recedere & ad propria remeare, cum nostræ intentionis existeret, prout existit, contra ipsos & quoslibet fautores eorum pro recuperatione civitatum, terrarum, castrorum, & locorum hujusmodi, adauctis undecumque viribus, nostram & devotorum potentiam excitare; hujusque rei causa cum dilectis filiis communi, & populo Florentino sub certis capitulis tibi per eumdem Carolum patefactis, ex tunc ligam & confœderationem providimus in Salvatoris nomine celebrare.*

Fœdus initum a Pontif. cum Florentinis adversus Mediol.

Et quia requisitionem & monitionem nostras de quo mirari & dolere compellimur ab intimis adimplere minime curavisti, prout nec curas; quinimmo contra ipsos Florentinos eorumque subditos, quos ut nos ipsos nostrosque filios protegere stringimur, hostilibus congressionibus ad instantiam natorum præfati ducis & gubernatorum eorum acerbissimas infestationes infers assidue cum tuis & aliis gentibus de Senensium territoriis undecumque, prout ex repetitis querelis accepimus eorumdem; eamdem nobilitatem iterato duximus requirendam, eidem nihilominus literarum serie per apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus sub pœna excommunicationis, necnon privationis vicariatuum ac privilegiorum, gratiarum, indultorum, feudalium, & aliorum bonorum quorumlibet a præfata vel aliis ecclesiis seu Romano imperio, Regibus, principibus, universitatibus, aut aliis personis singularibus quibuscumque hactenus concessorum, & inhabilitationis ad illa & quælibet alia in posterum obtinenda, ac etiam depositionis a militari & alia dignitate quacumque, tenearis & debeas, omni tarditate semota, a favore & offensis hujusmodi omnino recedere ac desistere cum effectu, sublatis excusationibus quibuscumque; alias licet genitoris quondam tui memoria germanorumque tuorum fidelibus studiis recensitis, ad hæc trahamur inviti, si contrarium attentare præsumpseris, quod non remur, hujusmodi pœnis & censuris eo ipso te noveris irretitum: & nihilominus, prout ex debito pastoralis tenemur officii, contra te ad aliarum pœnarum, contra talia perpetrantes a sacris canonibus, & per processus apostolicos in dictarum inflictionem debitam proculdubio mediante justitia procedemus, ut ceteris talis pœna transeat in exemplum, & discant fideles & subditi eandem ecclesiam suam dominam & magistram non immerito revereri. Datum Romæ apud S. Petrum kal. junii pontificatus nostri anno XIV.

Data Malatestæ imperia.

Navavit Apostolicæ sedi Carolus Malatesta Pandulfi frater in recuperanda ecclesiastica ditione utilem operam. Gerendæ vero rei occasionem prebuit Mediolanensium dissensio, qui fessi Jo. Mariæ Vicecomitis & administrorum tyrannide, coivere ad arma, motusque ingentes, immurata publicarum rerum administratione concitarunt. Exinde magnæ in aliis urbibus conversiones secutæ, cum ad excutiendum jugum audaciam Cardinalis legati authoritas iis præberet; tum vero animatæ ad pristinam recuperandam libertatem ecclesiasticæ urbes Bononia, Perusium, & Assisium in jus ditionemque Romanæ ecclesiæ sponte concesserunt, de quibus hæc S. Antoninus (a) accurate narrat.

Mediolanenses mutuis dissensionibus impliciti.

(a) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. §. 39. Corius histor. Mediol. par. 4.

XII. Plures Insubriæ urbes a Jo. Maria deficiunt.

Vulgata civium Mediolanensium discordia, Ugolinus ex familia nobili Cavalcabeum, mota seditione, Cremonæ dominium occupat, ducis magistratu urbe pulso, Laudenses rejecta extra urbem Gibellinorum, quæ ante ceteros suppeditabat factione, & ipsi sibi tyrannum crearunt Joannem Vignatem eorum civem. Hos secuti Brixienses, Bergomenses, & Placentini a duce defecerunt, confisi omnes auxilio legati apostolici, scilicet Balthasaris Cosciæ vel Cossæ diaconi Cardinalis, ad partes Longobardiæ a Papa destinati cum magnis copiis suis, & Florentinorum & Caroli Malatestæ ducis belli, qui & ad defectionem exhortati sunt, & rebellibus auxilia pollicebantur; Brixiam primo Franciscus junior Paduani domini filius dedentem se, præter arcem cepit, per quam paulo post intromissi equites illum urbe ejecerunt. Erant omnia ducis in occasum interitumque tendentia; tum domi civium seditiones, foris rebelliones, & urbium essent defectiones, cum Mantuæ dominus unus ex ducis consiliariis, Carolus Malatesta ejus affinis cum præfato legato Pontificis, inscio oratore Florentino, qui Joannes Castellanus erat, ducis nomine fœdus inierunt de Bononia, Perusio, ac ceteris ecclesiæ urbibus & oppidis restituendis, si finibus ducis cum exercitu excederet. De Florentinis, deque Tusciæ rebus nulla est habita mentio; quod cum grave illis videretur neque id jure fœderis factum quererentur, omnis hujusmodi res, quæ ad Tusciam spectaret, ad Pontificis decretum rejecta est. Inter legatum ac ducem pace publicata, Bononienses ut potius ab ipsis, quam a duce urbs Pontifici dederetur, armis sumptis adversus ducis milites acri certamine vicerunt, ut obeuntibus illis, urbem legato traderent. Perusini quoque certo de non recipiendis exulibus pacto fœdere, & ipsi fratri Pontificis domino Jacobello urbem restituere. Re-

Res præclare gestæ a Cardin. legato.

Ecclesiasticæ urbes dimissæ a Mediol.

Inter legatum & ducem vulgata pax. Bononia & Perusium Bonif. se subjiciunt.

Redeuntes ad officium Perusinos blando sinu excepit Bonifacius, & censuris, quibus illaqueati fuerant, ac pœnis exolvit (a).

(a) Lib. 7. ep. cur. p. 171.

Dilectis filiis prioribus ac camerariis artium, necnon universitati ac singularibus personis civitatis nostræ Perusinæ, ejusque comitatus, territorii, & districtus, ad nos & Romanam ecclesiam spectantium, &c.

Explicata in Perusinos Bonif. clementia.

Cum vos singulares personæ civitatis, comitatus, territorii, & districtus Perusini, dudum vos ab obedientia, & subjectione, ac fidelitate Romanæ ecclesiæ ac nostris temere subtraxeritis, & dictæ ecclesiæ nobisque rebelles fueritis, submittendo (quamvis de facto) vos, civitatem, comitatum, territorium, & districtum prædictum, quondam Joanni Galeatii duci Mediolani, nuper ad cor redeuntes, & vestros cognoscentes errores, ad nostram & ejusdem ecclesiæ devotionem & fidelitatem ac obedientiam sitis reversi, nos attendentes, quod nos propter subtractionem & rebellionem hujusmodi, & quia nonnullas terras, castra, & alia loca ejusdem ecclesiæ invasistis, turbastis, occupastis, ac ejusdem ecclesiæ persecutoribus, inimicis, & hostibus notorie adhæsistis, ipsosque receptastis & invadentibus, turbantibus, & occupantibus civitates, terras, castra, & loca prædicta præbuistis auxilium, consilium, & favorem; & etiam communicando eisdem hostibus in crimine & extra crimen contra tenorem processuum per felicis recordationis Joannem XXII. Benedictum XII. Clementem VI. & Innocentium VI. Romanos Pontifices prædecessores nostros editorum temere faciendo; necnon quia ab eisdem persecutoribus, inimicis, & hostibus recepistis auxilia, consilia, & favores, & libertatem ecclesiasticam violastis & fregistis ac in quasdam personas singulares ecclesiasticas manus injecistis temere violentas; & propter multa alia gravia tam per vos, quam etiam per singulares personas prædictas hujusmodi rebellionis occasione commissa diversas excommunicationis & interdicti sententias & alias pœnas tam per processus apostolicos contra rebelles hujusmodi dudum factos, quam etiam alias a jure vel ab homine latas & inflictas incurristis, & timeatis super præmissis posse in posterum molestari; quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum parati sitis contrito corde & humilium spiritu nostris & prædictæ ecclesiæ obedire mandatis, vos ad nostram & dictæ ecclesiæ gratiam recipere ac vobiscum mite & benigne agere, ac vos tam clericos & personas ecclesiasticas, quam laicos, nec non adhærentes, complices & sequaces vestros ab hujusmodi pœnis & sententiis excommunicationis, suspensionis, & interdicti & aliis quibuslibet, quas occasione præmissorum excessuum quandocumque & qualitercumque etiam vigore quorumdam processuum & sententiarum per quoscumque latarum seu factorum, incurrissetis, absolvere, & liberare, & cum clericis & personis ecclesiasticis super irregularitatis macula, si quam incurrissetis, dispensare, & alias super præmissis animarum vestrarum saluti providere de solita Apostolicæ sedis clementia misericorditer dignaremur.

Nos licet immeriti, illius vices gerentes in terris, qui cunctos quærit salvos facere & neminem vult perire, cuique proprium est misereri semper & parcere; hujusmodi supplicationibus inclinati, ac sperantes quod ex hoc in nostra & præfatæ ecclesiæ fidelitate, devotione, & obedientia perpetuo consistetis, hujusmodi supplicationibus inclinati prædicta omnia & quæcumque alia excessus, crimina, delicta, vel quasi cujuscumque generis, speciei seu qualitatis fuerint per vos aut aliquem vestrum dicto facto, vel assensu seu alias quomodocumque & quandocumque usque in præsentem diem commissa contra nos, Romanam ecclesiam, vel alios qualiacumque fuerint, de quibus aut super quibus esset cognitum vel non cognitum dicta, facta, perpetrata, & commissa, quæ omnia, per eorum qualitates status, formas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, declaratis, in quantum concernunt & concernere possunt publicum interesse, seu cameram apostolicam, ex certa scientia, auctoritate apostolica tenore præsentium, vobis & vestrum singulis de speciali gratia remittimus vosque & quemlibet vestrum, qui occasione subtractionis, rebellionis, invasionis, turbationis, occupationis, adhæsionis, & receptationis hujusmodi, vel aliorum excessuum prædictorum sententias seu pœnas hujusmodi, incurristis, ab hujusmodi sententiis & pœnis præfata auctoritate absolvimus, & penitus liberamus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum kal. novembris pontificatus nostri anno XIV. Affectus est simili beneficio (b) Joannes e Vico præfectus urbis, lubricæ & ex eventu suspensæ fidei vir: atque hactenus de Italicis turbis. Nunc ad Hungaricas digrediamur.

Contractæ censuræ obrogatæ.

(b) Lib. 8. p. 11.

Jo. e Vico conciliatus Bonif.

XIII. Hung. jura devoluta sunt ad Ladisl. Reg.

Devoluta erant sceptri Hungarici jura, functa vita Regina Maria, ad Ladislaum Siciliæ Regem veteri Hungarorum instituto (c) apud quos proximi gradu principes hereditariam coronam suscipiunt. At Sigismundus Bohemus, qui dotali beneficio diu sceptris Hungariæ, Dalmatiæ, Walachiæ, Bulgariæque erat potitus, redire ad privatam vitam abnuebat: cum vero plurium Hungarorum procerum odia, ob adhibitam jam ante in triginta nobilitate insignes viros Caroli Dyrrachini partium sectatores crudelitatem in se incendisset, concitassetque invidiam ob gestum male in Turcas bellum facta conjuratione principes illum circumse-

(c) Ext. ea de re monst. in Annal. to. 14. A. C. 1303. num. 20.

Sigismundus in custodiam traditus.

(a) Æn. Syl. in Europ. c. 1. Bonf. dec. 3. lib. 2. Summont. l. 4. c. 2.

Ladislaus segnius rem gerit.

Decretus a Bonif. legatus in Pannon.

sedere officii specie, atque in vincula conjecere (a), tum Ladislaum Regem Siciliæ ad accipiendam hereditariam coronam Hungaricam excivere, qui metuens varia Hungarorum ingenia, segnius rem aggressus est, denique autem communicato cum Pontifice consilio Pannoniam adire constituit. Commendavit meditata consilia Bonifacius, ut Ladislaus hereditarium regnum ab extero repeteret, tum ecclesiæ Romanæ potentiam confirmatum iri putavit, si Sigismundum, qui fratrem Wenceslaum contra Robertum Regem Romanorum fulcire poterat, regno Hungarico, ad quod retinendum nullo nitebatur jure deturbaretur. Angelum itaque tit. S. Laurentii in Damaso presbyterum Cardinalem legatum in Hungaria, Sclavonia, Dalmatia, Croatia, Rascia, Walachia, Bulgariaque creavit (b), plurimaque authoritate instruxit (c), ut, Ladislao Regi ad recuperandum regnum præsidio esset, ac principes & populos ad illius obsequium religionis vi traduceret: qua de re in pontificio regesto subjectis verbis conceptum est diploma (d)

(b) Lib. 7. p. 147.
(c) Ib. p. 144. ad 160.
(d) Super p. 147.

Dilecto filio Angelo tit. S. Laurentii in Damaso presbytero Cardinali
A. S. L.

Apostolicæ de ea literæ.

Inter cætera desiderabilia nostri cordis animarum salutem, incrementum veræ fidei, observantiam ecclesiasticæ libertatis, quietem & pacem cunctis Christifidelibus adesse desiderabiliter affectantes, sedula solertia vigilamus & adhibemus, quantum possumus, diligentiæ nostræ studium, ut hæc fidelibus ipsis laudabiliter possint, submotis impedimentis quibuslibet, juxta nostri desiderii plenitudinem, auctore Domino, provenire. Sed quamvis universis & singulis regionibus Deo & Apostolicæ sedis devotis favorem apostolicum quoties necessitas ingruit, impendere debeamur, & ad eas nostræ mentis diffundamus intuitum, levando in circuitu vigiles more pastoris tam corporeos quam mentales oculos, visuri quid gregi commisso nobis expediat, & quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti præsidio cui cogitationes hominum præparantur, quique fortium actus superat, & infirmos robore potenter accingit, ministerii nostri sollicitudinem ad ea præsertim, quæ fidelibus populis necessario expedire viderimus, & noverimus profutura, salubriter & utiliter exponamus; in præsentiarum tamen Hungariæ regni nobilis necessitates præcordialiter intuemur, profundis meditationibus laboriosisque vigiliis insudando, ut eidem in hujusmodi necessitatum articulis, & maxime ut assistentia tam spiritualis quam temporalis Charissimo in Christo filio nostro Ladislao Regi Siciliæ illustri circa recuperationem regni Hungariæ ac partium prædictarum, aliorumque jurium in illis & aliis partibus eidem Regi quomodolibet competentium valeat efficacius exhiberi, opportunum adhibeatur, auxiliante Domino, consilium salubreque remedium impendatur. Unde cum hostis humani generis, pacis æmulus, & zizaniæ seminator ab olim in eodem regno turbationes & scandala suscitaverit, ex quibus regale solium & ipsius regni regimen sunt depressa, vastatis fidelium bonis, ecclesiarum, & piorum locorum dejectis juribus, pessumdata damnabiliter ecclesiastica libertate & subsecutis exinde animarum periculis deplorandis, personarum nefandis excidiis, & aliis fere innumeris detrimentis, nos exinde graves & amaras gessimus, & portavimus in mente nostra punctaras, dum miserabilis illius regni conditio & commissorum inibi enormitas excessuum infra nostra præcordia revolvuntur, & utinam desuper datum esset, ut cum honore Dei, & Ecclesiæ & aliorum salubri statu fidelium posset commode circa tantum negotium exhiberi nostra præsentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi præsentialiter nostrum desiderium panderemus. Sed quia id conditio nostra non patitur, & innumera negotiorum undique concurrentium varietate distrahimur, illos in partem apostolicæ sollicitudinis de latere nostro nonnunquam assumimus, quibus fore percipimus cœlesti dono provisum ut altis & arduis negotiis sciant & possint consulere proinde & utili consilio.

Operam navare jussus Ladislao.

Attendentes itaque quod personam tuam altissimus gratiarum Dominus scientiarum magnitudine, providentiæ munere, circumspectionis gratia, industriæ claritate, multisque virtutibus insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adjiciens, ut ad laudem sui nominis frequenter onera grandia supportares, plenissimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, licet apud sedem Apostolicam ex eminentia tui consilii valde necessarius habearis, nosque inviti quodammodo tanti viri præsentia careamus, tamen propter urgentem & inevitabilem necessitatem dicti regni, cui speramus in prædictis per tuam industriam circumspectam, illo tibi auxiliante qui potest salubriter consulere & utiliter subvenire, ad præfatum regnum, commisso tibi plenæ legationis officio, in eodem regno, ac in Sclavoniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Raxiæ, Bosnæ, Valachiæ, & Bulgariæ partibus, ut in eis evellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices, plantes, & statuas in nomine Domini, sicut videris expedire de fratrum nostrorum consilio, tanquam pacis angelum destinamus, injuncto tibi nihilominus, ut in regno ipso tam ibidem quam in provinciis memoratis, inter ecclesiasticos & mundanos viros & universos alios, cujuscumque conditionis, præeminentiæ, ac status agas & tractes quæ ad cultum Dei & prædictæ sedis honorem, observantiam ecclesiasticæ sanctionis, ta- XIV.

Demandata illi in pluribus regnis auctoritas.

te-

tegritatem ecclesiasticæ libertatis, consecutionem regni & jurium præfatorum pro dicto Ladislao, robur prosperi status regni & provinciarum prædictarum honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, & animarum salutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt.

Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Hungariæ ac aliis provinciis ac partibus supradictis tibi duximus committendum, eo possis prosperari facilius, quo more solito legatorum, qui missi de latere transeunt adornati insigniis personam nostram quodammodo præsentabis, de speciali gratia apostolica tibi auctoritate concedimus ut eisdem insigniis infra prædictum Hungariæ regnum dumtaxat, uti libere valeas, prædicta legationis officium prosequendo, ita tamen quod præmissis insigniis in aliis commissis partibus provinciis & locis aliquatenus non utaris, ut id quod in hac parte tibi pro evidentibus necessitatibus & utilitatibus regni prædicti & terrarum earumdem conceditur, ad aliquam consequentiam prætextu concessionis hujusmodi in regno & terris eisdem propter hoc in posterum non trahatur; quocirca circumspectioni tuæ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus injunctum tibi onus laboris hujusmodi pro divina & nostra reverentia devote suscipiens, illud sic solicite & viriliter & laudabiliter juxta datam tibi a Deo potentiam exequaris, quod de tuis studiosis laboribus, cœlesti tibi favente clementia, sperati fructus adveniant; tuque per solicitudinis tuæ ministerium, illam, quæ piis causis gerentibus pro retributione rependitur, palmam gloriæ feliciter consequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum kal. junii pontificatus nostri anno XIV.

Concessum ei ut in Hungaria legati de latere insignibus utatur.

XV. His addit Theodoricus Niemus (a), Ladislaum a Cardinale legato Pontificis jussu Hungarica corona redimitum fuisse [1] cum decumano anno ad expeditionis sumptus instructum: *Bonifacius*, inquit, *eodem anno decimoquarto sui pontificatus dictum dominum Ladislaum coronari fecit in Regem Hungariæ in civitate Jauriensium per Cardinalem Florentinensem, sibique omnem censum, ad quem ecclesiæ Romanæ eatenus ratione dicti regni Siciliæ tenebatur, qui æstimabatur valere octingenta millia florenorum auri, sponte remisit, & triennalem decimam in regno Siciliæ ultra hoc sibi concessit.* Et infra: *Tamen Ladislaus in regno Hungariæ modicam u-*

(a) Theod. a Niem. l. 2. c. 27.

Ladislaus Hungarica corona a legato redimitur.

Magnifica in eum Bonifacii liberalitas.

tilitatem sibi aut Ecclesiæ confecit. Describit causas subjectis verbis Æneas Sylvius (b): *Regina fatis functa in vincula conjectus est*, nimirum Sigismundus, *mulierque vidua, cujus virum interfecerat in custodiam traditus, donec regni proceres supplicium decernerent: sed non defuit capto in extremis rebus providentia, qui ut erat facundia potens, mulieri longe melius esse ostendit regium sanguinem conservare quam fundere. Dimissus ab ea Barbaram Hermanni comitis Ciliæ filiam duxit uxorem.* Evasit (c) deinde in Moraviam, seque contulit in Bohemiam, cujus sceptrum arripuit Wenceslao fratre hoc anno in custodia incluso (ut antea meminimus, & Gobellinus refert (d), ac Bohemiæ & superioris Hungariæ vires ad recuperandam Hungaricam coronam contraxit. Favit (e) illi Wladislaus Rex Poloniæ, ejusque & aliorum amicorum studiis fretus, irrupit in Hungariam, ac Ladislai sectatores acerrimo bello, recto Budam (f) contendens, adortus est. Exinde asperum civile bellum exarsit, cujus exitus ancipites metuens Ladislaus paternæ necis memoria territus, spes amplas Hungariæ abiicere, & Siculo sceptro contentus esse constituit, ut Theodoricus e Niem narrat (g).

(b) Æn. Silv. in Europ. c. 1. & Bonf. dec. 3. l. 2.

Liberatur carcere Sigismundus.

(c) Bonf. ib.

Bohemiæ sceptrum fratri eripit.

(d) Gobelin. in Cosmod. at. 6 c. 70. Dubrav. l. 23.

Juvatur a Polono.

(e) Cromer. hist. Pol. l. 16.

Hungar. regnum recuperat.

(f) Bonf. ib.

(g) Theod. e Niem. ibid.

Sigismundus autem ad constabiliendas regni Hungarici res, celebratis Budæ quinto octobris ordinum regni comitiis, adversarios omnes ad pacem admisit, edita publica hac sanctione (h).

Sigismundus Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, & Bulgariæ, marchioque Brandeburgensis, &c. sacri Romani imperii generalis vicarius, & regni Bohemiæ gubernator.

Memoriæ commendantes ad universorum notitiam volumus serie præsentium pervenire, quod quia nos ad instantem & devotam supplicationem fidelium nostrorum baronum, procerum, & nobilium regni nostri Hungariæ hic nobiscum personaliter existentium, quorum precibus propter eorum fidelia & gravissima servitia atque fidelitatis eximiæ constantiam non possumus denegare, decrevimus cum omnibus rebellibus, æmulis, & adversariis nostris in regnis nostris Hungariæ & Sclavoniæ, necnon in partibus Transilvaniensibus constitutis & existentibus veram pacem facere & concordiam stabilire. Idcirco nos dictorum fidelium nostrorum supplicationibus fa-

Sigismundus res suas in Hungar. firmat.

(h) Ext. apud Goldast. to. 3. const. imp. p. 419.

 vo-

NOTÆ [1] MEnsis & dies, quo Ladislaus Hungarica corona insignitus fuit a legato pontificio indicatur a Jacobo de Del' Ayto in annalibus Estensibus, in quibus res per hos annos in urbe gesta diligentissime persequitur. Id actum scribit ille Jaderæ die V. augusti. Sozomenus historiæ Pistoriensis coævus author, eumdem diem & mensem designat, sed addit eam cæremoniam non quidem a legato ut ex Niemio annalista scribit, sed ab archiepiscopo Strigoniensi præstitam. MANSI

vorabiliter annuentes, ex innata nobis clementia omnibus & singulis prælatis, baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, necnon in partibus Transilvanensibus commorantibus, ad eosdem pertinentibus, gratiam facere duximus, &c. Datum Budæ feria proxima post festum S. Francisci confessoris anno Domini MCCCCIII.

XVI. Detrectarunt nonnulli eo beneficio potiri, qui cum Ladislao adhæsissent adversus Sigismundum, bonis ac possessionibus eversi sunt. Promulgato anno insequenti Budæ publico edicto (a) in quo hæ causæ expressæ.

(a) Ext. ib. p. 410.

Sigismundus Dei gratia Rex Hungariæ, &c.

Memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes quibus expedit, quemadmodum nobis alias extra regnum nostrum in partibus Bohemiæ pro sacri Romani imperii honore & jure nostri patrimonii pro posse insudantibus & laborantibus, quod quidam prælati, magnates, proceresque & nobiles regni nostri malo freti consilio, immo rebellionis calcaneo ducti, & in improbum sensum dati, ingrati & immemores beneficiorum nostrorum a celsitudine nostra susceptorum, & crimen læsæ majestatis conspirantes, nos verum Regem & dominum Hungariæ diademate & solio ipsius regni nostri, cui jam, Deo propitio, fere XVI. annis feliciter regnavimus & imperavimus, privare & destituere, aliumque eis ignotum in Regem, ut puta Ladislaum filium Caroli de Duracio, eligentes in dictum regnum nostrum introducere satagebant; tandemque nonnullorum fidelium baronum & procerum nostrorum interveniente subsidio, gubernacula dicti regni nostri votive readipiscentibus plerisque ex dictis infidelibus nostris juxta demeritorum suorum exigentiam digna correctionis linea ferire, aliasque castris, tenutis, districtibus, comitatibus, oppidis, possessionibus, & cunctorum bonorum muneribus tanquam per notam infidelitatis hujusmodi rebellium ad manus nostras regias devolutas, &c. Ornavit his opibus Sigismundus eos, qui ipsius partes consectati erant. Quod decretum ita consignatum est. *Datum Budæ feria tertia proxima post dominicam* Invocavit, *anno Domini MCCCCIV.*

Ladislai sectatores bonis e-xuit.

Transfundit illa in socios.

Hæc rerum conversio improvisique exitus, cum Bonifacii consilia confudissent, maxima catholicæ rei detrimenta attulere; quæ Theodoricus Niemus sic describit (b): *At Sigismundus ægre ferens, quod præfatus Bonifacius contra eum talia fieri fecerat, de ipso Bonifacio ac collegio Cardinalium & multis magnatibus per mundum vehementer conquerendo, famosas epistolas destinavit, & ex hoc in ipso regno Hungariæ clades hominum innumerabilium, ac ecclesiasticorum & piorum locorum & monasteriorum enormis destructio, incendia civitatum, oppidorum, villarum & castrorum, necnon infinita alia mala, quæ guerræ secum producunt, diu vigentia subsequebantur; quia non sine multorum dispendio Reges deponuntur: & ideo vires assumpserunt mala hujusmodi, quod etiam presbyteri & ecclesiasticæ personæ utriusque sexus non fuerunt securi per totum regnum Hungariæ: quantum ad invasionem & destructionem nulla habita est differentia inter presbyteros, clericos, & vulgares, sacrum & prophanum: & exinde in curia Bonifacii pauci Hungari visi fuerunt. Sed ipse Sigismundus postea cathedrales ecclesias & monasteria, necnon omnia beneficia ecclesiastica in Hungaria dedit, quibus voluit, & hoc de exaltatione Regis Ladislai quoad regnum Hungariæ ipse Bonifacius & ejus collegium lucrati fuerunt.* Cæterum justissimum erat & prudens videbatur Bonifacii consilium, quamvis illi eventus minime responderit. Ut vero postea Sigismundus Rex redintegrandæ ecclesiarum conjunctionis præcipuus auctor extiterit, suo loco dicetur.

(b) Theod. a Niem. l.2. c.18.

In Bonif. iras convertit.

Obterit ecclesiasticos.

Sacerdotia pro libidine confert.

Nunc addimus Bonifacium sacrarum opum pro divini cultus splendore tuendarum solicitum, ut fraudes illas dilapidare cupientium, eliderct, intentato anathemate sanxisse (c), ne ecclesiarum, monasteriorum, & xenodochiorum bona ad amplius tempus, quam ad triennium locari, vel emphyteusi subjici, nec census nisi annui recipi possent.

(c) Lib. 7. ep. curr. p. 168.

Ad futuram rei memoriam.

Sentientes sicut habet fidedigna relatio facta nobis, quod nonnulli abbates, priores, capitula, & conventus monasteriorum & prioratuum tam regularium quam sæcularium etiam ordinum diversorum; necnon quamplures alii in dignitatibus, administrationibus &, officiis constituti, & etiam rectores tam parochialium quam aliarum ecclesiarum ac hospitalium tam in dicta urbe quam territorio seu districtu ejusdem situatorum sub variis & diversis coloribus in maximum monasteriorum, prioratuum, & ecclesiarum, ac hospitalium hujusmodi præjudicium & gravamen, ac in ipsorum animarum æternum salutis periculum bona stabilia ad monasteria, prioratus, & ecclesias, seu hospitalia hujusmodi pertinentia infeudare, seu in emphyteosim concedere, necnon ad longum locare tempus damnabiliter hactenus præsumant assidue, fructus, redditus, & proventus ex eis ante tempus percipientes, nec curantes fructus hujusmodi pro utilitate monasteriorum, prioratuum, & ecclesiarum hujusmodi ac bonorum ipsorum aut nutrimento & sustentatione degentium in eisdem; nos volentes, cum ad hoc nostra potissime versetur intentio, ut monasteria, prioratus, ecclesiæ, & bona hujusmodi, ac personæ in eis & potissime deservien-

vientes laudabiliter in divinis augmenta suscipiant, & ab incommodis ex molitia concessionum & locationum hujusmodi emergentibus præserventur illæsa præmissis & nonnullis aliis rationabilibus causis animum nostrum ad hoc moventibus auctoritate apostolica, tenore præsentium statuimus & ordinamus, quod de cætero nullus abbas, prior, conventus, aut capitulum, collegia, regulares vel sæculares, aut rector monasteriorum, prioratuum aut ecclesiarum & hospitalium hujusmodi relati cujuscumque status, dignitatis vel conditionis existat, per se vel alium, directe vel indirecte, quibuscumque titulo, causa, sive quæsito colore infeudare aut in emphiteosim concedere seu aliter locare bona hujusmodi, quæ infeudari hactenus non consueverunt, aut fructus, redditus, & proventus bonorum stabilium monasteriorum, prioratuum, & ecclesiarum hujusmodi vel alicujus eorum ad tempus vendere vel aliter alienare seu concedere, nisi dumtaxat pro tempore & termino trium annorum ad plus, nec fructus, redditus aut proventus ipsos ante tempus percipere, nisi pro uno anno dumtaxat & non ultra audeat vel præsumat sub pœna excommunicationis, in quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, necnon privationis omnium monasteriorum, prioratuum, dignitatum, ecclesiarum, beneficiorum, hospitalium, & bonorum quorumlibet, quæ quomodolibet obtineret, feudatarii quoque, emphiteotæ, conductores ac emptores bonorum hujusmodi solum contra inhibitionem hujusmodi canonum & pretium amisisse eo ipso intelligantur, nec repetitioni aut compensationi sit locus in aliquo, &c. volentes ac decernentes, quod castra seu fortalitia monasteriorum, prioratuum, aut ecclesiarum seu hospitalium hujusmodi, vel eorum aliquod absque speciali sedis licentia subdicta pœna infeudari, locari, dari, vel concedi non possint vel debeant quovis modo, & nihilominus quod secus vel aliter factum fuerit carere viribus decernimus ipso facto, constitutionibus apostolicis, statutis & consuetudinibus monasteriorum, prioratuum, ordinum, ecclesiarum, & locorum hujusmodi, legibus imperialibus, statutis municipalibus præfatæ urbis, aliis contrariis, non obstantibus quibuscumque: prædicti autem ad hospitale nostrum S. Spiritus in Saxia de urbe, & ejus præceptorem, capitulum atque bona non redacent sibi locum. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. non. Januarii pontificatus nostri anno XIV.

Vetito locari bona ecclef. nisi ad triennium.

Aut recipi fructus ante tempus nisi annuos.

XVII.

Petrus a Luna ea Avenionensi custodia aufugit.

(a) Juv. Urs. & Monach. S. Dionys. in Car. 6.

Hoc anno Petrus e Luna ex Avenionensi custodia in qua quadriennio, & eo amplius, tentus fuerat, ut ad ponenda pontificatus insignia adigeretur, si Bonifacius pontificatu se abdicasset, fuga lapsus (a) est, parata sive Aragonum sive Gallorum ope infra Rhodani pontem scapha: inde ad proximum vicum Pontem Sorgiæ substitit, mox Carpentoractum, indeque Massiliam abiit. Interea certabatur acerrime inter doctores Gallos, an negata antea illi obsequia iterum præstanda forent: contendebat inter cæteros maximo ardore Condomiensis episcopus in commentario (b) Carolo Gallorum Regi dicato iterum deferenda: cujus dicta falsæ hypothesi innitebantur, scilicet Petrum e Luna esse verum Pontificem. Cum autem demonstrent non debuisse Gallos ab Urbano electo & culto, ut vero Pontifice deficere, repetenda ex parte visa sunt.

Contendunt nonnulli doct. ferenda ei obsequia.

(b) Ext. to. 6. de schism. p. 55. & to. 8. p. 21.

Si est, inquit, *electus a duabus partibus, nulla admittitur contra ipsum exceptio, nec de vitia eligentium vel electi, quia non est coram quo judice exceptiones illæ proponerentur: unde si tertia pars vellet probare electionem esse simoniacam, non audiretur, ut extra de electione licet; qui tamen sic eligant peccant, & electio nulla est: ista tamen ultima quatuor verba non sunt in aliquibus libris*; paucisque interjectis: *Patet hic per Innocentium IV. qui in ista decretali licet, super verbo speciale literaliter ita dicit: Nulla est aliqua forma ex necessitate servanda; immo quomodocumque appareat duas partes consentire in aliquem tanquam in electum, jus habet & verus Papa est*, hæc pro Urbano & Bonifacio pollent vi maxima, non pro Petro e Luna a schismaticis electo, *& idem Hostien. & Jo. Andr. & idem dicit Guillelmus Durant. c. ubi majus, & hic tum recitat Jo. Andr. qui ponit novum inter specialia electionis Papæ, nec est aditus post eos aliquis contrarium scripsisse de doctoribus, qui communiter habentur & concedit Hostien. hoc de observantia continuata & consuetudine quæ est optima legum interpres, & consuetudine cum dilectne: & hæc omnia probasse videtur dominus Gregorius X. in generali concilio Lugdunensi de elect. ubi majus in bene inspecta c. cæterum, superius allegata, unde quod sic standum est huic c. licet de quo agimus quia omnia jura ante istud edita de honestate loquuntur, non de necessitate, & videtur dicenda concore & canonica electio Papæ quomodocumque appareat duas partes Cardinalium consentire in aliquem tanquam in electum quæ & talem visa est universalis Ecclesia absque ulla exceptione recipere in Pontificem & pastorem, & ad tollendam scilicet & prohibendam jam ante prohibitam materiam schismatum istud est; prædictis*, inquit, *juribus adjunctum; ut dicit litera istius c. licet post principium & in fine, quando non esset judex superior, ad quem pro discutiendis hujusmodi exceptionibus posset haberi recursus excipientes se faciebant partes segregantes semetipsas, dividentes, vel rumpentes vinculum charitatis & pacis, &*

Pro Urb. VI. & successoribus ingenti vi pollet hoc argum.

Nulla ratio sufficiens esse potest ad schisma conflandum.

q. 1a c. schisma ut ita, sicut nulla ratio reperiri potest sufficiens ad schisma introducendum, ut plenissime concludit Augustinus in epist. ad Vincentium Donatistam in quinque columnis, scilicet a §. nentum, usque ad §. noli ergo frater; nec ad hoc sufficiat exceptio qualiscumque accedit de regul. jur. cum quod una via cum sua materia lib. 6t. militat enim maxima ratio pro unitate & pace, per quam creatura creatori, membrum corpori, corpus capiti rectissimo & ordine dulcissimo copulatur necessario ad salutem, ut hac apparent satis superius & inferius persecuta: nec forsan contra istam rationem hoc Lateranense concilium universalis Ecclesiæ generale saltem in hoc articulo rationabiliter aliud debuit, aut potuit statuisse, quoniam indistincte omnes exceptiones repulerit, per quas stante Ecclesia in unitate, charitate, & pace secura, etiam contra quorumlibet præsidentium, & qualibet aliena prædicta schisma posset quomodolibet introduci: & sic pro bono unitatis & pacis universalis Ecclesiæ aliquid est adjunctum per istud concilium declarative, scilicet antiquioribus juribus superadictis, quæ licet cum magnis vigiliis & ponderosa deliberatione fuerint mussitata, & in conciliis generalibus ut plurimum edita, magnam sinceritatem & æquitatem contermenita, ut videtur. Hæc episcopus Condomiensis; qui non Petro e Luna a pseudocardinalibus creato, sed Urbano VI. ad rei catholicæ lucem ac splendorem accommodare debuisset.

XVIII. (a) *Ext. to. 3. priv. Rem. eccl. p. 29.* Schismatici suis verbis convicti.

Tolosana etiam academia literis (a) ad Carolum VI. Regem extremo superiori anno missis professa est, non spectare ad ipsum ferendæ sententiæ jus, an obsequium Petro e Luna in possessionem pontificatus in Galliis inducto denegandum esset, neque ecclesiasticas causas ab Rege, sed a Pontifice cognoscendas.

Epistola directa Regi Franciæ a studio Tolosano, continens quid sentiat de facto schismatis inter Benedictum decimumtertium & quendam alium anno Domini MCDII.

Ut autem non fore subtrahendam obedientiam summo Pontifici, & subtractam eidem debere restitui, fiet luce clarius manifestum, hoc est fundamentum materiæ sub quodam divino & humano juribus fulcito compendio recenseri, ut videlicet perscrutemur quis potuit citare Papam, super hoc Parisiense concilium congregare, si ipso congregato per ipsum potuit aliquid concernens statum generalem Ecclesiæ ordinari, & si ordinata ibidem roboris obtinent firmitatem, utrumve licuerit subtrahere obedientiam vero Papæ, etiam ut unia in Dei Ecclesia sequeretur; & supposito pro vero quod non, an sit obedientiæ restitutio facienda. Cum autem auctoritatem congregandorum conciliorum generalium & aliorum, ubi de statu universalis Ecclesiæ agitur & summi Pontificis ejus sponsi, manifestum sit tantum ad Romanum Pontificem pertinere, quis sanæ mentis pertinaciter affirmabit, quemquam sine auctoritate sedis Apostolicæ, cui in solidum præest Papa, ad examinandum potissime causam criminalem ipsius Romani Præsulis, posse generalem aut particularem synodum congregare? Nullum enim generale aut particulare concilium circa præmissa vel aliquod præmissorum celebratum ratum est aut erit unquam, quod non fuerit sedis Apostolicæ, cujus caput est Papa, a quo in solidum talia recipiunt potestatem concilia, judicio & auctoritate fulcitum: quod cum fuerit dictæ sedi Christi jussione & conciliorum venerandorum declaratione concessum in solidum, nullus quantacumque auctoritate præfulgeat, hoc sibi poterit usurpare.

Non pertinet ad Reges judicare de criminibus pontificum.

XIX. *Multis denique apostolicis, canonicis & ecclesiasticis regulis edocemur, non debere absque auctoritate & consensu Romani Pontificis, generalia concilia celebrari, quod si aliter factum extiterit, non concilium, sed conventiculum vel conciliabulum dicitur, & quidquid in ipso actum fuerit irritum erit & vacuum, & contrafacientes sedis Apostolicæ communione carebunt: nec legitur præter apostolici apicis sanctionem, aliquid fuisse constitutum super causis majoribus, sed tantum præfatæ sedis arbitrio terminatum. Hinc etiam, cum auctoritas Theodorici Regis ex diversis provinciis ad urbem Romanam sacerdotes convenire jussisset, ut sanctum concilium judicaret de iis, quæ venerabili Papæ Symmacho præsuli sedis Apostolicæ ab adversariis ipsius dicebantur impingi, suggesserunt episcopi præsentes in concilio ipsum qui dicebatur impetitus debere synodum convocare, scientes quod ejus sedi per Petri Apostoli meritum, deinde Domini secuta jussionem conciliorum auctoritas, specialem in ecclesiis tradidit potestatem, nec ante vel post, nisi se ex humilitate submitteret, a quoquam legitur dictæ sedis judicatus antistes. Cui sententiæ Rex inclytus annuens, fassus est nihil ad se, præter reverentiam de negotiis ecclesiasticis pertinere. Episcopi vero in synodo residentes causam dicti Pontificis, qui etiam dicebatur hæreticus, Dei, cujus etiam erat, judicio reservaverunt. Quid plura? Marcellinus episcopus urbis Romæ nihilominus martyr insignis, templum paganorum ingressus, compulsus super prunas imposuit grana thuris, propter quod contra eum universorum episcoporum concilio congregato, quia prima sedes non judicatur a quoquam, non audentes in eum proferre sententiam; ipsum oris sui judicio commiserunt. Pariter Sixtum, contra quem insurrexerat malus rumor non judicavit concilium cui intererat Valentinianus augustus, tam nullius reperiretur jurisdictioni*

Pontifex a nemine judicandus.

sub-

subactus; acephalum enim liquet esse concilium, ubi de tanta persona agitur, & minorum sententia expectatur. Cur igitur gloriatur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltatur serra contra eum, qui trahit eam.

XX. *Sole clarius jam apparet non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum qui majoris est potestatis, judiciis suis subjicere, aut propriis diffinitionibus subjugare. Ideoque, licet aliorum hominum causas Deus voluerit per homines terminari, sedis tamen Apostolicæ præsulem, sine quæstione suo in solidum arbitrio reservavit. Hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus a nemine judicandus est, nisi deviaret a fide. Et si dominus noster Papa hæreticus, aut schismaticus falso æmulis vociferetur a multis, serenissime princeps, hoc cognoscere non est Vestrum, non particularis consilii regni nostri, sed auctoritate sui convocari generalis concilii obedientiæ partis nostræ, vel ad fortius, supposito quamvis falso quod in casu hæresis aut schismatis potuerit per Parisiense consilium judicari, via juridica tamen, qua contra ipsum processum extitit ignoratur, quia nec per modum accusationis, cum accusator non comparuerit, qui se talionis obligaret ad pœnam; nec denunciationis, quia monitio evangelica non præcessit, vel quamvis præcessisset, nihilominus tamen ipsum denunciari oportuit, non portioli præsumpta, sed auctoritate apostolica convocato concilio generali; nec inquisitionis, cum fama ortum habens canonicum ipsum fore hæreticum vel schismaticum, non nisi penes malevolos divulgarit, &c.*

Ad particulare concilium unius regni non spectat judicare de Pontifice.

XXI. Galli iterum obsequium antip. deferunt. Demum Gallos negatam jure antipapæ obedientiam ei detulisse, annitente duce Aurelianensi, refert Theodoricus Niemius (a), causasque facti adducit, sic inquiens; *Videntes dicti Cardinales & magnates Galliæ, quod præfati principes Alemanniæ cum Bonifacio, ut sederet effectualiter, proficere non poterunt, & præfatum Petrum solum ad cedendum ejus papatui se frustra vexare amplius detinendo, ipsum ab eadem captivitate liberarunt, cooperante sibi in hoc multum præfato duce Aurelianensi, & liberatum ad statum pristinum posuerunt, sibi usque tunc subtractam obedientiam restituendo.* Ipsum in libertatem vindicatum fuisse duodecima martii die ex veteribus monumentis, quæ extant in manuscriptis Avenionensibus (b) constat, & Carolum Regem has facti causas attulisse, inquiunt: *Rex considerans, ut ipse in sua litera attestatur, quod præfatus dominus noster, sicut eidem Regi publicis instrumentis & aliis innotuit, libertus quam ab initio perusum fuisset, intruso scilicet,* ita appellabant schismatici verum Pontificem, *cedente viam cessionis acceptaverat, & quod intrusus animo pertinaci illam recusaverat, & illi de obedientia dicti intrusi magis in sua duritia & errore firmati perstabant, & quod principes istius obedientiæ, de quibus etiam sperabatur, vel non se subtraxerant, vel si subtraxerant, jam restituerant obedientiam sicut Rex Castellæ & Neapolis, quod collegium etiam dominorum Cardinalium sentiebat obedientiam restituendam & apud Regem ingenti affectu pro illa instabat;* nonnullis interjectis, quæ brevitatis studio prætermissa sunt excerpimus, *Rex ipse Deum habens præ oculis, volens ut dixit conservare castum amorem, qui semper inter sedem Apostolicam & progenitores suos extitit;* & infra: *voluit & ordinavit omnes suos, qui obedientiam præfato domino nostro subtraxerunt, ad ejus obedientiam reduci, prout hæc & alia in dictis literis continentur. Dat. Parisius sub sigillo secreto dicti Regis anno Domini MCCCCIII. die XXVIII. mensis maii.* Implicitus etiam erat eodem schismate Amedeus dux Sabaudiæ, belloque Helvetios finitimos catholicos hostili excursione vexabat: ad quos tutandos Bonifacius Bernenses excitavit (c), ut sociis opem ferrent.

Prætextus conquisiti.

(a) Theod. a Niem. l. 2. c. 33.

Aurelianensis dux fautor antipapæ.

(b) To. 4. de schism. p. 144.

(c) Lib. 7. p. 143.

XXII. Gallorum in Angliam expeditio. Eodem anno gesta esse varia inter Gallos & Anglos ancipiti exitu prælia narrant Juvenalis Ursinus (d) & Monstreletus (e), & Anglos mari a Britonicæ classis præfecto profligatos; in Anglia vero Britones & Normannos fusos: & Walsinghamus addit (f) in Belfordensibus & Bycklefortensibus agris visos eminus mane & meridie hoc anni æstate dæmones bellatorum specie pictos variis coloribus erumpere e silvis, atque inter se concurrere in prælia; at ubi quis accederet cominus, ad spectandum evanuisse refert.

(d) Juv. Urs. in Car. 6.

(e) Monstr. vol. 1. c. 12.

(f) Walsin. in Henr. 4.

XXIII. Pugnantium inter se dæmonum spectra. Insignis hæretici hypocrisis. Adhibebatur interea in Wicleffistas legum severitas, quarum metu plures impostores ex Anglia in extera regna se contulisse diximus, ex quibus Guilelmus candida indutus veste sanctitatis famam sibi conciliavit in Wandalia, mulieresque pietatis specie fascinare adortus, cum illas, uti Wicleffitæ scortationem peccati labe carere jactabant ad impudicitiam variis lenociniis pellicere pertentasset, ad fidei censorum delatus convictus est hæreseos; cumque impietatem damnasset, jussus insuto vesti crucis symbolo carceris & alias pœnas tolerare, ut admissorum scelerum vere se pœnituisse ostenderet: sed tandem pietatis larvam indignatus sibi detraxit, crucisque calcavit imaginem (hoc etiam flagitio se Wicleffitæ contaminabant) quare flammarum incendio scelus luit. Hallucinatur vero Albertus Krantzius (g), dum illum mente captum, non hæreticum fuisse opinatur; verum potius censorem fidei functum suo munere videtur, & lacuisse

(g) Krantzius Wandal. l. 10. c. 8.

(a) *Id. ib. c.9.*

fuisse Krantzium (a) a Wicleffistis etiam scelera hæc admitti consuevisse; quod confirmant ea, quæ ipsemet subiicit, invalescentem hoc anno in Vvandalia hæresim, censorum fidei diligentia flammis deletam; quamvis dæmon ita suos fascinaret, ut martyrum constantiam externa specie æmularentur.

Hæresis per Wandaliam disseminata.

Jam, inquit, *per Vvandalicas urbes diffusa erant venena sacrilegarum hæresum, quæ se paulatim ostendere atque prodere cœperunt ad multorum perniciem, jam hoste maligno vindicante quod dudum pulsus his regionibus fidei catholicæ cedere cogeretur. Suadis repertus est presbyter, qui pertinaciter errores noxios tuebatur, ab inquisitore convictus monitusque, ut resipisceret, in errore perduravit: quacirca curiæ traditus sæculari pœnas dedit per ignem, antea ad juris normulam degradatus. Rostochii inde comperta est mulier simili pertinacia in erroribus indurata, & cum nequaquam resipisceret, igni concremanda damnatur. Jam stabat supplicio proxima ad ignem cum filius ejus frater ordinis Cisterciensis cum lachrymis & singultibus matrem moneret, rogaret, & obsecraret, ne se temporali & æterno subtraheret incendio, resipiscens dum tempus sit, indignabunda in eum mulier respiciens torvis oculis: Abi, inquit, deterrime mortalium: nunquam tu hoc utero portatus, his es lactatus mammillis: pro vero suppositus es adulterinus. Sic etiam suos diabolus martyres ad supplicia fortes facit. Abiit ille tristis & lacrymis infusus: illa igni iniecta concrematur. Et ne vicina Vismaria felicius ageret, comperit transiens idem inquisitor Bernardum, quendam socium Lubicani Vvilhelmi eadem vanitate pertinaciter delirantem, ut quondam ille, monitum, convictum, damnatum, nihil emendatum jussit curiæ provinciæ sæculari, quæ illam digna consumpsit exitio concrematam.*

Coercita suppliciis.

Dæmon suos martyres habet.

XXIV. Diffusas etiam latius fuisse luctuoso hoc tempore Waldensium sive Catharorum hæreses in Delphinatua, Sabaudiæ, & Insubriæ montanis locis & vallibus, cum pauci sacri concionatores in ea ignobilia oppida penetrarent, in Genuensi etiam diœcesi nonnullas superstitiones sub fucato nomine S. Oriensis, atque in Lausanensi agro rusticos, tam alta errorum caligine demersos fuisse, ut etiam orientem solem, ex veteri Manichæorum more veluti Deum adorarent, narrat S. Vincentius Ferrerius, in literis ad Joannem e Pedonatis Dominicanorum, qui ab Avenionensi antipapa petebant jura, magistrum exaratis, quas Diagus refert (b): *Transivi*, inquit, *in Lombardiam, ubi continue prædicavi per annum & mensem in conctis civitatibus, villis, & castris nostræ obedientiæ & ultra, scilicet in dominio Montisferrati & ad preces sui & suorum in partibus illis ultramontanis quamplures conveni valles hæreticorum tam Vvaldensium quam Gazarorum perversorum, præcipue in diœcesi Larinensi. Eas omnes & singulas valles per ordinem visitavi, prædicando in unaquaque ipsarum fidem & doctrinam catholicæ veritatis cum improbatione errorum ipsorum: ubi, per Dei misericordiam, ardentissime & cum magna devotionis affectu ac reverentia veritatem fidei susceperunt, Domino cooperante & sermonem confirmante. Causam reperi in eis præcipuam hæresum & errorum absentiam prædicatorum: nam, ut veraciter percepi ab incolis illis, triginta anni erant elapsi, ex quo nullus ei prædicaverat nisi Vvaldenses hæretici, qui ad eos consuetudine veniebant de Apulia bis in anno*, per Apuliam scilicet e Bosna Cathari & Manichæi repebant. Et infra: *De episcopo quodam hæreticorum, quem inveni in quadam valle illarum, quæ dicuntur Luseria, quomodo voluit mecum conferre ac conversus est; item de scholis Vvaldensium, quas inveni in valle, quæ dicitur Engroiia, & earum destructione; item de Gazaris hæreticis in valle pontis, quomodo a suis abominationibus conversi sunt; item de hæreticis vallis Lantii, alias Quini, ad quam olim confugerant interfectores B. Petri martyris, qualiter se habuerunt erga me; item de cessatione partium de Guelphis & Gibellinis, de confœderatione & pacificatione generali in partibus illis, & de aliis innumeris, quæ Deus dignatus est operari ad gloriam suam & utilitatem animarum, taceo de præsenti: sed in omnibus sit benedictus Deus.* Et infra: *Visitavi jam hic diœceses quatuor, scilicet Augustæ, Tarantasiæ, Mauriani, & Grattanopolis, quæ multum habet in Sabaudia, prædicando in circuitu per civitates, villas, & castra earum plus & minus, prout expediens videbatur, & jam modo in diœcesi Gebennensi.* Et infra: *Inde habeo intrare diœcesim Lausanensem, ubi communiter & manifeste adorant solem sicut Deum maxime rustici, exhibendo ei honorem, & de mane suas orationes reverenter ei faciendo, &c. In civitate Gevevensi XVII. die decembris anno MCCCCIII.*

(b) *Diag. l. 2. c. 58.*

Waldenses hæretici & Manichæi.

Ad fidem a S. Vincentio conversi.

Discesserat ex antipapæ aula Vincentius Christi imperio, ut Gallias & Hispanias, in quibus pietas sensim obsolescebat, divini verbi lumine collustraret, ut refert illius vitæ scriptor; qui addit eundem B. Vincentium ex curia Petri e Luna discessisse, quamvis illum omni arte & contentione, oblata etiam dignitate cardinalitia, penes se retinere niteretur. XXV.

Expeditio Tamerlanis in Sultanum. Damascum expugnatum.

Hoc anno Tamerlanes trahens victum Bajazetem & cavea inclusum, exercitum in expeditionem adversus Ægypti, Syriæ, & Babylonis Sultanum eduxit, ac Mamalucos variis præliis attrivit; cujus præcipua gesta perstringit Theodoricus e

Niem

(a) Theod. e Niem. l.2. c.30. Kranz. Wandal. l.10. c.5. Bizar. Genuen. hist. l.9.

Niem (a) : *Subsequenter*, inquit, *idem Tamerlanes Damascum nobilissimam Syriæ civitatem obsidendo demum cepit, quam pecuniis, necnon melioribus & pretiosioribus pannis & bonis omnibus spoliatam, ignis incendio devastavit, & ultra viginti millia hominum juvenum utriusque sexus in diversis artibus mechanicis apprime instructorum secum abduxit ad metropolitanam ejus civitatem Semerkant nuncupatam in finibus Persarum* ; & infra, *pugnando tunc cum Soldano Babyloniæ & quibusdam suis satrapis primo prope Alapiam, & deinde in quibusdam aliis locis inter Cariam & Damascum vicit eos*. Addit auctor illum in Syria quingentos Mahometiæ flamines una cum templo flammis delevisse, quod maximam multis admirationem injecit, cum ipse Mahometem coleret : sed facinus illud ea nimio superstitionis studio, scilicet ad excindendam Gezideorum sectam Mahametica adversantem patravit (b) ; & cum se Gezideum finxisset, omnes Gezideanos sacerdotes ea arte, qua olim Jehu sacerdotes Baal simul perdidit (c), ac pseudoprophetæ illius sepulchrum falsæ religionis in alterum pseudopropheram argo evertit.

Quingentos Gezideos exurit.

(b) Biz. ib.

(c) 4. Reg. 10.

Sepulchrum dominicum excindere meditatur. Repellitur divinitus.

Excindendi etiam sepulchri Christi dominici impia cupiditate actus Jerosolymam furens procurrebat, maximo enim religionis Christianæ penitus delendæ desiderio ipsum arsisse visuri sumus. At divina potentia non numerosas Christianorum in illum phalanges effudit, cum mutuis vulneribus sua viscera confoderent Christiani principes, sed bruchorum exercitum contra superbam sævumque barbarum decies centenis Tartarorum millibus succinctum, immisit : *Volens*, inquit Theodoricus Niemias (d), *etiam vi capere tunc temporis Hierusalem impediebatur per bruchos, qui ejus exercitum adeo vexarunt, quod versus eandem civitatem ulterius ire non potuit*. Meminit ejusdem prodigii Albertus Krantzius (e), atque Tamerlani gesta a Sebastiano Brant Jerosolymitano conscripta ait. Certe Ægypti & Syriæ sultanus Zelebis Quirici sive accepti, ut videtur, a Christo beneficii memor, sive Tartarici belli a Tamerlane mole pressus, missis oratoribus ad principem Rhodiæ equestris militiæ pacem cum Christianis pepigit, ac plura religionis ergo pro sanctissimo Christi sepulchro peregit (f), permisit enim inter alia, ut Rhodius magister Jerosolymis & Rhamæ xenodochia habere posset, illisque præfectum cum sex sacerdotibus imponeret, ad peregrinos, qui idem Christi sepulchrum lustrarent excipiendos, consulemque juri dicundo præficeret, ac veteres ædes, quas olim Hospitalarii possederant, restituit : præterea omnium vectigalium onere immunes pronunciavit : ut etiam equites Jerosolymitani per omnia ipsius regna libere commearent : ut omnes peregrini ad sanctissimum sepulchrum accessuri nulla graviora, quam olim præscripta erant, vectigalia penderent : ut in xenodochio Jerosolymitano pro usu peregrinorum ædes amplificari possent, necnon apud dictum sepulchrum, tum in monte Sinai, Nazarethi apud Sanctam Mariam Sardinajam, & in omnibus locis, in quibus Christianæ pietatis monumenta extant impressa ecclesiæ refici atque instaurari possent : ut Christiani e servitute Mahometica vel pretio redimi possent, vel cum Saracenis captivis permutari. Adjectæ etiam aliæ fuere leges ad commercii libertatem asserendam.

(d) Theod. e Niem. l.2. c.30.

(e) Krantzius ib.

(f) Bosius to.2. l.4. hist. equit. Hierosol.

Sultanus Zelebis Christianis æquior factus.

XXVI. Ceterum Tamerlanes, cum propulsatus Jerosolymis ingentem exercitum suum in Ægyptum transportare conaretur, arenosis solitudinibus detentus, signa in Persidem reflectere coactus est (g), omnesque regiones quacumque ibat, non tam gressibus, quam victoriis peragravit : *In Persiam*, inquit Theodoricus Niemius (h), *rediens Susam, quæ nunc vocatur Taurisium & Bal-lach maximas civitates & omnes alias provincias centum & viginti numero, quæ ut legitur in Esther olim Assuero Regi Persarum subditæ fuerunt, ac multa alia regna in partibus orientalibus & aquilonaribus, necnon etiam aliqua in Europa suæ ditioni subjecit*. Proximo vero anno Christianorum reliquias in Asia excidit, accedensque ad Hellespontiacas angustias universæ Europæ terrorem intulit, de quo infra. Mutuis porro implicit dissidiis erant Christiani, omissisque Turcis in se vertebant arma : & quidem in oriente Bucicaldus Genuæ pro Gallo Rege præfectus cum in Turcas bellum suscepisset, Venetos nactus, eos hostili furore adortus (i) est ; sed Veneti collecta classe ipsum fuderunt, fugaveruntque.

In Persidem signa vertit Tamerlanes.

(g) Biz. hist. rer. Pers. l. 9.

(h) Theod. e Niem. ib.

(i) Jun. Urs. in Car. 6. Bucicaldus a Venetis fusus.

I. ANnus partæ a Christo salutis millesimus quadringentesimus quartus indictione duodecima Bonifacii IX. obitu, & Innocentii VII. creatione insignis extitit. Sed antequam de his agamus, Bonifacii extrema gesta percurrenda sunt. Cum adversa is corporis valetudine tentaretur, medicorum consilio Puteolana balnea adire constituit, dumque magni comitatus ornatum apparat, Ladislao Regi novos metus injecit; quare agnito suspicaci & timido ejus animo, itinere supersedit; quæ singula Theodoricus Niemius (a) fuse describit: *Cum*, inquit, *Bonifacius decimumquintum annum sui pontificatus attingeret, deliberavit sine causa recreationis ad balnea calida in tripergulis prope civitatem Puteolanam*; Interjectaque prolixa eorum balneorum locorumque descriptione addit: *Cumque dictus Bonifacius galeas de aliquibus locis per mare &, demum per flumen Tyberim, usque ad urbem de Ancona & aliunde deduci fecisset, multosque nobiles vassallos Romanæ ecclesiæ, qui illic in magno numero & apparatu decenti & tempestive advenerant causa comitandi eam in quadragesima ad balnea hujusmodi ad se Romam venire fecisset, Rex Ladislaus hoc percipiens, timuit ne forte Bonifacius contra eum aliquid machinaretur: quapropter Bonifacio scripsit, quod ipsum comitari intenderet personaliter si utique per mare sive terram ad illud balneum transire vellet: propter quod Bonifacius tunc continue in urbe remansit, dato licentia redeundi ad propria illis qui illuc venerant.* Dissimulavit injuriam Pontifex, nec tristem induit animum in Ladislaum, nimiam suspiciosam, nec præterita beneficia grata memoria, ut par erat, recolentem perstrinxit; immo novis ornavit beneficiis, atque ad lavandam regii ærarii inopiam permisit (b), ut terram Stili in Calabria pretio distraheret, vel emphyteusi subjiceret, quod ad illustrandam Romanæ ecclesiæ in regnum Siculum supremum jus atque imperium subjicio.

Bonifacii ægritudo.

(a) Theod. Niem. l. 2. c. 19.

Apparatus pro adeundis balneis.

Cur intermissa profectio.

(b) Lib. 8. p. 40.

Charissimo in Christo filio Ladislao Regi Siciliæ illustri.

Dum eximiam tuæ serenitatis regiæ claritatem fideique puritatem quam ad nos & Romanam geris ecclesiam paternis contemplamur affectibus, ad illa nimirum inducimur, quæ ad conservationem saluberrimam tui status & tranquillitatem regni Siciliæ, quod juris & proprietatis Romanæ ecclesiæ est, quodque a nobis & Romana ecclesia tenes in feudum, tendere dignoscuntur. Horum igitur consideratione inducti, tuaque serenitatis in hac parte supplicationibus inclinati, eidem serenitati tuæ per se vel procuratorem tuum ad hoc speciale & sufficiens mandatum habentem vendendi jure proprio & in perpetuum, ac tradendi in feudum ac sub debita & consueta in talibus servitia militari tenendum a curia regia terram Stili in dicto regno & provincia Calabriæ situatam de demanio dicti regni cum omnibus castris, fortalitiis, & infra: *constitutionibus & prohibitionibus apostolicis, & statutis & capitulis præfati regni, ac juramento per eandem serenitatem tuam in concessione per nos de dicto regno tibi facta de non vendendis seu alienandis, præsertim bonis demanialibus dicti regni præstito, & aliis contrariis juramento, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, licentiam concedimus per præsentes; & nihilominus ad majorem roboris hujusmodi firmitatem, de uberioris dono gratiæ ac ex certa scientia venditionem ipsam sic ut præmittitur faciendam, ac omnia & singula quæ in ea, quantum ad materiam & formam contractus venditionis de jure vel consuetudine requiruntur expressa fuerint, & quæ sequentur ex ea rata habentes & grata ea omnia, quæ hic alias haberi volumus pro sufficienter, expressis, ex nunc prout ex tunc auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenirent in eisdem. Per hoc autem censum ratione dicti regni in feudum per nos, ut supra præfertur, hactenus tibi concessi nobis & Romanæ ecclesiæ debitum & debendum non intendimus occasione licentiæ, venditionis, & alienationis hujusmodi in aliquo diminui, seu quomodolibet defalcari quo minus, integre juxta formam dictæ concessionis persolvatur, & persolvi debeat cum effectu &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VII. kal. junii pontificatus nostri anno XV.*

II. Intentus etiam tuendis aliis Romanæ ecclesiæ juribus cum Astorgio Manfredo de Faventiæ recipiendo imperio pepigit ac Donadeniam episcopum Narniensem, urbis possessionem adire jussit (c), de qua Florentinis vendenda nefariæ consilia fuerunt agitata (d); cumque post recuperatam Bononiam novas in ea urbe excitatas turbas accepisset præcipuo Nannis Goradini flagitio, qui amplissimis a Balthasare Cardinale beneficiis ornatus in eum conjuraret, Centique & Plebis oppidis proditione occupatis Bononiensem rem perturbaret, seditionem compescere studuit, increbescenteque fama proditorem arcanis Nicolai marchionis Atestini studiis fulciri, Bonifacius Nicolao Nannis prodi-

(c) Bonif. l. 8. p. 38.

(d) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. §. ult.

Turbæ excitatæ Bononiæ.

(a) Lib. 7. ep. curr. p. 208.

ditionem exposuit (a), edixitque apostolico pro imperio ne ullam cum illo coitionem faceret, ipsive ullo modo faveret.

Dilecto filio nobili viro Nicolao marchioni Estensi in nostra civitate Ferrariensi pro nobis & Romana ecclesia in temporalibus vicario generali.

Novit tua nobilitas, novit jam tandem Italia qualiter iniquitatis alumnus, patriæ proditor, famæ prodigus ac salutis propriæ immemor infamis Nannes de Gozadinis de civitate nostra Bononiensi nostris dudum & ecclesiæ Romanæ ejus dominæ & magistræ enutritus præsidiis, & quem ac suos ut filios prædilectos spiritualibus gratiis ac favoribus, honoribus, & beneficiis fueramus amplissime prosecuti, contra statum, & honorem nostrum, & præfatæ ecclesiæ, ac contra personam dilecti filii Baldassaris Eustachii diaconi Cardinalis, ac illis in partibus Apostolicæ sedis legati de præfati Nannis & suorum fidelitate, quam putabat integerrimam, usque ad multorum odium amplissime confidentis, non solum castrorum Centi & Plebis comitatus nostri Bononiensis occupationes, sed conspirationes truculentissimas, homicidia, & alia nefaria crimina in perturbationem & rebellionem civitatis nostræ Bononiensis prædictæ ac aliarum civitatum, & terrarum nobis & eidem ecclesiæ immediate spiritualiter & temporaliter subditarum cum nonnullis suis adhærentibus, complicibus atque sequacibus damnabiliter paratus & assidue mala malis accumulans cum hujusmodi suis adhærentibus nititur statum civitatis ac partium præfatarum subvertere, & dare præcipitem in ruinam.

Nannes Gozadini earum auctor.

Et quoniam zelo paternæ dilectionis ad salutem & pacem præfatæ civitatis nostræ utique & præfatæ ecclesiæ peculiaris filiæ prædictæ, efficimur non indigne, ac idem Nannes pro parte dicti legati fuerit instantissime monitus & requisitus, sed incassum, ut castra hujusmodi dicto legato restitueret, & a talibus abstineret, quinimo ad nostram & præfatæ ecclesiæ & dicti legati fidelitatem & obedientiam renueret, & præmissorum contemptor extiterit, taliaque conniventibus oculis pertransire ulterius minime valeamus, ne impunita temeritas aditum sceleri præbeat in futurum, & tua nobilitas, quæ ut a præstatione cujuscumque præsidii dicto Nanni & suis sequacibus exhibendi ex toto desisteret parte nostra & præfati legati sæpius sit monita, & cum instantia requisita etiam vinculo juramenti, quo nobis & præfatæ ecclesiæ extat obnoxia vigore concessionis vicariatus dictæ Ferrariensis civitatis per nos eidem concessi, nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus ac præfatæ ecclesiæ fideliter adhærere, ac conjurationem, conspirationem seu ligam non facere cum rebellibus & inimicis seu inobedientibus ecclesiæ prælibatæ, nec eis præstare auxilium vel favorem, sed eos prosequi toto posse teneatur & debeat, & certi reddamur nobilitatem ipsam dispositam progenitorum suorum, qui semper fidelissimi status & honoris præfatæ Romanæ ecclesiæ, nullis parcendo periculis, etiam personalibus vel impensis fuerunt, secturi vestigia, ac ex fideli integritate apud sedem Apostolicam perpetuo cupiat exaltari; quare eamdem nobilitatem tuam præsentium tenore requirimus & monemus, eidem nihilominus per apostolica scripta mandantes sub pœnis excommunicationis ac privationis vicariatus hujusmodi & omnium bonorum etiam feudalium, quæ a Romana vel quibusvis aliis ecclesiis, Romano imperio, Regibus, principibus, universitatibus, aut singularibus quibuscumque personis obtines; necnon dignitatum, honorum, privilegiorum, & gratiarum quorumlibet, quatenus præfatum Nannem fautores & complices suos hujusmodi, quos rebelles ecclesiæ præfatæ, conspiratores, ac reos criminis læsæ majestatis harum serie declaramus, & incidisse in sententias & pœnas tam a jure quam ab homine in talia perpetrantes promulgatas & inflictas, & propterea fuisse & esse hujusmodi sententiis & pœnis sententialiter irretitos, ac privatos omnibus dignitatibus, honoribus, privilegiis, indulgentiis, gratiis, immunitatibus realibus & personalibus, per eamdem vel alias ecclesias, aut Romanum imperium, Reges, principes, universitates, vel singulares personas quomodolibet concessis eisdem de cætero in civitatibus, terris, castris, & locis quibuslibet tuæ potestati quovis modo suppositis, persequi tamquam hostes ecclesiæ, recepturi nulla ratione, aut directe vel indirecte per te vel alios eis exhibere auxilium, consilium, vel favorem quovis modo permittas, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum VIII. id. februarii pontificatus nostri anno XV. Ad continendos vero facilius in officio populos ne magistratuum vitio ad rebellionem traherentur, tumultusque concitarent in electionibus, Bonifacius sanxit (b), ne quis a populis Romanæ ecclesiæ clientibus ad præfecturam præturamve, aut publicæ rei administrationem vocaretur, sed summi Pontificis arbitrio magistratus publicis gubernaculis admovendos, omniaque his contraria decreta convulsit.

Monitus Ferrariensis ne cum eo fœdus ineat.

Bonif. lex de magistratuum creatione.

(b) Ib. ep. cur. p. 232.

Ad futuram rei memoriam.

Cum nuper sicut fidedigna relatione didicimus, nonnullis universitatibus seu magnatibus civitatum, terrarum, castrorum, & locorum nobis & ecclesiæ Romanæ immediate subjectorum in provinciis nostris patrimonii B. Petri in Tuscia ducatus Spoletani, civitatum, & terrarum specialis commissionis ac Arnulphorum consistentium, per nos seu rectores provinciarum, comitatum,

Ejusdem constitutio.

tuum, seu terrarum hujusmodi, aut alios authoritate apostolica indultam & concessum exstiterit tam per formam contractuum, quam literarum apostolicarum, quod potestates, capitaneos, rectores seu alios officiales forenses ad hujusmodi civitatum, terrarum, castrorum & locorum regimina, gubernationem vel administrationem possent nominare, seu eligere, per nos seu rectores provinciarum, civitatum, vel terrarum hujusmodi confirmandos, & ex hujusmodi facultate ac licentia magna discrimina, dissensiones, & scandala in provinciis, civitatibus, & terris hujusmodi sicut manifeste cognovimus, sæpenumero sint exorta: nos volentes, sicut ex debito pastoralis tenemur officii, hujusmodi discriminibus, dissensionibus, & scandalis obviare, & ad hoc, ut provinciæ, civitates, terræ, castra, & loca hujusmodi sub mensura justitiæ ac tranquillitate pacifica valeant salubriter gubernari, præmissis, & nonnullis aliis justis & rationabilibus suadentibus causis ad hoc animum nostrum moventibus, omnes & singulas facultates, potestates, atque licentias ac indulta universitatibus, communitatibus, regiminibus, seu magistratibus, aut aliis quibuscumque singularibus personis civitatum, terrarum, castrorum, & locorum nobis & præfatæ ecclesiæ immediate subjectorum, & super comprehensis, denominandis, seu eligendis potestatibus, capitaneis, rectoribus, seu aliis officialibus forensibus, etiam si aliqui vel aliquis ex ipsis nominandis vel eligendis per nos seu rectores provinciarum, civitatum, terrarum, castrorum, vel locorum prædictorum vel alios authoritate nostra confirmari deberent, sub quacumque verborum conceptione hujusmodi facultates, potestates, licentiæ seu indulta appareant, etiam per modum seu viam contractus, & de eis eorumque totis tenoribus hic habenda esset mentio specialis, quorum omnium tenores & formas hic aliter haberi volumus pro sufficienter expressis, ex certa scientia authoritate apostolica tenore præsentium revocamus, tollimus, irritamus, & annullamus, ac nullius esse decernimus roboris vel momenti, & perinde haberi, ac si hujusmodi facultates, potestates, & licentiæ, ac indulta concessa nullatenus extitissent &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum kalend. martii pontificatus nostri anno xiv.

Intestinæ ob eos dissensiones sæpe ortæ.

Contraria privilegia rescissa.

III. Petri e Luna pertinacia.

Inter hæc Petrus e Luna antipapa ob restitutum sibi a Gallis superiori anno obsequium, reditumque pseudocardinalium arrogantia tumidus propagabat schisma, ac factis demonstrabat numquam se falsæ dignitatis pro restituenda Ecclesiæ pace insignia positurum. Qua de re vulgata per orbem Christianum fama, Carolus Francorum Rex dolens ob suam facilitatem Petrum in pristina pervicacia obduruisse, ducem Aurelianensem Fratrem suum ad eam misit (a) petiturus ut ad removendam a se invidiam, consilium suum abolendi schismatis suamque mentem aperiret. His auditis pseudopontifex improbitatem multis verborum fucis coloravit, eosque rumores insigni malevolentiæ, cum tamen re ipsa vera esset ea proborum sententia, adscripsit: ad quam hominis perfidiam magis in luce collocandam hæc ex ejus apologia (b) postea edita decerpimus.

(a) Monstrel. vol. 1. c. 20. Missus ad eum ab Rege dux Aurelian.

(b) Ext. to. 24. de schism. p. 344.

Quia nonnulli detractores & malevoli domino nostro conabantur impingere, quod nunquam fuerat intentionis dicti domini nostri, nec erat, papali dignitati cedere pro Ecclesiæ unione, dominus dux Aurelianensis claræ memoriæ ex parte Regis missus ad dominum nostrum tunc in Tarascone existentem eidem supplicavit, ut super hoc verbo & bulla aperiret mentem suam: qui expresse mentem suam declarando, verbo expresse dixit intentionis suæ semper fuisse & esse, quod ubi cessio de papali dignitate & officio per ipsum facienda esset expediens Ecclesiæ sanctæ Dei, & per eam & ex ea celer & indubitata unio in Dei Ecclesia utiliter & salubriter sequeretur, & papali dignitati, ac statui, ac juri indubie, quod in eis habet, pro Dei reverentia & animarum salute cedere affectu spontaneo paratus erat, & personam ac vitam exponere corporalem, prout hæc & alia in dicta bulla data in Tarascone Avinionensis diœcesis vi. id. januarii pontificatus sui anno x. latius continetur. [1]

Verborum antipapæ responsum.

Hi-

NOTÆ [1] HUjus anni concilium Parisiense exhibetur in collectione Labbeana to. XV. col. 1079. in quo decernuntur quædam præstanda ab exemptis quoadusque legitimi pontificis ambigua fuerit authoritas. Verum si concilii ejusdem constitutiones expendantur, intelligemus continuo, concilium ad alium quam ad præsentem annum referri oportere. Ibi enim illa decernuntur quæ præstari ab exemptis debeant *in moderna neutralitate*. Quæ sane verba indicant Gallicanam ecclesiam neutri pontifici tunc, cum agebatur concilium, paruisse. Hoc vero anno Gallos negatam aliquandiu submissionem Benedicto, ac dein anno superiori restitutam, retinuisse constat. Sanctiones igitur quæ hoc anno editæ exhibentur, portio sunt constitutionum in concilio anni 1408. editarum; quo sane anno Gallos neutri pontifici adhæsisse planum est. Idcirco nullum hujus anni concilium Parisiis celebratum fuit, temporisque notæ, quæ sanctionibus hujus concilii præfixæ sunt in collectione Labbeana ita corrigendæ sunt. *Articuli deliberati per concilium ecclesiæ Gallicanæ anno MCCCCVIII.* pro eo quod in editis est, *MCCCCIV.* Simile mendum irrepsit in codicem unde sanctiones Gallicani concilii anni 1408. nactus fuit P. Martene, vulgavitque Anecdotor. to. II. col. 1398. &c. nam ita legebatur in eodem codice: *Avisamenta conclusa per concili-*

am

IV. Historiæ mandandæ eæ literæ (a) refertæ mendaciis dolisque visæ sunt, ex quibus magis antipapæ scelus in deludendis miseris schismaticis, qui se ejus servituti subdiderant patebit.

(a) Ext. to. 2. de schism. p. 33.

Falleces ejusdem literæ.

Benedictus, &c. universis Christifidelibus, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem.

Scrutator mentium & omnium cogitorum secretorum dominus Jesus Christus, cujus vices in terris gerimus, licet immeriti, clare novit quod a principio assumptionis nostræ ad apostolatus officium, ad sedationem pestiferi schismatis, proh dolor! in Dei Ecclesia nunc vigentis, quod diu ante ortum habuerat, nec tamen potuerat, obviante inimico humani generis, extirpari, & procurandam sanctæ Dei Ecclesiæ salutiferam unionem totis affectibus & omnimoda sinceritate, diligentia & sollicitudine cupivimus & incœpimus laborare, firmiter in nostro proponentes animo id quod expedientius esset unioni Ecclesiæ adimplere pro viribus, secundum eos modum & ordinem quos divina justitia, sincera charitas, animarum salus, & ipsius Ecclesiæ utilitas exegissent. De quibus etiam satis innotescere potuit diligenter & sollicite intuentibus responsiones quasdam, quas circa materiam procurandæ unionis hujusmodi alias motam, & viam nobis cessionis apertam recolimus nos fecisse. Verum quia his non obstantibus, ut ex relatu fidedignorum, & præsertim dilecti filii nobilis viri Ludovici Aurelianensis ducis percepimus, quod nonnulli tam ecclesiastici quam seculares conati fuerunt hactenus, & etiam nunc conantur, nobis impingere, quod eminentiam hujus status, quam nobis, teste Deo, non procuravimus, sic inordinata affectione contendimus retinere, quod numquam fuimus intentionis nec sumus pro unione Ecclesiæ papali cedere dignitati, nos præfato filio nostro duci Aurelianensi, qui super his & nonnullis aliis negotiis Ecclesiam & ipsius unionem tangentibus ad nostram accessit præsentiam, sinceritatem nostræ intentionis, quam semper habuimus & habemus, & affectum quem gessimus, gerimus, & gerere intendimus ad salutem animarum omnium & Ecclesiæ unionem & pacem per ordinem & confidenter expressimus oraculo vivæ vocis. Qua expositione sic facta, ipse nobis cum instantia supplicavit, quatenus expositionem sibi de hujusmodi intentione & affectu nostris sub bulla nostra plumbea ei tradi faceremus in scriptis, per quam ipse charissimo in Christo filio nostro Carolo Regi Francorum illustri fratri suo sinceritatem nostræ intentionis hujusmodi, & effectum melius posset & convenientius intimare, & obturaremus ora eorum, qui conficta obloquendi materia veritati contraria divulgantes, nos de sinistra intentione in prosecutione unionis ecclesiasticæ diffamabant.

Obiectum Petro e Luna ipsum numquam se abdicaturum.

Quibus dolis id refellere sit eggressus.

V. *Nos igitur, ne ex silentio & omissione nostris sanctæ Dei Ecclesiæ & nobis aliquando possit in posterum præjudicium generari, pro ipsius Ecclesiæ & nostri juris conservatione ante omnia præmittentes, quod per declarationem hujusmodi nostræ intentionis, seu hujusmodi nostræ bullæ traditionem, non intendimus nunc sicut nec debemus quomodocumque restringere Ecclesiæ libertatem, nec clavium potestati & nostræ in aliquo derogare, nec nos judicio hominis cujuscumque submittere, seu cuiquam alteri necessitati astringere, nec ad aliud obligare, quam ad id ad quod sumus ex divinæ legis justitia, dispositione jurium, & injuncta nobis servitutis officio obligati, nec in aliquo penitus consentire, quod rectæ & catholicæ fidei non conveniat, vel sit contra bonos mores, vel in divinæ majestatis offensam, cum nostram intentionem sic declarare & declarationem ipsam dilecto filio nostro duci, ut petivit, voluerimus tradere solum ad serenandam mentem prædicti filii nostri Regis, & aliorum, ad quos notitia hujus nostræ declarationis pervenerit, quibus forsan notum non erat nostræ intentionis propositum in hac parte, & ad imponendum silentium nos diffamantibus, ut præfertur & quieti status Ecclesiæ, prout melius possumus consulendum, quod in præfatis nostris responsionibus alias factis erat implicitum, explicantes declaramus tenore præsentium nostræ intentionis semper fuisse & esse, ubi cessio de papali dignitate & officio per nos fienda esset & erit expediens Ecclesiæ sanctæ Dei, per eam & ex ea celer & indubitata unio in Dei Ecclesia utiliter & salubriter sequetur, & papali dignitati & statui ac juri indubio quod in ea habemat, pro Dei reverentia & animarum salute cedere affectu spontaneo, & personam insuper & vitam exponere corporalem licet ejusdem intentionis nostræ fuerit, & sit, juris & justitia vias*

Fallax conditio qua omnia promissa infringit.

Ejusdem fallax sponsio.

NOTÆ *um ecclesia Gallicana XXII. octobris anno MCCCC. quarto*. Cum vero in decursu eorumdem actorum annus, quo agebatur concilium repetatur, nec expressus sit annus 1404. sed potius 1408. *Die XXV. octobris dicti anni MCCCCVIII. dictum concilium voluit, &c.* Lux inde affulsit P. Martene, ut totum concilium ad annum 1408. referret. Porro inter sanctiones hujus concilii quod anno 1408. tribuendum diximus eas offendit Martene, quæ in collectione Labbeana concilio anni 1404. ex vitiosa codicis lectione tribuuntur. Constare ex his arbitror concilia Gallicana anni 1404. & 1408. in unum posthac jungenda esse concilium, anno 1408. celebratum. MANSI

at, ubi per eae utiliter & salubriter unio Ecclesiæ fieri posset & possit, aon excludere tamquam consonas divinis & canonicie institutis, animabue salubret, honestati sanctæ matris Ecclesiæ condecentes, quoscumque protestatione, si quas hujusmodi cessioni cum, sicut præmittitur, expediret, per noe fiendæ, contrarias vel adversae sub quacumque serie, forma, seu expressione verborum forsan, ut aliqui suspicantur, hactenus fecimus ad tollendam suspicionem hujusmodi, cassantee & annullontee & habentse penitus pro infectis. Obsecramue igitur prælatum Regem & alios quoscumque Reges & principes cunctosque fideles, ad quos declaratio hujusmodi nostræ intentionis pervenerit, per viscera misericordiæ Jesu Christi, cujus causa agitur, & deprecamur ac hortamur in Domino, ut pro Dei servitio, & Apostolorum Petri & Pauli ac sedis Apostolicæ reverentia & animarum salute præfatam nostram declarationem affectione filiali suscipientes & tantæ clades matris Ecclesiæ, quæ eos regeneravit in Christo, benigno compatientes affectu, ad extirpationem præsentis schismatis & salubrem prosecutionem ecclesiasticæ unionis vobis velint suum benignum & favorabile impertiri auxilium, ut teneantur, ut per illud vobis & Ecclesiæ militanti favorabiliter præstitum, & alia pia opera, quæ Domino inspirante fecerint, post transitoriæ vitæ cursum permansuram consequantur præmium & gaudium Ecclesiæ triumphantis. Nulli ergo &c. Dat. Tarrascone Avinionensis diœcesis VI. id. januarii pontificatus nostri anno X.

Subdolæ preces.

VI. His acceptis Aureliani dux ingentes grates egit (a) Petro e Luna, qui ubi ita illusit sectatores suos, primum ineunte anno, deinde reliquo excurrente novos instruebat dolos, ut infamiam, quam sibi ob propagatum schisma pepererat, in verum Pontificem derivaret, illumque concordiæ speciosa fraude, vel vi oppimeret; atque ideo oratores submisit ad Bonifacium, qui ad pristinam ecclesiarum conjunctionem redintegrandam accessisse fingerent. Bonifacius igitur, ne schisma alere videretur, cum honestam tollendi schismatis causam prætexerent, publicæ ipsis fidei syngrapham dedit (b). Verum non ad restituendam Ecclesiæ pacem, sed ad concinnandos dolos erant a Petro e Luna missi, & ad voluntates vulgi irretiendas illum ad pontificia ornamenta exuenda paratum ementiebantur, (c) si Bonifacius pontificium imperium deposuisset: Bonifacio vero & Cardinalibus alios fucos proposuere, nec de pontificatu deferendo, ut tertius communibus suffragiis crearetur, sed de subdolo colloquio a Bonifacio ipso & Petro e Luna (d) faciendo egerunt. At impudens Petrus in quadam sua apologia (e)

(a) To. 24. de schism. p. 144.

Instructi a Petro e Luna novi doli.

(b) Lib. 8. p. 43.

(c) Innoc. VII. l. 1. p. 234.

Oratorum illius mendacia.

(d) Id. ib.

(e) Ext. to. 24. de schism. p. 144.

mentitur se prædictis oratoribus, quos Massilia præsente Ludovico, qui Jerusalem & Siciliæ Regem se appellabat, misisse ait, jus contulisse, ut Bonifacio *viam conventionis, informationis, discussionis, & declarationis justitiæ, ac demum cessionis* offerrent, cujus mendacia facile refelluntur: num quod ad abdicationem spectat, eosdem oratores illam respuere, ut suo loco dicetur: discussionem vero & declarationem justitiæ, quæ in concilio œcumenico perfici debuisset, semper Petrus & cæteri schismatici declinarunt. Colloquium itaque deposcebat antipapa per hos oratores, de quibus Theodericus e Niem (f) hæc refert.

Convincuntur.

(f) Niem. l. 2. c. 23.

Qui quidem nuntii Bonifacium & ejus Cardinales diligenter exhortabantur, quod cum eodem Petro ad faciendam unionem in ecclesia universali in aliquo loco utrique parti tuto concurrere vellent: ad quod ipsi domini Cardinales partis nostræ bene inclinati erant; sed assignato termino, quo super hoc Bonifacius dictis nuntiis finaliter respondere volebat, scilicet in ejus palatio penes basilicam principis Apostolorum, in eodem festo S. Michaelis in vesperis. Et cum illic Bonifacius, Cardinales, & nuntii & multe curiales invicem convenissent, tunc præfati nuntii perquam discrete & solerter, quæ ipsis commissa fuerant proposuerant, rogando & exhortando dictum Bonifacium, quod finem daret huic schismati, cum eorum domino ad hoc parata, ut dicebant: Mera erat hæc impostura, quandoquidem antipapa nihil aliud contendebat, quam in congressum colloquiumque venire cum Bonifacio, cui se persuasurum, ut pontificatu abiret, eumve oppimeret, præsidebat. Subdit Theodoricus: *Quibus Pontifex ad hoc parum benigniter respondit, se esse Papam & eundem Petrum antipapam, & similia verba parum vel nihil ad causam facientia addendo.* Refert auctor apologiæ (g) Petri e Luna, Bonifacium hac voce usum: *Magister vester non renuntiat vel non renuntiavit; cum hoc ipse juraverit, & in potestate se posuerit laicorum: renuntiet ipse si vult, & qui se obligavit, & non habet quid perdere. Nos sumus qui potestatem a Deo habemus & nolumus renuntiare.* Hæc narrat schismaticus ad creandam Bonifacio invidiam, quamquam re ipsa erant vera & justa: Quid vero ad hæc responderint internuntii Petri e Luna, subjicit Theodoricus Niemius (h): *Tunc, inquit, ipsi nuntii dedignati in ejus præsentia dixerunt quod dominus eorum non esset simoniacus, notanter Bonifacium esse talem: unde Bonifacius valde commotus jussit eos urbem exire: qui responderunt, quod salvum conductum haberent ab ipso & Romano populo adhuc aliquantulum illic manendi & inde recedendi, quod illo gaudere vellent.* Unde (i) ipse

Speciosa eorum oratio.

(g) Ext. to. 24. de schism. p. 144.

Bonifacii responsum.

(h) Lib. 2. c. 23.

Pungitur verbo aculeato ab antip. oratoribus.

(i) Cap. 24.

Contracto mensis & corporis dolore moritur.

ipse Pontifex ira immoderatius incalescens & pungente ipsum morbo calculi lectum ægritudinis subito intravit, in quo tertia die sequenti festo S. Remigii mane decessit dictis nuntiis adhuc existentibus in urbe.

VIII. His consentanea de Bonifacio kal. octobris morbo calculi extincto, tradunt Gobelinus (a) & alii [1]: consentiuntque de obitus die successoris literæ de inito pontificatu exaratæ. Cum igitur Bonifacius creatus fuerit Pontifex secunda novembris die excurrente anno millesimo trecentesimo octuagesimo nono, annos quatuordecim, menses undecim ipsum sedisse affirmandum est, quem S. Antoninus (b) hoc exornat elogio: *Satis prudens inventus est in regimine temporali, & præterea tantæ animi, ut primus populi Romani vim omnem in Pontificem transtulerit, creatis suo nutu magistratibus omnibus, munita arce S. Angeli & pontibus.* Nec modo in rebus publicis gerendis peritia, verum etiam floruisse singulari castitatis laude, narrat idem sanctus author (c): *A multis vulgatum est, quod cum secundum medicinam carnalem diceretur sibi, quod per coitum cum muliere liberaretur a calculo, ex quo decessit, minime acquiescere voluit tanto sacrilegio contra divinam legem; eligens potius pudice mori, quam impudice vivere, & ideo valde commendandus fuit.* Denique de ejus sepultura hæc affert Theodoricus Niemius (d): *Mortuo igitur dicto Bonifacio, funus ejus satis humiliter in præfata basilica Principis Apostolorum in capella conjuncta capella Gregorii Papæ ad dexterum dum itur ad altare B. Gregorii Papæ, & prope sepulchrum Gregorii Papæ V. (minoris Gregorii propter largas eleemosynas & alia bona opera, quibus claruit appellati & fuit Saxo natione) sepeliebatur. Sed interim quod dominus Ladislaus Rex imperium tenuit Romanum, magnum & pretiosum valde monumentum dicti fratres ejusdem Bonifacii sibi in eadem capella construi fecerunt.*

(a) Gobelin. in cosmod. æt. 6. c. 87. in fin.

Politicæ peritiæ laude floruit.

(b) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. in princ.

(c) Eod. cap. §. 3.

Maluit mori quam fœdari.

(d) Theod. a Niem. l. 2. c. 24.

Ejus sepultura.

IX. Justis funebribus ex more Bonifacio persolutis, Cardinales ad creandum novum Pontificem se comparaverunt: ac tum Petri e Luna oratores novos moliti dolos novi creationem Pontificis disturbare fallacibus pollicitis pertentarunt, de quibus hæc Theodoricus (e): *Dum jam ipsi Cardinales conclave ingredi vellent causa eligendi successorem Bonifacio memorato,* & infra, *dicti nuntii venientes rogarunt, quod cum supersederent in electione hujusmodi, si hoc facerent, sperarent unionem futuram cito, de ipsorum domino grata vellent nova referre: quod tamen dicti domini Cardinales facere noluerunt, existimantes quod talia truffatice proponerent ac statim conclave ingrediebantur, ut eligerent successorem Bonifacio.* Enarrat puram ac nitidam hujus rei veritatem Innocentius septimus (f), nimirum Petri e Luna oratores a Cardinalibus vocatos fuisse, monitosque tandem schismati finem positum iri, si vere Petrus e Luna controverso papatu abiret, ipsosque pacta abdi-

(e) Eod. c. 24.

Antipapæ nuntii obsistunt ne creetur novus Pontifex. Contemptæ eorum fraudes.

(f) Innoc. l. 1 p. 134.

NOTÆ [1] Bonifacius hoc anno die calendarum octobris decessit ut in annalibus. Hoc elogio pontifici parentat author additamenti ad Ptolomæum Lucensem ex codice Patavino a Muratorio Rer. Ital. to. III. par. II. col. 831. vulgatus: *moribus & vita vivebat ut senex, & itane continentis vitæ in papatu fuit, ut numquam sinistrum aliquod de ejus vita prodiret in publicum. Magnanimus & alticordis .... Verum cum stipatus esset ampla, & nobili familia, matres videlicet fratrum & nepotum multa per manus, vel suggestionem fiebant eorum, quæ hujus domini famam aliquantisper denigrant.* Qui fuerint nævi illi in tanta virtutum luce indicant alii, nimium ejus in auro congerendo, eoque in necessarios suos effundendo studium accusantes.

Post ejus obitum secedentes in conclave cardinales die XII. octobris biduo exacto, die nempe XIV. octobris, solemnes literas signarunt, in quibus fidem suam jurati obstrinxerunt de procuranda ecclesiæ pace, spondentes singuli ut si quis forte eorum in pontificem eligeretur, omnem se operam daturum, ut schisma tollatur, parati si forte opus fuerit vel dignitate cedere. Qua etiam sacramenti religione obstricturos se spoponderunt alium quemcumque, qui forte extra suum cœtum pontifex renunciaretur. Literas hasce ea die quam indicavimus signatas e MS codice PP. Martene & Durand Anecdot. to. II. col. 1274. vulgarunt. In iis vero literis leguntur nomina IX. Cardinalium *collegialiter adunatorum*; ex quo erroris arguitur Gobelinus, qui VII. tantummodo cardinales in conclave ingressos asserit.

Haud diu post, nempe XVII. octobris, Cosmatus tit. S. Crucis, de quo in annalibus, ad summam dignitatem per gradus illos ascendit, quorum plures, non vero omnes Niemius in annalibus relatus commemorat. Reliquos percenset Anonymus Vaticanus in vita Innocentii a Muratorio Rer. Ital. to. III. par. II. col. 832. vulgatus. Hæc enim ille: *tempore Urbani VI. factus est clericus cameræ;* (id nominis nunc primo mihi legendum occurrit) *dein factus in Anglia collector annis decem, reversus est in Italiam, & idem Urbanus fecit eum archiepiscopum Ravennatem, deinde Episcopum Bononiensem, reservato sibi archiepiscopatu in commendam. Post obitum Urbani papæ remansit vicecamerarius ad custodiam conclavis. Et cum electus fuit Bonifacius IX. in prima promotione fecit eum cardinalem Bononiensem tit. S. Crucis in Hierusalem.* Pontificia corona solemni ritu ornatum die II. novembris, quæ in dominicam incidit, ex Contelorio & Panvino affirmat annalista. Verum Oldoinus in nova Ciaconii editione ex libro collegii S. Rom. E. cardinalium eruisse se scribit id præstitum *die martis, qua fuit festivitas S. Martini XI. novembris.* Eandem diem cæremoniæ huic assignat Antonius Petri in Diario Romano, testis oculatus, de quo in nota sequenti, §. 16. MANSI

Monetur ut cedat Petrus e Luna & communi consensu Pontificem delectum iri.

dicatione novum eum Pontificem non renunciaturos, quo ecclesiarum conjunctio redintegrari posset: illos autem, qui non alia ratione concordiam exoptare præseferebant, nisi ut omnes antipapæ se subjicerent, oblatam justissimam abolendi schismatis occasionem repulisse, negaruntque ea se authoritate instructos esse, ut Petri nomine cederent; neque id etiam ipsius congruere dignitati: quo impudenti responso dato, postea magistri impostoras imitari non minori impudentia jactarunt, illum pro extinguendo schismate paratissimum fuisse pontificatu se abdicare, at Bonifacii ejusque Cardinalium vitio schisma tamdiu propagatum. Verum, spretis horum impostorum fraudibus, Cardinales omne consilium ac studium ad indagandas schismatis abolendi rationes contulerunt, sanxeruntque nuncupato sacramento omnes obstringendos, si pontificatum adipiscerentur, curas omnes collocaturos pro extinguendo schismate, etiamsi pontificio gradu cedendum foret: quod factum Cardinalium subjectis verbis narrat Gobelinus (a).

Impudentissimum eorum responsum.

Cardd. pia consilia pro extinguendo schismate.

(a) Gobelin. in Cosmod. at. 6. c. 88. & Theod. e Niem. l. 2. c. 34.

X. *Cum ante pluribus conclave intraverunt, & coram pluribus notariis & testibus solemnibus compromiserunt, & compromissum servare juraverunt, nec unquam se absolvi ab illo juramento se petituros, neque absolutionem aliquam recepturos se ab eodem: videlicet quod ipsi singuli & communiter, & si quis eorum forte in Papam eligeretur, vellet omnem diligentiam, quam posset adhibere ad hoc, quod unitas Ecclesiæ reformetur, etiam si opus esset ad hoc renunciare papatui vel resignare illum, qui ex eis Papa fieret, & quod Cardinales absentes ad simile juramentum præstandum coarctarent: & si forte novos Cardinales postea creari contingeret, quod ante omnia simile juramentum præstarent. Et post hoc processum est ad electionem, & electus est ex eis dominus Cosmatus supradictus, nimirum de Meliorati tit. sanctæ Crucis presbyter Cardinalis, & vocatus est Innocentius VII.* Electum fuisse xvi. Kal. novembris, ipsemet in encyclicis literis (b) testatur. Agit etiam de ejus creatione Felix Contelorius, atque ex libro collegii sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, qui conclave sunt ingressi nomina recenset: *Roma die mercurii prima octobris hora xxi. anno MCCCCIV. obiit Bonifacius IX. & die dominica de sero xii. octobris ejusdem Cardinales intrarunt conclave apud sanctum Petrum numero novem, videlicet Florentinus Angelus Acciajolus episcopus Ostiensis, Monopolitanus Franciscus episcopus Sabinensis, Neapolitanus, Henricus episcopus Tusculanus de Minutolis, Aquilejensis Antonius Cajetanus tit. S. Cæciliæ, Cosmatus de Meliorati Sulmonensis Cardinalis Bononiensis tit. S. Crucis, Angelus Neapolitanus de Summaripa S. Pudentianæ Cardinalis Laudensis, Christophorus de Maronibus Romanus S. Cyriaci Cardinalis Iserniensis, Raynaldus de Brancaciis Neapolitanus S. Viti in macello diaconus, Landulphus de Maramauris Neapolitanus S. Nicolai in carcere Tulliano. Balthasar Cossa erat absens in sua Legatione Bononiensi, Valentinus Cardinalis Quinqueecclesiensis in Hungaria, qui MCCCCVII. venit ad curiam. Die veneris xvii. octobris hora xxi. dominus Cosmatus sanctæ Crucis in Jerusalem Cardinalis Bononiensis eligitur in summum Pontificem nomine Innocentius VII.*

Cosmatus electus Pontifex.

(b) Ext. in cod. MS. in Vatic. post bravia Martini V. & Eugen. IV. & apud Contelor. in elench.

Quinam Cardd. electioni interfuere.

XI. Complectitur paucis hisce verbis Leonardus Aretinus Innocentii dotes (c): *Patria Sulmonensis, vir ætate grandævus, ac multarum magnarumque rerum experientiam callens.* At describit accuratius Theodoricus Niemius (d) & genus & mores & gesta ante pontificatum munera: *Natus est*, inquit, *e parentibus honestis & mediocris status ex insigni oppido Sulmone Valvensis diœcesis, quod est in Aprutio: & Aprutium est provincia regni Siciliæ versus Campaniam. Hic erat clarus doctor in jure canonico; expertus in eadem Romana curia in agendis, & vix fuit curialis, cujus specialem notitiam non haberet, & cui non ita placide non loqueretur, ac si carne sibi conjunctus existeret, casta vitæ & bonæ famæ, canendi & scribendi peritus, bonarum literarum apprime doctus. Fuit etiam olim collector fructuum cameræ apostolicæ tempore dicti Urbani Papæ VI. in regno Angliæ, in quo quidem officio, ut fama volabat, multum laudabiliter se habebat: deinde Bononiensis episcopus factus, ac post thesaurarius Urbani factus, demum per Bonifacium in sui pontificatus principio ad cardinalatus honorem fuit assumptus, sic gradatim in dignitatibus ascendendo.* De eodem Innocentio sacra thiara solemni ritu redimito, hæc scribit Theodoricus (e): *Innocentius cum magna lætitia & frequentia Romani populi atque curialium suæ coronationis ante ipsam basilicam principis Apostolorum recepit insignia, & ad ecclesiam Lateranensem eodem die, ut moris est, accedens nec moram ibi faciens, ipsa die rediit ad palatium suum apud præfatam basilicam consistens*; eam vero die secunda novembris peractam celebritatem ex libro collegii Cardinalium refert Felix Contelorius (f). His perfectis novus Pontifex encyclicis literis (g) catholicos præsules de traditis sibi universæ Ecclesiæ gubernaculis certiores fecit, rogavitque, ut de viis optimis extinguendi schismatis inter se conferrent, atque ad eas exponendas idoneos viros mitterent antequam proximus omnium sanctorum festus dies laberetur.

(c) Aretin. in hist. rer. Ital.

(d) Theod. e Niem. l. 2. c. 39.

Virtutes Innocentii VII.

(e) Theod. e Niem. l. 2. c. 35.

Thyaria redimitus.

(f) Contelor. in elench. Cardd.

(g) Lib. I. p. 114.

Innocentius &c. venerabilibus fratribus Friderico archiepiscopo Coloniensi ac suffra-

fraganeis, & dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, & aliis ecclesiarum prælatis, eorumque capitulis, conventibus, atque collegiis universis tam exemptis quam non exemptis per provinciam Coloniensem constitutis, salutem

XII. Encyclicæ Innoc. literæ ad fideles.

Rex regum & Dominus dominantium unigenitus Dei filius Jesus Christus; qui prodigia facit in cælo sursum & terra deorsum, in sui cælestis altitudine consilii firmam retinens in ejus incommutabili dispositione confusam sacrosanctam Romanam ecclesiam suo pretiosissimo fundatam Sanguine, ad cujus regimen licet immeriti, assumpti fuimus; supra petram fidei indeficienti soliditate firmavit, illud ei tribuens in apostolicæ concessionis fortitudine fundamentum quod nec diruat procella turbinis, nec in ipsum prævalere possit spiritus tempestatis; & licet crebra decedentium mutatione pastorum in varia plerumque discrimina inciderit, ab ea tamen supernum præsidium se nullo modo subtraxit. Sic igitur ante paucos dies faciente Domino cum eadem variis procellarum agitata turbinibus signum in bonum de transitu felicis recordationis Bonifacii Papæ IX. prædecessoris nostri ad Dominum, prout de divinæ pietatis ministratione confidimus, statim ejus in unitate Sancti Spiritus ac pacis vinculo divina providentia conservavit.

Ut Bonif. kal. octob. obierit.

Defuncto siquidem kal. mensis octobris proxime præteriti Romæ apud S. Petrum eodem prædecessore nostro, solemnibusque celebratis exequiis pro eodem, & ejus corpore in basilica Principis Apostolorum de urbe præfata honorifice deposito, habitus est a fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus exquisitissime, prout tanta rerum sublimitas postulabat, de successoris electione tractatus in quo tanta fuit unitas omnium tamquam ad invicem in cunctis concordantium ut intelligatur in eis operatum esse per eum, in cujus manu non solum hominum corda, sed cælum & terra consistunt, quod ad fragilitatem nostram, tunc tit. S. Crucis in Jerusalem presbyter Cardinalis eramus, oculos suæ circumspectionis, & industriæ intenderunt, & factum est sicut Altissimo placuit, ut nos ad tantæ dignitatis fastigium in patrem elegerunt & pastorem. Solicita igitur universalis Ecclesiæ administratione assumpta divinæ propitiationis misericordiam imploramus, ut per suæ voluntatis beneplacita in viam pacis dirigat gressus nostros, & favorem nobis cælestis pietatis aspiret, ut eo per hanc proellosi maris altitudinem nobis & cunctis fidelibus salutis portum desuper largiente, sub sacerdotio nostro proveniat in Ecclesia militante desiderabilis unionis tranquillitas exstirpato de vinea Domini sabaoth detestabili & horrendo schismate, ad quod exstirpandum sub viis, modis, & formis honestis pariter atque justis suprema desideria nostra tendunt.

Eidem suffectus fit Card. S. Crucis.

Sedandi schismatis via aperit consilio.

XIII.

Et ut præmissa, divina favente clementia, perduci queant consultius ad effectum, fidelium quos præsens tangit negotium, cupimus super exstirpatione hujusmodi schismatis ac viis, modis, & formis congruentibus atque justis per nos servandis audire consilia, ad quæ exhibenda fideles ipsos ad veniendum seu dirigendum personas tanto negotio congruentes quam primum ante vel usque ad festum omnium Sanctorum proxime sequuturum, si se facultas obtulerit, paternis affectibus excitamus, ac in altissimo requirimus & hortamur pro votiva conclusione tam desiderabilis unionis, super quibus & paterna intentione nostra erga ecclesiarum omnium incrementa, vestrumque & cæterorum fidelium statum, venerabili fratri Joanni episcopo Savonensi & dilecto filio nobili viro Alexandro de Constantio militi Neapolitano præsentium latoribus, nostrisque nuntiis exhibere velitis credentiæ plenam fidem. Dat. Romæ apud S. Petrum VI. kal. januarii pontificatus nostri anno primo. Conceptæ sunt iisdem verbis ad Joannem Moguntinum (a), Joannem Treverensem (b), Salzeburgensem, Sbinconem (c), Pragensem, Thomam (d) Cantuariensem, Richardum Eboracensem, tum Pisanum, & Ravennatem (e) archiepiscopos, tum patriarcham Antiochenum (f), ac suffraganeos & complures alios; tum vero de conjunctione ecclesiarum restituenda ad Wladislaum Regem Poloniæ (g) virosque principes (h) Germaniæ, Italiæ, Castellæ, Aragoniæ, Lusitaniæ (i), datæ literæ.

Innocentium etiam indixisse Romæ synodum ad kal. novembris recurrentis anni proximi, testatur subjectis verbis Gobelinus (k): *Dominus Innocentius Papa archiepiscopis, & prælatis per diocesa regna constitutis literas suas cum nuntiis solemnibus direxit, insinuans eis quod in kal. novembris deinde proxime futuris concilium generale in Urbe Roma pro unione Ecclesiæ est celebraturus, & exhortans eos, ut se cum prælatis sibi subditis, vel saltem viros idoneos ad idem concilium dirigere curarent.* Ut vero disturbatum fuerit hujusmodi concilium sequenti anno dicetur.

Indictum concilium ab Innoc. kal. novembris anni proximi.

Ladisl. pacem eccl. turbare aggreditur.

Cæterum Ladislaus Rex Neapolitanus, cum audisset Pontificem sacramento se devinxisse ad ponendos papales apices si Petrus e Luna antipapali fastigio abiret, sinistram concepit suspicionem, ne in ecclesiarum constituenda concordia suæ dignitati aliquod periculum crearetur, adduxitque Innocentium, ut apostolica sanctione (l) vulgaret, publicam pacem nunquam firmandam, nisi Ladislaus sceptra, quibus hactenus potiebatur, retineret.

(a) Ib. p. p. 114.
(b) Ib. p. p. 120.
(c) Ead. pag.
(d) Super p. 114.
(e) Ead. pag.
(f) Pag. 15.
(g) Ib. p. 120.
(h) Ead. pag.
(i) Pag. 15.
(k) Gobelin. in Cosmod. æt. 6. c. 88.
(l) Innoc. lib. 1. p. 70.

Ad

Ad futuram rei memoriam.

Decretum Innoc. pro Ladislao.

Præclara & singularia insignita merita quibus charissimus in Christo filius noster Ladislaus Jerusalem & Siciliæ Rex illustris pollere dignoscitur, necnon eximiæ devotionis sinceritatisque affectus, quæ ipse ad nos & Romanam gerit ecclesiam, grataque & accepta servitia, quæ nobis & præfatæ ecclesiæ hactenus impendit & impendere continuo non desistit, merito promerentur, ut Regem ipsum specialibus gratiis & favoribus prosequamur. Cum igitur nos & venerabiles fratres nostri S. R. E Cardinales intendamus totis viribus laborare, ac opem & operam efficaces adhibere, ut damnabile schisma, quod jam, proh dolor! per multos annos in Christianitate & Dei Ecclesia exitialiter perduravit, cum Dei auxilio tollatur de medio & totaliter extirpetur, & in eadem Ecclesia unitas & concordia debite reformentur; nos pro cautela & tuitione prædicti Regis qui a nobis & præfata ecclesia regnum Siciliæ tenet in feudum, volentes ipsius Regis indemnitatibus præcavere, de consilio & assensu prædictorum fratrum nostrorum tenore præsentium eidem Regi promittimus ad concludendum de dicta Ecclesiæ unione per nos aut fratres nostros non venire, quo minus de utriusque partis consensu idem Rex Ladislaus in pacifica possessione ac titulo regnorum suorum, prout ad præsens existit sit & remaneat Rex illustris, decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super iis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo nostræ promissionis & constitutionis infringere, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum III. id. novembris pontificatus nostri anno primo.

XV. Hæc conditio de ecclesiarum conjunctione non restituenda nisi regnum Neapolitanum adversus Andegavensem assereretur, vix aut nunquam impleri posse videbatur, nec propter Regis illius privata commoda, novæ erant afferendæ difficultates in redintegranda ecclesiarum conjunctione; sed ejusmodi in Ladislaum nimii studii susceptæ culpæ vindicem Innocentius Regem ipsum sensit: pulsus enim ab eo urbe, coactusque est, ut videbimus, non modo infidum contumacemque principem anathemate percellere, verum decretoria sententia regnorum juribus ob ipsius flagitia novis in dies flagitiis cumulata exauctorare. Gravissima illa fuisse, & Innocentium ob iniquitatem temporum ea dissimulasse, memorat Theodoricus Niemius (a) de Ladislao hæc scribens: *Etenim castra & temporalia bona ecclesiarum & monasteriorum in ipso regno Siciliæ consistentium, & olim per Imperatores Romanos & Reges catholicos pietatis intuitu donata, sub colore, quod contra dicti regni, scilicet suosque hostes illa fideliter conservare vellet pro usu ecclesiarum & monasteriorum, ipse hujusmodi usurpabat.* Et infra: *Ecclesias & monasteria hujusmodi ad dandum sibi pecunias traxit, nec permisit eos possessionem ecclesiarum & beneficiorum ac monasteriorum apprehendere, nisi ante omnia ipsas pecunias, quas postulabat, efficaciter persolvissent. Quosdam etiam milites & satellites suos ad nonnulla monasteria & domos episcopatuum destinavit indulgendo eis, ut ibi essent per aliquod tempus, & de receptis illic bonis atque victualibus ibi disponerent, prout videretur eisdem: qui, si quos prælatos forte reperirent eorum non voluntarios receptores, hos milites & satellites male tractabant, & plerosque a propriis stationibus repellebant, & qui in hoc erat austerior præ cæteris laudabatur a Rege; & cum de his & aliis oppressionibus prælatorum fierent Innocentio de Rege præfato querelæ, eum propterea non corripuit in principio suæ assumptionis ad papatum, ne correptus proinde pejora committeret, obmutuit & siluit. Sed illud in grande damnum earumdem ecclesiarum & monasteriorum ac prælatorum redundavit juxta illud: Principiis obsta, sero medicina paratur. Insuper dictus Rex multis datis in stimulum illos sive proceres sive magnates, qui eum juverunt ad recuperandum statum ipsius regni, passim exterminabat, multos eorum incarcerando, & in carceribus occidendo; quippe omnia, sicut sibi dictabat animus, sive bona sive mala essent, intrepide faciebat.* Erant hæc scelera graviorum rudimenta scelerum, quæ ferebat ægre Innocentius: cumque vinci beneficiis Ladislaum posse putaret, remisit illi omne vectigale aurum, quod præteritis annis sedi Apostolicæ pendere intermiserat, atque etiam tribus proxime lapsuris census immunitatem concessit. (b)

Ingratus Ladislai in eccles. animus.

Tolerata ejus scelera.

Insignis Innoc. in Ladisl. liberalitas.

Repositæ a Ladisl. pro beneficiis injuriæ.

XVI. Retulit Innocentio pro acceptis beneficiis insignes injurias Ladislaus Rex, de quo Leonardus Aretinus hæc historiæ tradidit (c): *Ad hunc Pontificem Ladislaus inter primas gratulationes Romam profectus, cum honestissimam salutandi gratulandique prætexeret causam, esset autem ea vera augendi regni cupiditas, Romanos nec prius quietos sua præsentia in Pontificem concitavit.* Eum ad urbis imperium aspirasse, ac Gibellinam factionem ad liberas publicæ rei habenas a Pontifice extorquendas confirmasse in audacia, consentit Theodericus Niemius, cumque se interpretem concordiæ inter populum & Pontificem, a quo etiam Campaniæ & Maritimæ præfecturam in aliquot annos obtinuerat, constituisset perduellibus Ro-

Concitat Romanos adversus Pontificem.

Aspirat ad urbis imperium.

(a) Theodor. a Niem. l. 2. c. 41.

(b) Lib. 1. p. 60.

(c) Aret. in hist. rer. Italic. sui temp.

ma-

manis plus æquo studuisse. [1] Extant in regesto pontificio (a) fœderis capita, quod Rege Ladislao pacis deprecatore post ingentes illos tumultus sub primis pontificatus Innocentii exordiis excitatos sancitum est, quæ subjectis verbis concepta sunt, ac repetenda duximus, ut ex iis lector secutarum turbarum causas dignoscat.

(a) Append. Innoc. lib. 1. pag. 82. & in alio MS. arch. Vat. sig. n. 50. p. 8.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Beatæ semperque Virginis Mariæ & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & omnium sanctorum & sanctarum cœlestis curiæ ac exaltationem status sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, ac sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Innocentii divina providentia Papæ VII. & successorum ejus canonice intrantium, ac tranquillitatem pacificam almæ urbis & omnium præfatæ ecclesiæ fidelium.

Noverint universi & singuli præsentium seriem inspecturi, quod sanctissimus in Christo pater & dominus noster dominus Innocentius divina providentia Papa VII. in speculum suæ considerationis extollens tumultuantis Romani populi post obitum felicis recordationis domini Bonifacii Papæ noni prædecessoris sui in alma urbe motus, pestiferos & malignos, ac petitiones factas pro parte nonnullorum ex dicto populo post obitum præfati Pontificis collegio reverendissimorum fratrum suorum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, de quorum numero tunc existebat, & deinde post assumptionem suam ad apicem summi apostolatus ejusdem sanctitatis; & cupiens, cum ad præfatam urbem in qua dicimus esse voluit utriusque tam spiritualis quam temporalis dominii monarchiam, ut pacis tranquillitas vigeat & discordiæ fomenta depereant, benigne ac paternaliter volens agere ac misericorditer cum omnibus, qui tumultum & ipsum causantia excitare & attentare damnabiliter præsumpserunt, & supplicationibus præfati populi pro ipsius tranquillitate annuere, sperans quod exinde in devotione, fidelitate, & obedientia Romanæ ecclesiæ, domini nostri Papæ præfatorum & successorum suorum canonice intrantium constantissime ac fidelissime permanebunt, ac consideratione charissimi in Christo filii ejusdem

Tumultus exorti in urbe post obitum Bonif.

Renovati ineunte Innoc. pontificatu.

sanctitatis & Ecclesiæ domini Ladislai Regis Jerusalem, & Siciliæ illustris in præfata urbe existentis, & super efficacissime intercedentis, ut cessarent pericula & horrenda imminentia discrimina, ad infrascripta omnia & singula concedenda descendit; salvis tamen semper & reservatis Romanæ ecclesiæ, domino nostro, & successoribus præfatis omnibus & singulis juribus, jurisdictionibus, honoribus, & præeminentiis tam spiritualibus quam temporalibus & aliis quibuscumque jure, modo, actione, vel forma competentibus & competituris in urbe præfata, ejusque comitatu, territorio, & districtu Romanæ ecclesiæ, domino nostro, & successoribus antedictis: vel eorum alicui quovis modo, ita quod per infrascripta hujusmodi, juribus, jurisdictionibus, præeminentiis, dignitatibus in nullo intelligatur præjudicium in aliis quomodolibet generari, nisi dumtaxat quo ad concessa & indulta ad præsens per ipsum dominum nostrum juxta & secundum formam præsentium capitulorum inferius contentorum, aliter vel alio modo non.

Concordia interpretem fide agit.

Pactionum formulæ.

In primis quidem concessit & voluit præfatus dominus noster, ad supplicationem hujusmodi quod senator præfatæ urbis ordinari, eligi & deputari debeat semper ac possit per sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum dominum Innocentium Papam Septimum supradictum & ejus successores canonice intrantes de tempore in tempus & habeat & habere intelligatur omnimodam jurisdictionem: quam alii senatores, qui antiquitus fuerunt pro tempore, exercuerunt seu exercere potuerunt secundum formam statutorum & ordinamentorum præfatæ urbis, præterquam in factis & negotiis statum præfati domini nostri & ecclesiæ successorum hujusmodi ac Romani populi seu criminis læsæ majestatis concernentibus, in quibus & eorum quolibet idem senator habeat & habere intelligatur arbitrium, prout tempore felicis recordationis domini Bonifacii Papæ IX. senatores, qui fuerunt pro tempore habuerunt, seu exercere quomodolibet potuerunt, & quod finito officio suo quilibet senator, qui erit pro tempore syndicetur cum suis officialibus & familiaribus juxta exigentiam statutorum præfatæ urbis.

XVII. Senator urbis designandus a Pontifice.

Ejus potestas, suis circumscripta limitibus.

Item concessit & voluit quod de cætero

NOTÆ [1] Romanos tumultus sub exordio pontificatus Innocentii excitatos asserit hic annalista; sed Jacobus de Del' Ayto, coævus scriptor, in Annalibus Estensibus anteriores Innocentio turbas hasce constituit, scribens: *In creatione novi pontificis, & etiam ante, Romanus populus in armis tumultuavit &c.* Addit idem scriptor Ladislaum Apuliæ regem die XX. octobris arcem Romanam, videlicet arcem S. Angeli occupasse, ac præsidio suo munisse. An tamen vera hic scripserit ambigo, cum Antonius Petri, qui hoc primo anno scribere aggressus est Diarium rerum, quas ipse Romæ oculatus testis spectabat, quod opus prodiit *Rer. Ital. to.* XXIV. hac de re nihil scribat. Sed eo auctore constat Ladislaum in urbem intrasse die XIX. octobris, ibidemque variis subinde mutatis sedibus usque ad diem V. novembris permansisse. Demum ea quæ de solemni pontificis coronatione die XI. novembris assignanda in nota superiori ad §. 8. diximus, ejus testimonio confirmantur. MANSI

De septem quæstoribus.

eligantur & eligi debeant septem officiales præfatæ urbis secundum formam antiquorum statutorum ejusdem urbis, qui nominentur & appellari debeant gubernatores cameræ almæ urbis; qui quidem septem officiales domino nostro & successoribus Romanæ ecclesiæ, & populo Romano prædictis fideles atque idonei cum officio, potestate, & jurisdictione infrascriptis eligantur & eligi debeant in præsentia senatoris præfatæ urbis, qui erit pro tempore, vel alterius cui idem dominus noster vel successores committent vel mandabunt ordine successivo. Prædicti tamen non vendicent sibi locum in præsentibus officialibus, qui ad præsens in dicti domini nostri præsentia eligi debeant, & in ejus manibus præstare in forma debita juramentum.

Item quod præfati officiales tam præsentes quam futuri jurent & jurare teneantur & debeant in manibus præfati senatoris, vel alterius, cui idem dominus noster vel successores duxerit vel duxerint committendum, de eorum officiis bene & legaliter exercendis ad honorem & statum domini nostri & successorum Romanæ ecclesiæ & Romani populi prædictorum, & alias fidelitates præstare in forma solita, & debita juramentum.

Ladislaus se urbis magistratibus creandis immiscet.

Item quod pro proximo & futuro bimestri incipiendo a die, qua infrascripti officiales suum præstiterint in manibus præfati domini nostri vel alterius, cui duxerit committendum, in forma debita juramentum, sint & esse intelligantur una cum aliis tribus civibus Romanis eligendis & deputandis per ipsum dominum nostrum, seu per serenissimum dominum dominum Ladislaum Regem Jerusalem & Siciliæ illustrem; qui quidem officiales sic electi & deputati numero decem, ut supra præfertur, vocentur & nominentur gubernatores cameræ almæ urbis, & sic etiam qui futuris temporibus eligentur, debeant appellari: officium tam præsentium quam futurorum duret & durare debeat spatio duorum mensium, & non ultra; & habeant, & habere intelligantur hujusmodi officiales & gubernatores cameræ tam præsentes quam futuri facultatem & officium dumtaxat exigendi, percipiendi, necnon expendendi & convertendi pro evidenti necessitate & utilitate reipublicæ Romanæ omnes & singulos fructus, redditus, & proventus, ac jura quæcumque & obventiones, qui & quæ ad prædictam cameram quomodolibet pertinerent seu spectarent, & negotia dictæ cameræ tantum regere & administrare & quod de proventibus, fructibus & redditibus dictæ cameræ possint, teneantur

De stipendiis ex publico ærario pendendis magistratibus.

& debeant solvere & satisfacere cum effectu temporibus debitis & ordinatis per formam statutorum & ordinamentorum præfatæ urbis de salariis, provisionibus, muneribus, & gagiis & emolumentis debitis & consuetis senatori præfatæ urbis & ejus officialibus, quæ erit de tempore in tempus omni contradictione & exceptione remotis: subiecta sunt quæstorum populi Romani nomina: tum subditur.

Item statuit, ordinavit, & voluit supradictus dominus noster quod nullus ex dictis officialibus & gubernatoribus cameræ præsentibus vel futuris, aut aliis, quicumque officialis rector vel magistratus præfatæ urbis quocumque nomine vel officio fungeretur vel potestate, possint, audeant, vel præsumant per se vel alios conjunctim vel divisim, quomodocumque aut qualitercumque, directe, vel indirecte, publice vel occulte, aut quovis quæsito colore se intromittere de aut super aliquibus aliis civilibus, criminalibus, vel mixtis negotiis, causis, vel rebus, seu administrationibus nisi dumtaxat pro iis, quæ immediate spectarent & pertinerent de jure ad cameram præfatæ urbis & non aliter vel alio quovis modo; & si secus vel aliter foret, ipso jure sit nullum, & nihilominus qui contrafaciens incidat eo ipso in sententiam excommunicationis, quam contrafacientes auctoritate apostolica præsentium tenore protulit & voluit; ac decrevit quod ab hujusmodi excommunicationis sententia nullus, præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo dumtaxat, possit absolutionis beneficium obtinere necnon in pœnam mille florenorum auri de camera pro quolibet, & vice qualibet, qua contrafactum extiterit auferendorum, & apostolicæ Cameræ applicandorum eo ipso; prædicta tamen non vendicent sibi locum in senatore præfatæ urbis & ejus officialibus, qui jurisdictionem habeant & arbitrium, prout sæpius in primo capitulo continetur.

Interdicti quæstores jurisdicundi potestate.

Item voluit, reservavit & inhibuit districtius præfatus dominus noster expresse, quod Romanus populus ac officiales præfatæ urbis præsentes, & futuri quocumque arbitrio vel officio fungerentur, non possint vel debeant per se vel alios, directe vel indirecte, aliquam aliam gubernationem, gestionem, administrationem, jurisdictionem, præminentiam, potestatem, vel facultatem committere, concedere, delegare, vel subdelegare aliquibus personis, collegiis, seu universitatibus, vel dominis, nisi dumtaxat de aut super negotiis præfatæ cameræ, & aliter vel alio quovis modo sub pœnis & censuris tam spiritualibus quam temporalibus in præcedentibus capitulis denotatis, in quas quemlibet contrafacientem incurrere voluit eo ipso, & nihilominus secus vel aliter facta non teneant ipso jure.

Magistratus vel populus alia munera conficere vetiti.

Item quod prædicti officiales & gubernatores, camerarii, notarii, scriptores, doganerii, & alii quicumque officiales tam cameræ quam urbis prædictarum syndicentur & syndicari debeant in fine eorum officii de gestis & administratis, ac neglectis & omissis secundum formam statutorum & ordi-

Exigenda a quæstoribus & aliis administris ratio.

dinamentorum præfatæ urbis de syndicandis officialibus, disponentium per duos syndicatores fideles & idoneos cives Romanos, quorum unum præfatus dominus noster vel successores, alterum officiales præfatæ urbis eligere debeant de tempore in tempus cum officio, potestate, honoribus, muneribus & oneribus syndicatoribus concessis per formam hujusmodi statutorum.

Ne magistratus Capitolini vel urbani in transtyberinos ullam auctoritatem sibi arrogarent.

Item voluit & expresse reservavit & ordinavit præfatus dominus noster, quod prædicti & alii quicumque officiales tam Capitolii seu cameræ quam urbis prædictarum, & tam præsentes quam futuri, & qui in posterum deputarentur seu crearentur, quovis fungerentur officio vel nomine aut arbitrio concessis vel concedendis per quoscumque & quavis auctoritate, & de jure, aut de facto, aut consuetudine non possint vel debeant quomodocumque & qualitercumque etiam vigore eorum vel alicujus eorum officii aut quovis quæsito colore, directe vel indirecte, per se vel alium seu alios se impedire supra aut de aliqua re civili, criminali, vel mixta, vel alia quacumque contra aliquem vel aliquos cortesanos morantes in urbe aut civitate Leonina seu transtyberino habitantes vel qualitercumque incolatum habentes, aut res, jura, vel bona ipsorum seu alicujus eorum seu nomina debitorum ubicumque existentia quomodolibet se impedire vel immiscere, aut aliquid agere, ordinarie, vel extraordinarie cum promotore vel sine aut ex officio alicujus vel aliquorum, seu alterius quocumque modo, jure, causa vel forma & simili modo non possint vel debeant se impedire, vel intromittere de aliquo cive Romano in dicta civitate Leonina habitante vel commorante, aut de rebus, juribus seu bonis eorum existentibus ubicumque, prout de cortesanis superius est expressum, adimens ex nunc quo ad præmissa auctoritate apostolica, & vigore pleni dominii præfatæ urbis, quo fungitur, præfatis & aliis officialibus quibuscumque omnem jurisdictionem, cognitionem, facultatem tam in cognoscendo & procedendo, quam exequendo, & alio quocumque actu, quo ad præmissa & quodlibet eorum dependentia, & quod tanquam privati eo ipso haberi debeant & censeri: & si secus vel aliter factum fuerit, eo ipso sit nullum, & nihilominus quilibet contrafaciens ipso facto incidat & incidisse intelligatur vice qualibet in censuras & pœnas tam spirituales quam temporales in præcedentibus & sequentibus capitulis comprehensas: voluit tamen atque decrevit, quod tam cortesani quam alii qui habitabunt in urbe, civitate Leonina per regionem transtyberim prædictis, vel aliarum aliqua in civilibus, quam criminalibus, quam aliis quibuscumque causis seu negotiis distringi pervenire possint coram auditore apostolicæ cameræ, seu marescallo Romanæ curiæ juxta & secundum formam infrascriptorum capitulorum Assisii firmatorum, de quibus in capitulo quod incipit, quod libertas ecclesiastica fiat mentio seriose.

Pontifex & Cardd. immunes vectigalibus.

Item voluit & reservavit expresse præfatus dominus noster, quod tam ipse quam successores sui canonice intrantes, necnon domini Cardinales, camerarius domini nostri Papæ ac magister hospitii apostolici tam præsentes quam futuri sint & esse intelligantur exempti, liberi, & immunes a solutione & præstatione omnium gabellarum, pedagiorum, & onerum quorumcumque tam indictorum, quam indicendorum in dicta urbe, ejusque comitatu, territorio, & districtu. Renovata & inserta etiam, ad tuendam libertatem ecclesiasticam, quæ inter Romanos ac Bonifacium IX. conventa fuere anno Christi MCCCXCIII. cum omnibus precibus ab eo contendere, ut Assisio in urbem regrederetur, & a nobis suo loco allata fuere.

Vetitum milites ab iis contrahi.

Item quod nullus baro vel potens nobilis præfatæ urbis seu partium vicinarum possit vel debeat ad stipendia, provisionem, vel servitia Romani populi, cameræ, seu officialium prædictorum aut alicujus eorum per se vel alium, directe aut indirecte quovis quæsito colore quomodocumque aut qualitercumque conduci ad stipendia aut provisionem vel servitia Romani populi, cameræ, aut officialium præfatorum, seu alicujus eorumdem cum aliquo numero gentium armigerarum equitum vel peditum, per se vel alium cum majori numero quinque lancearum; & si secus fieret, ipso jure sit nullum, & nihilominus conducentes ad stipendia, provisiones, salaria, gagia & munera quæcumque talibus dantes vel solventes, de eorum proprio dedisse & solvisse intelligantur, & non de pecuniis .... Romani populi seu cameræ prædictorum, & super talibus possint & debeant omni tempore syndicari semel & pluries, etiamsi syndicatus & absolutio fieret quomodolibet in præmissis.

Quibus committenda sit custodia pontium portarumque.

Item quod custodia omnium & singulorum pontium extra præfatam urbem, necnon portarum quarumcumque dictæ urbis exceptis dumtaxat & reservatis præfato domino nostro & suis successoribus ponte Milvio & portis civitatis Leoninæ fiat & fieri debeat per Romanos, fidos tamen præfato domino nostro & successoribus suis ac Romano populo supradictis & infra. Jussi etiam sunt vinculis absolvi omnes, qui in superiori seditione conjecti in ea fuissent, ac pristinæ restitui libertati.

Ne magistratus urbani vel populus antipapæ vel sequacium audiant oratores.

Item voluit & reservavit idem dominus noster, quod Romanus populus, officiales, & magistratus præfatæ urbis tam præsentes, quam futuri, necnon barones, nobiles & alii cives non possint vel debeant publice vel occulte, aut quovis quæsito colore directe vel indirecte recipere, admittere,

vel audire per se vel alios aliquos nuntios vel ambasiatores antipapæ sequacium, vel adhaerentiam ipsius aut eis, vel eorum alicui dare receptum, auxilium, consilium, vel favorem, aut dare volenti quomodolibet consentiet: & si quis in aliquo contrafecerit ultra pœnas & censuras per processus apostolicos contra talia perpetrantes inflictas & promulgatas, eo ipso crimen lasæ majestatis se noverit incurrisse.

Ne in alias urbes & oppida jus sibi arrogent.

Item quod de civitatibus Sutrina & Civitate castellana, aut de aliquibus aliis civitatibus, terris, castris, locis, bonis, jurisdictionibus, praeminentiis, vel juribus ad dominum nostrum & Romanam ecclesiam prædictos seu successores ipsos spectantibus vel pertinentibus, seu quæ spectare vel pertinere possent, in posterum Romanus populus, officiales, & magistratus prædicti, præsentes & futuri, conjunctim vel separatim per se vel alios, directe vel indirecte non possint vel debeant quomodocumque vel qualitercumque se intromittere, vel aliter impedire aut se intromittere vel impedire volentibus dare auxilium, consilium, vel favorem, salvo & reservato quod post lapsum unius anni proxime futuri de civitatibus Sutrina & Civitate castellana idem dominus Rex Ladislaus habeat & habere intelligatur arbitrium declarandi, prout eidem videbitur convenire, & quod juxta, & secundum declarationem præfati Regis de dictis civitatibus Sutrina & Civitate castellana fieri & observari possit & debeat, & utrumque ipsarum inviolabiliter & cum effectu.

XVIII. Patrata in seditione flagitia remissa.

Item declaravit, voluit, & concessit præfatus dominus noster, quod de & super omnibus culpis, maleficiis, excessibus seu delictis vel quasi tam in urbe quam suburbiis, necnon comitatu, territorio, & districtu præfatæ urbis quocumque tempore per Romanum populum & per quoscumque barones, nobiles, gentes, vassallos, subditos, adhærentes, complices, vel sequaces eorum vel alicujus eorum, aut per cives vel alios Romanos habitatores, vel incolas, comitatenses, seu districtuales præfatæ urbis, seu gentes Romanæ ecclesiæ tam contra dictum dominum nostrum præfatum & ejus prædecessores, quam Romanam ecclesiam & ejus officiales, necnon subditos, adhærentes, complices, vel sequaces, sive alios cujuscumque status præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, sive inter barones, cives districtuales & alios supradictos commissis & perpetratis quocumque tempore, & ubicumque locorum usque in præsentem diem sive sit cognitum vel non cognitum sit, & esse intelligatur facta plena, generalis, & absoluta remissio & absolutio, ita quod de cætero prædictorum vel alicujus eorum occasione vel causa seu dependentium ab eisdem per senatorem seu gubernatores cameræ aut alios magistratus præfatæ urbis præsentes vel futuros quovis fungentes officio, non possit vel debeat procedi, cognosci, vel inquiri, vel executio fieri ordinarie vel extraordinarie, & infra, restitutis etiam patriæ, pristinis juribus ac dignitatibus, qui in exilium pulsi, vel iis exuti erant, exceptis iis qui ob patratas cædes damnati exilio essent, nisi cum heredibus occisorum aliorumve, ad quos ultio pertineret, pacem iniissent.

Imerdicti magistratus edendi plebiscita potestate.

Item declaravit, voluit, expresse reservavit idem dominus noster quod Romano populo & gubernatoribus cameræ, necnon consiliis privato & generali præfati populi, aut aliis officialibus, seu magistratibus præfatæ urbis tam præsentibus, quam futuris non sit licitum vel permissum absque speciali licentia & consensu præfati domini nostri per se vel alios, directe vel indirecte, aut quovis quæsito colore, edere, facere, aut quomodolibet ordinare vel providere, seu de novo condere aut aliter quomodocumque decernere aliqua statuta, leges, plebiscita, ordinamenta, reformationes, vel decreta, & si secus, vel aliter fieret, quod factum fuerit ipso jure sit nullum & contrafacientes eo ipso & scribentes & servantes in sententiam excommunicationis incurrant, a qua quidem sententia præterquam in mortis articulo nisi dumtaxat a Romano Pontifice nequeant absolutionis beneficium obtinere.

Item voluit, declaravit, & expresse reservavit præfatus dominus noster, suo, successorum, & præfatæ ecclesiæ nomine, quod in casu, quo per formam capitulorum celebratorum in civitate Assisinate inter felicis recordationis dominum Bonifacium Papam IX prædecessorem suum, seu aliam ejus nomine & procuratores syndicos, vel nuntios Romani populi, de quibus in præcedentibus capitulis habetur mentio, contineretur vel quomodolibet appareret, seu apparere posset vel comprehendi aliquod aliud jus, jurisdictionem, præeminentiam, facultatem, aut imperium merum vel mixtum seu majoritatem aliquam in urbe, suburbiis, comitatu, territorio, & districtu Romano, juribus & pertinentiis ipsorum, vel alicujus eorum ultra, vel præterquam se extendant simpliciter & absque interpretatione aliqua concessiones & indulta per supradictum dominum nostrum Romano populo ac gubernatoribus dictæ cameræ, & officialibus præfatæ urbis præsentibus & futuris per formam prædictorum & infrascriptorum capitulorum concessum, datum, vel tributum Romano populo, conservatoribus cameræ, aut vexillariis, aut societati pavesatorum, & balistariorum, seu aliis officialibus vel magistratibus præfatæ urbis, qui fuerunt pro tempore, seu esse potuissent: vel possent in dicta urbe ejusque comitatu, territorio vel districtu sub quacumque verborum conceptione & forma appareret, seu apparere

Vetiti ullum aliud imperium sibi asciscere.

pos-

posset, quod omnia & singula indulta, concessa, data, seu aliter translata per dictum prædecessorem suum Romano populo & aliter supradictis vel eorum alicui, quæ lapsu temporis expirata non essent, sed tracti possent vel extendi quantum ad hujusmodi dominii, jurisdictionis, præminentiæ, concessionis, ad præsentia vel futura ea omnia, quæ hic alias haberi voluit pro sufficienter expressis, reduci, intelligi, & trahi debeant ad concessiones, & indulta per ipsum dominum nostrum in præcedentibus & infrascriptis contenta capitulis facta pariter & concessa, cum sua intentionis fuerit. & existat in principio, medio & fine suorum indultorum & concessionum hujusmodi nihil voluisse aut velle quoad dominium, gubernationem, regimen, & administrationem, merum & mixtum imperium gladii potestatem & omnimodam jurisdictionem concedere Romano populo & gubernatoribus cameræ supradictæ, aut aliis officialibus præfatæ urbis præsentibus vel futuris, nisi dumtaxat gubernationem administrationis dictæ cameræ & immediate, ac de jure pertinentium ad eandem & alias vel alio modo, non reservans sibi nihilominus necnon successoribus suis canonice intrantibus præfatæ ecclesiæ quæcumque jura, jurisdictionis, præminentias, merum & mixtum imperium & omnimodam facultatem prædictam; salvis concessionibus & indultis, ut supra præfertur, per ipsum dominum nostrum factis & concessis populo, gubernatoribus, officialibus, & aliis in præcedentibus & sequentibus capitulis denotatis. Interjectis nonnullis, quibus telonarii vectigalia pontificia ærario debita ac non soluta inferre jussi; tum Romani populi magistratus ad publica itinera liberanda obstricti, additur.

Potestas gladii non concessa urbanis magistratibus.

Item supradictus dominus noster ad hoc, ut appellationis beneficium, quod maximum in sublevationem oppressorum dignoscitur esse remedium, in suis viribus remaneat; voluit, declaravit & etiam reservavit sibi & successoribus suis canonice intrantibus nominationem, deputationem, & electionem capitanei Romani populi super appellationibus & nullitatum causis, &c. cum officio, potestate, salario, muneribus, honoribus, & oneribus dari, fieri, & solvi consuetis per formam statutorum & ordinamentorum præfatæ urbis, de tempore in tempus ponendi, & deputandi.

Summum urbanæ. ect. tribunal Pontifici reservatum.

Item declaravit & voluit quod castrum Frascati diœcesis, necnon officium defensoriæ Marinæ cum omnibus juribus & pertinentiis eorumdem spectet atque pertineat, ac spectare & pertinere debeat ad Lateranensem ecclesiam præfatæ urbis.

Item commisit, quod illustris dominus dominus Ladislaus Rex Jerusalem & Siciliæ habeat facultatem & arbitrium declarandi, utrum officiales, videlicet gubernatores cameræ præfatæ urbis, residere debeant in palatio Capitolii; & si resideant, in quo loco palatii.

Item concessit dicto Romano populo & voluit, quod completis & solidatis & acceptatis omnibus supra & infrascriptis Capitolium præfatæ urbis reducatur & reduci debeat ad formam palatii & loci communis judicii, & quod assignetur præfato domino Regi, vel illi, cui præfatus dominus Rex duxerit assignandum, ut facta assignatione fiat reductio dicti Capitolii ad formam dicti palatii, & loci communis judicii prout superius continetur, &c. Interjectis nonnullis; quibus jussi Romani communibus suffragiis decernere, ut nonnulli omnium nomine ad ea rata habenda fidem obligarent, quam si temerarent quinquaginta millium florenorum auri mulctam, infamiam perjurii, ac bonorum jacturam, quæ fisco pontificio addicenda essent, subituros consentirent; subjungitur Innocentium hæc addidisse.

Capitolium in formam prætorii, non arcis redactum.

Item voluit expresse ac specifice reservavit in principio, medio, & fine præsentium indultorum supradictus dominus noster, quod in casu seu casibus, quo vel quibus per Romanum populum, gubernatores cameræ, seu alios officiales vel magistratus præfatæ urbis præsentes vel futuri prædicta omnia & singula, & infrascripta & quodlibet ipsorum infrascriptorum non fierent, adimplerentur, & efficaciter non servarentur juxta & secundum prædictorum & infrascriptorum exigentiam & tenorem in omnibus & quoad omnia, quod ex nunc prout ex tunc, & eo ipso omnia & singula concessa & indulta Romano populo, gubernatoribus cameræ, & reliquis officialibus & magistratibus ac civibus, districtualibus, habitatoribus, & incolis præfatæ urbis & aliis in præcedentibus capitulis denotatis sub quacumque conceptione verborum appareant, sint & esse intelligantur nullius efficaciæ, roboris vel momenti, & perinde haberi & censeri debeant viribus evacuata, irrita & nulla, ac si data, concessa & indulta minime extitissent, &c. Sancitum etiam, ut Romanus populus in privato & generali consilio hæc rata haberet. Acta fuerunt omnia & singula supradicta Romæ apud S. Petrum in palatio apostolico in cappella parva prope cameram paramenti dicti palatii, in præsentia prædicti domini nostri Papæ ac præfati serenissimi domini domini Ladislai Regis Siciliæ illustris, & reverendissimorum dominorum dominorum Angeli tit. S. Laurentii in Damaso, Francisci tit. S. Susannæ, Henrici tit. S. Anastasiæ, Christophori tit. S. Cyriaci, Angeli tit. S. Potentianæ presbyterorum, Raynoldi S. Viti ad Macellum, Landulphi S. Nicolai in carcere Tulliano diaconorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, ac reverendissimi in Christo patris domini Conradi episcopi Militensis ac camerarii domini nostri Papæ prædicti, ac prægstantibus & intelligentibus venerabilis viro

Si contra hæc tendat plebs ei concessa abolet.

Qui fuerint conventorum interpretes.

ro domino Petro de Stephaneschis de urbe præfata notario præfati domini nostri Papæ, ac magnificis dominis dominis Bertoldo de Ursinis, Francisco & Nicolao comitibus Anguillariæ, & nobili viro Mastro Marchesano milite Romano & pluribus aliis testibus ad prædicta habitis & rogatis sub anno a nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo quarto indictione XII. die XI. assumptionis sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Innocentii Papæ VII. supradicti, & XXVII. mensis octobris dicti anni.

XIX. Pontificia indulgentia Romani insolescunt. (a) Theod. a Niem. l. 2. c. 36.

Fuit hæc pontificia indulgentia popularis irritamentum furoris, qui in tantum domari, non blanditiis mulceri posset, ut observat Theodoricus e Niem, qui acerbam temporum conditionem ita describit (a): *Et quia dicitur cum servo nequam palmus datur, accipit ulnam, dicti regentes seu officiales, qui tunc eamdem urbem rexerunt septem numero de ipsa parte Gibellina, viri prudentes nuncupati nomine tantum, non significatione seu existentia, ut exitus acta probavit, non usquequaque observantes domino Papæ pacta, quæ præfatus Rex Ladislaus fecerat inter partes, ipsum Innocentium de die in diem multipliciter infestabant, modo illud, nunc aliud habere volentes ab ipso: sed Joannes de Columna non longo ab urbe interim continue habuit magnum numerum armigerorum in subsidium tunc regentium de parte sua in urbe, & in odium Papæ & Cardinalium ac curialium fingens partes Petri de Luna se fovere, ut orta demum divisione grandi inter easdem partes, urbem violenter intrare atque Papam, Cardinales, & curiales prædictos vi opprimere posset. Ipse vero Innocentius, qui fuit vir pacificus, mitis, & probus inde [quantum potuit] eisdem regentibus complacuit, credidit enim in bono vincere malum: sed breviter in his omnibus non profecit, quem continuo infestis petitionibus vexarunt, quamobrem, dum iterum ab eo quadam ex præconcepta malitia non concedenda peterent iram animo respondit eis dicens: Numquid omnia feci, quæ voluistis, & quid amplius vobis facere possum nisi velitis & hunc, quem gesto, mantellum? volens per hoc innuere, quod in tantum eum vexarent, quod citius papatui cederet, quam tot ab eis debet molestias sustinere: & in summa per eum ad rationem flecti non poterant ullo modo: quia de die in diem magis ipsum diversis exquisitis coloribus molestarunt.* Ut vero atrox seditio proximo anno concitata fuerit, atque Innocentius Viterbium fuga se subducere coactus sit, suo loco dicetur: nunc reliquas hujus anni res adjungimus.

Contra pacta militares copias contrahunt.

Innoc. liberum responsum.

XX. (b) Walsin. in Henr. 4. hoc an.

Refregit (b) in Anglia Thomas archiepiscopus Cantuariensis magna constantia nonnullorum perversorum impudentiam, qui in solemnibus ordinum conventibus ex Wicleffi documentis suadebant ad levandam regii ærarii inopiam ecclesiasticas opes ab Henrico diripiendas: cumque ardenti oratione exposuisset stare regna sacerdotum precibus, Regem magno pietatis ardore præmonuit his verbis, quæ Thomas Walsinghamus (c) refert: *Attenderet & in juramentum, quod non invitus præstiterat, videlicet quod Ecclesiam & ministros ejus honoraret, foveret, & defenderet: attenderet & periculum juramenti sive dedecus violati, & Ecclesiam gaudere permitteret suis privilegiis & libertatibus, quibus gavisa est antecessorum suorum temporibus; vereretur offendere Regem per quem reges regnant; vereretur & censuras, quas incurrunt qui res ecclesiasticas deprædantur; quos omnes constat excommunicationis sententia innodari. His a Cantuariensi prolatis Rex præcepit ei repetere sedem suam, asserens voluntatis suæ fore ecclesiam in adeo bono statu dimittere sicuti eam invenerat vel potius meliori.*

Proceres in Angl. clero insidiantur.

(c) Ib. ib.

Monita Henrico Regi data.

XXI. Redintegraverant Angli Gallique vetus bellum, de quorum præliis plura narrat Monstreletus (d), nimirum comitem S. Pauli instructa classe insulam Wich Anglico obnoxiam imperio adortum; sed ferentibus suppetias Anglis abscessisse: In Aquitania (e) etiam Joannem Clarimontis comitem varias in Anglicam ditionem excursiones fecisse. Cæterum magno Gallici imperii damno Philippum ducem Burgundiæ extremum diem obiisse, qui moriens Joannem filium principatuum heredem salubribus monitis instruxit, ut Francis adhæreret. Verum ipsum paterna oblitum mandata Gallis exitiabilia bella maximasque calamitates intulisse visuri sumus.

(d) Monstr. vol. 1. c. 19.

Varia inter Anglos Gallosque prælia.

(e) Ib. c. 20.

Philippi ducis Burgun. mors.

XXII. Hoc interim spatio grassabantur adeo artes magicæ in Galliis, ut etiam superiori anno magis dæmonum opem pro restituenda Carolo VI. mentis valetudine imploraturis duodecim vinculis constrinctos tradiderint (f): sed cum ii locum ingressi, in quo infernales potestates vocandæ erant, se crucis signo munivissent, non ausa sunt dæmonum spectra ad magicos susurros & funesta carmina se producere. Cum itaque non potuissent artes nefariæ, puduit regiæ aulæ procuratores admissi flagitii, atque ex iisdem magis duos flammis absumpsere. Porro Ludovicus Borbonius anticardinalis, qui Lingonensis episcopatus administrationem gerebat, hoc anno synodum celebravit, in qua plura ad suam ecclesiam a magorum corruptelis & dæmonum grassationibus vindicandam decreta edidit (g), quibus admoniti sacerdotes, fœminas ob sexus imbecillitatem facilius dæmonum fascinationibus irretiri, tum quod puerorum tuendæ salutis percupidæ ad lamias perfugiant, a qui-

(f) Juv. Urs. in Car. 6.

Crucis signum horrent dæmones.

Digna præmia magi assecuti.

(g) Synod. Lingon. apud Bochel. l. 5. decret. eccles. Gallic. tit. 14. c. 13.

quibus pueri sæpius necentur: jussi etiam curas intendere, ut magici criminis infamia notati deferrentur: docerent populum scelus magicæ superstitionis ex bono fine non excusari, sive pro depellendo ab hominibus vel animalibus morbo, sive pro amissis rebus recuperandis magica ars exerceretur: tum ad execrandam consuetudinem dæmonum astu in Galliis inductam excindendam præter alia hæc sancita sunt.

Decreta contra magicas corruptelas.

Primo fortilegia, divinationes, quas vocant charmes, & alias superstitiones, quocumque nomine nuncupantur per divinam legem & jura evidenter jam prohibita, etiam nos fieri prohibemus, præcipiendo sacerdotibus, quatenus præsens statutum legant & publicent in suis ecclesiis, denuntiando quod nullus ponat fidem vel credulitatem suam in prædictis, quæ solum sunt quædam fallacia antiqui hostis, ut homines faciat errare in fide: & illi, qui dicuntur divini seu divinatores, ut plurimum nihil sciunt de dictis fortilegiis; sed decipiunt homines, ut ab eis pecunias per talem modum extorqueant.

Mulieres facilius irretiri superstitione solitæ.

Secundo quia mulieres fragiliores sunt natura, quam viri, ideo inimicus prout fecit in prima muliere, etiam hodie plus tentat mulieres de istis fortilegiis, quam viros: quapropter diligentius sacerdotes se habeant erga mulieres super istis fortilegiis, eas frequentius etiam secrete monendo & instruendo, quod caveant ab ipsis fortilegiis, præsertim si sacerdotes per aliquas conjecturas præsumant aliquam mulierem se intromittere, vel fidem dare talibus fortilegiis prohibitis; mulieres enim multum curiosæ sunt ad procurandam sanitatem suorum puerorum, quam credunt habere per talia fortilegia, & per ipsa ipsi pueri frequenter inveniunt mortem; quod sacerdotes fieri prohibeant.

Pueri sæpius necati a magis.

Tertio mandamus districte præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ singulis presbyteris, etiam non curatis jubemus, & sub excommunicationis pœna, quatenus quoties sciverint aliquas personas, cujuscumque sexus aut conditionis existant, ad quas recurritur pro hujusmodi fortilegiis & divinationibus faciendis, vel quæ sunt de hoc diffamatæ, quod solent hujusmodi facere divinationes seu fortilegia, ut ipsas personas revelent officiali nostro; dum tamen illud quod sciverint de præmissis sciant alio modo quam per pœnitentialem confessionem ipsarum personarum de prædictis diffamatarum.

Bonus finis non excusat scelus magicæ superstitionis.

Quarto quidam fatui homines putant, quod hujusmodi divinationes non sint peccatum, quando fiunt pro bono vel ad bonum finem, scilicet pro sanitate recuperanda hominum vel animalium, & pro rebus furatis perditis recuperandis aut reperiendis, maxime quando tales res quæ furto sunt subtractæ, sunt res sacræ, puta calices, & alia ecclesiastica vasa vel alia ornamenta. Sacerdotes igitur instruant populum, quod pro quacumque re non licet facere dicta fortilegia vel divinationes, quia non licet facere malum, ut inde bonum proveniat: solus enim Deus omnipotens de malis scit elicere valde bona.

XXIII. Impietas eorum qui se devovent dæmoni.

Quinto per hujusmodi fortilegia aut divinationes, vel alio modo, hostis antiquus solet aliquos taliter inducere ad errorem fidei, quod quandoque per iram vel aliquam impatientiam faciat aliquos dare simpliciter & absolute & reddere seipsos diabolo, ut fatuos, in anima & corpore & aliquos qui dicunt: Ego reddo me in anima & corpore diabolo si non fecero tale quid vel si non faciam talem rem, & cum hoc aliqui negant Deum. Summopere instruant sacerdotes populum suum, ne faciant tales promissiones, immo verius obligationes diabolo, quia est idololatria, seipsos enim in anima & corpore offerunt sponte diabolo, quod est nefandissimum crimen.

Damnati qui sponsiones factas dæmoni rescindi non posse putant.

Ex dictis in præcedenti capitulo insurgit quidam pessimus error igne & gladio puniendus, quod nonnulli, qui tales fecerunt promissiones tenent firmiter, quod ex quo talis promissio facta est, ille qui ipsum fecit pertinet & pertinebit omnino ad diabolum, ita ut impossibile sit, quod per contritionem aut confessionem, satisfactionem & absolutionem ille promittens possit liberari ab hujusmodi obligatione, immo quod pejus est, quod hoc Deus non potest facere, quod talis promittens possit salvari, vel pertinere ad Deum, sed ad diabolum, cui se devovit. Sacerdotes instruant populum quod ista opinio illorum hæreticorum hominum est falsissima & hæretica, & illud peccatum quantumcumque sit gravissimum, tamen per veram contritionem, confessionem, satisfactionem, & absolutionem factam authoritate diœcesani ad quem talis casus est reservatus, potest remitti, & ille taliter absolutus salvari.

De temporario supplicio confitenti injungendo, hæ leges (a) in eadem synodo sacerdotibus impositæ fuere. *Caveant curati aut eorum vicarii, ne imponant pœnitentias solemnes aut publicas: licet pro quolibet peccato mortali esset regulariter septennis pœnitentia injungenda, quæ deberet imponi magis vel minus aspera, prout majoritas vel minoritas, & circumstantia eorum exposcunt; tamen hodie omnes pœnitentiæ sacerdotis arbitrio sunt taxandæ sive in quantitate temporis aut rei vel modi seu conditionis, considerando gravitatem peccati & circumstantias temporis, loci, personarum, conditionis & status eorum.*

(a) Ext. apud eund. l. 2. tit. 7. c. 107.

Ut piaculares pœnæ mitigandæ sint.

Sacerdotes debent semper injungere pœnitentiam per contrarium peccatori, puta superbo humilem orationem, avaro eleemosynarum largitionem, acidioso peregrina-

tio-

tionem & ecclesiarum frequentationem, guloso abstinentiam a cibis & potibus, luxurioso carnis macerationem, & quandoque loci mutationem; iracundo mansuetudinem & quod in corde reprimat fortiter primum motum iræ, & sic de similibus.

Caveant sacerdotes, ne gravent pænitentes per difficiles vel onerosas pænitentias; sed eas imponant, quas putant posse & velle pœnitentem portare, ne deterius contingat propter pænitentiam non adimplendo, etiamsi non deberent injungere nisi unum Ave Maria; debet enim sufficere sacerdoti si pænitentem liberatum videat ab offensa, & pænam mittat ad purgatorium, licet eumdem pænitentem liberatum a culpa ad paradisum non transmittat.

Omnino caveant sacerdotes, ne pænitentes dimittant recedere desperatos propter gravitatem pænitentiæ, quantumcumque gravia commiserint peccata: caveant etiam sacerdotes ne per pænitentias, quas injungunt faciant præjudicia vel onus alicui alteri quam pænitenti, puta non injungat marito quod sit in onus uxoris vel e contra, & sic de similibus.

(a) Param. inquisit. Sicul. l. 2. tit. 3. c. 4. n. 27.

Nova superstitio.

In Germania & Italia hoc anno invecta est a dæmonibus nova & nefandissima superstitio, ut observat Ludovicus Paramus (a), quæ extremum exitium orbi erat allatura, nisi censores fidei illam flammis abolendam curassent: *Adeo acerrime*, inquit, *ab inquisitoribus depugnatum est, ut centum quinquaginta annis ad hunc diem triginta lamiarum millia ut minimum fuerint concremata, quæ si impunitæ abirent, totum terrarum orbem ad exitium & vastitatem vocarent.*

XXIV.

(b) Innoc. l. 1. p. 212.

Asiam sibi subjicit Tamerlanes.

(c) Bin. hist. Genuen. rer. Pers. l. 9.

Hoc anno Tamerlanes ad Ægeum mare & Hellespontum victricia signa circumtulit, ut ex Innocentii (b) Papæ ad Emmanuelem Palæologum Græcorum Imperatorem proximo anno datis literis colligitur, ac Latinorum reliquias, quæ hactenus Turcarum impetus sustinuerant ex Asia evulsit, Pera (c) excepta, quæ ejus signis erectis cladem evasit. Inter alias urbes Phocæam veterem & Phocæam novam nobiles Genuensium colonias in Jonia evertit: tum Smyrnam urbem munitissimam, quam tot laboribus antea Turcis ereptam vidimus auspiciis Clementis VI. & Hospitalariorum equitum fortissimo præsidio infessam ferro flammaque delevit, cum nullas auxiliares copias occidentales ob schismatis dissidia orientalibus fidelibus submitterent. Meminit ejus excidii Theodericus Niemius (d), quod etiam describit Calchondylas.

Christianas urbes in eadelet.

(d) Niem. l. 2. c. 23. Chalcond. de reb. Turc. l. 3. Bosius hist. equit. Hierosol. l. 4.

(e) Bin. rer. Persar. & hist. Genuen. l. 9. & alii.

Capha ducum opera potitur.

Expugnavit (e) quoque truculentus barbarus per id tempus ducum opera, quos adversus regna septentrionalia immiserat Caffam præclarum Genuensium emporium in Ponto Euxino olim dictam Theodosiam, Tauricæ Chersonesi regiam, ex qua sæpius evangelicos præcones ad Scythicas & & Tauricanas gentes Christiana religione imbuendas missos vidimus, miraque arte Tamerlanem ejusque duces usos ferunt, ne aurum ab obsessis civibus terræ infoderetur; *Ea ratione*, inquit Bizarrus, *ditissimæ civitates ludibrio, direptioni, ac cædi fuere, & inter cæteras etiam Capha olim Theodosia Genuensium ut dictum est, colonia in Taurica Chersoneso sita non procul a Bosphoro Cimmerio, cum enim hanc urbem invadere statuisset, Scythas negotiatores præmisit, qui pretiosissimas animalium pelles minori venundarent solito, scirent, ut dictum est, aurum abscondi, pelles minime, urbe potitur & aurum & pelles reperit ac diripit.* Recepere postea Genuenses Capham, mœniaque instaurarunt, quam rursum a Tartaris & Turcis expugnatam suo loco dicimus: qua amissa evangelium per finitima regna propagari desiit, & cum multis gentibus Christiano tinctis nomine, de quibus alibi egimus, commercium interruptum est.

Ars illius ne aurum sobactarum gentium conderetur.

(f) Martyr. Sicul. & ex eo. Serar. in novo catal. die 4. apr.

Pie obit. B. Guillel.

Hoc denique anno Guillelmus eremita Sæculensis in Sicilia pietate & miraculis clarus ad Deum migravit (f), cujus sanctitas cum pluribus magnisque editis miraculis inclaruisset, post mortem Paulum tertium Pontificem maximum, ut ecclesiastico officio coleretur, concessisse tradunt.

Maxi-

I.

(a) Ioan. vit. l. 1. p. 232.

(b) Calchond. hist. de reb. Turc. l. 2. sub fin.

Tamerl. consilia de subjiciendo orbe universo.

Maximum terrorem (a) Christianis intulit anno Christi millesimo quadringentesimo quarto indictione tertiadecima Tamerlanes Tartarus, cum obtrito Turcico regno traducere in Europam ingentem exercitum, & Christifideles suæ subjicere servituti meditaretur; cujus ambitiosa consilia Laonicus Calchondyla his verbis describit (b): *Temires arreptis armis contra Bajazetem animo agitabat ejus regionem in Asia sui juris facere, & exinde in Europam transgredi, nec prius redeundi erat animus, quam limites ejus attigisset, progrediendo usque ad oceanum, qui est prope Herculis columnas; ibi enim esse trajectum maris angustissimum acceperat distinguentem Europam a Libya. Hic igitur in Africam transmittere decreverat, qua in ditionem recepta, domum tam demum remeare statuerat. Hæc quidem volvebat Temires animo.* Nonnullos quoque alios Tartarorum Imperatores ad totius orbis imperium, excidiumque Christianorum aspirasse vidimus. Plangit Innocentius (c) Tamerlanem post victum Amarottum sive Ameram Bajazetem, impetus in Christianos vertisse (quibus urbis Smyrnæ in Jonia eversionem indicat) atque ab Emmanuele Imperatore Græcorum additis etiam minis postulasse, ut naves submitteret, quæ Tartaricas copias Hellespontiaco freto in Europam deveherent. Contempsit barbari imperia Emmanuel, ac virum principem Angelum Cafradinum ad Romanum Pontificem oratorem misit, ut occidentalium auxilia sibi compararet. Flexus ergo Innocentius Græcorum suspiriis in Neapolitano regno, Trinacria, Dalmatia, Hungaria, Rascia, Bosna, Servia, Bulgaria, & Græcia sacrum in Tamerlanem bellum promulgari atque indulgentiarum præmia, religiosam militiam accepto crucis symbolo professuris, stipemve in bellicos sumptus erogaturis proposuit (d).

(c) Id. ib.

Constantinopolitano imperio imminet.

Postulat Emman. a Rom. Pont. opem.

(d) Id. ib. ep. curr.

Innocentius &c. illustri principi Emmanueli Palæologo Imperatori Græcorum viam agnoscere veritatis.

II.

Innoc. ad Imp. Græcor. lit.

In vinea Domini sabaoth, sancta videlicet Ecclesia universali, cultores atque custodes, quamquam immeriti, inscrutabili dispositione consilii deputati, attentius vigilare nos convenit, ne singularis ferus de silva, impiissima videlicet gens Tartarorum sub ducatu truculentissimi Tamerlani Tartari, vineam ipsam immaniter depascatur, & ut quantum nobis ex alto conceditur, ut eadem vinea preservetur illæsa, impetum bestiarum illam demoliri cupientium reprimamus, verum sacrosancta Romana ecclesia mater omnium fidelium & magistra suspirta producit ab intimis, oculi sine solvuntur in lacrymas, vehementibusque gemitibus ipsius pectora quatiuntur eo quod præter hostilitates, quæ a blasphemis crucis adversus fidei professores exercentur, extrinsecus undique bella fremunt, intrinsecus seditiones intestina dilaniant, & inquietant domestica simultates, gladiusque fidelium, qui foret contra hostium fidei cuneos exercendus, conversus in proximos, proh dolor! inebriatur sanguine Christiano, & quod acrius excoquit mentem nostram scelerati filii, quasi quodam cæco furore vexati, armantur in matrem ac illam ex qua prodierunt, uterum nituntur summis viribus lacerare: quo fit, ut nos una cum memorata ecclesia legitima sponsa nostra circa exhibitionem opportuni subsidii in hac parte juxta desiderium nostrum & officii nostri debitum manus adjutrices extendere nequeamus. Sane licet jampridem publica fama ad nostrum auditum perduxerit Tamerlanum & Tartaros ac plerosque alios infideles, qui potenti manu prostraverant etiam Christiani nominis inimicos quondam Amarottum principem Teucrorum & Teucros ipsos, quos Turcos appellant, terramque illorum vastatam suæ ditioni subjecerant, & ab infidelibus divertentes contra Christiani nominis zelatores quod cum amaritudine mentis nostræ percepimus immani feritate debacchari valerent per suos oratores & nuncios a te cum instantia peti fecerunt, minis etiam adhibitis si renitentia fieret, ut ipsi Tamerlano suisque gentibus per strictum Hellesponti maris tuæ ditioni suppositum transitum deberes liberum exhibere: nuper tamen nobilis vir Angelus Cafradinos miles Constantinopolitanus procurator & ambaxiator tuus ad Apostolicam sedem per te propterea destinatus auribus nostris lachrymabiliter intimavit, quod præfati Tartari, quodammodo securitate concepta, de recepta præterita in Amorattum & Turcos victoria gloriantes, cœperunt vires congerere & conflare potentiam non solum ad exterminium civitatis Constantinopolitanæ, regionis circumpositæ, cæterarumque terrarum, quæ a Christifidelibus in illis partibus habitantur, verum etiam ad invadendum partes quaslibet Christianorum personaliter accinxerant, spem gerentes, civitatem, regionem, terram, & ipsas partes, imo universitatem Christiani populi, quod avertat bone Jesu, funditus evertere & prorsus extinguere, si eorum nefando proposito possibilitas respondeat.

Tamerlanes Turcarum expugnator.

Poscit ab Emmanuele naves ad trajiciendum in Europam exercitum.

Constantinopolim & Christiana regna parat invadere.

Nos igitur attendentes quantum ex hoc populo Christiano discrimen immineat, & quod jam crebris, ut ita loquamur, infidelium arietibus fidei catholicæ fundamenta pulsantur, quodque nemine opem ferente Christianorum reliquiæ illarum partium dan-

III.

Latinorum reliquiis in Asia excisæ.

dantur excidio, & quod si (quod absit) tu imperiumque tuum in ditionem veniatis Tartarorum & infidelium prædictorum (quod heu futurum esse conspicimus; nisi Christianus populus tibi tam patenter quam celeriter studeat subvenire) in quanta periculo foret universitas Christiani populi constituta, & propter nos tibi & incolis prælibati imperii paterno compatientes affectu illoque volentes auxilio, quo possumus, subvenire magnitudini tuæ, unum vel duos aut tres seu quatuor aut plures antistites catholicos gratiam & communionem prædictæ sedis habentes, aut prælatos seu in theologia magistros vel alios viros ad hoc idoneos, quibus de literarum scientia, fidei puritate, virtutum meritis, & circumspecta providentia perhibeantur testimonia fidedigna, per te vel alium seu alios eligendi, si illos ad hoc reperreris voluntarios atque promptos, qui prædicationis vivificæ crucis officium in Jerusalem ac Siciliæ, Trinacriæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Sclavoniæ, Serviæ, Valachiæ, Lodomeriæ, Bulgariæ, Rasciæ, ac Bosnæ regnis, necnon Romaniæ partibus, civitatibus, terris, castris, oppidis, & locis regnorum & partium prædictorum contra hostes fidei gentem perfidam Tartarorum & aliorum infidelium, qui te & imperium antedictum infestare proponunt, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ pietatis plenitudine tenore præsentium concedimus facultatem, antistitibus & prælatis, magistris ac viris hujusmodi quos, ut præfertur, duxeris eligendos, in remissionem peccaminum injungentes, ut calamitosum nec minus periculosum, totique Christianitati damnosum tuum & dicti imperii statum, necnon præmissa omnia Christifidelibus diligenter exponant, ac fideles ipsos juxta prudentiam a Domino eis traditam attentis inducant monitis, & sedulis prædicationibus exhortentur, ut iidem fideles cogitantes prudenter, quod tu & imperium supradictum ab ipsis fidelibus liberationis vestræ subsidium expetitis, & auxiliationis eorum remedium expectatis, ad exhibenda profutura subsidia & liberandum vos promptis intendant animis, & suas ad id habilitent facultates, ac de bonis sibi a Deo collatis studeant largitiones tam promptas quam uberes elargiri. Ut autem antistites seu prælati aut magistri seu viri præfati quos, ut præmittitur, elegeris, ministerium prædicationis hujusmodi, eo facilius atque ferventius prosequi valeant, quo per sedem prædictam muniti fuerint prærogativa privilegii potioris, antistitibus seu prælatis aut magistris seu viris prædictis & cuilibet eorumdem ordinariis locorum, ad quæ propterea ipsos declinare contigerit, ut ipsi per se seu alios idoneos, & fidei zelo ferventes prædicatores suarum civitatum & diœcesum diebus Dominicis & festivis infra missarum solemnia & alias, prout eis melius & magis opportunum videbitur Christifidelibus præmissa proponant seu proponi faciant, ipsosque fideles exhortentur, moneant, & inducant ad erogandum pias eleemosynas pro prosecutione negotii prælibati, auctoritate nostra requirendi hac vice dumtaxat plenam tenore præsentium concedimus facultatem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante si præfatis locorum ordinariis seu quibusvis aliis a præfata sede indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam illorum jurisdictionis explicatio impediri valeat quomodolibet vel differri.

IV.
Datur Emmanueli potestas.

Insuper tibi eadem auctoritate concedimus ut si quis aut si qui ex antistitibus vel prælatis aut magistris seu viris hujusmodi, quos elegeris, ut præfertur, noluerit seu noluerint, aut non poterit seu non potuerint infirmitate seu alio impedimento legitimo præpeditus seu præpediti, vel eum seu eos de medio forsan contigerit summoveri, alium seu alios similiter idoneos loco illius vel illorum toties quoties tibi seu deputandis a te expedire videbitur & opportunum fieri, valeas subrogare: & ut fideles ipsi præmissa tanto libentius atque ferventius prosequantur, quanto ex eorum labore mercedem potiorem se noverint percepturos; nos omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa, quam nobis licet indignis, est divinitus tradita potestate, omnes & singulos Christifideles cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, sexus, vel status existant, qui tecum vel gente tua personaliter accedent vel mittent alium pro se, ac stabunt, seu alibi pro eisdem facient hostiliter residere contra blasphemos hujusmodi pro ea temporis spatio retrolapsis temporibus & similibus casibus per sedem Apostolicam ordinato, illam suorum remissionem peccaminum de quibus veraciter corde contriti & ore confessi fuerint rectoribus parochialium ecclesiarum, infra quarum limites extiterint, vel aliis sacerdotibus eam veniam consequi volumus, quæ per sedem Apostolicam concedi consueverunt transfretantibus tempore generalis vel particularis passagii in subsidium Terræ sanctæ, ac si ad civitatem Jerusalem personaliter accessissent, illos autem qui ministrabunt de facultatibus eorumdem juxta eorum possibilitatem, & quoscumque alios, qui alias fideliter ac pro posse in hujusmodi negotio juxta præsidii seu qualitatem servitii ac meritum, remissionem & veniam peccaminum hujus-

Fideles sollicitati ad ferendam Græcis opem.

Ad conferendam hisce militibus opem.

Notatum veniæ proposita laturis auxilia Græcis.

jusmodi pro rata decernimus promereri, & nihilominus omnibus supradictis juxta qualitatem præsidii ac servitii in retributione justorum augmentum æternæ beatitudinis pollicemur.

Sacræ oblationes Emmanueli tributæ.

Nos enim rectoribus & sacerdotibus hujusmodi absolvendi confitentes ab omnibus eorum peccatis, dummodo talia non fuerint propter quæ Sedes Apostolica sit meritò consulenda, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium harum serie facultatem. Cæterum ut oblationes & eleemosynas, quas fideles ipsi pro hujusmodi pio negotio, dante Domino, erogaverint, ad manus tuas cum omni integritate perveniant, volumus quod prædicatores verbi Dei & receptores oblationum & eleemosynarum hujusmodi quos ad hoc duxeris deputandos, super quo tibi plenam facultatem tribuimus, eleemosynas & oblationes hujusmodi fideliter custodiant, ipsasque tibi vel deputando seu deputandis a te sub excommunicationis pœna, quam, si secus egerint, ipso facto incurrant, a qua per nullum nisi per Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo absolvi valeant, studeant integraliter: nos enim dandi de assignatis per eos & per te deputandum seu deputandos a te de receptis quietandi, absolvendi, & liberandi plenam tibi concedimus etiam facultatem; & nihilominus ut hujusmodi negotium effectui, quem cupimus, mancipetur, volumus quod impedientes negotium ipsum per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, similiter in excommunicationis sententiam incidant ipso facto, a qua nequeant, ut præfertur, absolvi, præsentibus post biennium a data præsentium computandis minime valituris. Nulli ergo &c. Dat. Romæ apud sanctum Petrum VIII. kal. junii pontificatus nostri anno primo.

Emendandi scriptores.

Ex his Innocentii literis constat emendandos scriptores, qui Tamerlanem biennio ante extinctum tradunt, atque in unum annum omnia ejus gesta congerunt; nam Bonifacii literæ (a) antea adductæ demonstrant increbuisse in occidente Tamerlanis victorias anno superioris sæculi nonagesimo nono, atque hoc anno ex Innocentii diplomatibus (b) colligitur Tamerlanem universæ Europæ maximum metum incussisse. Refelluntur etiam ea superioribus qui tradunt (c) Tamerlanem humanissime se gessisse in Emmanuelem Palæologum, & Constantinopolim ejus clientelæ offerenti respondisse, nolle se clarissimam urbem vetusti sedem imperii, atque a Bajazetis tyrannide liberatam, in servitutem redigere; flagrabat enim Christiani nominis odio, ac Bajazeti fuerat gratulatus, quod Christianam gentem aboleret: bellum vero Mahometicæ superstitionis cultori indixit, quod satrapis Asiaticis suos principatus restituere detrectaret.

(a) *Lib. 5. p. 153.*

(b) *Innoc. l. 1. p. 222.*

(c) *Petr. Perond. & Seb. Brant. in Vit. Tamerlan.*

Cur Bajazeti indictum bellum.

V. Quid vero contra potentissimum Tamerlanem decies centena militum millia ducentem (d) ex oriente, ac parte alia per septentrionem alios exercitus immittentem in Poloniam, egissent Christiani principes, nisi eum divina providentia de medio sustulisset? nam tantæ potentiæ conjuncta erat (e) militaris industria, ut numerus ordinem non confunderet: castra ejus in urbis modum erant instructa, circumscripto cuique artificum collegio loco proprio, ut nullus esset latrociniis locus, atque omnia velut in opulentissima urbe venalia exponerentur; ac disciplinæ severus adeo erat vindex, (f) ut ipse quamvis esset latronum Rex, militi de furto lactis accusato viscera ad explorandam veritatem aperiri ferro jusserit, eadem pœna indicta mulieri, quæ eum detulerat, nisi invenirentur furti vestigia. Plura quoque alia edidit crudelitatis exempla, de quibus memorat, inter alios, Raphael Volaterranus (g) sic inquiens.

(d) *Marian. l. 19. c. 11. ex itinerario ad Tamerl.*

Peritia Tamerl. in regenda multitudine.

(e) *Bizar. Genuen. hist. l. 9.*

(f) *Perond. ubi sup.*

Severitas pro furtis coercendis.

(g) *Volaterr. geograph. l. 12.*

Tamburlanes quidam nomine seu Tartarus sive e Turcarum genere, nam ejusdem erat sectæ, primo bubulcus, deinde miles gregarius, virtute paulatim effecit, ut regno gentis suæ potiretur. Scythas, Medos, Albanos, Mesopotamiam, Parthiam, Persiam, Armeniam sibi subjugavit: trajecto demum Euphrate cum sexcentis peditum, equitum vero trecentis millibus, Asiam minorem obtinuit, augent cæteri hunc numerum, e quibus Mariana ait (h): *Ingentem exercitum conflaverat equites quadringenta millia, pedites ad sexcenta, vix fidem faceret numerus, ni idoneis id auctoribus confirmaretur.* Pergit Volaterranus: *Regem Turcarum ex Othomannorum familia tunc potentissimum Bajazetem cum non pene minore exercitu fuerit tuentem prælio cepit, ac in cavea more ferarum conjectum secum circumferebat. Castra tentoriis primum albis metari solebat, monstrando veniam obsessis se daturum, si se prima die dederent: secundo purpurea præferebat, mutando in patres familias ac proceres tantum se animadversurum, si alterum expectassent diem: tertia atrata exitium omnibus miserabile ac totius urbis ruinam facturum significabat. Is quondam in obsidione cujusdam oppidi cum tertia die pueri cum virginibus oleas in manu gestantes egressi illi supplices occurrissent, ad unum omnes interfici jussit. Admonitus a quodam Genuensi uti mitius cum populis ageret, sic eum facilius imperaturum, respondit se orbis esse calamitatem, proinde ocyus se inde ab eo proriperet, nisi & ipse quoque, hanc periclitari vellet: at ille statim subterfugit.*

(h) *Marian. eod. c. 11.*

Tamerl. immanitas.

Miserta est Christianorum divina pietas, ac Tamerlanem concitato (i) in eum Zachataiæ Rege ab Europæ expugnandæ consilio abduxit, illumque compositis

(i) *Chalcond. l. 4.*

Aversus divinitus a Christianor. exidio Tamerlanes.

(a) Juv. Urs. in Car. 6.
(b) Marian. de reb. Hispan. l. 19. c. 11.

cum barbaro rebus iterum Europæam expeditionem conficere meditantem nostrorumque vires ac dissidia explorantem (nam oratores in Gallias ad Carolum, in Hispanias ad Henricum, quos exploratorum loco habendos constat, Juvenalis Ursinus (a) ac Joannes Mariana referunt (b) e vivis proximo anno sustulit, orbemque immanissimo tyranno liberavit, cujus impetus Europa schismate torque dissensionibus laniata vix sustinere potuisset. Et quidem Romana ecclesia quæ Reges ac principes ad barbarorum conatus retundendos conjungere consueverat, adeo & schismatis furore vexabatur, & tyrannorum ditionem ecclesiasticam invadentium quatiebatur assultibus, ac denique Romanorum improviso exacerbatorum casu acerbissima conjuratione exagitata est, ut Innocentius seditionis popularis furori fuga se subducere coactus sit: de quibus singulis ordine agendum est, ac primum de ecclesiastica ditione, quam novi tyranni invasere.

Miser Romanæ ecclesiæ status.

VI. Alberici a Barbiano proditio.

Appetita est Romana ecclesia eorum proditione & insidiis, quos adversus hostes præsidio & munimento sibi futuros speraverat: Albericus enim Barbianus in Neapolitano regno magister equitum ac Romanæ ecclesiæ cliens beneficiarius, repente fide violata, occupatisque nonnullis Bononiensis agri oppidis, ad Bononiam eripiendam Apostolicæ sedi conjuratos & arma contraxit, hostilesque excursiones egit, monitusque a Balthasare Cossa diacono Cardinale legato, cœptis absistere contempsit. Ad cujus comprimendos impetus Pontifex encyclicis literis (c) singulos proceres ecclesiasticarum urbium, præfectos, ac toparchas omni armorum fœdere cum perduelli Alberico abstinere jussit.

(c) Innoc. l. 1. p. 278.

Dilectis filiis nobilibus viris Nicolao marchioni Estensi in Ferrariensi, Obizoni ac Petro germanis domicellis de Polenta in Ravennatensi, Ludovico de Alidosiis militi in Imolensi, Cecco de Ordelaffiis domicello Foroliviensi & Cesenatensi, Carolo domicello, Pandulfo militi, ac Malatestæ domicellis germanis in Ariminensi, Faventinensi, & Cesenatensi; & nonnullis aliis, Malatestæ, quondam Pandulfi nato domicello de Malatestis in Pensauriensi, Guidoni Antonio comiti Montisferetri in Urbinatensi, Eugubinensi, & Calliensi civitatibus, Petro Francisco Galeotto & Capoleoni de Brancbaleonibus domicellis in Durantis & S. Angeli in vado terris, ad nos & Romanam ecclesiam spectantibus, ac universis & singulis aliis quorumcumque aliarum civitatum, castrorum, terrarum, & locorum in provinciis nostra Romandiolæ ac Massæ trabariæ ad nos & eamdem ecclesiam spectantium, pro nobis & præfata ecclesia in temporalibus vicariis, ac universitatibus & singularibus quibuscumque personis cujuscumque status, gradus, dignitatis spiritualis vel temporalis, vel conditionis existant, provinciarum, civitatum, terrarum, castrorum, & locorum hujusmodi subjectorum, ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint salutem, &c.

Innocentii in eum literæ.

Cum nobilis vir Albericus de Barbiano, . diœcesis comes Comii, & regni nostri Siciliæ magnus comestabulus, nobis ac præfatæ, nimirum Romanæ, Ecclesiæ subditus & in nonnullis terris nostris, & ejusdem ecclesiæ in temporalibus vicarius contra nos & præfatam ecclesiam ac civitatem nostram Bononiensem, ejusque comitatum, territorium, & districtum, cives ac districtuales & habitatores, res, & bona ipsorum cornua erigens, & a fidelitatis & obedientia nostrarum & ecclesiæ præfatarum debito, se damnabiliter subtrahens, conspirationes & tractatus fecerit & fieri fecerit, ut civitatem nostram præfatam. ejusque comitatum, territorium, & districtum contra statum & honorem nostrum, & præfatæ ecclesiæ, & nonnullas terras, castra, & loca ad nos, & præfatam ecclesiam immediate spectantia occuparet, quadamque occupaverit, & in eisdem statum hujusmodi, quantum in eo fuit, subvertit, ac eas alsatas, hostiles incursus, & nonnulla alia plura crimina & delicta fuerit perpetratus & perpetrari assiduo, & pro parte tam nostra, quam dilecti filii nostri Balthasaris S. Eustachii diaconi Cardinalis, & in præfata civitate Bononiensi, ejusque comitatu, territorio, & districtu pro nobis & eadem ecclesia in spiritualibus & temporalibus vicarii generalis, & Apostolicæ sedis legati tam per nuncios quam per literas fuerit instantissime, & repetitis vicibus monitus, & etiam requisitus, ut a talibus nocumentis & offensionibus deberet ex toto desistere; id facere & adimplere contempserit; quinimmo, pejora prioribus cumulans, in dies crudelioribus offensionibus, ac damnabilius contra statum & honorem hujusmodi desævierit & desævire non desinat spretis & contemptis nostris salutaribus monitis, & mandatis, in animæ suæ periculum, damnum gravissimum nostrorum & ecclesiæ subditorum; nos attendentes quod nimium excresceret humana improbitas, nisi corrigeretur temeritas reproba perversorum præmissis ac nonnullis aliis rationabilibus causis animam nostram ad hæc inducentibus, universitatem vestram & vestrum singulos præsentium tenore requirimus & monemus vobis nihilominus & cuilibet vestrum sub excommunicationis pœna, in quam contrafacientes incurrere volumus eo ipso, & a qua, præterquam in articulo mortis, nisi dumtaxat a Romano Pontifice, nequeatis, absolutionis beneficium obtinere, & sub pœna privationis omnium vicariatuum, feudorum, bonorum quorumlibet a Romana vel aliis quibuslibet ecclesiis, seu Re-

Ut Bononiam occupare tentaverit.

Legati spreverit monita.

Proceres ecclesiastici interminato anathemate illi favere vetiti.

Romano imperio, ducibus, vel principibus, universitatibus, seu singularibus quibuscumque personis, necnon honorum, dignitatum, privilegiorum, exemptionum, & gratiarum spiritualium, & temporalium, obtentorum, & obtinendorum in posterum, quatenus ad requisitionem seu mandatum præfati Balthasaris Cardinalis & vicarii per suos nuncios, aut literas, teneamini & debeatis ab omnibus & singulis favoribus ac præsidiis quibuscumque realibus, personalibus, mixtis, ad respectu dicti Alberici, necnon gentium ipsius & terrigenarum & habitatorum & receptantium se quomodolibet in castris, terris, seu locis, quæ per ipsum quomodolibet detinentur, eidem in aliquo faventium seu assistentium, abstinere protinus tenueritis, ac etiam debeatis: quinimmo ad requisitionem seu mandatum ejusdem Cardinalis contra præfatum Albericum terras & loca quæ detinet, necnon universitates & singulares personas, gentes armigeras ipsius, res & bona, terrarum, castrorum, & locorum prædictorum, necnon habitatores etiam & se receptantes in eis guerram & exercitum facere, & quacumque hostilia modis omnibus tamdiu exercere & fieri facere, quousque correctus & emendatus, ac humiliato spiritu ad nostram & præfatæ ecclesiæ fidelitatem & obedientiam redierit, & satisfactionem fecerit congruentem. Si quis autem præmissa adimplere contempserit, eo ipso hujusmodi pœnis, & sententiis decernimus irretitum, & volumus subjacere. Datum Romæ apud S. Petrum VI. kal. julii pontificatus nostri anno 1.

Justique in eum consurgere.

Cecchi Ordelaffi mors.

E magnatibus vero ecclesiastico imperio subjectis Franciscus Ordelaffus toparcha Foroliviensis & Cæsenas, haud diu postea superstes extitit, in quo Ordelafforum familiam extinctam, refert S. Antoninus (a). Cum vero Forolivii & Cæsenæ principatum ad Romanam ecclesiam devolutum, Balthasar Cardinalis Cossa recipere pararet, non defuere, qui illi obsisterent, publicæque rei Foroliviensis gubernaculis se ingererent, de quibus Innocentius hisce literis ad populum illum datis questus est (b).

(a) S. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 4. §. 12.

(b) Lib. 1. ep. curr. p. 330.

Dilectis filiis universitati ac regimini civitatis nostræ Foroliviensis salutem &c.

Innoc. ad Foroliviensis effectos eccl. literis.

Inter sollicitudines curias & diversas, quibus ex onere pastoralis officii nostris humeris incumbente jugiter angimur, illa pulsat & excitat potissime mentem nostram, ut ad ea quæ salutem & tranquillitatem cunctorum Christifidelium subjectorum promovere habeant & salvare, & ut sub nostra & Romanæ ecclesiæ fidelitate, devotione & obedientia regi possint & salubriter conservari, ab intimis nostris præcordiis intendamus. Pridem siquidem intellecto, nobilem quondam virum Coccum de Ordelaffis domicellum in nostris Foroliviensi & Sassenatensi civitatibus, earumque comitatibus, territoriis, atque districtibus pro nobis & præfata ecclesia in temporalibus generalem vicarium suæ mortalitatis & carnis debitum persolvisse, & jurisdictionem, administrationem, gubernationem, merum & mixtum imperium exercenda in civitatibus, comitatibus, territoriis, & districtibus supradictis ad nos, & præfatam ecclesiam jure ipso recidisse, & ad nos, & Ecclesiam ipsam spectare, & pertinere, prout de jure pertinet atque spectat, ac volentes, ut sub mensura justitiæ, ut tranquillitate pacifica, sub fidelitate, devotione, & obedientia præfatis immediate vestra devotio regeretur, & illis præcluderetur aditus, qui sicut fidedigna relatione didicimus, diversis machinabantur coloribus præfatarum usurpare dominium civitatum, necnon comitatuum, territoriorum, & districtuum earumdem, sentientes etiam in civitate nostra Foroliviensi tumultum populariter suscitatum, & quosdam licet de facto, se immisisse gubernationi civitatis Foroliviensis præfatæ, scribendum duximus dilecto filio nostro Baldessarri S. Eustachii diacono Cardinali, ac in provincia Romandiolæ ac in civitate nostris Bononiensi, & nonnullis partibus pro nobis & eadem Ecclesia in temporalibus generali vicario, ut circa recuperationem civitatum, comitatuum, territoriorum, & districtuum hujusmodi & illorum gubernationem & administrationem pro nobis & eadem ecclesia diligenter intenderet, prout sua circumspectioni necessarium videretur, ut nostra paternalis intentio, quæ ad salutem vestram prona est semper & pervigil sequi posset.

Forolivium ac Sassenat. ad eccles. devoluta.

Aliqui earum urbium imperium affectant.

Et quoniam per nuncios præfati Cardinalis nuper accepimus, Cardinalem ipsum ad partes ipsas se contulisse, ut commissionem nostram exequeretur in omnibus, & quosdam ex vobis præter spem, de vestra integritate conceptam (nam omnes putabamus ultroneos ad exequendam nostram in omnibus voluntatem) perturbasse executionem votivam & plenariam præmissorum ea ratione ut certi reddimur, quoniam speciale mandatum vobis de sic exequendo per nos factum non fuerat, putabamus enim id minime expedire, quoniam vicariatus dictarum civitatum, comitatuum, territoriorum, & districtuum, ut nostis, per obitum dicti Cecci finierat, &c. Nos igitur intendentes, ut juxta mandatum & requisitionem præfati Cardinalis vicarii nostri, & specialis commissarii, ut præmittitur, in hac parte omnia exequamini, quæ per ipsum ordinata fuerint vel injuncta, universitatem vestram paternis affectibus requirimus & hortamur in Domino, eidem nihilominus per apostolica scripta præsentium tenore districte præcipiendo mandantes, quatenus ad nostram & præfatæ ecclesiæ fidelitatis & devotionis obedientiam ple-

Card. Balthasar ad confirmanda Eccles. jura eo se confert.

narie redeuntes velitis & debeatis præfato Cardinali vicario nostro in omnibus & singulis, quæ mandaverit, plenarie obedire, ac possessionem liberam & expeditam tam civitatum Forliviensis & Saffenatensis & Citadellæ, quam terrarum, castrorum, & locorum, & infra, *tradere, restituere, & assignare eidem Cardinali, vel deputandis ab eo, quoties requisiti fueritis, sublatis quibuscumque contrarietatibus, protinus debeatis*. (Subdit se eidem Cardinali legato præcepisse, ut in rebelles quoslibet animadverteret.) *Nos enim &c. Dat. Viterbii VI. kal. novembris pontificatus nostri anno primo.*

Arces illius custodiæ tradi jussæ.

Duxit legatus ipse Innocentii jussu in Forolivienses exercitum, ut adversariorum conatus infringeret: verum cum cives, ut refert S. Antoninus (a), magna animorum conjunctione ad arma, quo venientem adiru arcerent, concurrissent; spponderentque vectigal se consuetum Ecclesiæ pensitaturos, si rei Foroliviensis administratio civibus permitteretur, demum cum iis legatum pactum esse, ne forte tyrannum aliquem ad urbis dominatum occupandum accerserent, qui postea graviora illis mala illaturus esset. Obsequentes se magis Ecclesiæ tum præbuere Tifernates, qui excusso servitutis jugo Romano Pontifici suam fidem præstitere: qua de re confectæ sunt publicæ tabulæ (b).

(a) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 4. §. 1.

Legati expeditio in Foroliv.

(b) Ext. apud Innoc. l. 1. p. 155.

VII. Cardinales creati ab Innoc.

Hoc anno XI. junii Innocentius in Cardinalium ordinem ascripsit viros undecim virtutum laude præclaros, ex quibus octo presbyteri, tres diaconi sanctæ Romanæ ecclesiæ renunciati fuere. Ipsorum nomina ex diario sacri collegii recensentur a Felice Conteloro (c), nimirum Conradus Caracciolus summus pontificii ærarii præfectus tit. S. Chrysogoni presbyter, Angelus Corarius patriarcha Constantinopolitanus tit. S. Marci (d), qui Gregorii XII. sibi ascito nomine Innocentio successit, Franciscus archiepiscopus Burdegalensis tit. SS. Quatuor coronatorum, Jordanus Ursinus archiepiscopus Neapolitanus tit. S. Martini in montibus, Joannes Melioratus archiepiscopatus Ravennas nepos Pontificis tit. S. Crucis, Petrus Cretensis archiepiscopus Mediolanensis tit. duodecim Apostolorum, qui Alexandri V. accepto nomine controversum pontificatum gessit, Antonius de Arcionibus episcopus Asculanus tit. S. Petri ad vincula, Antonius e Calvis episcopus Tudertinus tit. S. Praxedis. Creati diaconi hi fuere: Odo Columna ex protonotario apostolico S. Georgii ad velum aureum diaconus, qui in concilio Constantiensi, redintegrata pristina ecclesiarum occidentalium conjunctione, ad pontificatum evectus Martinus V. appellatus est, Petrus e Stephanescbis pariter ex protonotario apostolico S. Angeli in foro piscium diaconus, & Joannes Ægidius præpositus Leodiensis SS. Cosmæ & Damiani diaconus. Ex his Romanos quinque dignitate cardinalitia ornatos fuisse eo etiam consilio, ut Romani, qui ad seditionem a Columnensibus ostentato libertatis fallaci nomine concitabantur (e), hoc beneficio demulcerentur; sed irrito exitu: *Nec per hoc*, subdit Theodericus (f), *adamantinæ corda ipsorum regentium urbem tunc temporis flectere potuit, ut ab ejus infestatione cessarent, quia latebat anguis in herba; ipse namque Rex Ladislaus desiderans ardenter dominari Romanis, dictos regentes & multos majores de populo, qui Cavalrottæ nuncupantur, corrupit pecunia ut sibi assisterent, quod dominium ipsius urbis quomodolibet sortiretur; & hos corruptos reliquum vulgus propterea multum habebat exosos & provisionatos nominabat, & hæc durabant usque ad quintum diem mensis augusti.*

(c) Contelor. in Innoc. 6.

(d) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 4. in princ.

(e) Innoc. l. 2. pag. 250.

(f) Theod. a Niem. l. 2. c. 36.

Ladislai ad subjiciendam sibi urbem proditio.

Describit eorumdem temporum conditionem accurate Leonardus Aretinus (g), qui horum spectator fuit, ex quo nonnulla decerpsi: *Ego*, inquit, *per hoc tempus ab Innocentio vocatus Romam veni, & quidem in media turbationum maximarum susceptusque benigne a Pontifice, ac honoribus titulisque affectus inter intimos illius familiares haberi sum cœptus. Romæ conditionem rerum hanc offendi. Romanus populus paulo ante receptam immodice quidem exercebat libertatem, ex principibus autem Columnenses & Sabelli plurimum poterant, Ursini vero dejecti, atque suspecti populo, quod Pontifici favere putabantur. Curia sana, plena, atque locuples: Cardinales & multi & magnæ dignitatis; Pontifex apud basilicam Vaticani degebat, cupidus otii & præsente contentus statu, modo frui sineretur, sed tanta perversitas quorumdam potentium in populo Romano, ut nullus quieti relinqueretur locus. Tandem crescentibus suspicionibus & equitatu a Rege submisso, Pontifex quoque auxilia suorum accersere coactus est. Secutæ dehinc majores turbationes*, &c. Addit author, (h), ut Romani pontem Milvium, præsidio pontificio munitum occupare noctu tentarint: quod facinus ausum a Columnensibus queritur Innocentius (i) asperaque commissa pugna fuerint propulsati: cumque postea agitatum de concordia esset, ac duo e septemviris cum aliis novem primariis civibus e pontificio colloquio redirent, Ludovicus e Melioratis Innocentii nepos ipsos, egre uni salute concessa contrucidari jusserit (k), ob quod crudele facinus & populus ad arma coierit, & Pontifex ingenti dolore fuerit affectus, subdit enim Leonardus (l) spectator periculi.

(g) Aret. in hist. rer. Italic. sui temp.

Ursini Pontificis studiosi. Equestres copiæ a Ladislao rebellib. submissæ.

(h) Id. ib. & lib. epist. ep. 4.

(i) Innoc. VII. l. 2. p. 150.

(k) Aretin. in hist. rer. Italic. & lib. epist. ep. 5.

Pontificii nepotis crudele facinus.

(l) Aret. in hist. rer. Italic. sui temp. & ex eo S. Anton. tit. 22. cap. 4. §. 1.

Ædes Pontificis ire perga: ille miro dolore angebatur, res enim tota eo inscio transacta

VIII.

Innocent. Romanorum proterviam deplorat.

facta fuerat, vir pacificus & mitis, a cujus lenitate nihil magis abhorrebat quam caedes & humani sanguinis effusio, multus secum fortunam deplorans suam oculos interdum ad coelum tollens, quasi Deum invocaret testem suae erga populum Romanum innocentiae Pontifex. Insontem ipsum, & inscium indignissimae caedis Theodericus Niemius (a) etiam fatetur, quamvis insito nimium in nepotem amori indulsisse perstringat, ex qua ille indulgentia ad nefaria facinora admittenda abutebatur. Tradit idem authos ut interea crebro ex Capitolina arce campanarum strepitu Romani in arma concitati sint, factoque in viros ecclesiasticos dignitate spectatissimos impetu, ipsos atque etiam episcopos per urbem ad Capitolinos carceres laniatis ad ignominiam vestibus raptarint, ac bonis exuerint: cumque molis Hadrianae praefectus Ladislai Regis auro ac promissis corruptus suspectus esset, neque abundarent commeatus, ac Regis hostilis equitatus immineret, Innocentius furori cedendum decrevit: *Ipse*, inquit (b), *Papa & Cardinales atque alii, pauci tamen curiales cum eis, ab urbe fugientes in fervore diei & aestu versus Viterbium iter agerunt: sed siti adeo angustiati multi fuerant, quod & Papa siti tunc vexatus mortem vix evasit, ac triginta vel circa de comitatu Papae prae sitis angustia decesserant*; [1] nonnullisque interjectis de iis, qui sibi mortem postea immodico frigido potu incaute peperere pergit: *Curiales autem in magno periculo & timore steterunt eadem die post fugam seu recessum dicti Innocentii. Tunc praefatus Joannes de Columna cum suis armigeris dictum burgum intravit, & in eodem palatio quasi per viginti dies stetit a populo Joannes XXIII. ironice appellatus, cujus armiger ac malis Romani & plebeii accedentes ad praedictum palatium & hospitia ac cameras illi contiguas Papae & curialium multos librorum papalium repertos deportarunt, & literas bullatas & aliqua registra supplicationum & literarum papalium laniarunt & de thesauraria papali ultra quinquaginta volumina librorum exportarunt, quae tamen postea tractu temporis camerae dicti Innocentii pro majori parte restituta fuerunt, & quis posset tot crudelitates, & tanta maleficia quae tunc fiebant in urbe satis enarrare* & infra: *insignia dicti Innocentii ubicumque depicta deleverunt, aut cum luto turpiter maculari fecerunt, comminando quod vellent omnino Romanae ecclesiae unionem procurare, ac deinceps dicto Innocentio nullo modo obedire, nec ipsum in Papam habere vel reputare, multaque magnalia se facturos existimabant, ad quae perficienda se nullatenus eorum vires extendebant.*

(a) Theod. a Niem. lib. 2. c. 37.

Romani arma in ecclesiasticos expediunt: Episcopi indigne conjecti in carceres.

(b) Ib. c. 36.

Innoc. ex urbe fuga.

Quanta passus.

Jo. Columna pontificium palatium diripit.

Regesta laniat.

Artoris perduellium facinora.

Edidit proximo anno (c) Innocentius adversum Joannem Columnam judiciarium acta, tum in arcis Hadrianae praefectum Antonellum Thomacellum Bonifacii IX. nepotem (d), qui accepta ab Ecclesia beneficia in furoris arma ad eam oppugnandam verterat, tum in patritios Romanos Neapolitano auro subornatos conjurationis principes, denique in Ladislaum (e) ipsum ingratissimum, qui a Romana ecclesia contra Ludovicum Andegavensem evectus ad solium, atque etiam haud diu ante Campaniae & Maritimae praefectura auctus, ad opprimendam Romam, sibique subjiciendam, primum arcanos instruxit dolos, deinde aperta vi erat grassatus. Devinxerat is sibi venales animos praedicti Antonelli praefecti molis Hadrianae, tum magistratuum qui arcem Capitolinam tenebant, audiensque Romanorum seditione in Pontificem, & suburbanis S. Petri a Joanne Columna una cum pontificio palatio occupatis, adesse tempus putavit, quo Romam regno adjungeret. Perrettum itaque Trojae comitem magnis stipatum copiis submisit, quem a conjuratis exceptum & in suburbana admissum refert Theodericus Niemius (f): sed non sine Dei providentia a Romanis depulsum addit; ex quo totam rem gestam repetemos: *Rex*, inquit, *Ladislaus, cogitans forte quod bonum esset aquis turbidis piscari scientibus artem; instituit tunc Romanorum dominium pro se capere, praefato Joanne de Columna & plerisque tunc regentibus eandem urbem civibus lucri causa in hoc conspirantibus: propter quod Rex infra dies paucos comitem Trojanum cum decenti armorum comitiva in subsidium Joannis & regentium praefatorum, quod dominium pro ipso Rege per eos caperetur, destinavit ad urbem ipsam, qui introivit duobus de praedictis regentibus, & quondam Richardo de Sanguineis Romano ad latus comitantibus &c.* Enarrare pergit authos, ut ii per pontem S. Angeli in interiora urbis loca penetrare nisi sunt, sed a Romanis primum non admissi in suburbium S. Petri retulerint gressus, armisque egregie instructi ad tria hastatorum millia iterum irrumpere per pontem in urbem annisi sint: sed Romanorum diligentia interclusis obseptisque in urbem aditibus, coortoque in spe-

IX.

(c) Lib. 2. pag. 150.

(d) Ib. pag. 155. Bonif. nepos in eccles. ingratus.

(e) Ibid. Ladislai Regis ingrata mens & scelera

(f) Theod. Niem. lib. 2. cap. 37.

Ladisl. auxilia submittit.

Ejus copiae a Romanis propulsatae.

NOTAE [1] Certam diem, qua Innocentius Roma Viterbium secessit, cum in annalibus non indicetur, assignandam hic censeo petitam ex Diario Romano Antonii Petri, de quo in notu ad A. 1404. §. 16. Ita ille: *Ista die* (VI. augusti) *papa recessit, & ivit versus Viterbium, contra suam voluntatem*. MANSI

asperiori certamine, Perrettus Trojæ comes ac Joannes Columna fuerint propulsati.

X. *Tunc Rex ipse Ladislaus*, subdit Theodericus, *ad consequendum hujusmodi temporale dominium Romanum non profecit; sed ipsorum Romanorum animos contra se fortius provocabat. Et hic peractis die immediate sequenti pene totus populus in hac sententia concors remansit, quod præfatum dominium temporale ad Regem Ladislaum nunquam devenire deberet, asserentes quod omnia malo citius pati vellent, quam ei subesse, ipsosque officiales & regentes per triduum in eodem Capitolio continue obsederunt, qui absissi credebant, quod pars dicti Regis infallibiliter prævaleret: cum etiam tunc capitaneus dicti castri S. Angeli partem foveret Regis, ipseque Rex tam grandem exercitum haberet in burgo antedicto, & per faculas ardentes de nocte illi in Capitolio & alii in castro existentes mutuo sibi signa dedere: sed frustra, quia animis tunc contra eos prævaluit concordia civium; unde ipsi in Capitolio circumvallati tandem tradiderunt Capitolium salvis personis & rebus eorum: quod populus libenter acceptavit, & habito per populum Capitolio priores officiales destituerunt & ais tres regentes, quos bonos viros appellarunt, in eodem regimine surrogarunt. Qui consultius & mitius agentes cum captivis & detentis curialibus in Capitolio ipsos cum bono moderamine a captivitate hujusmodi liberarunt, inter quos erant patriarcha Gradensis, qui infra paucos dies postea decessit, Norwicensis & quidam alii episcopi, necnon plures magnæ auctoritatis viri forsan quinquaginta numero, qui omnes fuerant curiales: bona vero ipsis ablata curialibus, ubilibet per urbem tunc temporis per Romanos procurantibus & disponentibus tribus regentibus, præter spem omnium magna ex parte restituebantur illis, quibus ablata fuerant; & hoc contigit tum cognovissent Romani, quod Innocentius valde increpasset Ludovicum, quod tantam stragem de Romanis fecerat, ut præfertur, asserens quod Ludovicus omnibus malis, quæ propterea Papa & Cardinales necnon curiales ipsi passi erant, causam dedisset.* Pergit auctor enarrare, ut Perretus Trojæ comes Ladislai copiarum dux urbis subigendæ spe delusus abscesserit, atque in circumjecta urbis loca impetum suum converterit, ac late obvia quæque abductis ecclesiarum & monasteriorum animalibus, sit populatus: Joannes vero Columna, cum dies viginti in suburbio S. Petri hæsisset, imminentibus jam pontificiis copiis, quæ Paulo Ursino & Muscharda ducibus Viterbio erant submissæ, in fugam pariter se conjecit. Recepto itaque suburbio S. Petri & Capitolio, moles tantum Hadriana, cui ut

Capitolinum magistratus cum arcis Hadr. præfecto sentiunt.

Perduelles à populo expugnati.

Liberati e carceribus præsules.

Comes Trojæ pulsus iras effundit in eccles.

Paulus Ursinus pontificii exercitus dux.

dixi, Antonellus Thomacellus præerat, in hostis Ladislai potestate perstitit (a); ea qua Romæ graviora damna illata sunt. Creatus vero ab Innocentio est urbis senator Franciscus e Panciaticis nobilis Pistoriensis, ut eam adversus Ladislai conatus tutaretur, pacemque inter cives componeret; ad quem datum extat hoc diploma (b).

(a) Innoc. l. 2. p. 130.

Moles Hadriana in Pontificem pro Ladislao rebellat.

(b) Lib. 5. p. 325.

Dilecto filio nobili viro Joanni Francisco de Panciaticis militi Pistoriensi almæ urbis senatori, &c.

De almæ urbis statu, ut cultus ibidem justitiæ vigeat, & pacis tranquillitas amplietur præstante Domino, prospere dirigenda, tanto amplius sollicitudo nos urget & angit, quanto illam ardentiori charitate prosequimur, ipsa enim orbis quondam domina & magistra leges condidit, quibus possit regi salubriter & feliciter gubernari bonis præmia, inquietis supplicia executo judicio impendentes. De tua igitur nobilitate atque prudentia gerendarumque rerum experientia ac fidei puritate sumentes in Domino fiduciam specialem quod ea, quæ tuæ sinceritati committenda duxerimus, promptis affectibus & exacta diligentia salubriter exequeris, tibi tuo durante officio contra omnes & singulos laicos cujuscumque status præeminentiæ, dignitatis seu conditionis extiterint, seu existant, qui quomodumque & qualitercumque hactenus contra statum honoremque nostrum & Romanæ ecclesiæ sponsæ nostræ, seu contra præfatam urbem ejusque tranquillitatem & bonum conjunctim vel separatim aliquid non solum facere; sed attentare quomodolibet præsumpsissent seu præsumerent, aut facerent in futurum, animadvertendi, & punitiones reales & personales fieri faciendi, exequi mandandi ac etiam illos qui ad crimina vel delicta patranda dedissent & dabunt auxilium, consilium vel favorem æquali pœna tanquam principales malefactores puniendi, & infra, *auctoritate apostolica jurisdictionem & potestatem omnimodam, ac plenum & liberum arbitrium concedimus per præsentes sententias sive pœnas quas vigore hujusmodi arbitrii tuleris, seu statueris in rebelles ratas & gratas habebimus; illasque faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. Viterbii xiii. kal. novembris pontificatus nostri anno primo.* De conciliatis Innocentio Romanis proximo anno agemus: nunc ad immanes schismatis turbines, qui fluctuantem Petri naviculam magna vi concussere, narrationem traducimus.

Jo. de Panciaticis creatur urbis senator.

Jussus in conjuratos legum severitatem adhibere.

Amplissimis instructus mandatis.

XI. Instructus dolis ac impietate Petrus e Luna antipapa, cum facillime, positis falsæ dignitatis insignibus, pacem restituere Ecclesiæ posset, varias ambages ad fallendam piorum expectationem quærebat, ac superiori anno, ut vidimus, miserat oratores

Antipapæ doli.

tores non qui cessurum ipsum sponte cedente Bonifacio pollicerentur, sed de colloquio quodam faciendo, in quo æmulum dolo aut vi opprimere præsidebat, agerent; iique Cardinalibus extincto Bonifacio ad creationem novi Pontificis differendam paratis, si Petri e Luna nomine, honore illum coabiturum profiterentur, ad id pollere se authoritate negarunt, impudenterque addidere id, ejus dignitati non congruere. Creato postea Innocentio, cum vana tantum jactarent verba, Pontifex iis responderat, indictam a se ad proximas kal. novembris synodum, in qua suorum consilia audiret: denique iis obstrepentibus, ac fidem publicam sibi dari poscentibus, respondit tandiu negatum iri, donec non vana & insulsa, ut antea, sed quidpiam efficax ad instaurandum ecclesiarum fœdua afferrent: id vero erat hujusmodi, ut Innocentius ac Petrus e Luna papalia exuerent insignia, quo alius communibus suffragiis in concilio œcumenico renunciaretur Romanus Pontifex. At cum Petrus ab hac re penitus abhorreret, ejus oratores impudentissima mendacia diffundere non erubuere, quæsitos a se omnes tollendi schismatis modos, ac tum Bonifacio tum Cardinalium collegio ad evocandum in unum gregem dominicum, voluntariam de gradu papali abdicationem obtulisset, postremo etiam Innocentium repetitis vicibus de conjungendis Ecclesiis solicitasse neque ipsum ad id flectere potuisse. Cum itaque antipapa impostorum opera Romanam ecclesiam in invidiam adduceret, Innocentius re in lucem veritatis prolata schismaticorum artes dissolvit, ac Florentino & Fesulano episcopis injunxit(a) ut eadem de re subjectas literas divulgarent.

Ejus oratorum deliria.

Responsum Innoc. ad vana eor. petita.

(a) Lib. 1. ep. cur. p. 234.

Venerabilibus fratribus Jacobo Florentino ac fratri Jacobo Fesulano episcopis, ac dilecto filio Lucæ sacræ theologiæ magistro ordinis Humiliatorum, ac decano dilectorum filiorum magistrorum sacræ theologiæ in civitate Florentina existentium salutem, &c.

XII.

Falsa jactata a Petri e Luna oratoribus.

Nuper ad audientiam nostram relatio fidedigna perduxit, illos supplantatores ac nuntios reprobos iniquitatis alumni Petri e Luna olim S. Mariæ in Cosmedin diaconi Cardinalis nunc antipapæ, qui se Benedictum XIII. ausu sacrilego nominare præsumit, ad præsentiam felicis recordationis Bonifacii Papæ IX. prædecessoris nostri de Massilia transmissos, tam in Florentina quam in nonnullis aliis civitatibus, terris, & locis Italiæ atque Galliæ publice retulisse pro remotione & extirpatione damnabilis schismatis ex Dei Ecclesia, pro parte illius qui eos transmiserat eidem prædecessori nostro, ad hoc, ut unio sequeretur obtulisse omni via, etiam cessionis, & renuntiationis, eorum dominum, prout videretur expediens, consensurum; & cum præfatus prædecessor noster oblatas vias & modos possibiles nullatenus acceptasset, demum eodem prædecessore nostro, sicut Domino placuit vita functo, post assumptionem nostram ad apicem summi apostolatus salvum conductum, ut hujus rei gratia ad nostram possent venire præsentiam, per dilectos filios priores artium & vexilliferum justitiæ præfatæ civitatis Florentinæ cum instantia postulatum, per nos fuisse penitus denegatum, sicque tam prædecessorem nostrum quam nos denegasse conclusionem desiderabilem tanti boni. Nos igitur attendentes quanti sit discriminis, nisi mentes, quæ falsa suggestione informantur, interdum veritatis lumine illustrentur præmissorum seriem per literas nostras, & ut & possitis maledicta refellere, & imbutas inique mentes ad viam veritatis reducere, præsentibus sub compendio duximus intimandum, quod præfati, qui fuerunt de Massilia transmissi, eidem prædecessori nostro unicam conventionis personalis viam dumtaxat omnium aliorum inclusivam eorum judicio, & nullius exclusivam substantialiter obtulerint: quam cum idem prædecessor noster adversa depressus valetudine, ex qua infra dies paucos migravit ad Dominum, adimplere non posset, & eodem viam universæ carnis ingresso, cum mens totius sacri collegii venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, esset circa remotionem hujusmodi schismatis, vocati fuerunt ad præsentiam dicti sacri collegii præfati qui de Massilia venerant, & cum interrogati essent, an ad cedendum & resignandum nomine eorum domini mandatum haberent sufficiens & cederent, nam firmi erant propositi collegium ipsum cessione pacta ad electionem novi Pontificis non procedere, Altissimo inspirante, donec salutaris provisio fieret, in re ipsa responderunt se mandatum ad rem ipsam non habere, nec juri eorum domini convenire. Ex quo factum est servatis solemnitatibus debitis, ne Ecclesia ipsa sui pastoris deploraret incommoda, Spiritus Sancti gratia assistente propitia, nos in patrem & pastorem eligi: cumque post assumptionem nostram hujusmodi salvum conductum peti fecissent de Florentia, ut præfertur, responsionem dedimus ad petita, quod cum nostræ intentionis existeret, prout existit, ut hujusmodi horrendum & detestabile malum tolleretur ex toto, Regibus, prælatis, atque principibus & communitatibus nobis & Romanæ ecclesiæ devotis, quos præsens etiam tangit negotium, tam per literas quam nuntios intimaverimus requirentes eosdem, ut usque ad festum omnium sanctorum venirent vel mitterent ad nostram præsentiam ad consulendum de & super viis, modis, & formis honestis, congruentibus, atque justis circa remotionem hujusmodi schismatis per nos servandis & requisitorum circa materiam hujusmodi audire consi-

Innoc. adversus eorum technas apologia.

Obtulit tantum Petrus e Luna colloquium futile.

Ejus oratores interrogati num de cessione pacisci vellent, negarunt posse.

Audito responso Cardd. Innoc. delegere.

Nova antip. oratorum petita.

Indictum ab Innoc. concilium.

Responsum ontip. ut de cessione pacificatur.

lia, sicque illos de Massilia directos super aliis expositis, nisi de novo quod efficaciter rei convenirer haberet nosceremus, cursum audire supervacaneum arbitrabamur & salvum conductum propterea destinare: sed si circa materiam hujusmodi effectivum aliquod nosceremus declarari, tam ipsis quam aliis salvum conductum & securitatem concederemus, ut tam salutaris conclusio sequeretur prout in nostris super inde confectis literis plenius continetur.

* XIII. Jussi Florentinus & Fesulanus episc. veritatem denunciare.

Et quoniam veritas, quæ non defrustatur opprimitur, fraternitati & devotioni vestræ & aliorum Christifidelium earum præfatarum seriem tenore præsentium declarare decrevimus, vobis nihilominus fratres episcopi, & dilecte fili magister, & cuilibet vestrum in virtute sanctæ obedientiæ committentes ac etiam injungentes, quatenus convocatis conjunctim vel separatim per vos vel aliquem vestrum universis & singulis provincialibus, ministris, guardianis, & prioribus ac magistris in sacra pagina ordinum quorumcumque, & ecclesiarum prælatorum in præfata civitate Florentina existentibus tam præsentibus quam futuris, in locis, de quibus vobis vel alicui vestrum videbitur, velitis & debeatis hujusmodi facti veritatem seriosissime declarare: & ut religiosas & ecclesiasticas quascumque personas, & etiam laicales in prædicationibus & tam publice quam private & aliis modis omnibus, de quibus discretioni vestræ videbitur, velint & debeant super præmissis omnibus & eorum circumstantiis summa cum diligentia exprimere veritatem, ut mentes quæ perversa suggestione fuerant aliter informatæ circa veritatem plenarie eruditæ agnoscant se falsis suggestionibus informatas, & detectorum malitiam ad supplantandum fidelium mentes contra nos & Ecclesiam sponsam nostram semper deditam & intentam, super quibus omnibus vobis & vestrum singulis concedimus tenore præsentium plenariam facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum IX. kal. maii pontificatus nostri anno primo.

XIV. Non destitit iterum Petrus e Luna Innocentium dolis lacessere ac fatigare, ut suos oratores audiret: *Statim post festum S. Michaelis*, inquit Theodoricus Niemius (a), *iterum Petrus e Luna eumdem Innocentium sollicitari fecit in Viterbio, quod daret salvumconductum quibusdam suis nunciis, qui secum de facienda dicta unione aliqua tractare deberent: dictus autem Innocentius credens*, nimirum ex perspicuis argumentis, *quod præfatus Petrus illud non corde peteret, sed callide, dictum salvum conductum dare denegavit; propter quod Petrus tali occasione captata contra ipsum Innocentium querulando, seque excusando quod non staret per eum, quin unio fieret, diversas epistolas satis comptas ad diversa loca insignia destinavit; contra quas idem Innocentius longiores contrarias dictari fecit epistolas, quas in diversis locis per Italiam fecit publicari; sicque ipsi tunc errantes invicem de papatu, & tenentes tempus ne cedere cogerentur, scripturis se mutuis ludificarunt.* His extremis verbis author calumniam imponit Innocentio, dum eum pseudopontificis vitii participem fecit. De Petro quidem e Luna numquam ipsum voluisse gradu cedere constat: at de Innocentio jactari non potest, quem jure adversarii fallacibus petitis repulsam dedisse exploratum est; maxime cum synodum catholicorum ad kal. novembris indixisset: quæ cum ob Romanorum seditionem, ut vidimus, supersedentibus itinere præsulibus & oratoribus principum, disturbata esset, illam ad kal. maji proximi anni extraxit (b).

(a) Theod. e Niem. l. 2. c. 38.

Nuvæ ontip. artes.

Denegatus ejus oratorib. juste libes commeatus.

Disturbatum concilium ob seditiones urbanas.

(b) Inn. l. 1. p. 345.

Ad futuram rei memoriam.

XV. Candida Inn. pro sedando schismate vota.

Intenta salutis operibus Apostolicæ sedis copiosa benignitas, & summovendo noxia & augendo profutura, illa semper exequitur, quæ ad salutem cunctorum Christifidelium in Domino conspicit salubriter expedire; cum itaque nobis cordi semper fuerit, & etiam dum eramus in minoribus constituti novit ille, qui cælum terramque regit prout ad præsens existit, ut hoc pestiferum & horrendum schisma, quod peccatis exigentibus, ac mundo posito in maligno tantis retrolapsis temporibus, proh dolor! in Dei Ecclesia damnabiliter viguit atque viget, modis honestis, salutaribus, atque justis de medio tolleretur, ut depulsis errorum tenebris oberrantes ad viam veritatis & vitæ prona devotione redirent, idque supremis desideriis exoptantes, postquam divinæ sapientiæ inscrutabilis altitudo consilii in terris regimini universalis Ecclesiæ nos præfecit, de fratrum nostrorum præfatæ ecclesiæ Cardinalium consilio Reges, prælatos, principes, ac universitates nobis & eidem Ecclesiæ devotos pariter & fideles per solemnes nuntios nostros & literas duximus paternis affectibus exhortandos ac etiam requirendos, ut ad præsentiam nostram ubicumque residentiam cum nostra curia faceremus usque ad festum omnium sanctorum tunc proxime sequuturum personaliter, si commode possent venire, seu autem eorum idoneos oratores & nuntios vellent & deberent transmittere ad consulendum de ac super modis honestis, congruentibus, atque justis per nos, Deo auxiliante, servandis circa extirpationem schismatis antedicti; postea ob causam, quæ die sexta mensis augusti proxime elapsi emersit in alma urbe, cum recessissemus ab ea de civitate nostra Viterbiensi ubi cum curia nostra residebamus prout residemus ad præsens, putantes virorum formidanda discrimina famamque casus hujusmodi ad partes non solum finitimas, sed remotas, ut fit, celeriter pervolasse ac deterruisse, retraxisseque pariter mentes Regum, prælatorum,

Indicta ob eo synodus œcumenica.

Seditio sexto augusti contigerat.

prin-

principum & universitatum hujusmodi ab adventu sui transmissione nuntiorum ipsorum circa tam salutare negotium mittendorum, dictum festum omnium sanctorum ad festivitatem instantem de proximo beati Martini decrevimus prorogandum, requirentes nonnullos prælatos in Italiæ partibus constitutos, ut ante dictam festivitatem B. Martini si securitate captata, super quo cujuslibet conscientiam onerari providimus, commode venire possent, vellent ad consulendum super tam salubri materia ad præsentiam nostram accedere: impedimento vero existente legitimo quid secundum Deum & sui maturitatem consilii in re ipsa videretur agendum per suos fideles nuntios nobis intimare celeriter procurarent, ut Regum, prælatorum, principum, universitatum, & singularium personarum nobis & ecclesiæ præfata fidelium salutaribus intellectis consiliis, ad illa possemus intendere per quæ extirpatio hujusmodi schismatis divina super illustrante clementia sequeretur, prout in nostris super & inde confectis literis seriosius continetur.

Extincta ob eam ad festum S. Martini.

XVI.
Perturbati ob tumultus urbanos episcopi.

Nunc autem fidedignis relatibus & multorum scriptionibus de remotis & propinquis partibus intellecto quod rumor dicti casus & recessus nostri ab urbe præfata, ac discriminosorum itinerum formidanda pericula impedimenta præcludant circa adventum & transmissionem eorum, qui venire vel mittere ad exhibitionem talis consilii per nostros nuntios & literas ut præmittitur, fuerint requisiti, quamvis nonnulli ex vocatis de proximo venerint, nos qui, nil ardentius exoptamus aut desiderabilius cupimus, quam ut malum hoc pestiferum detestabilis schismatis de vinea Domini nostris temporibus extirpetur, ut tam acceptum Deo & mundo negotium suo frustretur effectu, ac exoptantes, ut pro eis gravitate numero consilia exhibentium, ac eorum maturitate talis corroboretur materia, necnon considerantes impedimenta hujusmodi rationabilibus causis emersisse, in virtute Altissimi, cujus res agitur, ut de eorundem fratrum nostrorum consilio ad veniendum seu transmittendum ad consulendum non per viam generalis concilii, sed particularis & fidelis consilii super tam saluberrimo negotio, ut & temporis brevitas non obsistat, & securitate itinerum divina suffragante gratia, prout speramus & cupimus, possit interim provideri terminum ipsum usque ad kal. maii proxime futuri cuicumque venire aut destinare volenti, super quo etiam cujuslibet conscientiam oneramus, & ad exhibendum hujusmodi consilium rursum duximus tenore præsentium præfigendum, declarantes nihilominus quod cuilibet juxta sibi traditam ab Altissimo facultatem, securitate ac opportunitate captatis quandocumque sibi occasio aderit, & ut nulli ex præfixione decreti specifice termini insidiandi accedentibus aut malignandi in itinere præbeatur habilitas, veniendi ad præsentiam nostram præmissorum occasione sit tributa potestas, nos enim quoslibet & quandocumque venerint paternis prosequemur affectibus, & audientiam tam grate quam benigne tuentes desideriis impendemus, ut tam saluberrima fidelium gregi materia, illo desuper inspirante qui indirecta dirigit & aspera in vias planas, modis profuturis & debitis valeat sicut expedit in Domino, terminari. Nulli ergo &c. Datum & actum Viterbii XII. kal. decembris pontificatus nostri anno I.

Prorogatum ad kal. maji proximi anni concilium.

XVII.
Antipapæ in Italiam accessus.

Eo major cogendæ ab Innocentio synodi premebat necessitas, quo antipapa suo in Italiam adventu Romam intercipere, & aliquam rei catholicæ perniciem inferre moliebatur (a): illum enim appulisse hoc anno Genuam, tradunt Juvenalis Ursinus (b) & Genuenses scriptores (c), atque maximis honoribus exceptum, [1] cui nimirum se a schismaticis subornari atque a veri Pontificis obsequio abduci essent passi; quorum exemplo paulo post Pisani corrupti, de quibus hæc S. Antoninus refert (d): *Oratores Regis Fran-*

S 2 cia

(a) *Juv. Urs. in Car. VI. hoc an. & S. Anton. 3. p. tit. 22. cap. 4. in princ.*
(b) *Juv. ib.*
(c) *Bizar. hist. Genuen. lib. 10. & Foliet. lib. 9.*
(d) *S. Anton. ubi sup.*

NOTÆ

[1] EA quæ hic narrantur de Genuensium defectione ad Benedictum emendanda, supplenda, atque illustranda suppetunt ex annalibus Genuensibus Georgii Stellæ, qui per hæc tempora Genuæ agebat. Eo teste discimus anno præcedenti die XXVI. octobris populo sacri æris pulsu convocato palam annunciatam fuisse a Romano pontifice ad Benedictum defectionem, quæ opera Ludovici cardinalis de Flisco potissimum sollicitata est. Nam cardinalis ille non ante multos dies, abjecta cardinalium Romanorum societate, ad Benedictum transierat, a quo purpuram obtinuerat. Verum licet archiepiscopus & clerus cum gubernatore & civibus nonnullis, defectioni illi faverent; reliquus tamen populus Romano potius pontifici, quam Avenionensi studebat. Id vero planum factum est cum appellens Genuam Benedictus, die XII. maii anni sequentis 1405. ab archiepiscopo quidem, clero, urbisque præfecto summo honore exceptus fuit, sed populi concursus rarus est factus. *Virorum ac mulierum ad spectandum dictum summum pontificem venientium multitudo non fuit.... nam*, addit Stella, *fere omnes tam clerici, quam sæculares & mulieres, licet ipsum Benedictum valde plures diligerent, causis prolatis* (nempe ut paulo superius notaverat; *quod fuerit vitæ laudandæ*) *verumque adesse papam ostendant, tamen Innocentium qui apud Romam residet, verum putant summum esse pontificem, & Benedictum nequaquam.*

Eodem pariter anno quo Genuenses Avenionensem pontificem agnoverunt, Pisani quoque Romani pontificis partes abjiciendas censuerunt, quibus rebellionis authorem, & ducem urbis princeps Gabriel Maria Galeatii vicecomitis filius spurius se præbuit. Hæc omnia Sozomenus Pistoriensis in specimine historiæ Pistoriensis vulgato Rer. Ital. to. XVI. MANSI

Genuenses in schisma prolapsi.

cia Genuam advenerunt, & tantum operati sunt & persuaserunt, ut communitas ipsa Genuensis cum archiepiscopo suo & cum Cardinale de Flisco, qui ibi erat pro Romano Pontifice, omnes subtraxerunt se ab obedientia pristina erga Romanum, adhaerentes Benedicto ut vero Pontifici: quod magis imputatum est ad levitatem, quam veritati melius cognitae. Iidem oratores Regis Franciae inde profecti Pisas, ad idem reduxerunt Pisanos cum domino suo Gabriele Maria filio illegitimo ducis Galeatii; unde & per civitatem ipsam & per totum territorium ejus divulgatum fuit & mandatum, obedientiam remotam & ablatam ab Innocentio dari & offerri debere Benedicto. Non multo post Benedictus, postquam cognovit Genuam ad devotionem suam & obedientiam conversam, illuc profectus est cum curia sua, ut valeret jurisdictionem suam aptius ampliare, qui honorifice ut summus antistes susceptus est a Genuensibus & veneratur.

Divina in utrosque vindicta.

Haud impune Genuenses ac Pisani tulere flagitium; Genuenses enim dira lues post antipapae adventum confecit (a), ut is illius terrore perfusus Massiliam regredi coactus at (b): Pisani autem, qui imperio Gabrielis Mariae Jo. Galeatii Vicecomitis ducis Mediolanensis nothi filii conferentis se ad firmandum dominatum suum in Gallorum Regis clientelam a Pontifice defecerant, hoc anno excussere jugum ejusdem Gabrielis, a quo tum principatus Pisanus Florentinis divenditus est. Recepta itaque ab iis arce Pisani in Florentinos praesidiarios vertere arma, illaque recuperata (c), mox bello a Florentinis petiti sunt (d), in eorumque servitutem proximo anno adducti fuere (e): Gabriel vero Maria cum maxime Gallorum, quibus Liburnum tradiderat, amicitiae praefideret, triennio post Genuae de novarum rerum crimine postulatus capituli supplicio est affectus. Interea Innocentius, ut Petri e Luna grassationes comprimeret, creavit (f) sedis Apostolicae legatum in Liguria, in Insubria, atque in Aquilejensi & Gradensi patriarchatibus Petrum basilicae XII. Apostolorum presbyterum Cardinalem, qui ut ante significavimus, ambiguum pontificatum in Pisano conventu Alexandri V. nomine sibi indito, corripuit.

(a) *Bizar. Genuens hist. l. 10.*
(b) *Foliet. l. 9.*

Gabriel Maria principatum evertit dum ad eum firmandum fit schismaticus.

Pisae Florentinis venditae.

(c) *S. Anton. 3. p. tit. 22. §. 2.*
(d) *Ib. §. 4.*
(e) *Theod. a Niem. l. 2. c. 40.*

Infelix ejus exitus.

(f) *Innoc. ep. cur. l. 1. p. 248.*

Dilecto filio Petro basilicae XII. Apostolorum presbytero Cardinali
A. S. L.

Petrus Card. creatus legatus ab Innoc.

Quamvis universis & singulis regionibus Deo & apostolicae sedi devotis favorem apostolicum, quoties necessitas ingruit, impendere debeamus, & ad eas nostrae mentis diffundamus intuitum, levando in circuitu vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos, visuri quid gregi commisso nobis expediat, & quid operis impendi debeat circa ipsum, & ipsius fulti praesidio cui cogitationes hominum praeparantur, quique fortium actus superat & infirmos robore potenter accingit, ministerii nostri sollicitudinem ad ea praesertim, quae fidelibus populis necessario expedire videremus & noverimus profutura salubriter & utiliter exponamus, in praesentiarum tamen patriarchatum Aquilejensis & Gradensis civitatum, dioecesum, provinciarum Mediolanensis ac Januensis necessitates praecordialiter intuemur, meditationibus laboriosisque vigiliis insudando, ut eisdem in hujusmodi necessitatum articulis & maxime ut assistentiam tam spiritualis quam temporalis circa tranquillitatem illarum partium in cunctis opportunitatibus, quibus valeat efficacius exhiberi opportune adhibeatur Domino auxiliante, consilium salubreque remedium impendatur: unde cum hostis humani generis pacis aemulus & zizaniae seminator ab olim in eisdem partibus turbationes & scandala suscitaret, ex quibus provinciae ac partes ipsae sunt depressae, vastatis fidelium bonis, ecclesiarum & locorum direptis juribus, pessumdata damnabiliter ecclesiastica libertate, ac subsecutis exinde animarum periculis deplorandis, personarum nefandis excidiis, & aliis fere innumeris detrimentis; nos exinde graves & amaras gessimus & portavimus in mente nostra puncturas, dum miserabilis illarum provinciarum & partium conditio & commissorum inibi enormitas excessuum infra nostra praecordia revolvuntur: & utinam desuper datum esset, ut cum honore Dei & Ecclesiae & aliorum salubri statu fidelium posset commode circa tantum negotium exhiberi nostra praesentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi praesentialiter nostrum desiderium panderemus. Sed quia id conditio nostra non patitur, & innumera negotiorum undique concurrentium varietate distrahimur, illos in partem apostolicae sollicitudinis de latere nostro assumimus quibus fore percepimus coelesti dono provisum ut altis & arduis negotiis sciant & possint consulere prompta ac utilia consilia providere &c.

In Insubria & Liguria schisma ingravescit.

Instruit illum amplissima authoritate, ut rem ecclesiasticam in pristinam dignitatem revocaret.

Attendentes itaque quod personam tuam Altissimus gratiarum dominus, scientiarum magnitudine, providentiae munere, circumspectionis gratia, industriae claritate, multisque virtutibus insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adjiciens ut ad laudem sui nominis frequenter onera grandia supportares; plenissimam quoque notitiam de tuis meritis obtinentes, licet apud sedem Apostolicam ex eminentia tui consilii valde necessarius habearis, nosque inviti quodammodo tanti viri praesentia careamus, tamen propter urgentem & inevitabilem necessitatem provinciarum & partium hujusmodi, speramus in praedictis per tuam in-

industriam circumspectam, illo tibi auxiliante qui potest salubriter consulere & utiliter subvenire ad præfatas provincias utque partes, commisso tibi plena legationis officio, in provinciis ac partibus ipsis, ut in eis evellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes, & statuas in nomine Domini sicut videris expedire; de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum destinamus; injuncto tibi nihilominus, ut in provinciis & partibus memoratis inter ecclesiasticos & mundanos viros, & universos alios cujuscumque conditionis, præeminentiæ, & status agas & tractes quæ ad cultum Dei & prædictæ sedis honorem, observantiam, ecclesiasticæ sanctionis integritatem, ecclesiasticæ libertatis robur, prosperi status & provinciarum prædictarum & partium, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, & animarum salutem ac tranquillitatem corporum pertinebunt. Et ut circa legationis hujusmodi quod in provinciis ac partibus supradictis tibi duximus committendum, eo possis prosperari facilius, quo more solito legatorum qui missi de latere transeunt adornati insigniis, personam nostram quodammodo præsentabis, de speciali gratia apostolica tibi auctoritate concedimus, ut eisdem insigniis infra prædictas provincias ac partes dumtaxat uti libere valeas prædicta legationis officium prosequendo, ita tamen, quod præmissis insigniis in aliis commissis partibus, provinciis, & locis aliquatenus non utaris, ut id quod in hac parte tibi pro evidentibus necessitatibus & utilitatibus provinciarum ac partium prædictarum ac civitatum & terrarum earumdem conceditur, ad aliquam consequentium prætextu concessionis hujusmodi in provinciis, partibus, civitatibus, & terris eisdem propter hoc in posterum non trahatur in exemplum, &c. Datum Viterbii III. id. septembris pontificatus nostri anno primo.

Afferendæ rei ecclesiasticæ legatus dare operam jussus.

XVIII. Contulit etiam Innocentius legato amplissimam potestatem (a), ut adversus antipapam fœdera cum Regibus, principibus, cæterisque nobilibus viris, ac populis Apostolicæ sedis nomine sanciret; cum in illos animadverteret, qui ad pseudopontificem descíscerent. Jussus (b) præterea est legatus schismaticos cum Ecclesia conciliare, ubi ab iis conceptum hisce verbis fidei sacramentum exegisset.

(a) *Lib.* p. 58. Alia mandata ipsi tradita.

(b) *Ib.* p. 55.

Formula damnandi schismatis.

Ego comperto divisionis & schismatis laqueo, quo tenebar, participando etiam in crimine credentibus, faventibus, & adhærentibus damnatæ memoriæ Roberto olim XII. Apostolorum presbytero Cardinali tunc antipapæ, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominabat; & perditionis filio Petro de Luna olim S. Mariæ in Cosmedin diacono Cardinali, qui se Benedictum XIII. temere nominare præsumit, ipsique & aliis credentibus, faventibus, receptatoribus, adhærentibus, defensoribus, complicibus, & sequacibus eorumdem præstando auxilium, consilium, vel favorem, & propterea nunc diutina mecum deliberatione pertractans, prona & spontanea voluntate ad unitatem sedis Apostolicæ divina gratia reversus fateor publice me errasse, & de præsenti tenere fidem catholicam, ac credere & tenere quidquid credit & tenet & docet sancta mater Ecclesia, cui præest dominus Innocentius divina providentia Papa VII. & quod idem dominus Innocentius fuit & est verus Romanus Pontifex & verus vicarius Jesu Christi, Petrique successor canonice electus, inthronizatus, & coronatus in Romanum Pontificem per Cardinales, ad quos, vacante sede per obitum sanctæ memoriæ Bonifacii Papæ IX. electio, inthronizatio, & coronatio pertinebat, quodque neuter Roberti & Petri prædictorum fuit, prout idem Petrus non est Papa, sed antipapa, apostaticus & schismaticus manifestus; & quod ipse tamquam antichristus, invasor, & destructor totius Christianitatis, & a limitibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus, & a Christifidelibus persequendus est, & quod tam ipsi Robertus & Petrus, quam omnes eis in hac parte adhærentes, credentes, receptatores, defensores, complices, fautores, & sequaces eorumdem fuerunt & sunt veri schismatici, apostatici, excommunicati, anathematizati, ac divisi, & separati a communione fidelium & ab unitate sanctæ Dei Ecclesiæ, & tamquam hæretici pœnas & incidisse in pœnas & sententias tam a jure quam ab homine in talia perpetrantes promulgatas, in dictis processibus contentas & declaratas.

Et ne simulate reversus existimer sub honoris mei casu & anathematis obligatione & sub pœna, quæ relapsis a jure vel ab homine imponi debet, anathematizo & abjuro omnem hæresim & schisma & nominatim damnatum schisma, credentium, & adhæsionem hujusmodi adhærentium Patri prædicti, & me ad idem schisma, de quo Redemptoris nostri gratia ereptus sum, numquam reversurum, sed semper in unitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ cui præest præfatus dominus noster dominus Innocentius Papa VII. mansurum: ac sponte promitto & non ficte, sed voluntarie & sincere juro ad sancta Dei evangelia corporaliter per me tacta, quod stabo & parebo mandatis Ecclesiæ & dicti domini Innocentii Papæ VII. super rebellionibus, fautoriis, ac cæteris pœnis & sententiis, quas ob præmissa & ea contingentia incurri, & quod dicto domino nostro Papæ & ejus successoribus canonice intrantibus obediens & fidelis de cætero ero, & eis reverentiam debitam exhibebo, &c. Reliqua conceptæ jurisjurandi alias in Urbano VI. allatæ consentiunt.

In Germania regnoque Bohemiæ schisma-

Wencesl. ad antip. odio Bonifacii spectat. (a) Ib. p. 285.

ma lea pestis latius sese proferebat Wenceslai Regis improbitate, qui ob præreptum sibi Romanorum sceptrum in Pontificem conjurarat: quare Innocentius Sbinkonem archiepiscopum Pragensem (a) in schismaticos, qui ad Petrum e Luna desciverant, provincialem synodum cogere, & canonicarum legum severitatem adhibere jussit.

Venerabili fratri Sbinkoni archiepiscopo Pragensi.

Pragensi archiep. synodum celebrare.

Attendentes tuæ fraternitatis diligentiam, quam ad statum & honorem nostrum & Romanæ ecclesiæ experimenta multiplici & fidedignorum testimoniis te semper habere cognovimus, ut illa possis erga statum & honorem nostrum & præfatæ ecclesiæ, & ad reductionem oberrantium & se subtrahentium quomodolibet ab obedientia & devotione nostris & præfatæ ecclesiæ, & ad nostrum & ejusdem ecclesiæ gremium redintegrationem, & pro statu ecclesiæ tuæ profutura cognoveris, ubi & quando eidem tuæ fraternitati expedire videbitur ad proximam provincialem synodum per eandem fraternitatem tuam celebrandam ad te convocandi venerabiles fratres nostros episcopos suffraganeos tuos, & dilectos filios abbates, præpositos, decanos, archidiaconos, archipresbyteros, & alios prælatos & personas ecclesiasticas saculares & regulare, exemptos & non exemptos; capitula quoque quarumcumque ecclesiarum, necnon domorum hospitalis S. Jo. Jerosolymitani, B. Mariæ Theutonicorum, Calatravensium, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, & Humiliatorum, S. Benedicti magistros, priores, præceptores, & quorumcumque aliorum ordinum fratres tuæ provinciæ & generaliter & specialiter injungendi & imponendi eis & cuilibet ipsorum quæ in favorem nostrum & Romanæ ecclesiæ, ac etiam contra asserentes damnatæ memoriæ Robertum olim basilicæ duodecim Apostolorum presbyterum Cardinalem, qui se Clementem VII. ausu temerario nominare præsumpsit, ac sequaces & fautores eorundem, ac eisdem adhærentes videris expedire; contradictores insuper & rebelles ac inobedientes authoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante si eis vel eorum aliquibus conjunctim vel divisim indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca convocari aut trahi non possint; & infra, plenam & liberam hac vice dumtaxat tenore præsentium concedimus facultatem. Dat. Romæ apud sanctum Petrum VIII. kal. julii pontificatus nostri anno I.

Data illi provincia ut in antipapæ studiosos animadverteret.

Celebratam etiam a Sbinkone archiepiscopo adversus novos Wicleffi sectatores, qui in Bohemia pullularant, synodum dicetur inferius. Nunc res Gallicas prosequimur.

XIX. Caroli VI. Regis calamitas. (b) Juv. Urs. in Car. 6.

Tristissima erat earum facies, Carolus enim Rex mania & pediculis e sordibus scaturientibus, & fame lupina laborabat, ut refert Juvenal. Ursinus (b); rapacis enim belluæ instar cibos vorabat, vestes non permutabat, nullumque famulorum ad se, obsequii ergo, accedere sinebat, ferreum frustum applicuerat carni, quæ contracta inde labe livescere cœperat, itaque arte & vi domandam ægri animi pertinaciam rati medici, duodecim personatis viris atrato cultu imperarunt ut vestibus exuerent, induerentque novis ac toties ea vis erat ei afferenda, quoties vestes permutandæ erant. Hoc autem eodem anno exorta est (c) in Galliis maxima dissensio inter Joannem Burgundiæ & Ludovicum Aureliæ duces, quæ flexu annorum aucta regnum illud Anglorum furori objecit. Carolo animi impote susceperat Ludovicus frater regiæ procurationem, qua eum Burgundus deiicere partim aperta vi, partim arte aggressus ipsum in crimen male administratæ reipublicæ, oppressique vectigalibus populi adduxit.

Galliæ intestinis dissidiis flagrat. (c) Monstr. vol. 1. c. 25.

XX. Recrudescunt in Anglia discordiæ. (d) Walsin. in Henr. 4. Harpsf. in hist. eccl. Angl. sæc. 14. Polydor. Virg. hist. Angl. l. 21.

Excitati sunt in Anglia eodem anno magni adversus Regem Henricum (d) motus: invisus enim erat proceribus Richardi extincti amicis, quod publicæ rei constituendæ specie adversus Richardum ipsum plebem vocasset ad arma, contraque sacramentum illi datum, nil se in Regem moliturum, eum cepisset, exuisset que regno, quod ad conjunctiores gradu spectabat; tum etiam crudeliter necasset: præterea ecclesiasticum ordinem ac populum gravissime oppressisset. Affixa fuere a conjuratis plura scripta in ecclesiarum foribus, in quibus multa expressa erant læsæ Anglicæ libertatis capita; quocirca populi arma sumpsere, ac præcipue Eboracenses, quorum archiepiscopus Richardus Scrupus inter conjurationis principes habitus est. Eam vero patefactam conjurationem, quæ Scoto in armorum societatem vocato aucta est, mox regii administri summa diligentia oppressere, e. litis conjuratorum consiliis, & capto archiepiscopo Eboracensi, carnificisque manu cæso: quem quidam Walsinghamus (e) insontem fuisse scribit, & ad tuendas leges patrias arma invitam capessivisse, cumque Westmerlandiæ comes una cum filio Joanne regiis stipatus copiis ad eum accessisset, nec signa conferre auderet, dolo sciscitatum novi hujus belli causas, atque archiepiscopum ipsum conquestum, Regem pluribus capitibus Anglicum jus violare, seque pronum ad pacem præbuisse; discedentem vero a suis, ut colloquium publicæ concordiæ causa faceret, proditione captum jussuque regio postea capite truncatum: cum autem constanter mortem obiisse, cultosque ejus cineres fu-

Aucta a Scoto.

(e) Walsing. in Henr. 6. Eboracensis archiepisc. cæsus carnificis manu.

isse a populo, qui miracula ad illius sepulchrum divinitus patrata affirmabat. Addit author (a) proximo anno Innocentium VII. Romanum Pontificem anathematis sententiam tulisse in archiepiscopi interfectores: quem quidem præcepisse, ut in eos ecclesiasticis legibus ageretur, confirmat Gregorius XII. (b). Hic vero ut ab regiis administris acceperat, in literis suis postea datis, alios capti cæsique archiepiscopi modos narrat.

(a) Walsin. ubi sup.

Innoc. in ejus interfectores animadvertit.

(b) Greg. 12. l. 2. p. 230.

Gregorius, &c. venerabilibus fratribus Thomæ Dunelmensi & Philippo Lincolniensi episcopis salutem, &c.

XXI. *Romanus Pontifex B. Petri cælestis regni clavigeri successor collatis sibi cælitus solvendi atque ligandi clavibus, ex injuncti officii debito salutem quærens singulorum, provide disponit, ut collapsis ad gremium ecclesiæ cum humilitate redeuntibus ipsa suggerente clementia aperiat januam pietatis. Cum itaque sicut accepimus, dudum suadente humani generis inimico in regno Angliæ diversa intestina bella, seditiones, & proditiones contra charissimum in Christo filium nostrum Henricum Regem Angliæ illustrem præter ipsius Regis culpam per quosdam subditos ejusdem suscitata fuissent, ac etiam Richardus quondam archiepiscopus Eboracensis, quem idem ipse Rex speciali honore & reverentia prosequebatur, & de quo nullam suspicionem prorsus habebat, quod contra se & statum suum aliquod sinistrum machinari aut attentare vellet contra præfatum Regem, ejusque status & honoris enervationem concepisset, ac nonnullos potentes & proceres dicti regni ac etiam alios inferiores status, necnon viros ecclesiasticos, sæculares, & regulares sibi attraxisset, ac tandem illa, quæ conceperat, satagens ad effectum perducere, ipse archiepiscopus armatus & stipatus potentia sæculari cum octo millibus armatorum vel circa ad campum progrediens una cum suis complicibus conatus fuit, quantum potuit, ad exterminium ejusdem Regis effectualiter devenire: quæ cum a quibusdam aliis nobilibus dicti regni, necnon etiam inferioris conditionis fidelibus dicti Regis cognita fuissent, ipsi fideliter & constanter in ejusdem Regis auxilium & regni præfati liberationem ipso tamen Rege tunc absente & hæc ignorante, similiter armatum contra præfatum archiepiscopum ejusque complices processerunt; præparatoque hinc inde prælio, cum archiepiscopus & complices præfati in campo superati fuissent, ipse archiepiscopus & aliqui secum in ipso campo per hujusmodi victores capti subito ad præsentiam dicti Regis adducti fuerunt, clamantibus ipsis victoribus & supervenientibus populis in multitudine copiosa, quod Rex præfatus juxta leges & consuetudines dicti regni, quæ dictant quod seditiosi, & proditores morte moriantur, & quæ leges jurisjurandi religione ejusdem Regis, dum ad culmen regni assumeretur vallata fuerunt, de hujusmodi captivis justitiam faceret ministrari; alioquin si super tantis proditionibus regni sui justitiam facere negligeret, ipsum Regem solum in manibus aliorum inimicorum suorum, qui hujusmodi novitatis consciï non longe ab ipso manu armata distabant, in campo dimitterent, & ipsum & se de præfato archiepiscopo vindicarent. Quibus clamoribus continuo accrescentibus, ipse Rex timens verisimiliter, quod si hujusmodi rumoribus & importunis tam numerosæ multitudinis instantiis qualitercumque resisteret, personam suam & regnum in grandi periculo poneret; & quod populo procedente ad vindictam, multa ac varia pericula sequi possent, & quod absque delectu personarum talia judicia de cætero in casibus similibus per ipsam multitudinem usurparentur; ad evitandum majus scandalum pro sui & regni præfati liberatione permisit, quod hujusmodi captivi juxta easdem leges & consuetudines judicari deberent: propter quod etiam deventum fuit ad hoc quod idem archiepiscopus & aliqui secum capti ex supradictis causis judicium capitale subirent: quod proculdubio gravis & improbandi exempli fuisse constat, cum licet archiepiscopus præfatus deliquerit, correctio tamen & punitio secundum canonica instituta ecclesiastico judici fuerat relinquenda.*

Fasti narratio exposita a Gregor.

Ut Eboracensis adversus Henricum copias eduxerit.

Captus fit in acie.

Convictus proditionis cum aliis fit cæsus.

Spectabat ad judicem ecclesiasticum de eo statuere.

XXII. *Cum autem, ut audivimus, multi de iis qui in eadem multitudine præsentes fuerunt de captivitate dicti archiepiscopi & morte subsequuta doleant ab intimis, nos attendentes quod Ecclesia gremium suum se recognoscere volentibus nunquam claudere consuevit, & simul considerantes quod ista pro evitando majori periculo regni & personarum fuerant perpetrata, & volentes pro salute ipsius regni & fidelium quiete rigorem justitiæ temperare, fraternitati vestræ, de qua in iis & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus omnes & singulas personas, qui in præmissis præsentes fuerunt, & ad hæc facienda opem vel operam qualitercumque verbo aut nutu, consilio vel facto dederunt, & in illis culpabiles se recognoscant, cujuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existant, si hoc humiliter a vobis petierint, ab excommunicationis & aliis censuris & pœnis, quas propter præmissa qualitercumque incurrerint, auctoritate nostra absolvere in forma Ecclesiæ consueta, injuncta earum singulis pro modo culpæ pœnitentia salutari & aliis quæ de jure fuerint injungenda; & nihilominus interdictum ecclesiasticum, quod propterea a jure vel ab homine in civitatibus,*

Postulata veniæ a reis violati juris ecclesiastici.

ca-

. . ., villis, terris, & locis extitit promulgatum, eadem authoritate tollere & relaxare, necnon omnes & singulos processus de mandato felicis recordationis Innocentii Papæ VII. prædecessoris nostri factos contra ipsos, qui circa præmissa quomodolibet excesserunt, ac omnia exinde vel ob id secuta, quæ omnia haberi volumus pro sufficienter expressis, abolere curetis. Nos enim vobis absolvendi personas præfatas & interdictum, quod propterea promulgatum fuerat, tollendi ac relaxandi, necnon processus hujusmodi & omnia inde secuta abolendi, ac omnia & singula, quæ in præmissis quomodolibet opportuna fuerint, & expedire conspexeritis faciendi plenam & liberam authoritate apostolica tenore præsentium concedimus facultatem; ita tamen quod hujusmodi facultas vobis concessa ad absolutionem clericorum nullatenus se extendat. Volumus autem, quod postquam personaliter adinvicem convenientes super hac materia, quæ agenda sint disposueritis, alter alteri vestrum executionem prædictorum committere possit. Quod si, quod absit, aliquis vestrum ante conventionem & dispositionem hujusmodi ex vita migrare contigerit, ille qui superstes fuerit alium prælatum laudabilis vitæ sibi collegam eligere debeat, super cujus electione ejusdem superstitis conscientiam oneramus: quibus adinvicem, ut præfertur, convenientibus post dispositionem hujusmodi alter alteri eodem modo, ut supradictum est, valeat in hujusmodi materia præmissorum executionem committere. Dat. Lucæ II. id. aprilis pontificatus nostri anno secundo. Hæc postea Gregorius, qui hoc anno apostolici legati dignitate in Piceno exornatus præfectusque (a) est ab Innocentio, atque hac prærogativa affectus (b).

Dissolutæ a Gregorio censuræ latæ ab Innoc.

(a) Inn. l. 1. p. 227. Angelus Card. Corarius Piceno præfectus.
(b) Ib. p. 237.

Innocentius, &c. Cum te ad provinciam nostram marchiæ Anconitanæ & nonnullas alias partes pro nobis & eadem ecclesia, nimirum Romana, *rectorem in temporalibus generalem præsentialiter destinemus, nos volentes, ut spiritualium largitione munerum incolas provinciæ partium earumdem ac personas alias illuc confluentes reddas Deo & Apostolicæ sedi plus devotos, ut quoties in eisdem provincia & partibus, tui rectoratus officio durante, te in pontificalibus solemnia celebrare, teque proponere, vel in tua præsentia per alium proponi contigerit, piæ prædicationis ministerium verbum Dei videlicet in nativitate, circumcisione, epiphania, resurrectione, ascensione, & festo corporis Domini nostri Jesu Christi, pentecostes, SS. Trinitatis necnon singulis adventus Domini, & quadragesimæ tum dominicis, cinerum, cœna Domini, paraveskeves, assumptionis B. Mariæ Virginis, nativitate B. Jo. Baptistæ & BB. Apostolorum Petri & Pauli celebritatis omnium Sanctorum & commemorationis mortuorum dumtaxat diebus: & etiam quotiescumque te generalia parlamenta in provincia & partibus antedictis tenere contigerit, omnibus vere pœnitentibus & confessis qui hujusmodi celebrationi & propositioni & parlamentis interfuerint unum annum & quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer valeas relaxare, tibi authoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum id. aprilis pontificatus nostri anno primo.* Interjectis post paucis mensibus sacra purpura ab eodem Innocentio decoratus creatus est presbyter tit. S. Marci, honoris ergo concessit (c) Pontifex, ut data antea authoritate & Cardinalis præsidis provinciæ nomine uteretur.

Concessa illi ab Innoc. privilegia.

(c) Innoc. l. 1. p. 278.

XXIII. Auctum est hoc anno in Italico continente Venetum imperium, cum Vicentiam primum implorantibus Venetorum fidem civibus (d), ne in Francisci Carrarii Patavini reguli, qui Guillelmum Scaligerum Veronæ principem veneno sustulerat, necaratque ejus filios, ut Veronæ principatu potiretur, in servitutem addicerentur, deditione cepissent (e). Coorto inde bello Veneti fœdus cum Francisco Gonzaga iniere, atque contractis copiis Feltrum, Bellunum, Bassanum, Colonia in Venetorum ipsorum potestatem concesserunt. Belli deinde moles ad Veronam versa est, cum Jacobus Carrariensis, qui urbem præsidio tenebat, civium defectionem metuens ignoto cultu Hostiliam profugit, captusque a pabulatoribus Venetis abductus est: ac tum civitas patefactis portis læta admisit Venetos, qui subinde apud Patavium castra posuerunt. Itaque graviori pressi bello Patavini nam fame pesteque absumptos ajunt (f) ad quadraginta millia interiisse, deditionem fecerunt: ac tum Franciscus Carrarius una cum tribus filiis Jacobo, Francisco, & Guillelmo captos, satellitio ingenti stipatus perductus est Venetias & in carcere cum iis strangulatus; *Quod*, inquit S. Antoninus, *ad sævitiam non modicam imputatum est eis*; scilicet ob juvenes expertes criminis eodem supplicio involutos: Franciscum vero, qui ea desperatione dæmonem vocare, ut ipsum necaret, sæpius auditus est (g) justo supplicio ob excitatam sævam tyrannidem & crebra bella in Italia concitata affectum scribit Petrus Justinianus (h): *Immanitates*, inquit, *sua digna profecto præmia tulere. Fama est impios tyrannos avois hominum suppliciis gaudentes, androphagos canes domi immanis staturæ aluisse, quibus nefario invento miseri cives ex levi culpa laniandi objicerentur: Extantque adhuc in decemvirum aula scorpiones duo parvi ponderis, quibus illi familiares, hospitesque ad colloquium fraude vocatos præacutis spiculis transfigere consuevissent: infandaque*

alia

Auctum Venetum imperium.
(d) Theod. a Niem. l. 2. c. 40.
(e) S. Anton. 3. p. tit 22. c. 4. §. 6. Petr. Marcel. in hist. Venet. Petr. Just. lib. 6. Corius histor. Mediol. par. 4. & alii.
Vicentia capta ab iis.
Dedita iisdem Verona.
Aliæ urbes receptæ.
Patavium obsessum.
(f) Cor. ib.
Pressum fame recipitur.
Francisc. Carrarius cum filiis præfocatus.
(g) Cor. ib.
(h) Petr. Just. ubi sup.
Carrarii ob sævitiam excisi.

alis flagitia monstruosisque transito concubitus, quibus ad fœdam libidinem exsaturandam promiscue usi dicuntur, sed ex modestia reticendum est. Insigne certe id fuit divinæ justitiæ exemplum ut periret proditor artibus suis: nam qui Scaligeros adversus Mediolanensem in Veronæ principatum armis suis veluti antea induxerat, eosdem mox fraude, ut paulo ante indicatum est, peremit, dumque præmia sceleris colligit, mox utroque & Veronensi & Putavino principatu dejectus carnificis manu cum stirpe sublatus est. Gestæ rei tempus ita consignat idem Petrus Justinianus: *Tum illustrem civitatem, a qua originem habuere, millesimo quadringentesimo quinto non. kal. decembris Veneti adepti validissimo præsidio munierunt.* Pluribusque interjectis addit author ipso triennio auctam magis rem venetam, cum Ladislaus Rex Neapolitanus, ad quem Hungariæ spectabant jura; Venetis Jaderam cum toto agro & insulis centum millibus aureorum vendidisset, indeque Dalmatiæ ad imperium Venetum retrahendæ conceptas spes fuisse.

Proditor suis artibus perit.

Jadera Venetis vendita.

XXIV. Hoc anno edita sunt plura eximia prodigia quæ silentio prætereunda non sunt & quidem insigne visum Bononiæ, divinæque misericordiæ cum justitia conjunctum exemplum, refert Carolus Sigonius sic inquiens: (a): MCCCCV. *magnam voluptatem ex novo beatæ Virginis miraculo cepit*, nimirum populus Bononiensis, *quo ipsa rursus manifestam iram adversus nominis sui contemptores, misericordiam vero erga veneratores ostendit. Hic fuit miles quidam qui amissa lusu pecunia dolens, cum forte imaginem ipsius in gradibus S. Petronii statutam præteriisset, vesana ira impetu raptus ferrum in eam cum verbis contumeliosissimis strinxit, ut sanctum puerum in gremio confidentem percussit: quare subito quasi nervis exsertis debilitatus procubuit. Hoc ubi audiit prætor, ipsum statim ut nefarium hominem proripi, ac damnatum extemplo suspendio affici jussit. Cujus sententia atrocitate miles exanimatus, flere, ejulare, ac lacrymis opem gloriosæ Dei genitricis implorare, ac se, si tantum periculum evasisset, ipsi per quadriennium operam præstiturum promittere: quo nun-*

(a) Sig. l. 3. de episcop. Bononien. in Cosm.

Ludus sacrilegia parit.

Sacrilegus paralysi repente correptus.

Pœnitens membrorum usum recuperat.

cupato voto, repente sanitatem recuperavit. Prætor autem ut placatum cœleste Numen cognovit, ne sibi quidem in eum ultra putavit esse progrediendum. Miles vero duplicis voti compos factus, simulacrum illud in primum basilicæ sacellum traduxit, atque una cum uxore & liberis per quadriennium cilicio tectus promissum obsequium præbuit. Hæc in hunc usque diem imago propterea religione eximia colitur, ac pacis domina nuncupatur. [1]

Crimen expiat piis operibus.

XXV. Alia in Belgio ostensa eximia miracula, narrat Justus Lipsius (b): *Anno*, inquit, MCCCCV. *viri tredecim, quorum nomina schedis expressa pretium non est iterare, navi e Batavia Antverpiam vehebantur; tempestas oboritur & mare fit magnum, & nox superveniens malo metumque auget; magis etiam gubernator, qui victam a vi artem fassus, oratione stricta & aspera hortatur quisque se fatis paret, Deo litet ad meliorem vitam ituris hac amissa, fit gemitus & complorati, in genua volvuntur, manus ad cœlum tendunt, præsentem omnes mortem expectant. Fuit qui suggereret divam Virginem Hallensem communibus votis vocibusque invocandam: quod faciunt, & facto statim clarum lumen navi superfulsit, quod tenebras dispulit, metum minuit, & mox, illa gubernante, navis portum tenuit, e qua totidem illi viri egressi, omissis rebus, Hallas venere, & vitam se Virgini debere testati, votum bona fide solverunt.*

(b) Just. Lip. Virg. Hal. c. 13.

Navis naufraga B. Virg. implorata ope erepta.

XXVI. Tradit (c) idem auctor virum pium & insontem a nefariis latronibus accusatum insigni prodigio ope Virginis liberatum: MCCCCV. & infra, *Erat Joannes quidam Simpenojus, Gallus natione, ex oppidulo Aspernaco in Campania opinor: is pietate motus Hallas ad visendam Virginem assectabat, & in via duos comites bene parum fidos reperit Nicolaum Baremiam & Petrum Normannum: illi benigne appellare, & quo iter? in Belgicam nos, una te pietas nos lucellum trahit, & mercatores sumus. Avennas juncti veniunt. Statim missi e Gallia superveniunt, qui duos illos furti & rapinarum nomine ex vero arguunt, atque illi duo jam capti, istum falso. Fatentur in tormentis quatuor argenteas pateras se furto abstulisse, vendidisse, & trien-*

(c) Ib. c. 22.

Innocens ope Virg. liberatus e suspendio.

NOTÆ [1] PRodigium illud, quod ex Sigonio narrat Annalista, paulo aliter exponit author ille synchronus, qui Bononiensem historiam Bartholomæi della Pugliola Minoritæ continuavit, quam continuatam historiam Miscellæ Bononiensis nomine edidit Muratorius Rer. Ital. to. XVIII. Illatam a milite injuriam in eo ponit Scriptor ille, quod digitos pedum geminos imaginis pueri Jesu læserit, cujus facinoris pœnam, ait, statim luit, cum inde discedens in ipsis Templi S. Petronii exterioribus gradibus corruit, statimque amborum lacertorum usu destitutus est, atque occulta vi detineri se ne descederet sensit. Prætore igitur superveniente captus utriusque manus mutilatione damnatus est. Ille discrimine pœnæ morboque perculsus Virginem Mariam rogavit, precibusque votum adjunxit peregrinationis ad S. Jacobum Galitiæ & S. Antonium Viennensem. Nec vana rogavit, nam continuo pristino lacertorum usui restitutus est, visumque prodigium Prætorem induxit ut liberum a pœna reum pronunciaret. Mansi

tem pecunia hujus Joanni cessisse. Amplius tres alias in oppido S. Maxentii partitione eadem facta, denique præter hac atque alia furta cædem patrasse innoxii viatoris, & hujus quoque conscium & ad juvam Joannem fuisse. Itaque ille in eisdem vinculis & custodia habetur, & Nicolaus jam eductus & cruci admotus, in eaque suspendendus religione tactus, liberat culpa omni Joannem, & revocat quidquid accusarat. Alter Petrus contra & palam iterumque asserit & in extremis fallere. Se Deum, hominesque negat Joannem consortem facinorum illorum vere esse. Hic prætor nihil ultra ambigere & Joannem eodem adigere: & tamen, quia innoxium se proclamabat populum hortari, ut sacrificio missæ interesse vellent, in gratiam veniamque criminum morituri. Joannes hoc recusat; immo potius: O prætor, inquit, dominicam orationem & angelicam salutationem singuli recitent honori beatæ Virginis Hallensis, ad quam iham; & quoniam in innocentia parum præsidii est, ad illam appello, ea me tueatur. Post dicta carnifex hominem cruci applicat, laqueo illigat, scalis dejicit: & ille vivere perseverat: quod alii mirantur, carnifex indignatur. Itaque funem trahere & stringere genibus niti super eum, & premere, omnia facere quæ acceleranda morti essent. At ille tamen vivere & palam videre postea fassus est pulchra & augusta facie fœminam a tergo sibi stantem, quæ amplecteretur & circumdaret velut in tutelam suam receptum. Hora amplius sic exigitur, atque ecce demirantibus supervenit in equo vir nobilis Joannes Sellius, omnibus ibi a virtute, stirpe & opibus notus: is ad prætorem: Domine, inquit, precibus a te posco hunc innoxium hominem mihi donet, aut potius beatæ Virgini, cujus nomine & monitu huc veni. Ille impellitur jam ante inclinatus, & solvi jubet, ac sibi habere. Accedit Sampeanius ad suum servatorem, gratas gratias agit. Ille a se abdicat, & ad divam, inquit, Hallensem perge, cui promiseras auctorem tuæ salutis agnoscere, & meam ab illa deposcere. Nos quoque facimus, o clemens, o pia: & ut hunc innocentem laqueo mortis exuisti, sic nos nocentes & vitiis illigatos absolve, & ad beata tecum regna perduce.

Duorum latronum sors diversa.

Sustinet B. Virgo e furca pendentem.

Virum nobilem movet ad eum a prætore poscendum.

1. PErfuncti fœdæ servitutis periculo Romani, in quam ipsos redigere erant meditati qui libertatis objecta fallaci specie a veteri Romanæ ecclesiæ obsequio divulserant, ad officium, atque ad imperium Innocentii anno Servatoris sexto super millesimum quadringentesimum indictione quartadecima, nefarias proditorum artes suosque errores perosi, rediere (a): *Viterbii*, inquit Leonardus Aretinus (b), *cum esset Pontifex jam aliquot menses commoratus, Romani pœnitentia ducti dominationem urbis illi reddiderunt, ac multis legationibus eum revocaverunt*. Confirmantur hæc pluribus Innocentii literis (c) id. januarii datis ad pontificiarum copiarum ductores, quibus illos vetat Romanos bello lacessere, quippe qui urbis imperium Romanæ ecclesiæ restituissent, tum ad Bartholomæum designatum episcopum Cremonensem, quibus nomine pontificio urbis & arcium possessionem inire jubet (d).

(a) Innoc. l. 2. p. 12. 13. 14. 22. 62.
(b) Aret. in hist. rer. Ital. sui tempor. S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 4. §. 1.
Restitutum Innoc. urbis imperium.
(c) Lib. 2. p. 12.
(d) Ib. p. ep. cur. 22.

Bartholomæo electo Cremonensi in alma urbe ejusque comitatu, territorio, atque districtu & nonnullis partibus pro nobis & Romana ecclesia commissario.

Pontificiæ literæ ad ineundam urbis possessionem.

Tibi nostra & ecclesiæ Romanæ nomine a dilectis filiis conservatoribus cameræ, necnon syndicis & procuratoribus dilectorum filiorum Romani populi, ad hæc per opportuna consilia ipsius urbis potestatem habentia, specialiter constitutis, una vel pluribus nomine dicti populi resignantibus atque tradentibus possessionem vacuam, liberam, & expeditam palatii Capitolii, necnon omnium & singulorum portarum, pontium, castrorum, & fortelitiorum quorumlibet urbis & comitatus, territorii, & districtus ipsius tam ad nos & ecclesiam ac populum seu urbem præfatos spectantium aut pertinentium, & quæ spectare seu pertinere possint quomodolibet in futurum, petendi & recipiendi cum munitionibus eorumdem, ac in ipsis & quolibet eorundem quoscumque officiales, custodes, castellanos, ad nostrum beneplacitum cum officiis, salariis, familia, modis, & conditionibus hactenus consuetis, fidos tamen alias & idoneos, officio tamen servatoris præfatæ urbis in omnibus semper salvo & reservato deputandi, instituendi, necnon destituendi & alios subrogandi, & infra, *plenam & liberam usque ad hujusmodi beneplacitum duraturam tenore præsentium concedimus facultatem &c.* Addit se urbis proceribus præcipere, ut auxilio & opera ei non desint: si non paruerint impositas perduellibus pœnas se confirmaturum. *Dat. Viterbii VI. kal. februarii pontificatus nostri anno II.* Hæc Viterbii decernebat Innocentius, cum mense martii, ut fuerat pollicitus, Romam est reversus, pompa propemodum triumphali exceptus, ut subjectis verbis testatur Leonardus Aretinus (e): *Itaque reversus Romam Pontifex miro applausu populi Romani suscipitur*. Consentit Theodericus Niemius (f); additque Romanam academiam ab eo instauratam; qua de re extat in regesto hoc Innocentii diploma (g).

Reditus Innoc. in urbem.

(e) Aretin. in hist. rer. Italic.
(f) Theod. a Niem. l. 2. c. 39.
(g) Lib. 2. ep. curr. p. 18.

Universis & singulis, ad quos præsentes advenerint literæ, salutem, &c.

II. *Ad exaltationem Romanæ urbis, & curiæ nostræ decorem pervigili animo & assidua meditatione intendentes, omnia quærimus & disponimus, unde illis queat honor & utilitas laudabiliter provenire. Cum itaque literarum studia, & bonarum artium doctrinæ præter summam ac manifestissimam utilitatem, quam privatim atque publice afferunt, maximum ornamentum ac dignitatem illis civitatibus & locis, in quibus ipsa vigent præbere videantur, & cum pace, ac tranquillitate, cujus nos esse cupidissimos profitemur, maxime sint conjuncta, decrevimus, Deo auctore, hujusmodi studia per longissima spatia hactenus intermissa in hoc tempore pontificatus nostri ad hanc urbem reducere, & omni fomento ea rursus suscitare, ut homines per eruditionem veritatem rerum agnoscant, & Deo atque legibus parere addiscant. Facultatibus itaque omnibus sigillatim divisis, singulis eorum, ut moris est, suos præfecimus magistros, viros peritissimos, & longo studio longisque vigiliis instructos, data a nobis opera diligenti, ut nemini studioso in quacumque disciplina, bonus atque laudabilis desit præceptor. Primum enim in theologia subtilissimi magistri, deinde tam jure canonico quam civili prudentissimi doctores, & omnem judiciorum usum per exercitationem callentes in hac urbe docebunt. Erunt & medicinæ professores famosissimi ad eam ipsam artem ostendendam deputati, nec philosophiæ rerumque naturalium, & præterea logicæ atque rhetoricæ artis deerunt præceptores; erit denique, sic eum providimus, ut nihil huic nostro desit studio, qui literas græcas, omnesque ejus linguæ authores perfectissime doceat. Ab hujusmodi igitur doctoribus ad legendum in hac alma urbe deputatis omnes qui discendi flagrant cupiditate solertissime instrui poterunt. Quod si quis est, qui putet ipsum locum, in quo studetur atque proficitur, authoritatem quamdam hominibus afferre, is considerare debet hujus inclytæ urbis incomparabilem excellentiam, nulla enim est urbs in toto orbe terrarum, quæ magis illustris magisque magnifica sit, & in qua hæc ipsa studia, quæ nos reducere intendimus, diutius floruerint: in hac enim latinæ literæ a principio inventæ: in hac jura civilia ab* in-

Academ. Romana instaurata.

Eruditissimi viri ad tradendas scientias evocati.

incunabulis scripta atque populis tradita: hæc sacrorum sedes est canonum: in hac omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrina vel a principio inventa, vel a Græcis transumpta, ceteræ igitur civitates aliena studia docent, hæc sua propria & vernacula profitetur. Quamobrem accelerent homines hanc urbem studiorum gratia adire, ut in nostris, atque curiæ nostræ oculis per virtutem cogniti præmia laborum amplissima consequantur. Datum Romæ apud S. Petrum kal. septembris pontificatus nostri anno secundo. Defloruit mox ab Innocentii morte res literaria in Romana academia, cum nondum illius res confirmatæ essent, ut Theodericus Niemius (a) testatur.

(a) *Theod. a Niem. l. 2. c. 39.*

III.

(b) *Aret. lib. epist. ep. 10.*

Moles Hadrianæ obsessa.

Ceterum reversus in urbem Innocentius haud omnino res pacatas reperit (b), tutante adhuc Ladislai Regis Neapolitani partes Antonello Thomacello molis Hadrianæ præfecto: atque adeo cum eam arcem obsidione cingi jussisset Pontifex contortis ex ea telis in cives urbs oppugnata (c) est. Inter quæ animadversionis severitatem in Ecclesiæ hostes auctoresque prædictarum seditionum adhibuit; atque in primis in Joannem & Nicolaum Columnenses, qui libertatis fallaci specie populum Romanum servituti addicere moliti erant, judiciariam hanc tulit sententiam (d).

(c) *Idem in hist. rer. Italic.*

Columnenses novorum motuum cupidi.

(d) *Inn. 7. l. 2. p. 150.*

Innoc. in eos sententia.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum felicis recordationis Bonifacius Papa IX. prædecessor noster immediatus attendens enormes excessus, crimina, & delicta damnabiliter perpetrata per iniquitatis alumnos Nicolaum & Joannem de Pereste fratres de Columna nuncupatos, sed ut ipsorum exigentibus demeritis a nequissimis eorum actibus nomen accepit de calumnia potius nuncupandos statum & honorem prædecessoris ejusdem & ecclesiæ Romanæ ac tranquillitatem almæ urbis ejusque territorii & districtus, necnon provinciarum, civitatum, terrarum, & locorum præfatæ ecclesiæ immediate subjectorum, conspirationesque, invasiones, & occupationes terrarum & locorum præfatæ ecclesiæ, necnon spoliationes & dilapidationes bonorum & rerum romipetarum venientium ad Romanam curiam & dilectam urbem, & ab ipsis recedentium, & alia detestabilia scelera varia & diversa per ipsos Nicolaum & Joannem & utrumque ipsorum eorumque gentes, subditos, & vassallos, & non valens absque divinæ majestatis offensa & remorsu conscientiæ hujusmodi excessus crimina & delicta ulterius impunita prætermitti, vel quomodolibet tolerare, contra Joannem & Nicolaum prædictos eorumque gentes, subditos & vassallos, civitates, terras, castra, & loca, ipsis supposita, & quæ detinebant, legitimis tamen prius habitis & servatis processibus, de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio, de quorum numero tunc eramus, procedens ex apostolicæ potestatis plenitudine in generali consistorio assistente maxima populi multitudine per suam diffinitivam sententiam ipsos Nicolaum & Joannem pronuntiavit, decrevit, & declaravit, fuisse & esse excommunicatos, perjuros, sacrilegos, schismaticos, apostatas, & blasphemos & contra Romanam ecclesiam & Romanum populum conspiratores tanquam hæreticos & schismaticos puniendos reosque criminis læsæ majestatis &c.

Bella ab iis gesta in Bonif.

Percenset alias pœnas ipsis a Bonifacio IX. irrogatas, ut ob ea scelera propositas in Joannis XXII. & Clementis VI. constitutionibus adversus jurium Ecclesiæ invasores pœnas contraxisse renuntiati fuerint, eorum castra ecclesiastico interdicto subjecta, ipsimet pristinis juribus ac fiduciariis quibuscumque bonis deturbati, eorum res prædæ, ac servituti corpora exposita, nota infamiæ inusti, a testimonio perhibendo repulsi, condendi testamenti facultate, eorum posteri ad tertiam progeniem recto stipite oriundi honoribus muneribusque publicis privati; vetitum cum ipsis commercium, jussi antistites diebus festis solemni ritu accensis, tum extinctis facibus ipsos anathemate percellere, vetiti sacerdotes eos criminum nexu nisi morti proximos absolvere, e quo si emergerent ad sedem Apostolicam confugere tenerentur: si vita excederent ecclesiasticæ sepulturæ honore carerent, & qui jussa infringeret, absolvi non posset ni manibus suis exhumatum corpus e sepulchro erueret: exciteri denique ad eos excindendos impertitis indulgentiis ac privilegiis, quæ Syriæ profectionem ad Saracenos oppugnandos aggressuri adipiscebantur fideles, ac religiosa militia, dato crucis symbolo arma capessituris, indicta. Tum subdit Innocentius.

Edicta in eos lata.

Postea vero ad supplicationem humilem dictorum Nicolai & Joannis idem Bonifacius prædecessor eosdem Nicolaum & Joannem ad gratiam sedis Apostolicæ misericorditer pietate recepit, & absolvi ac liberari per venerabilem fratrem nostrum Franciscum tunc Polignanensem, nunc Anagninum, episcopum, in Romana curia tunc commorantem ab omnibus & singulis culpis, excessibus, & delictis per ipsos Nicolaum & Joannem, ac utriusque ipsorum, necnon gentes, adhærentes, complices, & sequaces contra præfatum Bonifacium prædecessorem, Romanam ecclesiam, Romanum populum, necnon quascumque subditos & adhærentes eisdem, etiam hæresis vel læsæ majestatis crimina respexissent & in integrum statumque pristinum restitui ad honores, famam, privilegia, jura, feuda & bona quæcumque, quibus a jure vel ab homine etiam per processus dicti Bonifacii prædecessoris fuerant depositi vel privati, & in eundem statum reponi, in quo erant ante commissa crimina vel processus factos

Admissi iterum in amicitiam a Bonif.

Pristinis juribus restituti.

& sen-

& sententias fulminatas, & habilitari ad quascumque gratias in posterum obtinendas, ac interdictu, quibus civitas Penestrinu, castrum novum, & alia castra, & loca prædicta, quæ per ipsos regebantur seu detinebantur quomodolibet supposita tenebantur relaxari, commisit, & mandavit. Voluit autem idem Bonifacius prædecessor quod si prædicti Nicolaus & Joannes, socii, familiares, gentes, vassalli, sequaces, adhærentes, communitates, universitates, & singulares personæ eis subjecti vel quomodolibet recommissi, & alii in literis dicti Bonifacii prædecessoris contenti, vel eorum aliquis ulla unquam tempore a fidelitate, obedientia, & devotione ejusdem prædecessoris & successorum suorum Romanorum Pontificum & dicta Ecclesia deviarent, aut ei rebelles essent, seu similia crimina committerent, in dictas pœnas & sententias spirituales & temporales in processibus & sententiis hujusmodi contentas reinciderent ipso facto; & litera ejusdem Bonifacii prædecessoris super hujusmodi absolutione, liberatione, restitutione, & relaxatione confecta quoad rebellantes & deviantes, ac crimina similia committentes nullius essent efficacia, roboris vel momenti prout in processibus & literis dicti Bonifacii prædecessoris plenius continetur. Et nihilominus idem Bonifacius prædecessor ex ulterioris dono gratia vicariatum castri Galesii ac portus Anzellii Civitatis castellanæ diœcesis, ad præfatam ecclesiam spectantium usque in tertiam generationem pro censu unius cervi vivi pro Galesio & duorum fasianorum vivorum pro portu Anzelii prædictis annis singulis Romanæ ecclesiæ persolvendo concessit eisdem sub pactis, modis, conditionibus in hujusmodi vicariatu specialiter denotatis, quæ hic aliae haberi volumus pro sufficienter expressis: pro quibus quidem castra & portu sic, ut præfertur, concessis iidem Nicolaus & Joannes in manibus dilecti filii nostri Conradi tituli S. Crysogoni presbyteri Cardinalis, tunc Militensis episcopi ac præfati Bonifacii prædecessoris camerarii præstiterant fidelitatis in forma debita ac solita juramentum.

Fidem solemni ritu devinciunt.

Quoniam præfati Nicolaus & Joannes propriæ salutis immemores, Deum & Romanam ecclesiam non verentes, & contemptores ipsorum fidei, nominis, & honoris, ac violatores juramenti præstiti per easdem ad vomitum redeuntes conspirationes & tractatus cum perditionis filio Petro a Luna olim S. Mariæ in Cosmedin diacono Cardinale, nunc antipapa, qui se Benedictum XIII. ausu sacrilego nominare præsumit, justo Dei judicio tamquam hæretico sententialiter condemnato & suis adhærentibus, complicibus, & sequacibus, quorum nomina hic haberi volumus specialiter pro expressis, adhærendo & favendo tam in alma urbe & ejus comitatu, territorio, & districtu, quam in provinciis nostris Campaniæ, Maritimæ, Sabinæ, Spoletani ducatus, ac partibus civitatum & terrarum specialis commissionis ac patrimonii B. Petri in Tuscia & alibi, fecerunt damnabiliter & inierunt contra statum & honorem Bonifacii prædecessoris & ecclesiæ præfatorum, & deinde eodem prædecessore, sicut Domino placuit, sublata de medio, ante assumptionem nostram, & nobis ad apicem summi apostolatus assumptis, & etiam postea, tumultus pestiferos & malignos cum eorum gentibus, subditis, vassallis, sequacibus, adhærentibus, & fautoribus, sub ficto & falso libertatis nomine in dicta urbe, quam postea in servitutem miserabilem atque lugubrem redigere conabantur suscitarunt, tumultumque furentis populi sub præfato ficto nomine, cum alio eorum sceleratissima declinares intentio, prout ab effectu succedentium operam deinde patuit universis, contra nos, statum, & honorem nostrum ac præfatæ ecclesiæ, ac tranquillitatem pacificam dictæ urbis, perfidiis malignitatibus converterunt, adeoque hominum strages, incendia, demolitiones, rapinæ, sacrilegia in urbe; territoria, & districtu prædictis & delicta quamplurima sunt patrata in personam nostram & nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus etiam usque ad captivitatem seu necem, si patuisset habilitas, perfidissime conjurarunt, & sub velato respectu status dicti Romani populi, ut eorum sceleratum possent propositum commodius adimplere, idem Nicolaus cum præsidia armigerarum gentium dicti Joannis nostrum pontem Milvium prope urbem suscitata in eadem urbe tumultu, nisus est hostiliter occupare, & etiam expugnare; sed defendentibus pontem illum qui pro nobis & eadem Ecclesia custodiebatur, prout custoditur ad præsens, nonnullis gentibus nostris ibidem manentibus, eorum nefaria intentio effectu caruit.

Deficiunt ad antip.

Coitiones fecerunt adversus Bonif.

Eo mortuo seditionem concitavere in urbe.

Conjurarunt adversus Innocentium & Cardd.

Pontem Milvium nisi sunt occupare.

Præbuerunt etiam præfatus Nicolaus & Joannes auxilia & favores suarum gentium, quibus perditionis alumnus Jacobus de Ursinis terram & castrum nostrum Marem & sancti Petri in Formiis diœcesis ad nos & eamdem ecclesiam pleno jure spectantia occupavit & occupata detinuit, & inde post quandam novitatem, quæ emersit die sexta augusti in præfata urbe iidem Nicolaus & Joannes cum favore gentium maledictionis filii Ladislai olim Regis Siciliæ contra statum & honorem hujusmodi insurrexerunt hostiliter cum gentibus & subditis eorumdem ac palatium nostrum apostolicum Romæ apud S. Petrum situatum per vim occuparunt post recessum nostrum de ipsa urbe, ac reliquiis sanctorum, paramentis, & ornamentis nostris & altarium usibusque sacris deputatis, libris, ve-

IV. Copiis Ladislai freti pontificium palatium invasere.

Post discessum Innoc. expilarunt ecclesias.

stibus

stibus, vasis aureis & argenteis pretiosisque suppellectilibus tam nostris quam aliorum spoliarunt, violarunt, & profanarunt: & ut virulentam malignitatem in contemptum nostram & dictæ sedis ostentarent, in supernæ majestatis offensam, multos prælatos, etiam pontificali dignitate præditos, ac Carthusianos quamplurimos capi & etiam spoliari bonis eorumdem dirisque detrudi carceribus, & ad personarum suarum redemptionem miserabilem coarctari fecerunt: & post recessum nostrum hujusmodi in provinciis nostris Campaniæ & Maritimæ, Patrimonii B. Petri in Tuscia, necnon partibus civitatum & terrarum specialis commissionis tentaverunt primitus occupare civitatem nostram Ortanam cum gentibus eorumdem, unde, Deo volente, per fideles nostros & ecclesiæ per vim fuere repulsi: & deinde occuparunt castra per ipsos conjunctim & divisim videlicet Babacii, Ortana, Campitarie, S. Viti Sabinensis, Genzani, ac Passerani Albanensis & Ortanæ diœcesum, & quædam ex eis adhuc detinent occupata, & contra præfatam urbem ejusque comitatum, territorium, & districtum, necnon civitates, terras, & loca nobis & præfatæ ecclesiæ supposita offensiones & damna realia & personalia inferre & inferentibus præstare auxilium, receptum, & favorem, & ea occupare, stratas & itinera quæque aggredi, & ad Romanam curiam venientes & ab ipsa recedentes invadere, offendere, capere, & spoliare ac redimi facere, & quamplurima & innumerabilia alia excessus, crimina, & delicta per se ac gentes, subditos, & vassallos eorum perpetrari & committi facere non destiterunt, prout nec desistunt assidue in gravissimum dispendium oppressorum & exemplum detestabile plurimorum; nos attendentes excessus & crimina præfatorum Nicolai & Joannis ac cupientes paternis affectibus, ut Nicolaus & Joannes prædicti cum eorum subditis, vassallis, adhærentibus, & fautoribus se ab erroris invio ex toto retraherent, cum juxta pontificalis officii nostri debitum in reductione oberrantium quamplurimum delectemur, eosdem Nicolaum ac Joannem per nostras literas repetitis vicibus exhortati fuimus, requirentes, monentes, ac etiam injungentes sub censuris & pœnis spiritualibus & temporalibus contra talia perpetrantes, tam a jure quam ab homine inflictis & promulgatis, vellent & deberent se ab eorum reprobo & damnabili proposito ex toto retrahere & ab offensionibus hujusmodi desistere, occupata restituere, & ad nostram & præfatæ ecclesiæ fidelitatem, devotionem & obedientiam cum vera cordium fidelitate & integritate redire: quod dicti Nicolaus & Joannes tamquam in malo obstinatissimi adimplere temerariis ausibus contempserunt, prout contemnunt tamquam perfidi damnabiliter de præsenti. Cum autem secundum præmissa, quæ adeo fuerunt & sunt notoria, quod nulla poterant atque possunt tergiversatione celari, dicti Nicolaus & Joannes in sententias atque pœnas in processibus & sententia præfati Bonifacii prædecessoris contra ipsos & eorum subditos, vassallos, adhærentes, & sequaces, necnon civitatem Penestrinam, Zagarolum, Castrumnovum, & alia castra & loca prædicta, & eorum habitatores & incolas factis & solemniter publicatis, & aliis per prædecessores nostros contra talia perpetrantes factis eo ipso relapsi fuerint secundum formam juris, & processuum & absolutionum hujusmodi, nosque propterea juste potuissemus absque alia citatione vel monitione ad declarationem præmissorum procedere; tamen nos ad majorem cautelam & certitudinem præmissorum dilectis filiis nostris Antonio tit. S. Praxedis presbytero ac Joanne SS. Cosmæ & Damiani diacono præfatæ ecclesiæ Cardinalibus commisimus oraculo vivæ vocis, ut se de omnibus & singulis præmissis diligenter informarent, & quæ per hujusmodi informationem reperirent nobis referre curarent; qui quidem Cardinales hujusmodi informatione per ipsos recepta nobis in consistorio retulerunt, se reperisse præmissa omnia & singula fuisse, & esse manifesta & etiam notoria.

Episcopos & Carthusianos in carceres conjecere.

Loca ditionis ecclesiasticæ subjicere sunt aggressi.

Commonitio officii.

Obdurure in pertinacia.

Nos igitur attendentes, quantum præmissa sunt gravia & graviorem, nisi efficax apponatur remedium, perniciem paritura, cum insolentiæ, quæ sine curationis remedio per conniventiam tolerantur, animarum pericula, & gravia scandala consueverint generare; ac nequeuntes absque indignatione majestatis æternæ & tremore conscientiæ tam gravia scelera & excessus detestabiles amplius tolerare, adversus præfatos iniquissimos viros Nicolaum & Joannem de Preneste de Columna de fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium præfatorum consilio, in virtute Altissimi decrevimus exsurgere, & super præmissis & contra ipsos ac subditos, vassallos, gentes, & alios eorum adhærentes & fautores procedere, justitia mediante. Præfatos igitur Nicolaum & Joannem & utrumque ipsorum præsente Christifidelium multitudine copiosa, cujusmodi citandi modum ex certis causis elegimus, præsentium tenore citamus, ut prima mensis julii proxime futuri si ea die consistorium fuerit, alioquin prima die ex tunc sequenti qua consistorium per nos teneri contigerit, compareant personaliter coram nobis, ubi tunc erimus, visuri & audituri per nos declarari ipsos esse schismaticos, excommunicatos, infames, sacrilegos, perjuros, atque relapsos conspiratores, & reos criminis læsæ majestatis, ac occupatores terrarum Romanæ ecclesiæ, & propter præmissa recidisse in pœnas & sententias spi-

Indicta ipsis dies ob Innoc.

ri-

rituales & temporales in talia perpetrantes, tam a jure quam ab homine inflictas & promulgatas, ac maxime contentas in processibus & sententia contra ipsos, ut praefertur, factis & lata per praefatum Bonifacium praedecessorem, civitatem Praestrinam, Castrumnovum, Zagarolum, Gallesium, Pezaillam, S. Gregorium Gallicanum, & alios terras & loca, quae per ipsos detinentur cum eorum comitatibus, territoriis, & districtibus ecclesiastico interdicto supposita ob praedicta; necnon eosdem Nicolaum & Joannem eorumque filios & descendentes usque in tertiam generationem inclusive, & alios supradictos & quoscumque, qui eisdem ad praemissa vel aliquod ipsorum dederunt auxilium, consilium, vel favorem, seu dabunt quomodolibet in futurum, fuisse & esse, omnibus dignitatibus, officiis, gratiis, privilegiis, indultis, civitatibus, terris, locis, & feudis & bonis aliis, quovis jure, titulo, causa, vel modo etiam in vicariatum, quae a praefata Romana vel quibusvis aliis ecclesiis & ecclesiasticis personis, Romano imperio, Regibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, universitatibus, vel aliis quibusvis personis obtinuissent vel detinuerent, fuisse & esse privatos & inhabiles ad ea vel alia in posterum obtinenda, seu etiam, si necesse fuerit, ad cautelam privari & inhabilitari ipsorumque & cujuslibet eorum bona mobilia, & immobilia, jura, & jurisdictiones eorum fuisse & esse confiscata, & eos praemissis & aliis variis & diversis poenis, sententiis, & censuris irretitos in hujusmodi sententiis & processibus contentis, quas hic alias haberi volumus per eorum qualitates & formas pro specifice declaratis, in omnibus & singulis juxta eorum exigentiam ac formam; & ad audiendum concedi, quod omnes Christifideles, qui crucis assumpto charactere ad praefatorum Nicolai & Joannis exterminium se accingerent, & eos eorumque vassallos, subditos, sequaces, adhaerentes, & complices pro viribus prosequerentur, illa gaudere debeant indulgentia illoque privilegio sint muniti, quae accedentibus in Terra sancta subsidium consueverunt per sedem Apostolicam indulgeri, & ad audiendum etiam alia per nos decernenda, & declaranda & poenarum inflictione contra ipsos & alios, ut praefertur, qui nobis necessaria mediante justitia videbuntur, ne tam horrenda & detestabilia scelera etiam in contemptum clavium sceleratissime perpetrata impunita remaneant quovis modo, &c. Syngraphum de fide publica iis exhibet, ne insidiarum metu tribunal apostolicum declinent.) *Datum Romae apud S. Petrum XIV. kal. julii pontificatus nostri anno secundo.*

Bonis privati.

Promulgata adversus eos religiosa militia.

V. Pronuntiata etiam sententia est adversus alios conjuratos Perretum Trojae comitem, qui suburbanum S. Petri proditione ingressus irrumpere in urbem, ad eam in Ladislai servitutem redigendam erat conatus; in Antonellum Thomacellum molis Hadrianae praefectum, ut dictum est defectionis participem; ac veteres magistratus a Ladislao subornatos, quorum omnium nomina recenset, eosque inurit infamia, ac poenas pontificiis edictis constitutas contraxisse promulgat: quantis vero fluctibus Romana ecclesia hoc tempore conjuratorum opera concussa fuerit, ab ipso Pontifice (a) audiamus.

Lata etiam sent. in Perretum Trojae comit.

(a) *Ibid. ep. cur. p. 155.*

Ad futuram rei memoriam.

Cum iniquitatis alumni, Andreas Matthias olim dux Adriae & S. Flaviani comes dudumque in terris, & castris Offidae arce Arquatae, Runitini, & Castelionis, ad nos & praefatam ecclesiam spectantibus in temporalibus vicarius generalis, ac Perretus olim Trojae comes, Hildebrandinus Alsoconte, Cola & Jacobus quondam Stephani de Polo de Comite, Jacobus quondam Jordani de Ursinis, Baptista quondam Pauli, Antonellus & Franciscus quondam Antonii, Rodulphus Conradus de S. Eustachio de Sabellis, Joannes olim notarius noster, Ricciardus & Annibal quondam Tebaldi nati germani de Annibaldensibus, qui Joannes, Richardus, & Annibal, nuper castrum nostram Leriam occupare fecerunt, & detinent occupatum; Conradinus quondam Conradi de Antiochia, Cecchus quondom... de Palumbaria, & quondam Loysius de Capoccis de urbe praefata, Conte de Carraria olim miles, Curtius de Paterno, Joanninus de Tortis de Alexandria, Gentilis de Monterano, Angelus de Lanciano, & Joanninus de la Testa conspiratores, conjurati, colligati, provisionati, & quidam ex eis capitani armigerarum gentium perditionis filii Ladislai olim Regis Siciliae, necnon Antonellus Thomacellus armi miles Neapolitanus, & per felicis recordationis Bonifacium Papam nonum praedecessorem nostrum, & subsequenter per nos assumptus in castellanum castri nostri Crescentii, alias S. Angeli, vulgariter nuncupati, ac Joannellus Bratasius Surrentinus se gerens pro locumtenente pro dicto Antonello in dicto castro in alma urbe situato, cum gentibus, vassallis, subditis, complicibus, adhaerentibus, atque fautoribus eorundem in reprobum sensum dati contra statum & honorem nostrum, & praefatae ecclesiae tranquillitatem pacificum dictae urbis ac provinciarum nostrarum marchiae Anconitanae, Campaniae, Maritimae, Patrimonii beati Petri in Tuscia, Sabinae, Spoletani ducatus, civitatum & terrarum, specialis commissionis, & Arnulphorum, & cujuslibet dictarum provinciarum, ad nos & eandem ecclesiam pleno jure spectantium, conspirationes, & tractatus fecerint; necnon invasiones, turbationes, & occupationes hostiles, conjunctim & separatim ac de-

deinde de præfata urbe ejusque comitatu, territorio, & districtu, & nonnullis terris, castris, & locis ad nos & ecclesiam prædictam spectantibus, & plurima & varia, excessus, crimina, & delicta etiam impediendo, capiendo, & spoliando venientes ad Romanam ecclesiam, & ab ipsa recedentes, necnon favendo & assistendo Ladislao præfata quærenti & procuranti, fraude, precio atque viribus & modis omnibus invadere, turbare, & occupare præfatam urbem, & ejus dominium, & quantum in eo fuit, occupavit & occupari fecit per gentes suas & etiam prædictorum (sed, ut Altissimo placuit, nostris & præfata ecclesia & dilectorum filiorum Romani populi, fuit viribus inde pulsus) & provincias, civitates, & terras prædictas, de facto occupanti, perturbanti, maxime provincias Campaniæ & Maritimæ supradictas, necnon terram nostram Mareni urbi ad decem milliaria conterminam, & castrum præfatum S. Angeli contra nos ecclesiam & urbem hujusmodi, post abitum dicti prædecessoris Bonifacii occupatum, & ex quo castro a die sexta augusti præteriti, & deinde expulsionis capitaneorum, gentium, & sequacium dicti Ladislai de præfata urbe, omnes hostiles actus exercendo cum bombardis, balistis missilibus, & spoliis, prædis, rapinis etiam sacrarum, & aliis offensionibus cives Romanos, gentes nostras, subditos, habitatores, Romipetas, & alios afficiendo, spoliando, interficiendo, domos vastando, assidue erupit ac erumpit, & plurima alia castra, terras, & loca, ad nos & dictam ecclesiam spectantia, iidem Andreas Matthia; ac Perretius, & Antonellus Thomacellus præter & contra fidem & jusjurandum per quemlibet ipsorum, videlicet per Andream Matthiam Bonifacio prædecessori prædicta ratione vicariatus sibi concessi de terris nostris videlicet Anchorani & ... Esculanæ diœcesis & nobis per dictum Perretium occasione rectoratus provinciarum Campaniæ atque Maritimæ prædictarum, Antonellum Thomacellum occasione castellaniæ prædictæ etiam Bonifacio prædecessori nostro & nobis præstitum, & contra civitatem nostram Esculanam ejusque comitatum, territorium, atque districtum per eundem Andream, Matthiam & ejus gentes, vassallos, & subditos, ut occuparet ipsa etiam, ut ajebat, de mandato dicti Ladislai, obsidione, strage, igne, demolitionibus, & quorundam locorum, & multorum hominum excidiis, desolationibus, prædis, rapinis, sacrilegiis, ac variis & multiplicibus speciebus & generibus nefandissimorum criminum, etiam inhumaniter desævitum extiterit, fecerint & damnabiliter perpetrarint, nec desinunt perpetrare. Subdit Pontifex interposita a se veluti amantissimo patre pia studia, ut eos a scelere revocaret, rescissaque fœdera, quibus se Ladislao obstrinxerant, eos tamen in pertinacia obfirmatos præterita flagitia novis cumulasse, atque ideo iis censuras ac bonorum omnium & jurium proscriptionem intentat. *Datum Romæ apud S. Petrum XIV. kal. julii pontificatus nostri anno II.*

Ladislaus urbis imperium invadere conatus.

Ex mole Hadriana in Romanos eruptiones factæ.

Asculum a Thomacello oppugnatum.

VI. Adhibuit denique Innocentius justam severitatem in Ladislaum Neapolitanum Regem malorum omnium auctorem, qui adeo fœde Ecclesiæ ubera, quibus lactatus fuerat, laniarat: cujus flagitia in oppugnanda sedis Apostolicæ dignitate, inque libertate ecclesiastica in Sicilia citeriori opprimenda indigne patrata cum jam diu dissimulasset Innocentius, neque crebris eum monitis flectere ad officium posset, pontificali demum constantia in contumacem Regem insurrexit, ac Neapolitani regni proceres Raymundum Tarenti principem, Guillelmum ducem Adriæ, Pirrum Noiæ ac Pirrum Cupersæ comites sollicitavit (a), ne Ecclesiæ adversus fœdifragum Ladislaum deessent, eosdemque præstiti illi sacramenti religione solvit. Cumque neque his Rex iniquus moveretur, atque in prioribus subiiciendæ sibi urbis consiliis pertinaciter persisteret, apostolica eum sententia Innocentius Neapolitano regno exauctoravit; qua de re Theodoricus Niemius (b) hæc historiæ mandavit; *Innocentius postquam ad urbem redierat, & in ea per aliquot menses residebat, cum Rex ipse nec tunc ab inceptis, per eum & diu continuatis malis hujusmodi resipisceret, processum formans, illum in publico consistorio in suorum Cardinalium & curialium, nec non multorum aliorum illic congregatorum præsentia contra ipsum Regem XVI. ad minus articulos valde famosos continentem fecerat publicari, in quibus inter multa declaravit reatum perjurii ac proditionis & conspirationis contra eundem Innocentium crimina perpetrasse, ipsumque a regno & terris, quas in feudum a Romana tenebat Ecclesia, necnon etiam in pristinas censuras & sententias & damnationes, quas supradictus Urbanus sextus contra dictum Carolum de Duracio, ipsius Regis genitorem & ejus Caroli posteros seu ab eodem descendentes promulgavit, & a quibus eundem Regem Ladislaum successor immediatus ipsius Urbani, scilicet Bonifacius antedictus, absolverat, ut in præcedentibus recitatur, damnabiliter recidisse declarabat, & alia multa similia, utique nefandissima, quæ Papa per eundem Regem perpetrata dicebat, & publicabantur ibidem.* Avulsa sunt e pontificio regesto ea acta, ubi folia a numero 133. ad 150. desunt: in indice vero hæc ea de re leguntur. *Pag. 134. Citatio contra Regem Siciliæ*; ex aliis tamen literis abunde colligitur, Innocentium gravem ac justam in eum sententiam tulisse. Inter cæteras quidem illi

Judicio agit Innocentius in Ladislaum.

(a) *Lib. 3. p. 4.*

(b) *Theod. e Niem. l. 2. c. 42.*

Exauctoratur jure Neapolitani regni.

Collocata in luce Ladislai flagitia.

illi inflictas pœnas Campaniæ & Maritimæ præfecturam, ex qua immani proditionis genere ad Romam sibi subiiciendam aspirarat, ei abrogavit (a).

(a) Lib. 2. ep. cur. pag. 159.

Ad futuram rei memoriam.

Humana nimium cresceret & vagaretur improbitas, peccandique licentia in sentinam malorum fluitando descenderet, si aut culpa formidinem, pœna scelera, & virtus præmia non haberent. Nos itaque attendentes enormes excessus ac scelera detestanda, quæ maledictionis alumnus Ladislaus olim Jerusalem & Siciliæ Rex cum nonnullis adhærentibus, complicibus, & sequacibus contra statum & honorem nostrum & Romanæ ecclesiæ, invadendo, turbando & occupando provincias nostras Campaniæ atque Maritimæ, & nonnulla civitates, terras, & loca nobis & ecclesiæ supposita eidem, pluraque alia perfide committendo, sicut & est damnabiliter perpetratus, perpetrarisque non cessat assidue, nos adversus eumdem Ladislaum & nonnullos alios sibi adhærentes, fautores, & complices per alias nostras literas duximus procedendum: & inter cætera ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus auctoritate apostolica cassavimus, irritavimus, & annullavimus omnes facultates per nos hactenus eidem Ladislao de eligendis & præsentandis rectoribus, gubernatoribus, & castellanum provinciarum nostrarum Campaniæ atque Maritimæ prædictorum civitatis Esculanæ, Castrorum, fortelitiorum, pontium eorumdem per quasdam alias nostras literas, quarum tenores hic haberi volumus pro sufficienter expressis seriose concessas. Et quoniam indignum esset ut eidem Ladislao aut suis officialibus, gentibus aut subditis in ipsis provinciis, civitatibus castris, fortelitiis, aut pontibus seu quibusvis aliis locis obedientia præbeatur, cum contra nos, & ecclesiam hujusmodi non cesset assidue nefaria machinari, ac volentes in præmissis salubriter providere, ex certa scientia & auctoritate præfata absolventes universitates & singulares personas provinciarum, civitatum, terrarum, castrorum, & locorum prædictorum ab omnibus promissionibus, etiam juramento vallatis factis dicto Ladislao, vel suis officialibus, aut aliis quibuscumque pro eo ac juramenta super iis forsan præstita relaxantes & cassantes ac revocantes, iniquitatis filium Perrettum olim Trojæ comitem, dudum per nos pro certa & elapso jam termino deputatum in rectorem dictarum provinciarum, & quoscumque officiales suos ab omni administratione, gestione, & officio, ac gesta per eos vel aliquem ipsorum, maxime a kal. octobris proxime præteriti citra factum, & omnia inde secuta quod de cætero nulla universitas ac singularis persona cujuscumque status, gradus, habitus, vel conditionis, seu dignitatis ecclesiasticæ vel mundanæ fuerint, audeant vel præsumant per se vel alios directe vel indirecte aut quovis quæsito colore in provinciis prædictis, aut earum, vel Esculanæ civitatis, terris, castris, pontibus, fortelitiis, vel locis vel aliis dicto Ladislao seu Perretto, aut eorum, vel alicujus eorum officialibus, gentibus, vel subditis seu aliis de eorum vel officialium ipsorum mandato aut ordinatione parere vel in aliquo intendere, &c. Adiiciuntur gravissimæ pœnæ in illos qui apostolica imperia neglexissent. *Datum Romæ apud S. Petrum XII. kal. julii pontificatus nostri anno secundo.*

Abrogata omnia privilegia antea illi concessa.

VII. Perculsus apostolica sententia Ladislaus Rex timuit ne Innocentius periculum aliquod ipsi crearet, ac mox ad leniendas Pontificis iras studia sua convertit, ut narrat Theodoricus Niemius (b): *Suum,* inquit, *oratorem ad Papam e vestigio destinabat, qui tantum cum ipso Papa clancula pertractavit, quod Paulum de Ursinis & Ladovicum suum patruelem prædictus ad tractandum pacem inter Papam & Reges prædictos ad Neapolim ire fecerat Innocentius; quos venientes Rex multum honorabat.* Conciliatamque refert Leonardus Aretinus fuisse (c) atque inter cæteras pactiones Hadrianam molem, quæ etiam tum infesta tela in urbem jecerat, Pontifici restitutam: *Quoniam,* inquit, *moles Hadriani, in qua Regis præsidium erat, obsidebatur, telaque & machinæ pervolitabant, & metuebant a regiis copiis, demum post aliquot menses & arx recepta est, & pax cum Rege ex superioribus invasionibus facta.* Descriptæ sunt hujus fœderis singulæ pactiones in diplomate (d) pontificio, quarum præcipuæ hæ fuere: ut injuriæ hinc inde illatæ acceptæque usque ad XXVIII. julii diem oblivioni mandarentur, Ladislaus Christiana demissione obsequium Pontifici addiceret, leges omnes diplomate de concessis a Bonifacio regni Neapolitani juribus comprehensas religiose coleret, restitueret molem Hadrianam Innocentio, acceptum regnum jure fiduciario illi referret, ac sacramentum fidei nuncuparet: se sponderet nullos ecclesiæ clientes bello appetiturum, erepta sacris locis redderet, atque in gratiam proceres qui studuerant Innocentio admitteret. Innocentius vero in Ladislai gratiam proceres illius fœderatos Roma pulsos in urbem revocavit, edicta in Carolum III. ab Urbano VI. conscripta abolevit, & Campaniæ Maritimæque administrationem pro eo tempore, quo erat

(b) Theod. Niem. lib. 2. cap. 41. Ladisl.

Innocentii gratiam exambit.

(c) Aret. in hist. rer. Italic.

Restituta mole Hadriana pacem fecit.

(d) Innoc. l. 1. p. 23.

concessa, Ladislao permisit, quæ conventa a Pontifice confirmata fuere. [1]

Ad futuram rei memoriam.

Diploma Innoc. de eo fœdere.

Decens reputamus & congruum, ut ea, quæ per commissarium nostrum nostro & ecclesiæ Romanæ nomine facta sunt, ut illibata persistant, apostolico munimine roboremus. Cum itaque nuper inter charissimum in Christo filium nostrum Ladislaum Regem Siciliæ illustrem pro se ac regno Jerusalem & Siciliæ ac terra citra pharum, quæ a nobis & Romana ecclesia tenet in feudum, necnon subditis, vassallis, gentibus, adhærentibus, complicibus & sequacibus ipsius ex una, & dilectum filium nobilem virum Ludovicum de Melioratis domicellum Sulmonensem ac provinciæ nostræ marchiæ Anconitanæ pro nobis & eadem ecclesia, rectorem vigore commissionis per nos eidem factæ per alias nostras literas pro nobis & eadem ecclesia necnon alma urbe, provinciis, civitatibus terris & locis ad nos & ipsam Ecclesiam spectantibus gentibus, subditis, adhærentibus, complicibus, & sequacibus nostris ex altera partibus, nonnulla pacta, compositiones, & foedera circa reductionem & reintegrationem præfati Regis ad nostra & ecclesiæ prædictæ fidelitatem, devotionem, & obedientiam facta, firmata, & celebrata fuerunt.

In primis quod de omnibus & singulis guerris, novitatibus & offensionibus motis factis & illatis hactenus ubicumque, quomodocumque usque in diem vigesimumoctavum mensis julii proxime præteriti per dictum Regem, subditos, vassallos, gentes, adhærentes, complices, & sequaces ipsius contra almam urbem, provincias, civitates, terras, castra, & loca prædicta, necnon subditos, gentes, adhærentes, complices & sequaces nostros, vel alios quoscumque, seu contra venientes ad Romanam curiam, & recedentes ab ea, & e converso facta esset, & esse intelligeretur pax, ac plena reintegratio bonæ pacis sub modis, pactis & conditionibus debitis congruentibus, & honestis & circa talem materiam opportunis, quæ hic alias haberi volumus pro sufficienter expressis, & quod de cætero & super quibuscumque damnis, criminibus, culpis, excessibus, & delictis per quoscumque ex superius comprehensis usque in dictam diem civiliter vel criminaliter, seu mixtim ex officio cum promotione vel sine, procedi, cognosci, seu requiri non posset, etiamsi esset cognitum vel non cognitum; & quod in agendo, procedendo, cognoscendo, & & exequendo cuilibet magistratui & aliis quibuslibet quoad præmissa & dependentia esset, & esse intelligeretur adempta omnis jurisdictio, cognitio, & facultas, ac super iis omnibus facta utrique plena & generalis remissio cum membris, clausulis, & substantialitatibus opportunis; salvis tamen & reservatis iis, quæ restitui debent per formam præsentium & aliorum capitulorum circa reductionem hujusmodi, ut supra præmittitur, firmatorum.

Præterita flagitia remisit.

Item quod idem Rex tanquam Benedictionis filius contrito corde & humiliato spiritu, prout decet de cætero, teneretur & deberet sub filiali devotione, fidelitate, & obedientia nostris & præfatæ ecclesiæ, ac successorum nostrorum Romanorum Pontificum regia integritate se conservare, & omnia & singula facere & adimplere nobis, Ecclesiæ, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, ad quæ astringitur per formam concessionis regni ac terræ citra pharum prædictarum eidem per Romanos Pontifices, & maxime per felicis recordationis Bonifacium Papam IX. prædecessorem nostrum immediatum sub certis pactis, modis, censuris, pœnis, & conditionibus quæ hic aliàs haberi debeant pro sufficienter & specifice declaratis in feudum concessorum.

Pollicetur Ladislaus obsequentem se futurum Pontificibus.

Item quod idem Rex teneretur & deberet possessionem vacuam, liberam, & expeditam castri Crescentii, alias S. Angeli, siti in præfata urbe & civitate Leonina ad nos & ipsam ecclesiam pleno jure pertinentis ac spectantis libere reddere, restituere, & consignare, ac reddi & consignari facere præfato Ludovico, quamprimum Romam appulisset, pro nobis & eadem ecclesia recipienti cum omnibus & singulis munitionibus existentibus in dicto castro, omni contradictione & exceptione cessantibus pure atque libere.

Item quod quicumque cujuscumque status, gradus, habitus, vel conditionis seu præeminentiæ esset spiritualis, vel temporalis etiamsi cardinalatus, regia, reginali, aut quacumque alia dignitate fulgeret, seu quævis universitas aut singularis persona de provinciis Romanis, Patrimonii B. Petri in Tuscia, Sabinæ, Campaniæ, Maritimæ, ducatus Spoletani, marchiæ Anconitanæ, Romandiolæ, Massæ, Trabariæ, civitatum & terrarum specialis commissionis, & Arnulforum, aut aliarum civitatum, terrarum

Ecclesiæ jura contra quoscumque assertorum.

NOTÆ [1] REbus illis omnibus, quas hic exhibet annalista, dies certa assignanda est, ut præstitutus in Annalibus digerendis scopus teneatur. Id autem debere nos fatemur diligentia Antonii Petri, qui horum annorum accuratum diarium scripsit. Romanæ urbis dominationem a tyrannis ad Pontificem rediisse scribit ille die XIV. januarii. Pontifex vero nonnisi die XIII. martii rediit in urbem. Die vero XVIII. Junii anathema in Ladislaum & Columnenses pronunciatum. Die XVII. julii legati a pontifice ad Ladislaum missi, qui tandem die VI. augusti pacem cum rege compositam retulerunt. Triduo post, die IX. ejusdem mensis, arx reddita pontifici. Denique novembris *die VI. obiit dominus papa Innocentius VII. ante horam unam pulsationis campanarum S. Petri de urbe.* MANSI

rum, seu locorum ad nos & ecclesiam præfatae spectantium vel pertinentium aliquid non solum facere, sed attentare præsumeret per se vel alios, publice, vel occulte, directe vel indirecte, vel quovis quæsito colore dicto, facto, vel assensu seu alias quomodocumque aut qualitercumque contra statum & honorem nostrum & ecclesiæ præfatorum, almam urbem, provincias, civitates, terras, castra, vel loca, subditos, adhærentes, complices, vel sequaces nostros & ecclesiæ, res vel bona, quæ idem Rex per se vel alium non posset vel deberet quomodolibet sub quacumque forma tacita vel expressa, publica vel occulta, aut quovis colore talibus non solum offendentibus, sed attentantibus offensionem aliquam facere ut præfertur, præbere receptum, auxilium consilium, vel favorem: quinimmo eos & quemlibet eorum res & bona juxta posse persequi, ac nos & ecclesiam prædictos juvare teneretur modo & forma in concessione regni & terræ præfatorum contentis.

Non oppetiturum bello clientes ecclesiæ.

Item quod idem Rex non posset vel deberet aut per se vel alium, ut præfertur, movere seu moveri facere, aut cœptam continuare aliquam guerram, seu volentibus prosequi cœptam contra aliquem vel aliquos subditos, recommendatos, vel adhærentes nostros, qui subditi recommendati vel adhærentes per nos declarati essent, & infra, *per literas apostolicas seu publicum documentum infra dies triginta a die conclusionis ipsorum capitulorum assistere vel favere, vel præstare consilium vel assensum modo aliquo seu forma, & maxime contra infrascriptos; videlicet almam urbem, provincias Campaniæ atque Maritimæ, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Sabinam, civitates, & terras specialis commissionis & Arnulphorum, ducatus Spoletani, marchiæ Anconitanæ, Massa, Trabaria, Romaniola, Bononiensem & Perusinam ac Civitatem castellanensem civitates, cum earum civitatibus, comitatibus, territoriis, atque districtibus, habitatoribus, & incolis; necnon nobiles viros Nicolaum marchionem Estensem, Bertoldum Suanensem comitem, cum cæteris de domo Ursinorum, excepto Jacobo Nepesino, Joannem de Vico almæ urbis præfectum, Franciscum & Nicolaum Anguillariæ & Crapalicæ comites, cum omnibus consortibus eorumdem, Ugolinum de Trinciis, Rodulphum de Varano cum consortibus ipsius, Guidonem militem de Clavellis & Matthæum ejus germanum, Guidonem militem, & Fredericum de Matelica cum consortibus, Honophrium & Antonium de S. Severino, Joannem de Cimis de Cingolo, Raynerium militem, fratres & consortes ejus de Æsio, Guidemtonium comitem Montisferetri, Pierfranciscum de Brancaleonibus cum nepotibus & consortibus suis, Carolum Pandulphum militem & Malatestam germanos, Malatestam quondam Pandulphi militis de Malatestis cum eorum consortibus de Malatestis, Ludovicum de Alidosiis militem Imolensem, Opizonem & Stanium de Polenta, Agabitum & Jannotum de S. Eustachio, Antonium & Leonardum de Farnesio cum fratribus eorumdem, & omnes & singulos alios vicarios quarumcumque civitatum, terrarum, castrorum, & locorum ad nos & ipsam ecclesiam ubicumque spectantium cum omnibus & singulis civitatibus, terris, castris, fortelitiis, & locis quæ dicti superius nominati, & alii ubicumque tenent seu possident. Et viceversa quod per nos nostrosque subditos, vassallos, adhærentes & recommendatos præsentes non deberet de cætero fieri guerra aut novitas, nec de novo incipi contra Regem præfatum, suaque regna, provincias, & terras prædictas, nec contra suos subditos, vassallos, adhærentes, fautores recommendatos tam in regno quam extra & specialiter contra infrascriptos ejus adhærentes & vassallos, videlicet Paulum de Guinigiis de Luca, Joannem de Vico almæ urbis præfectum, Joannem & Nicolaum, fratres, Jordanum & Landulphum milites, & Antonium de Columna, Ildebrandinum Colam & Jacobum ac Nicolaum de Comite, Baptistam, Antonellum, & Franciscum de Sabellis, Jacobum militem de Gajetanis, Richardum de Anibaldis, Conradinum de Antiochia, Matthencium de Monteleone, Cintium de Paterno, Joannem de Capocinis, Cecchum de Palumbaria, Gorum Matthæi Velletrensis, Jacobum de Ursinis Nepesinum, Andream Matthæum ducem Æriæ, Gentilem de Monterano, Baptistam de Romagna, aut alios, qui devenerunt homines & vassalli dicti Regis, nec contra ipsorum vel alicujus eorum tam nominatorum quam non expressorum subditos, vassallos, civitates, terras, castra, & loca ac bona. Ita tamen, quod præfati superius nominati & alii non expressi si & prout de jure deberent, tenerentur respondere de quibuscumque pecuniis & rebus aliis nobis & Romanæ ecclesiæ supradictæ.* Ex iis perspicuum fit quinam fuerint ii qui tum adversus Bonifacium IX. tum adversus Innocentium seditiones in urbe concitarunt.

Comprehensi pacis beneficio vectigales toparchæ.

Parcitum Ladislai fœderatis.

Quinam fuerint seditionum urbanarum auctores.

Addita lex de non affectando alienorum clientum patrocinio.

Item quod idem Rex non posset vel deberet pro suis adhærentibus vassallis seu colligatis recipere, aut alio quovis modo ad se allicere vel complicare aliquem ex subditis, vassallis, seu adhærentibus nostris, & ecclesiæ supradictæ, qui nobis & eidem ecclesiæ hactenus adhæsissent, vel adhærent quomodolibet in futurum, & vice versa quod nos pro nostris vel aliter præterquam in spiritualibus, non deberemus recipere seu ad nos reducere aliquem ex magnatibus regni præfati, vel exteris vassallis, vel hominibus ligiis aut colligatis ipsi-

ipsius Regis, & specialiter illos, quos principes urbis vocant.

Item quod si quis ex absentatis seu exititiis Romanis moram trahentibus nunc vel in futurum in aliquibus civitatibus, terris, castris, & locis dicto Regi subjectis, vel recommendatis, aut in quibus de jure vel facto per se vel alios quomodocumque aut qualitercumque habent aliquam praeminentiam, vel majoritatem, seu custodiam vel praerogativam, aliquid de caetero ordinaret, tentaret, vel faceret per se vel alios contra statum & honorem nostrum & dictae ecclesiae, quod eo ipso idem Rex teneretur & deberet contra hujusmodi tentantes vel committentes aliquid contra statum & honorem nostrum, necnon urbem, provincias, civitates, subditos, adhaerentes, vel commendatos nostros praefatos, punitionem & & justitiam fieri facere, prout delictorum & excessuum qualitas postularet.

Ladisl. prohibitus favere rebellibus.

Item quod idem Rex infra terminum, qui per nos declarabitur, teneretur, & deberet homagium & ligium facere per se, vel procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum, juramentumque fidelitatis praestare nobis ac successorum nostrorum & Romanae ecclesiae praedictarum nomine recipientibus secundum formam dictae concessionis, ac sub illis modis, censuris, & poenis, quibus astringitur per formam concessionis hujusmodi, & contentorum in ea.

Sacramentum fidei nuncupare jussus.

Item quod supradictus Rex teneatur & dein omnia & singula bona immobilia ad ecclesias seu monasteria aliqua, seu eorum praelatos quomodolibet spectantia in dicto regno invasa, seu quomodolibet occupata per quascumque sibi subditas praelatos ecclesiarum, & monasteriorum hujusmodi, qui hujusmodi bonis vel aliquo eorumdem spoliati fuissent: & hujusmodi restitutionem facere & fieri facere infra menses duodecim, incepturos ab anno proxime sequuturo xiv. indictione & ab inde in antea ad petitionem hujusmodi praelatorum; & quod de bonis mobilibus quae reperirentur per hujusmodi suos subditas, ecclesiis, monasteriis, & praelatis hujusmodi ablatis & occupatis mandabit fieri justitiam expeditam. Et quia idem Rex & nonnulli alii sui subditi, vassalli, sequaces, & adhaerentes, procerce expedientibus causis, ut asserebant, antea tenuerunt & adhuc tenent, & tenere eos oportet nonnulla castra, fortelitia, terras & loca spectantia ad nonnullas ecclesias dicti regni, quod liceret dicto regi & praefatis tenentibus ipsa adhuc tenere & possidere per annos duodecim.

Rapta sacris locis restituere.

Item quod omnia & singula animalia dilectarum filiarum Romanorum civium quomodolibet detenta, vel arrestata ad cujusvis, etiam praefati regis instantiam in regno seu provinciis supradictis, vel alibi sub potestate dicti regis, libere restituerentur & restitui & facere quod restituerentur, videlicet quae ad praesens reperiantur usque & per totum praesentem mensem augusti dominis eorumdem, vel procuratoribus ipsorum, & non ultra; solutis tamen prius per patronos animalium vel alios pro eis unciis duobus carlenorum pro quolibet centenario animalium repertorum, & etiam restituendorum pro expensis custodum & pascuis & aliis opportunis.

Ac Romanis armenta.

Item quod absolveremus & liberaremus ab omnibus & singulis, culpis, excessibus, & delictis commissis & perpetratis hactenus a tempore assumptionis nostrae hujusmodi usque in dictam diem XXVIII. *mensis julii proxime praeteriti, omnes & singulas exititias praefatae urbis occasione adhaerentiae seu fautoria praefati regis & ejus sequaces ab ipsa urbe quomodolibet absentatos in forma opportuna, & restitueremus ad jura, & bona quae in praesentiarum possident, & incolatum eorum in forma debita, salvo quod nulli ex hujusmodi exititiis esset licitum vel permissum posse stare vel quomodolibet residere prope dictam urbem per milliaria quadraginta usque ad biennium proxime sequuturum.*

Urbis exules Ladislai studiosi patriae restituti.

Item quod si quis ex illis, quos principes & dominos Romani vocant, teneretur aliquid facere vel praestare Romanis, quod ad id compelli aut astringi non possint, quamdiu eorum durabit absentia a dicta urbe, videlicet per spatium duorum annorum proxime futurorum. Et infra.

Item quod de omnibus & singulis damnis hinc inde illatis tempore praesentis guerrae quibuscumque, per quoscumque, & qualitercumque essent, & esse deberent factae remissiones & compensationes hinc inde; & quod nullo unquam tempore repeti per aliquem vel aliquos possent vel deberent, aliquibus reprensaliis quomodocumque factis non obstantibus; salvo quod praemissa non vendicent sibi locum in iis quae restituenda venirent per formam praesentiam capitulorum.

Item quod omnes & singuli processus contra clarae memoriae Carolum III. regni Siciliae Regem & ejus sequaces per felicis recordationis Urbanum Papam VI. praedecessorem nostrum, in meliori forma, qua fieri poterit, tollerentur.

Conventum de tollendis edictis in Carol. III. factis.

Item quod si quis scrupulus alicujus suspicionis vel rancoris dicto vel facto conceptus esset contra dilectum filium nobilem virum Jacobum de Ursinis comitem Taliacotii, idem Rex consideratione nostra praefato Jacobo omnem injuriam remittet ac subditis & vassallis suis, ac eumdem tractabit tanquam fidelem vassallum ac verum & bonum servitorem ejusdem, nullam per se vel alium dicto comiti, subditis, & vassallis, terris, & locis molestiam vel injuriam illaturus.

Item quod in quantum pro parte dicti Regis aut suorum subditorum, aut adhaerentium

tium vel sequacium nulla fiat molestia nobis aut successoribus nostris & ecclesiæ prædictæ, aut almæ urbi, seu provinciis, civitatibus, terris, castris, & locis ad nos & eandem ecclesiam spectantibus, aut subditis, adhærentibus, complicibus, vel sequacibus nostris, quod interponeremus nos vel etiam faceremus quod Ludovicus commisserint noster præfatus, & dilectus filius nobilis vir Paulus de Ursinis domicellus Romanus nonnullarum gentium nostrarum armigerarum capitaneus pro se & gentibus eorundem, aut aliæ gentes nostræ non invadent regnum & terras, quæ tenentur per dictum Regem, suosque subditos, vassallos sequaces, adhærentes, & recommendatos; nec etiam provincias nostras Campaniæ atque Maritimæ, durante tempore concessionis per nos factæ & faciendæ de ipsis.

Duces pontificii ob invadendo regno Neapoli revocati.

Nos itaque volentes præmissa omnia sic, ut præfertur, firmata & conventa inter Regem & Ludovicum (scilicet de Meliorati) *præfatos executioni debitæ demandari, habentes ipsa rata & grata prout gesta sunt, ea omnia ex certa scientia* auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem. Nulli ergo, &c. *Datum Romæ apud S. Petrum id. augusti pontificatus nostri anno secundo.*

Receptum in pristinam gratiam Ladislaum Regem Innocentius ornavit beneficiis, eumque Romanæ ecclesiæ signiferum ac defensorem creavit (*a*), ut sive adversum Turcas, uti aliquam præ se ferebat speciem, sive adversus alios hostes Romanæ ecclesiæ vexilla attolleret.

(*a*) *Ib. pag.* 19. Ladisl. vexillifer ecclesiæ Romanæ creatus.

Charissimo in Christo filio Ladislao Regi Siciliæ illustri, ac nostro & ecclesiæ Romanæ defensori, conservatori, ac vexillifero, salutem, &c.

Inter curas multiplices, quibus assidue premimur, illa præcipue solicitat mentem nostram, ut ad defensionem & conservationem status & honoris nostri, & Romanæ ecclesiæ sponsæ nostræ, cui authore Domino præsidemus, ad ejusdem ecclesiæ vexilliferatum viros deputemus illustres, fidei sinceritate præclaros, providentiæ studio circumspectos, & gerendarum rerum experientia doctos, soliciter vigilantes, & potentiæ magnitudine communitos, qui statum & honorem nostrum & præfatæ ecclesiæ diligant, pacem ament, concordiam nutriant, & oppressores, seu turbatores status & honoris nostri præfatorum sub potenti brachio, si se emendare contempserint, Altissimi virtute prosternant. Horum igitur consideratione inducti, ac etiam attendentes Omnipotentis gratiam, qui nubilo dat serenum, indirecta convertit, & aspera in vias planas dirigit, tuæque regiæ serenitatis filialem intentionem erga statum & honorem hujusmodi, prout ex assertione fidedigna dilectorum filiorum nobilium virorum ab ejusdem tuæ serenitatis præsentia redeuntium noviter, videlicet Ludovici de Melioratis Sulmonensis provinciæ nostræ marchiæ Anconitanæ pro nobis & eadem ecclesia rectoris, Pauli de Ursinis Romani domicelli nonnullarum gentium nostrarum armigerarum capitanei, Gentilis de Merolinis legum doctoris Sulmonensis, & Jacobi Galgani nobilis Aversani nuper accepimus, ac sperantes, quod per ejusdem tuæ serenitatis excellentiam status & honor præfati defensionem & conservationem adversum contradictores & rebelles quoslibet, dextera Domini assistente propitia, incrementa salutaria quaque suscipient; te nostrum & præfatæ ecclesiæ defensorem, conservatorem, ac vexilliferum authoritate apostolica tenore præsentium usque ad nostrum beneplacitum deputamus, tibi quandocumque sive contra Turcos Christiani nominis inimicos, seu quoscumque hostes & rebelles præfatæ ecclesiæ; sive alias juste tamen arma te capere contigerit, nostra & ecclesiæ prædictæ vexilla libere & licite capiendi ac deferendi, & omnia & singula gerendi & exercendi, quæ pro statu & honore hujusmodi opportuna fuerint, & ad ipsum defensoriatus, conservatoriatus, ac vexilliferatus officium spectare noscuntur, de consuetudine vel de jure faciendi, gerendi, & exercendi, dicto durante beneplacito, ac etiam exequendi harum serie potestatem & licentiam concedentes. Tu igitur fili charissime, ex credito tuæ celsitudini munere cælesti, virtutes officium hoc regia serenitate, & filiali ac devota integritate suscipiens, sic illud studeas prudenter, fideliter, ac feliciter exercere ac exequi, ut eadem tua serenitas apud Largitorem bonorum omnium nos & sedem Apostolicam condignis possit laudum præconiis commendari, nostramque & ejusdem ecclesiæ benedictionem & gratiam peramplius promereri. Volumus autem quod antequam hujusmodi defensoriatus, conservatoriatus, & vexilliferatus officium incipias exercere, de eodem fideliter exercendo, & aliis fidelitatis in manibus nostris seu dilecti filii Simonis de Novaria canonici Novariensis & apostolicæ cameræ clerici & familiaris nostri eadem tua serenitas præstare debeat in forma debita juramentum. Datum Romæ apud S. Petrum id. augusti pontificatus nostri anno secundo. Adjectæ sunt regesto pontificio literæ ad Simonem e Novaria, de quo memorat Innocentius, eo argumento datæ (*b*), quibus præcipit, ut Regem Ladislaum sacramento in verba ipsius Pontificis adigeret, formamque illius subjectis verbis conceptam præscripsit.

Ladisl. Rom. eccles. signifer creatus. Vexillo pontificio in Turcas vel perduelles Rom. eccles. circumferre permissus

(*b*) *Ib. pag.* 18.

Ego Ladislaus Rex Jerusalem & Siciliæ illu-

Sacramenti forma a Ladisl. nuncupata.

illustris defensor & conservator & vexillifer sanctissimi domini nostri domini Innocentii Papæ VII. & Romanæ ecclesiæ per ipsum dominum nostrum specialiter deputatus, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, sanctæ Romanæ ecclesiæ, & domino meo domino Innocentio Papæ VII. ejusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in facto, consilio, vel consensu, quod vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Si damnum eorum tractari scivero, pro posse meo impediam ne fiat quod si impedire non possem, pro eis significare curabo. Consilium, quod mihi credituri sunt, ad eorum damnum seu præjudicium nulli pandam. Papatum Romanum & regalia beati Petri & jura omnia Romanæ ecclesiæ, ubicumque sint, manutenebo pro posse & defendam, & adjutor ero ad retinendum & defendendum & conservandum contra omnes homines. Officium defensoriatus, conservatoriatus, & vexilliferatus domini nostri & ecclesiæ præfatorum mihi per ipsum dominum nostrum Papam commissum ad ejus & successorum suorum adjutorium & honorem legaliter & fideliter exercebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia. Firma concordia Pontificem inter ac Regem coalescere non potuit, retulit enim iterum injurias Pontifici pro acceptis beneficiis Ladislaus, cujus ingratam mentem, ita

Non servat fidem Ladisl.

describit Theodericus Niemius (a): *Innocentius ægrum habuit animum contra dictum Regem Ladislaum quamdiu vixit: nec mirum, quia dum Rex ipse erat junior, & in Cajeta moraretur, & antequam statum suum suum recuperabat in regno prædicto, aliquoties ad Romam, tunc regente Bonifacio, cum pauca comitiva venit, ut subsidia quæreret a Papa & curialibus, quæ ipsi pro posse ei gratuite impendebantur: cumque, in Ecclesiæ gremio velut unicum filium eis charissimum nutriebant, inter quos idem Innocentius tunc temporis tit. S. Crucis in Jerusalem presbyter Cardinalis fuit præcipuus zelator honoris & status Regis memorati &c. Cujus tamen gratitudo reperitur in omnibus ut præcedentia manifestant, nimirum cum scriptum sit: nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum in quibus non est salus.* Subdit iterum in eum judiciariam severitatem adhibere Innocentium decrevisse, sed morte oppressum id perficere non potuisse.

(a) Theod. Niem lib. 2. cap. 41.

Ingratus ejus animus.

Excessisse ipsum e vita Romæ septima die novembris, scribit Gobelinus Persona (b) [1] qui ex encyclicis Gregorii literis emendandus est, dum illum octavo Idus novembris, nimirum sexta die obiisse affirmat: atque ita cum renunciatus fuerit Pontifex, ut suo loco vidimus, decimaseptima octobris die, anno quarto

(b) Gobelin. in Cosmodrom. æt. 6. cap. 88.

Obitus Innoc. & sedis tempus.

NOTÆ [1] HOc anno, mense & die ab annalista signatis, Innocentius VII. decessit in paucis celebrandus pontifix, quippe qui tota vita sua continentissimus fuit. Dum cardinalis esset jejunium quotidie, eleemosynas frequenter exercebat, teste Anonymo Vaticano in vita ejus apud Muratorium Rer. Ital. to. III. par. II. col. 833. Mitem ejus indolem & morum sanctimoniam prædicat Leonardus Aretinus, qui illi ab epistolis aderat non in historia tantummodo, ex qua fragmentum recitat annalista, sed & in epistola, quæ in nova epistolarum Aretini editione a Cl. Laurentio Mehus adornata, lib. I. num. V. legitur. Communi omnium proborum voto, priusquam cardinalium suffragiis renunciaretur, pontifex destinabatur, ait idem Anonymus Vaticanus. Nimiæ indulgentiæ in nepotem suum Ludovicum a nonnullis notatur; nec sane dubitandum, quin præcipitata & incauta juvenis illius consilia pontificem coegerint ut Roma fugienti potius quam abscedenti similis abiret, quod ex eadem Aretini ad Colucium epistola planum fit. Genere mortis non quidem violento, quo nonnullorum suspicio fuit teste Aretino in epistola ad Franciscum Cortonensem principem, Epistolar. l. II. num. II. sed naturali extinctus fuit; præterquam enim pedibus & latere interdum dolebat, apoplexia tactus fuit bis, Romæ semel levius, iterum Viterbii gravius, qui morbus per æstivos calores remissior, iterum vero redeunte hyeme ingravescens senem annorum ultra septuaginta oppressit. Hæc Aretinus ibidem.

Justis defuncto pontifici persolutis cardinales in conclave secesserunt, de successore deliberaturi. Inter illos diu multumque agitatum est utrum electionem suspendi præstaret; præsertim id rogantibus Gallorum legatis, qui Benedicti pontificis cessionem spondebant; suadentibus pariter Florentinorum Oratoribus, quos ex de causa Florentinorum respublica ad Cardinales legaverat. Aretinus in alia epistola ad eumdem Franciscum epistol. l. 2. num. III. Vicit tamen de successore deligendo sententia, qua de re in annalibus &c.

Communia electorum suffragia in Angelum Corarium Venetum convenere, ut in Annalibus. Dies electionis ab omnibus huc usque II. decembris assignatur. Verum cardinales in epistola, quam communi nomine ad Colonienses de hac electione scripserunt, vulgata inter acta varia schismat. Avenionens. Martene Anecdot. to. II. col. 1280. testantur: *Die ultima novembris in dominum nostrum elegimus atque patrem.* Cum eadem electionis die congruit & authoritas epistolæ illius, sicut & alterius ab iisdem Cardinalibus ad Benedictum XIII. scriptæ, legendæ inter acta prævia ad concilium Pisanum Martene veter. monum. to. VII. col. 719. utraque enim hæc epistola eadem die data, ita signatur: *Datum Romæ XI. die assumptionis præfati domini nostri, X. vero decembris.* Electio ergo die XXX. novembris peracta est. Ex his vero mendi arguuntur notæ chronicæ epistolæ Gregorii ad Benedictum ab annalista hic recitatæ, quam eadem ipsa die ac literæ illæ cardinalium datam non ambigo, adeoque ita reformanda est. *Datum &c. die ab assumptione nostra XI. X. vero decembris.* MANSI

to hujus fæculi, ipfum annos duos, dies xxı. fediffe affirmandum eft. Celebrant ejus laudes plerique fcriptores, inter quos Theodericus Niemius (a) cæteroqui parum erga Romanos Pontifices æquus, hoc elogium filere non potuit: *Ifte Pontifex fuit mitis, benignus, & compatiens afflictis, nec erat aliqua fuperbia in eo, neque apud ipfum acceptio perfonarum, nifi quod dictam Ludovicum & quofdam alios fibi fanguine junctos in quibufdam regiminibus terrarum ejufdem ecclefiæ collocavit: libens pofcentibus audientiam dabat, & fere diebus fingulis certis horis fupplicationes fibi porrectas folicite fignabat, confiftoria privata & publica tenebat diebus & horis confuetis, nec alicui moleftus neque cupidus feu avarus exiftebat; fimoniacos exofos habuit.* Edidiffe in ipfos graviffimam fanctionem, ut eofdem pœnarum magnitudine a flagitio abduceret, narrat fubjectis verbis Gobelinus (b): *In omnes & fingulos cujufcumque gradus, ftatus, vel conditionis exifterent, etiamfi pontificali aut alia quavis præfulgerent dignitate, qui forfitan in futurum hujufmodi, nefanda in rotulis hujufmodi vel extra illos fimoniace procurare vel tractare, aut propterea pecunias vel alia munera dare, vel promittere, feu recipere contingeret, excommunicationis fententiam promulgavit, a qua per alium quam Romanum Pontificem præterquam in mortis articulo, abfolvi non poffent: & nihilominus procurantes, tractantes, dantes, promittentes, ac recipientes, hujufmodi omnes & fingulos five pro fe, five pro aliis, omnibus beneficiis ecclefiafticis quæ eo tempore quomodolibet obtinerent effent privati, & inhabiles ad alia beneficia obtinenda.* Incubuiffe etiam Innocentium ad emendanda alia vitia, quæ in aulam irrepferant, ac folutiores mores caftigaffe, refert prædictus Theodericus (c): *Dum,* inquit, *refideret in Viterbio, ut præfertur, fcriptores literarum apoftolicarum per privationes officiorum fuorum & alias formidabiles pœnas compulit ad dimittendum focarias eorumdem: & verifimiliter multa alia utilia peregiffet in ejus papatu, fi eum Dominus a fæculo ita fubito non vocaffet. Hic erat etiam pulchra ftatura, nec pinguis nec macer & bonæ complexionis, & cum viris literatis & doctis delectabatur habere colloquia, eofque dilexit & pro poffe promovit.*

(a) Theodor. a Niem lib. 2. cap. 39.

Ejufdem elogium.

(b) Gobelin. in Cofmo. æt. 6. c. 88.

Gravis ipfius in fimoniacos cenfura.

(c) Theodor. Niem lib. 2. cap. 41.

Libidinum licentiam in adminiftris eft infectatus.

IX. Juftis funeribus ei ex pontificiæ majeftate perfolutis, Cardinales ingreffi funt conclave die xvııı. novembris, quorum nomina recenfet Felix Contelorius (d) ex libro collegii fanctæ Romanæ ecclefiæ Cardinalium, nofque inferius e publicis tabulis recenfebimus. Ancipites diu hæfere, num maturandæ ecclefiarum conjunctionis caufa fummi Pontificis creationem differrent, modo Petrus e Luna pfeudopontificatu fe abdicaret, fed cum graves contrariæ urgerent caufæ, & Petri internuntii negarent illum honore abiturum, creandum novum Pontificem, obftringendumque ad reftituendam, pofitis una cum æmulo papalibus infignibus, Ecclefiæ pacem cenfuere, quæ Leonardus Aretinus (e) accurate defcribit; *Cardinales,* inquit, *peractis circa funus folemnibus, ambigui fuerunt num Pontificem alium fufficerent in demortui locum, an magis fuperfederent electione: faciebat vero ambiguitatem quod principes Galliæ, veriti ne divifio Ecclefiæ perpetua efficeretur, prepontificem fuum obligaverant ad pontificatum deponendum, fi vel nofter Pontifex fe abdicaret, vel eo vita functo, Cardinales noftri electione fuperfederent; hæc enim via redintegrandi undique certiffima vifa fuerat, juris quidem difceptatio nec judicem habebat ullum, qui fuperior effet, & inextricabiles alioqui continebat difficultates. Hac igitur via placente, cupiebant patres in electione Pontificis fuperfedere. Sed altera ex parte pericula magna, fi fuperfederetur, timebantur, cum & dilatio longa neceffario interventura foret & nullo interim præfidente confufio atque ruina rerum formidaretur. Itaque mediam quandam viam fecuti patres eligere quidem ftatuerunt, verum ita obligare eum qui eligeretur, ut fe magis procuratorem ad deponendum pontificatum, quam Pontificem factam exiftimare poffet.*

(d) Contelor. in elench. Cardd.

Ancipites Cardd. fententiæ de creando fucceffore.

(e) Aretin. in hiftor. rer. Italic. & epift. lib. 3. ep. 3.

Cur & quomodo ftatuerint deligendum.

X. *Cautio in hunc modum adhibita: promifit, juravit, & vovit unufquifque patrum, idque chirographo folemni infcripfit, fi Pontificem eligi fe contingat, depofiturum fe pontificatum, fi adverfarius pontifex idem faceret, idque ftatim ille per literas fignificaturum, & invitaturum ad hoc ipfum faciendum; procuraturumque infuper omni via & modo unitatem, eaque bona fide & fine ulla fraude, promiffionem & votum & jufjurandum, quod ipfe præftitiffet, omnibus Regibus principibufque per fuas literas primo quoque tempore fignificaturum, quo eos teftes haberet obligationis fuæ.* His confentientia Gobelinus (f), Theodoricus e Niem (g), S. Antoninus (h), aliique tradunt, extantque (i) publicæ tabulæ infignes ea de re in conclavi confectæ, quas ad illuftrandam hiftoriam adducimus.

Conventa in conclavi edita.

(f) Gobelin. in Cofm. æt. 6. c. 88.

(g) Theodor. a Niem. lib. 3. c. 1.

(h) S. Anton. 3. p. tit. 22. cap. 5. in princ.

(i) Tom. 22. de fchifm. pag. 1. & apud Niem. tract. 2. c. 1. & Contel. in elench. Cardd.

In Nomine fanctæ & individuæ Trinitatis.

Amen.

XI. *Anno a nativitate domini noftri Jefu Chrifti MCCCCVI. indictione XIV. die martis XXIII. menfis novembris in die S. Clementis Apoftolica fede vacante per obitum felicis memoriæ domini Innocentii Papæ VII. congregati invicem & collegialiter coadunati pro futura electione fummi Pontificis celebranda infrafcripti reverendiffimi patres & do-*

Cardd. nomina. & domini Angelus Ostiensis dictus Florentinus, Henricus Tusculanus dictus Neapolitanus, & Antonius Penestrinus dictus Aquilejensis episcopi, Angelus tit. S. Potentianæ dictus Laudensis, Conradus tit. S. Chrysogoni dictus Melitensis, Angelus tit. S. Marci dictus Constantinopolitanus, Jordanus tit. S. Martini in montibus dictus de Ursinis, Joannes tit. S. Crucis in Jerusalem dictus Ravennas, Antonius tit. S. Praxedis dictus Tadertinus presbyteri, Raynaldus S. Viti in Macello de Brancatiis, Landulpus S. Nicolai in carcere Tulliano dictus Barensis, Otto S. Gregorii ad velum aureum dictus de Columna, Petrus S. Angeli, & Joannes SS. Cosmæ & Damiani dicti Leodiensis diaconi S. R. E. Cardinales in communi capella S. Nicolai sacri palatii apostolici Romæ apud S. Petrum intra conclave consuetum, quod pro loco ad infrascripta idoneo elegerunt & etiam deputarunt, in præsentia mei Stephani de Prato sacri collegii clerici & aliorum notariorum, & testium infrascriptorum, considerantes Christianæ religionis infamiam, detrimenta, & graves fidelium molestias ac pericula, quæ hactenus emerserunt, & emergere verisimiliter est censendum, nisi salubriori remedio ac in tempore, divina favente clementia, cujus res agitur, occurratur ex pestifero & damnabili schismate, quod tantis proh dolor! temporibus in scissuram Christianæ fidelitatis gravissime perduravit & durat, nec piam provisionem ullas pro hujusmodi schismatis remotione per eos factam effectum aliquem produxisse, ac intendentes ad remedia fortiora, non quid juris pro parte eorum justitia fundeat, quod jus verissimum, & plena veritate fulcitum, sed quid pro redintegratione & unitate Christianorum ex malitia temporis de facto, & si non de jure, expediat eligentes, & specialem eorum considerationem ascolorantes, quanti possit esse discriminis, si dilatio in electione futuri summi Pontificis fieret temporum malignitate pensata, universaliter singuli & singulariter universi unanimiter & concorditer nemine discrepante ex certa scientia convenerunt, voverunt Deo ac ejus matri Virgini gloriosæ, ac
Voti a Cardinalibus nuncupati formula. sanctis Apostolis Petro & Paulo, totique cœlesti curiæ juraverunt, & ad invicem unus alteri, & e converso se obligando solemniter promiserunt, quod si quis eorum assumptus fuerit ad apicem summi apostolatus, pro redintegratione unitatis Christianorum, renuntiabit effectualiter juri suo ac papatui pure libere, ac simpliciter, si & quando antipapa, qui est & qui pro tempore fuerit, consimiliter renuntiabit & cedat prætenso juri suo & papatui, sive decedat dummodo anticardinales effectualiter velint cum eisdem dominis sacri collegii sic convenire & concordare, quod ex hoc sacro collegio & ipsis sequatur justa canonica electio unici summi Romani Pontificis; ac etiam promittentes se facturos & suraturos, omni dolo & fraude atque maligna interpretatione cessantibus, pro posse quod si quis ex dominis absentibus vel de extra collegium per eos assumatur in Papam, eamdem faciat obligationem, ut quod infra mensem a die suæ inthronizationis numerandum per suas expressas & apostolicas literas Regi Romanorum, antipapæ & ejus prætenso collegio, Regi Franciæ, & omnibus aliis Regibus illustribus, principibus, prælatis, universitatibus, & communitatibus Christianitatis secundum fidem præfatorum dominorum de collegio præmissa omnia ordinabit, & ea se offeret impleturum, ut paratum ad cessionem prædictam & ad omnem aliam viam rationabilem, per quam prædictum schisma tollatur, & unionis subsequatur integritas in Ecclesia Christianorum, & quod super omnibus supradictis ultra præmissa suos solemnes destinabit oratores infra tres menses a die inthronizationis prædictæ computandos illis, quibus de consilio præfatorum dominorum sacri collegii sui videbitur, & ipsis ambaxiatoribus cum effectu imponet cum consilio eorumdem dominorum, de locis decentibus eligendis ab utraque parte, eisque potestatem plenariam dabit de loco conveniendi habili & decenti, ac etiam promittet similiter, ut præfertur quod pendente tractatu unionis hujusmodi effectualiter & realiter ex utraque parte non creabit nec faciet aliquem Cardinalem nisi causa coæ- **De Cardinalibus non creandis nisi ad æquandum numerum anticardinalium.**
quandi numerum sui sacri collegii cum numero perversi collegii anticardinalium prædictorum, nisi ex defectu steterit adversæ partis, quod unionis præfata conclusio infra annum a fine dictorum trium mensium computandum non fuerit subsequuta: quo casu tandem eidem liceat Cardinales eligere ac creare prout pro statu sanctæ matris Ecclesiæ eidem videbitur expedire: & hoc de non creando Cardinales nisi modo prædicto in forma congrua insinuabit antipapæ & prætenso collegio supradictis, ut ipsi similiter sic faciant; nec non quod omnia præmissa & singula incohata & inchoanda mediabit, prosequetur, & fine debito terminabit, nihil de contingentibus, necessariis, & utilibus, vel quomodolibet opportunis omittendo, quantum in eo fuerit, quodque statim post ejus electionem & ante ipsius publicationem omnia & singula supradicta confirmabit, & approbabit authentico modo, & de novo similem promissionem **De repetendo voto post electionem, & post acceptum insigne pontificium.**
faciet in omnibus & per omnia coram dictis dominis collegii testibus & notariis, & subscriptionem faciet manu propria in instrumento, prout supra de Cardinalibus continetur, & similiter hujusmodi ratificationem, approbationem, votum, & promissionem effectualiter faciet in primo consistorio publico vel generali, quod post co-

ro-

ronationem suam ad hoc commodo, consueto, & congruo tempore celebrabit.

XII. *Insuper præfati domini Cardinales, voverunt, juraverunt & ad invicem promiserunt, quod per suas literas infra mensem a die inthronizationis prædicta collegialiter intimabunt de electione facta, necnon de voluntate & promissione quoad unionem prosequendam & omnia supradicta, omnibus præfatis dominis, prout & sicut facere tenebitur qui erit electus, ac etiam inchoata mediabunt, prosequentur, & sient, quantum in eis erit, nihil de contingentibus, necessariis, vel opportunis quomodolibet, seu utilibus omittendo. Quæ omnia & singula promiserunt inter se ad invicem & vicissim (ut supra) attendere, facere, exequi, & effectualiter adimplere bona, pura, & sincera fide, omni dolo & fraude cessantibus, & sic quilibet ipsorum juravit corporaliter manu tactis sacrosanctis evangeliis coram eis præsentialiter positis, servare, adimplere, & exequi, prout superius continetur; quodque a prædictis promissione, voto, & obligatione ac juramenti præstatione, & ejus observatione, ac omnibus & singulis supradictis nullus eorum absolutionem petet, seu impetrabit per se vel per alios, & impetratis aut impetrandis utetur, & sibi concessam nullatenus acceptabit, nec data potestate per ipsum alteri commissa faciet, se absolvi, seu etiam seipsum in aliquo dispensari; sed volet dicto vinculo perpetuo remanere obligatus: & nihilominus ad majorem certitudinem & firmitatem præmissorum quilibet ex dominis de collegio supradicto teneatur se subscribere manu propria omnibus & singulis instrumentis conficiendis exinde, quorum instrumentorum quilibet ex ipsis dominis de collegio unum vel plura habere valeat pro ejus arbitrio voluntatis. Acta in capella prædicta, &c.* Adjecta sunt testium nomina quæ brevitatis gratia prætermittimus.

XIII. Nuncupata illius sacramenti formula Cardinales, ut refert Leonardus Aretinus (a), vicum divinæ quam suæ cupidiorem gloriæ indagare cœpere in quem papales apices, quos rei catholicæ causa postea exueret, conferrent: *Ea*, inquit, *multis solemnibusque verbis cum in unum redegissent, & chirographa singulorum confecta essent, agitare post hac de electione cœperunt. Vir quærebatur non tam peritia, quam fide integritateque idoneus, quippe ad bene agendum in ea quidem re non calliditate consilii, neque profundo arcanoque pectore, sed bona voluntate opus fore videbatur. Ita animati cum singulos examinarent, tandem in Angelum Corarium natione Venetum mentem consensumque omnes verterunt. Is fuerat paulo ante opera Innocentii Pontificis inter patres adscitus, cum antea titulo tenus patriarcha Constantinopoleos haberetur; vir prisca severitate & sanctimonia reverendus. Is vero conclavi egressus promissionem, votum, & juramentum, quæ privatus fecerat tunc in potestate constitutus iterato novavit, atque ita loquebatur de unione primo illo tempore, ut si cætera deessent, pedibus & baculo se iturum ad eam conficiendam assevararet.* Creatus est die secunda decembris (b) nomenque Gregorii XII. accepit; quem explicuisse etiam tum ingentem perficiendæ ecclesiarum conjunctionis ardorem, adeo ut ad pia ejus verba audientium animi sacro religionis sensu colliquescerent, testatur Theodericus Niemius (c) his verbis.

Ante sua coronationis insignia ratificans & approbans eadem vota & juramenta sua per ipsum in eodem conclavi præstita sermonem fecit coram eisdem Cardinalibus ac curialibus & aliis in non modica multitudine præsentibus, cujus thema fuit: Parate viam Domino; nihil aliud effective in ipso sermone deducens, nisi solicitando & exhortando Cardinales & curiales, quod cum eo omnino parato, ut tunc verba sonabant, ad faciendam unionem in eadem voluntate concurrerent, ipsum in hoc possetenus adjuvando, de quo domini Cardinales & curiales plurimum lætabantur, & dictis & scriptis lateque Errorum, scommate hoc Gregorium notare consuevit author, *laudum præconiis de ipsius sanctitate & literarum scientia, prudentia & bonitate usque ad sydera efferebant, existimantes utique tunc falsa opinione decepti, quod per eum salus fieret in Israel, & reintegraretur ipsa Ecclesia sub tali pastore;* nihilcisque inresiectis de ejus familiaribus colloquiis in quibus desiderio extinguendi schismatis se flagrare ostendebat subdit (d): *Aliquando cum suis capellanis & familiaris domesticis maxime in collectione post cœnam vel prandium conferenda dicebat ad ipsos, quod pro certo nequaquam per eum staret, quin dicta fieret unio in quocumque loco etiam quantumcumque ab ipsa urbe remoto illam fieri oporteret; & si galeis, seu forte navigiis careret, paratus esset illuc etiam in parva cymba seu carbosa navigare, quodque si per terram illuc pertransire magis expediret, ac convenienti equorum vectura careret, certe non propter hoc dimitteret quin illuc iret, etiamsi eundo pedester baculo arundineo per iter sustentari deberet, multa his similia verba frequentius eructando.*

XIV. Excurrente decimo a sua creatione die Gregorius, antequam pontificia thiara redimitus solemni pompa esset, insignes quas Leonardus Aretinus (e), qui pontifici a secretis erat, se scripsisse (f) affirmat, ad Petrum e Luna antipapam literas dedit, quibus exposuit, se ad conjungendas sacro pristino fœdere ecclesias, pontificatu se abdicaturum, si ipse affe-

Delectus qui divinæ gloriæ quam suæ cupidior videbatur.

Angelus Corarius gen. natus Pontifex.

Instaurat sponsionem abdicationis.

Habito de conjunctione ecclesiarum ob mo oratio.

In colloquiis omnimi pietate æstimantis dat signa.

Petrum e Luna ad abdicationem solicitat.

(a) Aretin. in hist. rer. Ital.

(b) Tom. 24. de schism. pag. 150. tract. 1. & Theodor. e Niem. lit. Greg.

(c) Theod. Niem. lib. 3. cap. 2.

(d) Id. ib. cap. 6.

(e) Aretin. lib. 2. epist. ep. 4.

(f) Extant tom. 24. de schism. pag. 150. & apud Theoder. e Niem. tract. 1. lib. 3. c. 4.

ceati ejusdem honoris insignia abjiceret, ut tertius Pontifex utriusque collegii communibus votis designaretur, sub quo divulsa tanto tempore mystica membra coalescerent.

Gregorius &c. Petro e Luna, quem nonnulla gentes in hoc perniciosa schismate Benedictum XIII. vocant pacis & unionis affectum.

Qui se humiliat, *inquit*, *Veritas exaltabitur*, & qui se exaltat humiliabitur; *cujus saluberrimam monitionem, quanto nobis ex alto permittitur, obedienter secuti, decrevimus per literas nostras, omni contentione seposita, benigne te affari, & ad redintegrationem Ecclesia cohortari, immo te invitare ad id consilium capessendum, quod nos ipsi pro pace Christianorum accepimus. Vides quanta mala, quanta pericula, quanta incommoda, quanta denique Christiana religionis infamia jam per triginta annos ex hac pestilenti & nefaria seditione in populo Dei provenerint, quantaque nisi provideatur, sint quotidie proventura: horum omnium malorum qua causa ab initio fuerit certa videtur, quibus rigor justitia non cessit, nec forsitan aquitas persuasit: nihilominus tamen graves molestias Christianam religionem perpessam non dubitatur. Si ergo nunc quoque eodem modo fiat, dubius est remedii locus, quominus Ecclesia in solitis remaneat angustiis: ea qua re tu de te ipso ac de conscientia tua videris. Nos mentem atque intentionem nostram apertissime profitebimur: non est consilii nostri tempus aliquo modo terere, sed qua validiora, certiora, & firmiora sunt jura nostra, tanto laudabilius ducimus & pro pace & redintegratione Christianorum relinquere; non enim semper de summo jure disputandum est. Sæpe rigor ipse utilitati & tempori cedit, non similiter illa & juri suo renunciare, & proprio filio spoliare si voluit, ne sectionem unius pueri videret; quanto magis nos si malitia operante, ad optatam unionem venire non possumus, per justitia vias pie cedendum videtur.*

Pestiferi schismatis mala exponit.

Non certandum summo jure ubi de pace eccl. agitur.

XV. *Quare exurgamus ambo: in unum animi affectum concurramus: feramus salutem Ecclesia, jam hoc diuturno morbo afflicta. Ad hoc te hortamur, ad hoc te invitamus; paratique sumus & offerimus nostro certissimo juri & papatui cedere & renunciare, & efficaciter faciemus, si & quando tu renunciabis, & cedes pratenso juri & papatui tuo, vel decedes, vel quicumque successor tuus renunciabit & cedet pratenso juri & papatui suo, vel decedet; dummodo illi qui apud partem tuam pro Cardinalibus se gerunt, sic convenire & concordare cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus velint cum effectu, ut exinde canonica unici Romani Pontificis sequatur electio. Itaque, ut pradicta expeditiorem consequantur effectum, celeriter mittemus oratores nostros, qui tecum de loco habili & decenti ad hujus rei confectionem disponant, & insuper pendente hujusmodi unionis tractatu, non faciemus neque creabimus aliquem Cardinalem, nisi forte causa adaquandi numerum fratrum nostrorum cum numero illorum, qui apud te pro Cardinalibus se gerunt, ut sic pares ab utraque parte ad solemnem & canonicam electionem unici Romani Pontificis devenire possit: extra hunc autem coaquationis casum, nullum, ut dictum est, Cardinalem creare decrevimus, nisi ex defectu tuo, vel partis tua steterit, quominus unionis prafata conclusio annum & tres menses a die inthronizationis nostra computandos, fuerit subsequuta. Hoc tamen quod de non creandis Cardinalibus tractatu hujusmodi pendente diximus, ita locum habere intendimus, si tu quoque idem observabis. Hanc vero oblationem, & insinuationem de Cardinalibus non fiendis, ac superiorem oblationem renunciationis modo pradicto, ut strictiori vinculo sirent, juravimus, vovimus, & promisimus ante electionem nostram eodem vinculo, effectualiter implenda cum singulis ex nostris fratribus antedictis in casu, quo aliquis nostrum ad apicem apostolatus esset assumptus post ipsam assumptionem id ipsum ad firmiorem constantiam denuo jurantes, voventes, promittentes atque ratificantes. De hoc autem, quod bulla sine impressione nostri nominis est appensa prasentibus, nullus debeat admirari; nam ante coronationis nostra solemnia usus prafata bulla cum hujusmodi impressione nominis non habetur. Datum Roma apud S. Petrum x. die ab assumptione nostra xi. vero decembris anno a nativitate domini MCCCCVI.*

Redintegrandæ conjunctionis leges propositæ.

De æquando Cardd. numero cum anticardd.

Professio Gregorii de abdicatione.

Conceptas iisdem sententiis literas ad pseudocardinalium collegium missas fuisse, testatur Theodoricus e Niem (a), quibus adjungenda pro abolendo schismate studia soliciti sunt tam etiam universi Reges, principes, præsales, populique certiores facti (b) de iis, quæ cum Petro e Luna gererentur; atque ipsemet Gregorius suffectus Innocentio pontificatum deponere decrevisset, ut pax in Ecclesiam revocaretur; quarum literarum (c) exemplum ad Adolphum comitem Clivensem missum author adducit. XVI.

(a) Theod. e Niem. tr. 1. c. 2.

(b) Id. l. 6. c. 6.

Anticardinales & principes de his facti certiores.

Dilecto filio nobili viro Adolpho comiti Clivensi salutem, &c.

Eo celerius, dilecte fili, literas nostras ad nobilitatem tuam scribere properavimus quo majorem lætitiam ex eisdem literis, cum studia & desideria nostra erga pacem & redintegrationem unionis Christianorum cognoveris, te credimus suscepturum; etenim felicis recordationis Innocentio Papa VII. pradecessore nostro VIII. id. novembris ab hujus saculi mortalitate sublata, cum post exequias, ut moris est, solemniter

(c) Ext. apud eund. tr. 1. c. 3. Encyclica Greg. literæ de pontificatu suscepto.

ter celebratas venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales, ex quorum numero tunc eramus, invocata gratia Spiritus Sancti in palatio apostolico apud S. Petrum pro electione futuri Romani Pontificis conclave intrassent, multis ac variis tractatibus per plures dies habitis, tandem in nos tunc tit. S. Marci presbyterum Cardinalem unanimiter oculos direxerunt, nos in Romanum Pontificem concorditer eligentes. Nos vero quamquam pro imbecillitate nostra tantum onus subire formidabamus, tamen in eo, qui mirabilia facit spe concepta, submisimus humeros nostros non de nostra virtute, sed de summi Dei, cujus proculdubio res agitur, benignitate confisi. Cura igitur pastoralis officii non pro nobis, sed pro Dei honore & publicæ utilitatis commodo suscepta, ad illud ante omnia convertimus animum, ut cum effectu hanc pestiferam ac execrabilem scissuram, quæ per tot annorum curricula populum Christianum perturbavit, ad redintegrationem & unitatem revocemus, &c. Addidit se pro redintegranda ecclesiarum conjunctione pontificiam dignitatem abdicaturum. *Datum Romæ apud S. Petrum XI. die ab assumptione nostra XI. vero decembris, anno a nativitate Domini MCCCCVI.* His consentiunt literæ, quas a Gregorio ad academiam Parisiensem missas adducit Monstreletus (a) additque alias his consentaneas Regi porrectas ab illius internuntiis. His gestis ad cogendos in unum gregem omnes Christifideles novus Pontifex solemni pompa apud basilicam Principis Apostolorum XIV. kal. januarii papalibus infulis cinctus (b) est, quem tunc erectis in cœlum oculis uberes lachrymas fundentem se inspexisse refert Theodericus Niemius (c).

Significat se pro ecclesiarum conjunctione pontificatu abdicaturum.

(a) *Monstrel. vol. 1. c. 33.*

Pontificiis insignibus ornatus Gregor.

(b) *Greg. XII. l. 2. p. 94.*

(c) *Theod. a Niem. l. 3. c. 12.*

XVII. Henrici Regis Castellæ mors.

Hoc anno in Castella Henricus (d) Rex VIII. kal. januarii florente ætate mortuus est, Joanne filio nondum bimulo relicto superstite. Ac tum proceres, cum civiles discordias sub Rege puero concitandas metuerent, Ferdinandum principem paternum, moderandis ingentibus rebus parem, deligere decreverunt: at ille ab honore se continuit (e) laude maxima, ac Joannem ex fratre nepotem Regem proclamandum curavit. Quæ res eo admirationi majori fuit, quo a fratre vivo ambitionis suspicione perstrictus, & variis criminibus appetitus fuerat.

(d) *Marian. de reb. Hisp. l. 19. c. 14.*

(e) *Id. ib. c. 20.*

Ferdinandi fides insignis in fratrem.

(f) *Juv. Urs. in Car. VI. & Monst. vol. 1. c. 28.*

XVIII. Gallorum expeditio in Aquitaniam.

In Galliis gestum est cum Anglis bellum, quo in Aquitanico mari cruentum initum est prælium, æquatisque viribus diremptum: dux Aurelianensis Blaviam & Burgum in promontoriis Santonum adortus, epidemia grassante, exercitum dissolvit: Burgundus in Caletiensis expeditionis procinctu ab ea est revocatus (f).

(g) *Cap. 29.*

Parisiis celebrati insignes conventus.

Eodem anno MCCCCVI. extremo solemnes habiti sunt cœtus (g) Parisiis, quibus sexaginta quatuor episcopi & regiæ Gallicæ principes interfuere. In iis Joannes Parvus plura (h) adversus Petrum e Luna, qui antea jactasset prius Minoritam se professurum, quam propagaturum schisma, tamque facile pontificatum, quam vestem positurum, obstitissetque ne Carthusianus ad redintegrandam, insignibus pontificiis abjectis, ecclesiarum conjunctionem deligeretur: dein post toties promissam solemni jurejurando abdicationem, responderit periturum se potius, quam gradu cessurum, ac tum viam abdicationis, tum generalis concilii a Rege Castellæ propositam aspernatus sit. Cum itaque perfidus homo Gallos in extrahendo schismate fatigaret, contenderetque concilium sine ipsius authoritate non valiturum, nonnulli ex illis antipapæ odio, dum ejus servitutem excutere nituntur, ad dogmata, nova schismata paritura, dilapsi sunt; nam die sabbati primo adventus Simon Cramaudus dictus patriarcha Alexandrinus neutri de pontificatu certanti obsequendum, sed provocandum ad generale concilium ex capite in fidei favorem de hæreticis, de authoritate Papæ & concilii litem concivit, prætulitque concilium Romano Pontifici: pragmaticæ sanctionis postea edendæ fundamina jecit, dum sacerdotiorum conferendorum jus ad episcopos, provocationes ad archiepiscopos referendas contendit, leges canonicas ab iisdem solvendas; neque extra Galliæ regnum evagandum, ut sedes Apostolica consulatur. Cum etiam in eodem Francorum cœtu declamaret abbas S. Michaelis, effutiit Pontificem obstringi conciliorum legibus, neque eas solvere posse sine consenso Ecclesiæ, nec sanctiones prædecessorum immutare posse: tum sacerdotiorum conferendorum potestatem jure communi spectare ad episcopos, XV. decembris Petrus Plautus plura adversus primatum Romani Pontificis temere locutus, addidit Gallos sedi Apostolicæ conjungi posse, quamvis sedenti in sede Apostolica conjuncti non sint: ac postero die in eos invectus est, qui negarent Gallorum Regem cognoscendi de hæresi & schismate potestate valere. Cumque decanus Rhemensis pontificiam authoritatem tueretur cum Rhemensi & Turonensi archiepiscopis; & episcopis provincialibus, Simon qui se patriarcham Alexandrinum appellabat, die octava decembris ad Wicleffismum deflectens disceptavit, Gallos negato Pontifici obsequio non futuros acephalos, cum Christus sit caput Ecclesiæ. Demum post varias concertationes de authoritate Papæ & concilii, convenere necessarium esse concilium œcumenicum pro universis ecclesiis sub uno Pontifice redigendis, de quibus fuse Juvenalis Ursinus. Porro sacerdotes, ecclesias, & monasteria intentatis inanibus anathematismis antipapa expilabat, inde-

(h) *Ext. apud Juv. Urs. in append. p. 610.*

Exposita Petri e Luna perfidia.

Moveri cœpta lis de auctoritate Papæ & concilii a schism.

Jacta schismatis tempore sanctionis pragmaticæ fundamina.

Oppugnata auctoritas pontificia.

Aliqui ad Wicleffismum dilapsi.

Conclusum pro schismate tollendo necessarium conc. œcumenic.

que divinus cultus obsolevit, & alia mala oborta, quæ Carolus Rex in suis literis plangit (a).

(a) Ext. apud Goldast. to. 3. p. 442.

Antipap. tyrannis in Clerum Gallicanum.

Carolus Dei gratia Rex Francorum, &c. Licet fuerit decretis sanctorum patrum institutum, ut prælati ecclesiæ sibi subditas omnes singulis annis visitare deberent, quatenus sic docerent indoctos, corrigerent excessus, mores reformarent, ecclesias restaurarent, & cætera prælatis convenientia ad Dei honorem exercerent, & propter hoc procurationes in victualibus aut pecuniam reciperent ad victum usitatum, nihilominus tamen aliqui collectores & alii officiarii Romanorum Pontificum præsertim Papæ moderni (de Petro e Luna loquitur) *ab aliquibus annis circa Ecclesiam & viros ecclesiasticos præfatorum regni & Delphinatus nostrorum contra prædicta pluribus juribus & importabilibus servitutibus oppresserunt & afflixerunt, potissime bona prælatorum, & virorum ecclesiasticorum decedentium obventiones tum regularium quam sæcularium, quæ spolia defunctorum interdum nuncupantur, reservando & usurpando fructus ecclesiæ tempore vacationis prælaturarum aut beneficiorum ecclesiasticorum obvenientes, levando & capiendo arreragia præteritorum & incognitorum temporum tamquam debita per fulminationem censurarum ecclesiasticarum, exigendo a beneficiatis quibuscumque annatam.* Et infra: *Propter innumera inconvenientia, gravamina ipsæ ecclesiæ & monasteria & eorum beneficia multis in locis regni nostri & Delphinatus irreparabilia incurrere detrimenta conspiciuntur, in occulto immobilia interdum de facto alienantur aut impignorantur: mobilia etiam pretiosa, reliquiarum vasa, ecclesiastica ornamenta, calices, libri, & similia interdum etiam vili pretio distrahuntur, memoria non cedenda frequentius inciduntur & venundantur, & ecclesiæ innumerabili mole debitorum importabiliter onerantur; numerus Deo servientium ministrorum, qui sustentari in consueto numero non valent minuuntur, & qui remanent Deo & Ecclesiæ servientes propter frequentes excommunicationes & censuras occasione dictarum exactionum, quibus satisfacere non valerent, de facto prolatas, a divino servitio plurimum retrahuntur, & interdum aliqui mendicare compelluntur, & in maximam penuriam rediguntur, non habentes de quo valeant Deo serviendo, aut in studiis existendo, sive continuando sustentari, & regnum nostrum, quod inter alia regna viris scientificis communiter floruit copiose, per quos etiam regni justitia consuevit gubernari, talibus viris his temporibus, proh dolor! & mundus caret. Inde cultus divinus & opera charitatis, quæ fieri debuerant, multipliciter defraudantur, & cessant, & intentio fundatoris non servatur.* Et infra: *Fuitque Papa modernus & alii prædecessores sui super revocationem aut moderationem dictorum gravaminum, ac de aggregando concilium generale ad providendum de præmissis pluries requisitus; attamen sic omnia ubsque remedio diuturna continuatione, &c. Datum anno MCCCVI. xxviii. februarii.*

Ecclesiæ & monasteria ob eo desolata.

Frustra sollicitatus antip. ut concil. cogeret.

Ut merito reprehendendus antipapa, qui concilium œcumenicum congregandum detrectabat, ita reprehendendi politici, qui pro eo cogendo cum Romano Pontifice & aliis Regibus conspirare invito antipapa tot annis distulerunt, authoresque fuerunt vetandi regio edicto pendi, quas vocant annatas; eo namque edicto pendi annatas in Gallia Petro e Luna eodem jure quo antipapam susceperant, & etiam illum exauthorare & annatas ipsi eripere posse putarunt. At neque in arbitrio Regum aut Cæsaris est annatas sive episcopatuum ac sacerdotiorum primitias vero Pontifici eripere. Hæc ausum esse ante Carolum, Anglorum Regem ex Wicleffistarum subdolis consiliis, easque sibi arrogasse vidimus; sed temerarium facinus damnatum fuisse. Basiliensem etiam conventum Eugenio annatas eripere conantem, sed ejus conatus fractos visuri sumus, visuri similiter Lutheranos inter Romanæ ecclesiæ gravamina annatas & quadragesimalia jejunia recensuisse. [1]

Reges annatas Pontifici eripere conati.

Osten-

NOTÆ [1] CŒptum hoc anno Gallicanorum præsulum concilium, et optime annalista hic in sequentem annum extractum est. Indictum fuisse præsenti anno ad Kalendas novembris discimus ex charta inscripta: *Deliberatio habita per prælatos super facto annatis*, legenda apud Martene Anecdot. to. II. col. 1312. Cum vero tabulæ illæ signatæ sint die XXI. januarii anni MCCCCVI. stylo veteri, novo vero 1407. quoadusque coitio illa Præsulum perseveraverit intelligimus. Sed & per totum sequentem mensem Februarii prorogatam demonstrant literæ Caroli regis in annalibus sequenti anno §. 3. relatæ. Provisum est laborantibus Ecclesiæ Gallicanæ, quas vocant, libertatibus, ut jus suum intactum maneret episcopis quoad provisiones beneficiorum; suum etiam capitulis, monasteriis &c. quoad prælatorum electiones &c. Visum est insuper immunes haberi ecclesias Galliæ & Delphinatus ab extractionibus, annatis &c. pontifici solvendis. Denique, si forte contigerit ut Benedictus oppignoratam fidem de renuncianda dignitate, Gregorio cedente, non liberarit, quid tunc facto opus sit ad schisma abolendum decernont. De obedientia vero Benedicto subtrahenda nihil decretum lego. Quamquam academia Parisiensis idem pariter jugum excussisse visa est, interposita solemni appellatione ad concilium generale, vel ad pontificem rite eligendum ex omnibus Benedicti sententiis, si quas forte in illam ferendas censuisset. Provocationis hujus tabulæ in Anecdotis ibidem

NOTÆ ibidem exhibitæ mensem januarium anni sequentis præferunt. Porro ea quæ de variis concilii hujus sanctionibus diximus ex tabulis in eo concilio signatis, vulgatisque in Anecdotis ibidem extracta sunt.

Commemorandum est hic pariter concilium alterum provinciale Hamburgi hoc anno celebratum, de quo nonnulla memoriæ mandavit Hermannus Cornerus in chronico ab Eccardo inter historic. med. ævi to. 2. vulgato. Ita enim ille ad annum 1359. *Me præsente in provinciali synodo in urbe Hammburgensi celebrata, anno D. N. MCCCCVI. per D. N. Joannem Slamestorp archiepiscopum Bremensem, & dominos Joannem de Dulmen Lubicensem, Rodolfum natum ducem de Mekelemburg Swerinensem, & Dethlevum Parkentin Raceburgensem comprovinciales episcopos, præfatus Dominus Joannes episcopus Lubicensis hunc errorem* [de paupertate Christi & Apostolorum] *Fratribus Minoribus ibidem præsentibus objecit coram tota Bremensi provincia tamquam per dictos fratres publice prædicatum in urbe Lubicensi:* Hæc Cornerus de gestis in hoc concilio, cujus ne nomen quidem alibi legi. MANSI

I. Ostensa conjunctionis ecclesiarum spes.

Ostentata est Christiano orbi anno salutis millesimo quadringentesimo septimo Indictione quintadecima, restituendæ pristinæ ecclesiarum conjunctionis speciosa spes, quæ post multos navatos labores suspensas piorum mentes expectationemque delusit, neque disjuncti Gregorii Papæ ac Petri e Luna animi conjungi loco potuerunt; de quibus hæc Gobelinus (a): *Per totam annum nativitatis Domini MCCCCVII. multi tractatus habiti sunt inter eos per solemnes nuncios, & non est effectus secutus intentus.* Jactata ab antipapa per simulationem fuisse consilia de exuendis papalibus infulis, suadet illa retinendæ falsæ dignitatis pertinacia, ob quam conciliata aliquot post annis inter ecclesias in universo orbe Christiano pristina conjunctione, æmulisque in Constantiensi synodo gradu cedentibus, ipse anathematis infamia, ut schismatis author inuri maluit: unde fraudum plenas putamus ejus literas (b), quibus ineunte anno Gregorio, qui ipsum una ad schisma voluntaria papalis fastigii abdicatione ab utroque perficienda excindendum, ut vidimus, sollicitarat, ita respondit.

(a) Gobelin. in cosmod. æt. 6. c. 88.

Elusæ antipapæ dolis.

(b) Extant ejus liter. tom. 24. de schism. pag. 152. & apud Theodor. Niem. lib. 3. cap. 1. & tra. 2. c. 5.

Benedictus, &c. Angelo dicto Corario, quem nonnulli sibi in hoc perniciosò schismate adhærentes Gregorium nominant, pacis & veræ unionis affectum pariter & effectum.

Fallaces ejus literæ.

O te felicem, si ad hoc te Dominus reservavit, si facultatem ad ea quæ tibi data videntur, cum omni diligentia efficaciter prosequens, nobis in effectu prosequendæ unionis te reddendo conformem, prout spopondisti de contingentibus nil omittas: ad hoc enim te piis exhortationibus invitamus, ad hoc nos promptos reperies, hoc videre summopere cupimus; ad hoc nostra semper aspiravit & aspirat intentio, noster attendit, & intendit effectus, ut Deo dirigente, qui novit, & præstante qui potest, per nostræ humilitatis ministerium, unio in Dei Ecclesia desiderata sequatur. Sed non permittit nos dissimulare silentio, immo in stuporem vehementis admirationis adducit, quod tua scriptura interprete videris innuere quod per justitiæ vias, ad optatam unionem pervenire non potes, at nobis quodammodo videatur impingi quod viæ discussionis veritatis, & justitiæ per nos recusatæ fuerint, vel in aliquo impeditæ. Absit hoc a nobis; nam, teste Deo, numquam in hac materia viam justitiæ & discussionis veritatis recusavimus, aut impedivimus; immo, ut verum fateamur, eam obtulimus, optavimus, & optamus, & erga prædictos prædecessores tuos te teste qui, ut percepimus, aliquando interfuisti, & erga alios quos negotium tangebat, cum debita sollicitudine quæsivimus, ac prosequuti fuimus, nec per nos unquam stetit, nec stat, nec stabit, quo minus justitia & veritas hujusmodi, quantum ad nos pertinet, videatur & agnoscatur sicut satis ex oblatis per nos tuis prædecessoribus antedictis potest liquido apparere: tamen de jure nostro per scientiam & juris evidentiam liquide sumus certi.

Impudens hypocritæ mendacium.

Insigne aliud mendacium.

Sunt hæc dolis plena, ac falso Petrus e Luna paucorum arbitrorum conventum in re adeo ardua viam justitiæ vocat, cum ad œcumenicum concilium, quod ipse semper declinavit, ea provincia spectaret, nec minus fraudem in subjectis sententiis latuisse credimus.

II. Vana ejusdem promissa.

Parati sumus una cum collegio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in loco securo, decenti, ac idoneo tecum & cum quocumque successore tuo decentibus cum prædictis, qui apud partem tuam pro Cardinalibus se gerunt vel gerent personaliter convenire pro unione ecclesiæ tractanda, & favente Domino, obtinenda, ibique proviso & ordinato de his, quæ pro securitate ac acceleratione unionis prædictæ erunt opportuna ac necessario disponenda, parati sumus pro pace & salute animarum, ac unione & redintegratione Christianorum in dicta conventione personaliter nostro verissimo jure & papatui pure, libere, & simpliciter cedere & renunciare & efficaciter faciemus, si tu ibidem consimiliter renunciabis & cedes prætenso juri tuo & papatui, vel decedes, dummodo vel quicumque successor tuus, & illi, qui apud partem tuam pro Cardinalibus se gerunt aut gerent, si ut præfertur, volueritis & voluerint cum effectu convenire & concordare nobiscum, cum prædictis venerabilibus fratribus nostris, quod exinde canonica unici Romani Pontificis sequatur electio & unio Ecclesiæ Sanctæ Dei, &c. Dat. Massiliæ apud S. Victorem II. kal. februarii pontificatus nostri anno XIII.

III.

Cum percrebuisset in Gallica regia Petrum e Luna oblatam a Gregorio abdicandæ controversæ dignitatis conditionem admisisse, maxima incessit omnes admiratio (c), quippe parvam illius ambitionem norant Galli: Carolus vero Francorum Rex congregato suorum cœtu per-

(c) Juv. Urs. in Car. VI.

cele-

Diffidunt Galli perjuro & ambitione ardenti homini. (u) Extant apud Theoder. Niem. tra. 1. c. 7.

celebri [1] ad expedienda optima pro tollendo schismate consilia intentus, cum suspicaretur Petrum aliquas in c ofraudes tegere, quod in colloquio eum Gregorio ineundo gradu cessurum diceret, hortatoriis literis (u) utrumque orandum censuit, ut ante id colloquium, vel coram Cardinalium collegio, vel adversarii oratoribus insignia papalia ponerent: nullum namque facilius ad conjungendas discissas ecclesiaa compendium inveniri posse; mox enim ea re gesta ad creandum Pontificem unicum utriusque partis Cardinales conventuros.

Caroli Regis pro conjungendis ecclesiis literæ.

Carolus Dei gratia Rex Francorum &c.

Ne, si Deum iter monstrantem minus sequamur, ingrati reperiamur, & nostro tempore tanta misericordia indigni fiamus, ex tempore consilium cupientes, concordi omnium consilio & consensu præhabito, decrevimus ad Papam Benedictum & illum, qui se Romæ Papam appellat, solemnes nostros & ecclesiæ regni nostri ambassiatores confestim mittere, qui ambos collaudantes magnifice quod in bonæ viam cessionis a nobis tanto ardore procuratam, Ecclesia vero ipsi fructuosissimam descenderunt, Papam Benedictum omni precum instantia requirant, ut ex abundanti ad declarationem suæ intentionis plane & clare viam cessionis seminatis ambagibus accipiat, & eum exequi omni via alia & omnibus aliis viis postpositis promittat, bullasque infra certum terminum inferius præfigendum, scilicet decem dierum ab insinuatione sua super his tradat; & nihilominus ambos exhortentur & obsecrent atque obtestentur, quod ad evitandam difficultatem itineris, pericula personarum, querelas itinerum, tractus præparationum, occasiones aliarum viarum tractandarum, & alia pleraque discrimina formidanda, quæ pacem Ecclesiæ possent differre, velint absentes cedere uterque in loco suo, aut in manibus suorum collegiorum, aut per literas exhibitas, aut procuratores constitutos, provisionibus tamen congruis ita prudenter adhibitis, ut alteri de altero nullus metus fraudis possit oriri; qui si preces has audierint mox ambo collegia, rupta mora, summa celeritate in locum eundem convolabunt, & unici Romani Pontificis electionem celebrabunt &c. Dat. Parisiis die xviii. februarii anno Domini MCCCCVII. & regni nostri xxvii. Per Regem cum consilio & consensu dominorum Ludovici Siciliæ Regis, ducumque Aquitaniæ, Bituricensis, Aurelianensis atque Borboniæ, necnon patriarchæ Alexandriæ atque prælatorum & procerum, necnon plurimorum aliorum ecclesiasticorum virorum, & sæcularium de consilio magno Regis.

Consulit ut quisque contendentiam cedat coram senatu suo.

Male contemptum est prudens consilium.

Hæc quidem prudenter consulta erant, sed quæ nunquam antipapa admissurus forat, cujus fallacia de ineundo colloquio consilia Gregorium secutum (b), dicemus inferius. Decrevisse etiam in iis præsulum & doctorum cœtibus amplissimos oratores ad pseudopontificem, qui cum suarum partium sectatoribus Cardinalibus Massiliæ agebat, refert Monstreletus (c), nimirum patriarcham Alexandrinum, Cameracensem & Bellovacensem episcopos S. Dionysii & S. Michaelis abbates, necnon alios prudentiæ & doctrinæ laude viros insignes, qui cum hortarentur, ut si Gregorius pontificatu abiret, ipse quoque eo se abdicaret: tum etiam denuntiarent Galliam universam ab illo defecturam, neque ipsius diplomata exceptum iri, si oblatam conditionem non admitteret; additque author, Petrum e Luna Benedictum nuncupatum intentatam a Gallis defectionem ægre ferentem non petito Cardinalium suorum consilio, decretum ad perpetuam rei memoriam adversus illos, qui ab eo desciviffent, edidisse, quibus sacris interdixit: cujus duas sanctiones adducit Monstreletus (d) subditque Francos ita exasperatos fuisse, ut academiæ Parisiensis doctores publicis editis propositionibus divulgarint (e), illum hæreticum, schismaticum, & quietis Christianæ perturbatorem esse, non appellari posse Papam Benedictum, neque Cardinalem, neque ullo honoris nomine vel genere affici sine schismatis admisso flagitio, ejus sententias, sanctiones ac gesta reliqua irrita esse; tum in Petrum ipsum ejusque studiosos judiciariam severitatem adhibendam, quæ a Joanne Cortebusio vehementi animo in frequentissimo procerum cœtu exposita, accepto orationis themate subjecto: *Convertetur dolor ejus in caput ejus & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Interea antipapa vana concordiæ spe fatigavit orbem Christianum, & colloquii specie suis fraudibus irretire tentavit Gregorium Pontificem, qui fallacia ejus non advertens consilia, oratores ad ipsum misit (f) Antonium Mutonensem, Guillelmum Tudertinum episcopos, atque Antonium e Butrio doctorem Bononiensem ut de loco, tempore, & aliis ad colloquium faciendum necessariis paciscerentur, quos amplissimis mandatis instruxit.

(b) Greger. lib. 1. pag. 289.

(c) Monstr. vol. 1. c. 33. & Juven. Urs. in Caro. VI.

Denuntiant illi Galli ei cessern ob eo defectoros. Edicta promulgat in eos qui ab ipso defecissent.

(d) Extant. apud eund. Monstrel. cap. 30.

(e) Cap. 41.

Damnatus a Sorbonicis.

Greg. candor in fraudibus antipapæ non perpendendis.

(f) Lib. 1. epist. cur. pag. 289.

Vinc-

NOTÆ [1] CUm his legis apud annalistam Carolum Galliarum regem Gallicanorum præsulum coitionem instituisse, cave credas alterum hoc fuisse concilium ab eo diversum, quod præcedenti anno die festa omnium Sanctorum collectum fuit. Unum enim idemque est concilium labente præcedenti anno ceptum, & ineunte hoc anno continuatum, ut ex iis quæ in nota ad eumdem annum §. 18. contuli, perspicue demonstratur. MANSI

Venerabilibus fratribus Antonio Motonensi, Guillelmo Tudertino episcopis referendariis ac thesaurariis, dilecto filio Antonio de Butrio utriusque juris doctori Bononiensi nostris & Apostolicæ sedis nuntiis salutem, &c.

Legationem ad pacificandam cum eo decernit.

Cum pro extirpatione diuturni & pestiferi schismatis, & consecutione desiderabilis unionis in Dei ecclesia ad Petrum a Luna, quem nonnulli sibi in præfato schismate adhærentes Benedictum XIII. nominant, & ad quosdam alios in nuncios nostros vos præsentialiter destinemus, nos volentes, ut de intentione nostra, ac potestate vobis tradita docere possitis, si & quando vobis expedire videbitur, has litteras fieri fecimus per quas discretioni vestræ de loco idoneo & condecenti ac tempore convetionis per nos & ipsum Petrum faciendæ, ac de numero ab utraque parte ad locum ipsum ducendorum, cum dicto Petro concordandi, & quæ circa ea necessaria fuerint, declarandi plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem, ratum & gratum habituri quidquid per vos factum, declaratum, & concordatum fuerit in præmissis, idque faciemus auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. Romæ apud S. Petrum III. kal. martii anno 1.

IV. Locus futuri colloquii designatus.

Applicuere Massiliam pontificii internuntii, quos antipapa comiter excepit, moxque industriæ suæ omnes nervos contendit, ut eos circumveniret. Itaque nisus est trahere Gregorium ad locum, qui schismaticis pareret, eumque maritimum utpote insidiis, cum valeret classe, aptiorem: tantaque calliditate usus est, ut Gregorii internuntios ipsos adduxerit, ut convenirent Saonæ in Liguria Gallorum imperio obnoxiæ, appetente festo die S. Michaelis extremo septembri recurrente, colloquium celebratum iri, ut narrat Theodoricus (a) e Niem, describitque singulas (b) leges, quæ hac verborum formula conceptæ sunt.

(a) Theod. Niem. lib. 3. cap. 13. (b) Extant tom. 22. de schism. pag. 6. & apud Theodor. Niem. tra. 2. cap. 10.

Leges ineundi colloquii.

I. *In primis, quod ambo domini cum collegiis suis debeant convenire personaliter ad civitatem Saonem pro unione Ecclesiæ sanctæ exequenda, & cum Dei adjutorio obtinenda.*

II. *Item quod domini supradicti cum suis collegiis ibidem personaliter convenire debeant, & ibi personaliter adesse in festo S. Michaelis in fine mensis septembris proxime futuro, salvo nisi propter impedimenta navigiorum dominus Romanus impediretur quo casu adesse debeant in festo omnium sanctorum tunc proxime sequenti: quod quidem dominus Romanus, si dicta prorogatione uti voluerit, debeat hoc notificasse alteri domino per totum mensem julii proxime sequentem.*

Definitur armatorum numerus.

III. *Item quod quilibet ex prædictis duobus dominis debeat ibi convenire cum octo galeis tantum armatis ut est consuetum; nisi ad septem vel sex dictus Romanus contentaretur, quo casu teneatur notificare infra dictum mensem julii proximo sequentem.*

IV. *Item quod quilibet ex prædictis duobus dominis alteri debeat jurare plenam securitatem sibi & suis de non offendendo, aut damnificando, seu in aliquo lædendo de se vel suis immo defendendo & conservando ac manifestando lædere aut offendere volentes, durante dicta convetione, eundo vel redeundo, per se vel alium, directe vel indirecte, tacite aut expresse: & similiter jurare debeant familiares utriusque prædictorum duorum dominorum, & familiares cujuslibet Cardinalis utriusque partis in manibus per ambos prædictos dominos deputandorum.*

Sacramenta exigenda.

V. *Item quod ab utraque parte fiant duo capitanei maris unus pro quolibet, qui se obligabunt invicem & dominis ambobus per omnia, ut in octavo capitulo de capitaneis civitatis continetur.*

VI. *Item quod obtineatur a Rege Franciæ gubernatore Januæ, civitatibus, aut communitatibus, vel aliis quibuscumque ad quos spectat, quod tale dominium & jurisdictio merum mixtumque imperium dictæ civitatis Saonensis sit in manibus utriusque prædictorum æqualiter, & absolute vassallie a quocumque juramento, obedientia, homagiis, vel obligationibus alias debitis, illa præstare debeant dictis duobus dominis, aut deputandis per eos nomine Ecclesiæ pro tempore, quo ibi fuerint pro dicto negotio expediendo.*

Urbis imperium conventuris permittendum.

VII. *Item quod omnes cives civitatis Saonensis vel saltem majores nomine universitatis & proprio, & in illo numero, de quo dictis duobus dominis videtur, teneantur præstare juramentum, prout in quinto capitulo continetur, & similiter facere jurare omnes comitativos & districtuales suos per judices, qui etiam obligent se solemniter in casu, quo contravenietur ad pœnam confiscationis omnium bonorum ubicumque existentium referendo se ad illam formam, quam præstarunt, quando ibi fuit curia, &c.*

VIII. *Item quod eligantur duo de prædictis duobus dominis unus pro quolibet, qui habeant custodiam civitatis, jurisdictionem & omne imperium pro prædictis duobus dominis, qui etiam sint præsidentes & capitanei gentium armorum & præeminentes ad expediendum omnia incumbentia pro negotio liberius expediendo, qui primo invicem se debeant confœderare & fraternitatem juramentis contrahere, sese invicem alterum alteri omnibus modis obligando & colligando ad custodiam, securitatem, & defensionem dictarum partium qui etiam debeant eligi milites aut alii nobiles in quantum fieri potest æqualis conditionis: ejus autem sit judicare quod confœderati similiter &*

li.

ligati ad dictum finem debeant ad instantiam utriusque duorum dominorum pro se & suis praestare plenissimum juramentum, homagium, & obligationem plenissimam, prout in quarto capitulo continetur; & quod quilibet illorum pro praedictis fideliter servandis & adimplendis debeant dare obsides idoneos competentes, ita quod electus ab uno ex dictis duobus det obsides in aequali numero & potestate alterius domini ad voluntatem dictorum duorum dominorum, & avisentur ad quod capitanei ducant secum filios, si habent, aut nepotes, fratres, vel alios attinentes aut amicos.

IX. *Item quod ab utroque dictorum duorum dominorum fiat unum edictum aut statutum, in quo exprimantur poena excommunicationis, interdicti, inhabilitationis ad beneficia, dignitates, & honores tam saeculares quam ecclesiasticos, privationes ab omnibus dignitatibus, feudis, vassallitiis & quibuscumque juribus in plenissima forma, in casu quo dicti capitanei vel aliquis eorum offenderet in persona malitiose aliquem ex dictis dominis, vel ex dominis utriusque collegii, &c.*

Stipatorum circumscriptus numerus.

X. *Item quod quilibet ex praedictis duobus dominis debeat secum ducere ducentos homines armorum pedites, qui intrent in civitatem sine equis, cum totidem famulis, & centum balistarios in quantum fieri potest honestos & fidatos, per quemlibet dictorum dominorum eligendos pro custodia & defensione dictarum partium, qui debeant praestare similiter juramentum, ut in quarto capitulo continetur, & hi debeant subesse capitaneis ab utraque parte electis, & in manibus utriusque jurare, & aliquo ipsorum dominorum deficiente vel impedito, aut remoto, ponatur per ipsum dominum alter ejusdem quantum fieri potest conditionis, qui eandem in omnibus potestatem & jurisdictionem exerceat & similiter juramentum & securitatem praestet, ac potestatem & alios officiales, quos & unde voluerit ponet.*

XI. *Item quod portus galearum dividatur aequaliter ut fieri poterit, prout videbitur utrisque capitaneis pro securitate & tranquillitate facienda.*

XII. *Item quod ab utraque parte eligantur duae personae, quae habeant dividere civitatem in duas partes quantum fieri poterit aequaliter, uno castro cum parte civitatis cuilibet parti assignando.*

XIII. *Item quod praedicti capitanei civitatis habeant ordinare custodias, & habeant custodire aequaliter quantum fieri poterit, de omnibus aliis ordinare & disponere, quae erunt ad custodiam & regimen civitatis, & securitatem dictorum dominorum juxta commissionem pro eis per dictos duos dominos faciendam; & quod dicti capitanei provideant, quod nullus sine bulleto civitatem ingrediatur, neque aliqua arma introducat vel per civitatem portet, exceptis armigeris & balistariis praedictis; & quod omnia arma civitatis, tam offendibilia quam defendibilia, ponantur sub dicta custodia & inventario in dictis castris aequaliter.*

De commeatu & vectigalium immunitate.

XIV. *Item quod circa divisionem & assignationem domorum & taxationem pretii ipsarum domorum & omnium victualium, circa etiam libertatem gabellarum & onerum de novo non imponendorum nec augmentandorum, & de libertate rerum intromittendarum & aliis similibus serventur & de novo obligentur per omnia, prout alias factum fuit quando ibi fuit curia aliquibus etiam additis, si capitaneis videatur, sine quorum vel eligendorum per nos licentia nullatenus possit quis domum recipere vel conducere; & quod teneantur cives illas locare, quae placuerint dictis deputandis pro condecenti pretio ut in capitulis continetur.*

Clientum definitus numerus.

XV. *Item quod quilibet ex dominis introducat in civitatem pro servitio personae suae centum familiares tantum, & camerarium, & duos protonotarios, vigintiquinque praelatos, & duodecim doctores in jure, & duodecim magistros in theologia, ita quod quilibet praelatus habeat sex, camerarius quilibet sex, si est archiepiscopus quinque, si episcopus quatuor, si abbas tres, si doctor vel magister duos familiares.*

XVI. *Item quod quilibet Cardinalium introducat in civitatem viginti familiares tantum, & nullatenus equitaturam apportet nisi pro personis dictorum dominorum & utriusque collegii, & utriusque camerarii & dictorum capitaneorum.*

De Venetorum Genuensiumque componenda dissensione.

XVII. *Item quod obtineatur a domino gubernatore Janua quod faciat pacem & concordiam cum Venetis, vel saltem ponant simpliciter totam quaestionem ipsorum in posse & ordinatione dictorum duorum dominorum, vel ultimo, si aliud fieri non posset, per sufficientem servitutem & obligationes super omnimodam securitatem omnium Venetorum & Januensium. Circa autem securitatem dandam per dictum gubernatorem dictis dominis, & utrique parti servetur forma, quae fuit servata, cum curia ibi fuit, &c.*

XVIII. *Item quod circa receptionem, protectionem, securitatem, defensionem dictorum duorum dominorum aut dominorum ipsorum collegiorum, vel alterius ipsorum, aut eorum curiae seu familiae; circa etiam securitatem & libertatem gabellarum aut aliorum onerum de novo non imponendorum seu augmentandorum, & rerum omnium libere venientium, & aliis omnibus, obtineatur a dicto domino gubernatore ac civitate & communitate Januensium & aliis ad quos spectat, quidquid conventum & concordatum fuit, quod pars ista circa montana ibidem ibit, & ab eisdem obtineatur quod dictis duobus dominis venientibus, stantibus, & recedenti-*

tibus a dicto loco nulla galea in dicta riparia Januensi armetur nisi de prædictorum duorum dominorum expresso consensu, galea guardiæ dumtaxat excepta.

Tuendo libero maris imperio.

XIX. *Item quod obtineatur a supradictis, quod gentes, galeæ, & aliа navigia dictarum duarum partium possint libere & secure venire, stare, & redire in quocumque portu sub dominio dicti gubernatoris aut comitis Januæ existente.*

XX. *Item quod castra, quæ sunt inter Senam & Saonam ponantur pro dicto tempore sub custodia, dominio, & regimine dictorum dominorum, datis per ambas partes dominis dictorum castrorum sufficientibus cautionibus & securitatibus de restituenda eadem in eodem statu, & etiam assignentur ad usum partis Romanæ propter viam & iter Senæ.*

Ut quisque libere Papam vel antipapam appellet quem velit.

XXI. *Item inhibeatur cum proclamatione & gravi pœna, quod nullatenus audeat antipapam vel anticardinales nominare, sed quilibet sit liber; nominando Papam vel antipapam quem voluerit.*

XXII. *Item quod a dominis castrorum tenentibus ingressus & passus patriæ, habeatur debita securitas de transeundo, stando, & redeundo, defendendo & protegendo, & non permittendo quod a quoquam violentia aut damnum fieri possit alicui parti.*

XXIII. *Item quod in omni adventu certus & firmus locus, in quo dicta conventio fieri debeat, habeatur absque alia dilatione: sed si ratione pestis, vel quovis alio interveniente casu legitime, de discedendo a dicta civitate ab utraque parte fuerit deliberatum & conclusum, seu prædicta conditiones, videlicet de securitatibus dandis per gubernatorem & communitatem Januensium ambabus partibus, & Venetis, & de dominio Saonæ habendo & de divisione civitatis, non fuerint adimpleta, dominus Avenionensis cum suo collegio acceptare teneatur unum de locis sibi oblatis per oratores domini Romani, & in eodem loco cum dicto domino Romano & suo collegio ad sanctissimam unionem Ecclesiæ perficiendam debeat personaliter convenire.*

V. His conventis cum Petro e Luna pontificii internuntii in Gallias contendere, ut proximæ ecclesiarum conjunctionis spem universis afferrent; quos ingenti exceptos gaudio, refert Theodericus Niemius (a) ab iisque Gregorium magnis laudibus celebratum; *Hæsitantes tamen*, ut addit auctor, dum de spectatissimis inter Gallos viris loquitur, *de dicto Petro, quod ipse cessionem sui papatus, ut sic dicam, nunquam facere vellet*. Missi etiam tum a Gregorio fuere ad alia regna, ut redintegrationem Christiani sub unico pastore gregis denunciarent, internuntii (b) Antonius e Pireto supremus Minorum præfectus in Angliam, Jacobus Laudensis (c) episcopus designatus in Bohemiam, Hungariam, & Poloniam, & Jacobus archidiaconus Salernitanus (d) in Lusitaniam, sed improvisus omnium spes & vota fefellit exitus, ut dicetur inferius.

(a) Theod. e Niem. l. 3. c. 13.

Oratores ad varia regna missi.

(b) Greg. l. 1. p. 271.

(c) Ib. p. 272.

(d) Ib. p. 273.

Pactiones ratæ habitæ a Gregor.

Ratas habuit Gregorius (e) universas pactiones, quæ ab internuntiis cum antipapa factæ erant; cumque ab omni adverso suspicione abesset; *Mirari*, ut ait (f) Theodoricus Niemius, *videbatur quod tot erant & tam subtiliter facta capitula, ut ipsemet mihi dicebat; tamen tunc aliquo alio, me non præsente adiiciendo, quod cum hic ageretur bona fide tales solemnitates hoc casu non vendicarent sibi locum.* Dedit vero (g) id. junii provinciam Antonio episcopo Bononiensi nepoti suo ut sacramenta, quæ ab adversariis ex pactionum legibus præstanda erant, exigeret; ipseque vicissim alio pontificio & Cardinalium nomine nuncuparet.

(e) Lib. 2. p. 33.

(f) Theod. e Niem. ubi sup.

Mira illius simplicitas.

(g) Super. pag. 33.

VI. Obstrinxit etiam Pontifex (h) fidem sacramento, se in Saonensi conventu nullas Petro e Luna ejusque sociis insidias comparaturum: qua de re publicas literas vulgavit; similiterque ab æmulo exegit, ut pari jurejurando se devinciret.

(h) Lib. 2. ep. curr. pag. 74.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, salutem, &c.

Cum juxta seriem quorumdam capitulorum inter venerabiles fratres Antonium tunc Motonensem nunc Bononiensem camerarium, ac Guillelmum Tudertinum episcopos, & dilectum filium Antonium de Butrio utriusque juris doctorem Bononiensem nuncios & oratores nostros ex una, & Petrum e Luna, qui ab adhærentibus sibi in hoc præsenti schismate, Benedictus XIII. nuncupatur, & suum prætensum collegium ex altera partibus super conventione personali in civitate Saonæ, & tempore hujusmodi conventionis, ac numero personarum ab utraque parte ducendarum, & nonnullis aliis circumstantiis circa rem auctore Domino conficiendam necessariis concordatorum, inter cætera unus alteri jurare debeat plenam securitatem, & nonnulla alia prout quarto dictorum capitulorum plenius continetur; idcirco nos volentes, quantum ad nos spectat, adimplere præmissa, positis coram nobis sacrosanctis Scripturis, & tenentes prout moris est episcoporum manum dexteram supra pectus, juramus per dominum Deum, & ejus sancta quatuor evangelia plenam securitatem eidem Petro & suis, quod nec ipsos non offendemus, aut damnificabimus per nos, aut nostros, vel alios, seu in aliquo lædemus directe vel indirecte, tacite, vel expresse; immo ipsos defendemus & conservabimus toto posse ac ipsos Petrum & alios lædere aut offendere volentes manifestabimus, durante dicta conventione, & eundo ad eandem, & ab ipsa redeundo, dicto Petro, prout ad hoc tenetur, simile juramentum præstante.

Sponsio Gregor. de non offendendo æmulo.

In

In quorum testimonium præsentes literas sub bulla nostra duximus concedendas. Datum Romæ apud S. Petrum 11. Kal. augusti pontificatus nostri anno 1.

Reficere ærarium meditatur.

Cum ad itineris Saonensis apparatum magnos sumptus fieri oporteret, pontificiumque ærarium exhaustum esset, Gregorius ecclesiasticis viris decimas indixit, (a) verbisque amplissimis redintegrandæ apud Saonam ecclesiarum conjunctionis studium suum significavit.

(a) *Lib. 1. epist. curr. pag. 331.*

Venerabilibus fratribus per Januensem provinciam, nec non Veronensi, Cumano, Vicentiae, Paduano, Mantuano, Foltrensi, Bellonensi, Parmensi, Regiensi, Tridentino, & Brixinensi episcopis, & dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, magistris, præceptoribus, cæterisque ecclesiarum & monasteriorum prælatis, abbatissis, priorissis, sæcularibus & regularibus, eorumque capitulis & conventibus.

Restituendi pristini fœderis studium exponit.

Zelus nos comedit domus Dei, urget & charitas sponsæ ejus, ut unam sanctam Ecclesiam domesticis proh dolor! discordiis lacessitam unicam & Domini pietate concordem uni viro Christo castam Virginem despondeamus. Sane licet in minoribus constituti totis mentis affectibus & omnium interiorum de præcordiis optaremus ut lugubre hoc & horrendum dissidium, quod triginta fere per annos ecclesiam diro schismate conturbavit, de medio tolleretur, nunc divina favente clementia, ad apicem summi apostolatus assumpti tanto desiderantius quærimus, & ardentius affectamus, quanto apud districtum Judicem in die ultionis extremæ scimus nos obnoxios rationi; & ideo omnibus viribus nitimur, ut renatis fonte baptismatis una sit fides mentium, ovile unicum, unus pastor; ne tamen tam desiderabilis prosecutio unionis per moram aliquam retardari temporalium destitutione contingat, cum apostolica camera, quam exhaustam pecuniis & debitis onustam reperimus, ad tantas & tam necessarios sumptus omnino sit impar, decrevimus de fratrum nostrorum consilio universum clerum, ut portabilius fiat onus, in subsidium evocare: & ne tam optatæ bonæ conclusio sine vestra etiam participatione procedat, universitatem vestram præsentibus exhortamur, quatenus suspicientes in eam de qua excisi estis petram, & vestro capiti vos conformantes ad dulcissimæ unionis amplexum prompta velitis liberalitate consurgere, & una cum cleris vestris, quos ad id vestris exhortationibus optamus induci, eidem cameræ juxta facultatum vestrarum potentiam convenientis subsidii largitate succurrere: de intentione etiam nostra est, quod in hujuscemodi solatione subsidii totus dimensum vestrarum cleros exemptus & non exemptus, etiam S. Joannes Hierosolymitani & S. Mariæ Theutonicorum, & S. Ma-

Indicit decimas.

riæ Roscidævallis, & sanctorum Antonii, Basilii, S. Spiritus, & ordinum quorumcumque, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, qui similibus nobiscum expensarum premuntur oneribus, dumtaxat exceptis, pro contingente quemlibet rata contribuat, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum 1x. kal. maii pontificatus nostri anno 1.

Conceptæ sunt eadem forma literæ (b) ad plures alios Italiæ, Siciliæ, Dalmatiæ, Hungariæ, Græciæ, archiepiscopos & episcopos; tum ad opem Henrici Anglorum Regis hisce literis confugit (c).

(b) *Ib. pag. 332. & post eamd. ep.*
(c) *Lib. 2. pag. 22.*

Charissimo in Christo filio Henrico Regi Angliæ illustri salutem, &c.

Poscit subsidium nummarium a Rege Angliæ.

Gratias agimus bonorum omnium largitori, quod juxta desiderium cordis nostri advenit jam tandem exoptatæ salutis universo gregi dominico acceptabile tempus unionis desiderabilis assequendæ; quodque te principem catholicum status Ecclesiæ sanctæ Dei & unionis hujusmodi, sicut accepimus, ardentissimum zelatorem ad hæc nostra tempora salubriter reservavit, ut calamitatibus schismaticis præfati gregis per triginta ferme annorum curricula lacrymabiliter ac miserabiliter lacessita tua nobiscum regali munificentia, de qua in his & aliis plenam gessimus & gerimus spem & fidem, sicut tantæ rei sublimitas exigit opitulante, fiat unionis hujusmodi munda necessaria occurratur; quæ non solum animabus, sed & corporibus salutem pariet excolendam, censentes nec ulli catholico principi vel aliis fidelibus gloriosius elaborandum, quam ea in re, ex cujus effectu animabus & corporibus votiva salus, depulsis errorum tenebris mentes mortalium in profana trahentibus, pax ecclesiis, concordia plebibus, & moribus disciplina proveniant. Et arbitremur serenitatem tuam procul dubio non latere, nuntios nostros in Massiliensi civitate cum parte altera super emotione hujusmodi schismatis de loco communis conventionis nostræ ac ipsius de civitate Saonensi pridie conclusisse, & ad prosequutionem tanti boni omnis nostra semper vergit intentio; idque sine alienis præsidiis ob præteritas & calamitosas guerrarum angustias ac innumerabiles exitus, quibus apostolica camera fuit & est incomprehensibiliter suis exhausta substantiis, non possumus efficere, de quo ab intimis nostris præcordiis anxiamur. Ad sperata igitur cordi nostro, ejusdem tuæ serenitatis subsidia, sine quibus efficax esse nequit suscepta ac votiva prosequutionis instantia, paterna confidentia, etiam de fratrum nostrorum præfatæ ecclesiæ Cardinalium itidem sperantium consilio duximus in tam salutari & opportuno negotio præsentialiter recurrendum, obsecrantes eamdem serenitatem tuam per aspersionem sanguinis omnium Redemptoris, in remissionem peccaminum

Convenisse de adeunda Saona significat.

suadentes, ac per illum laudabilem tuæ mentis fervorem, quo ad instar claræ memoriæ Regum ac progenitorum tuorum erga eamdem ecclesiam fulgere dignosceris, ac pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia placeat juxta spem fidemque pariter de eadem tua celsitudine non immerito præconceptas nobis ac præfatæ ecclesiæ, quia immo universo Christiano populo proh dolor! tam diuturnis & flebilibus angustiis lacessito, ac velis subventrices manus extendere de dono tuæ regalis munificentiæ largitatis, prout tam sublimis & laudabilis materia postulat, ut Salvator ipse, cujus res agitur ex participio subventionis hujusmodi, ultra sempiternæ vitæ præmia, adaugeat feliciter statum, ac in pace custodiat dies tuos, & ex fructu desiderabilis unitatis apud sedem ipsam & reliquis titulis honoris & gloriæ perpetuis temporibus extollaris, ac nos & successores nostros ad retributionem saltem meritorum eidem serenitati tuæ ac posteris constituas debitores. Dat. Romæ apud S. Petrum Kal. junii pontificatus nostri anno I.

Necessitatem exponit.

Oppignerato ecclesiarum urbis suppellex.

Distractam a Gregorio hac occasione ecclesiarum & monasteriorum urbis gazam & prædia etiam oppignerata, vel alienata pretio, pluribus queritur Theodoricus e Niem (a). Dum ergo ad Saonensem profectionem pro instaurando ecclesiarum fœdere omni cogitatione incumberet Gregorius, atque instructas, ut par erat, triremes postulasset; negarunt (b) Veneti se ipsas daturos, ne Genuenses ipsorum hostes eas occuparent, interpretari ideo ad locum adversæ partis imperio obnoxium Pontificem trahi ab antipapa, ut in eo facilius opprimeretur: qua difficultate perculsus Gregorius Cardinalibus exposuit, (c) triremes Venetas impetrari non posse, atque ideo locum maritimum cui antipapa dominaturus esset, tutum non futurum; disceptatumque est an ob eam subortam difficultatem itinere Saonensi supersedendum foret.

(a) Theod. Niem. lib. 3. cap. 22.

(b) Id. lib. 3. cap. 17.

Gravissimæ causæ ob quas declinata Saone a Greg.

(c) Ead. cap.

(d) Ead. cap. 17.

Consulitur Greg. ut Saonam petat.

Sponsio Ladislao facta.

(e) Id. c. 18.

(f) Aretin. lib. 2. ep. 7.

Ladislai proditio ad urbem occupandam.

Compressi ab Ursinis Columnenses.

Refert idem Theodoricus (d) viginti-quatuor viros peritissimos adhibitos, ut sententias ea in re dicerent, omnesque ferme censuisse, maritimo terrestrive itinere petendam Saonam, ut constituto tempore pristina in Ecclesia pax sublato schismate revocaretur. Perstringit (e) deinde Gregorium author, arcanam coitionem cum Ladislao Rege, cui Saonense colloquium ingratum erat, ne quid in illo pro Andegavensi contra se decerneretur, fecisse (f), ut ad disturbandum profectionis apparatum immissis Columnensibus urbem occuparet. Sed contrario rerum eventu Columnenses ipsos, cum miles ad latrocinia & luxuriam se effudisset, a Paulo Ursino strenue propulsatos, nonnullis copiarum ducibus captis, extremoque affectis supplicio. Quam vero injuste ejusmodi calumnia Gregorio structa sit, indicat Leonardus Aretinus (g) sic inquiens. *Sunt qui putent, hanc totam rem a Pontifice de industria compositam, quo mentio omnis unitatis obrueretur: quod futurum erat, si Rex obtinuisset. Nos de Pontifice nullo modo credimus: de propinquis non dubitamus.* Patebit magis Gregorii innocentia ex dicendis inferius: Oppressa est ea conjuratio decima octava mensis junii (h), Gregoriusque Paulum Ursinum Narniensi toparchia in victoriæ præmium ac decus ornavit constituto hoc annuo censu.

(g) Aretin. ubi sup.

(h) Gregor. l. 2. p. 58.

Paulo Ursino concessa Narniensis toparchia.

Gregorius &c. Singulis annis dicto vicariatu durante de hujusmodi emolumentis & proventibus pro censu & nomine census unum palafredum album cum sella & fulcimentis decentibus ornatum ad usum personæ papalis die decima octava mensis junii cujuslibet anni, quo die de hostibus in almo urbe gloriosam victoriam reportasti, nobis seu successoribus nostris canonice intrantibus & ecclesiæ Romanæ seu cameræ apostolicæ in Romana curia, ubicumque fuerit, tuis sumptibus, periculis, & fortuna solvere, dare, & assignare tenearis &c. Dat. Romæ apud S. Petrum XIV. kal. julii pontificatus nostri anno I.

VIII. Excusat se Gregorius de adeunda Saona.

(i) Ext. tom. 22. de schism. p. 11.

Interjecto aliquot dierum spatio has literas ad Petrum e Luna continentes justas causas de non adeunda Saona, & cum alio magis, ac commodo loco commutanda, Gregorius dedit (i).

Petro a Luna, quem nonnulli sibi in hoc lacrimabili ac diuturno schismate adhærentes Benedictum XIII. nominant, pacis & unionis affectum pariter & effectum.

Cupientes ab intimis nostris præcordiis, ut pestiferum hoc schisma pro pace & salute Christiani populi & desiderabili unitate in Dei Ecclesia protinus extirpetur, postquam super extirpatione hujusmodi, capitula inter personam tuam ex una & venerabiles fratres Antonium tunc Motonensem nunc vero Bononiensem, Guillelmum Tudertinum episcopos, ac dilectum filium Antonium de Butrio utriusque juris doctorem Bononiensem nuncios nostros ex altera partibus Massiliæ firmata & conclusa perlegimus, adhuc ut possemus præfixo in tempore & loco convenire decreto, diligentiam adhibuimus, ut galeas fidas possemus habere; quoniam hucusque possibilitas nobis hujusmodi galeas habendi nullatenus data est, & nec spes certa, non solum octo sed nec sex galeas consequendi, nisi facultas alia, quam totis affectibus exoptamus, nobis in futurum adveniat; non concernimus præfixo in tempore venire posse, de quo ab intimis anxiamur: quæ tibi notificare decrevimus, ut hujusmodi, de qua dolemus, nostra impotentia non fiat; daturi pro viribus operam, quantum divinitas ipsa concesserit, ut quamprimum salubris afuerit ad consummationem extirpationis schismatis

Non posse a se triremes conduci.

tis & consequutionis unionis hujusmodi veniamus; & cum paratam opportunitatem videbimus, curabimus celeriter referare. Si vero interim, quousque ipsorum galearum possit haberi commoditas, pro celeriori expeditione consummationem desiderabilis boni unionis præfati, respectu multiplicium mediorum, quæ apposita noscuntur, tam gravia in conventionibus pro reddendo locum Saonæ futurum, ut locus ille non solum incommodus, sed valde gravis, inhabilis, & indecens reddatur, videatur in aliquo loco alio utrique nostrum accommodo convenire, nobis ex multis respectibus maxime, pro conservatione status præfatæ ecclesiæ in temporalibus potissime, cum in maximo periculo, & amissione fore noscatur, quod vos latere non credimus, nobis saluberrimum videretur: super quo placeat celeriter respondere, ut salutaris utrique provisio impendatur. Dat. Romæ apud S. Petrum III. id. julii pontificatus nostri anno I.

Queritur Saonam incommodam.

Periclitari urbem

IX. Negat permutandum colloquii locum antipapa. (a) Ext. epist. lib. te.22. de schism. p. 12.

De permutando Saonæ loco non assensit antipapa, literisque suis Massiliæ exaratis Gregorium his implicitum difficultatibus ursit, (a) ut Saonam contenderet, ubi se constituto die affuturum denuntiavit.

Benedictus episcopus &c. Angelo dicto Corario, qui in hoc pernicioso schismate se facit Gregorium nominari, pacis & unionis veræ affectum pariter & effectum.

Nosti, & nos sæpe experientia probavimus; quod res arduæ, maxime hoc nebuloso tempore quo, proh dolor! multorum charitas refrigescit, non possunt sine perplexitatum, & laborum dispendiis optato fine concludi. Non est tamen nostræ credulitatis, quod Christus dominus Ecclesiam sponsam suam dimittat, spe optatæ conclusionis adempta, sub tali laberinto diutius evagari: sed tenendum felici arbitratu videtur, quod eam in statum eriget meliorem, etsi cuncta in arduis non ad vota succedant, a bono proposito non est faciliter desistendum. Nos jam circa conventa hujusmodi expensas & labores non modos adhibuimus; quod si facultas non adesset eundi cum galeis sex, saltem cum quatuor aut duabus etiamsi tu octo haberes, ad locum decretum fiducialiter pergeremus. Hortamur ergo te per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenus consideratis, quæ decet super tanto negotio, in statera æquitatis appendere, resumptis viribus, de Dei gratia spe concepta, & in recta intentione, quam gerimus ipso Teste ad hanc pacem, in decretis, loco & termino pro complemento eorum, quæ concordata sunt, velis infallibiliter convenire, & dare operam, quantum ad te spectare noscitur, ad agenda. Nos autem non sine laboribus & expensis permaximis, ut præmittitur, dispositis quæ necessario incumbebant (Domino concedente, ad alia restantia exequenda fiducialiter properamus) omnia ponentes ante oculos Judicis cuncta cernentis, cujus clementiam humiliter imploramus, quod gressus illorum in viam salutis, & pacis dirigat, qui tam in necessario negotio recte secundum eum incedunt, & causam ipsius sinceriter prosequentur. Dat. Massiliæ apud S. Victorem kal. augusti pontificatus nostri anno XIII.

Hortatur Gregorium ut promisisset.

Pluribus quoque principum oratoribus stimulatus est Pontifex (b) ut conventa servaret; ac primum Genuenses, deinde Saonenses se suaque omnia amplissimis verborum officiis pro redintegranda ecclesiarum optatissima conjunctione detulerunt: accessere etiam antipapæ internuntii, cum quibus ultima die julii ut satius suæ saluti consuleret, novas pactiones confecit (c). Demum convenere Gallicanæ ecclesiæ oratores scientiæ opinione florentissimi; sed quorum nonnullos novorum errorum contra pontificiam potestatem auctores fuisse vidimus (d), dum regiæ potentiæ lenocinari visi sunt; qui non privatum colloquium, sed concilium œcumenicum, in quo causa dirimeretur, promovere debuerant (e), neque abdicationem utriusque contendentis, ut rem facilem proponere, cum antipapa ad eam neque concilii œcumenici auctoritate adducendus foret, quamvis verus Pontifex de statu dignitatis suæ esset recessurus. Horum vero nomina in Syngrapha de fide publica Gregorio data continentur, quorum princeps fuit Simon patriarcha Alexandrinus.

Missæ ad Greg. plures legationes. (b) Theod. a Niem. lib. 3. c. 13. & tract. 5. c. 10. sub fin. (c) Greg. l. 2. p. 94. & p. 100. (d) An. 1406. n. 18. (e) Id. lib. 2. ep. cur. p. 27.

Universis & singulis ad quos præsentes literæ pervenerint.

Cum venerabiles patriarcha Alexandrinus, archiepiscopus Turonensis, Belvacensis, Meldensis, Cameracensis, Trecensis, Ebroicensis Episcopi, Montis sancti Michaelis, Gemeticensis, S. Dionysii in Francia, Claravallis, ac S. Stephani de Divione abbates, ac eremita de Faya, Nicolaus de Calavilla milites consiliarii & Cambellani regis, Guillelmus Boisiaten utriusque juris professor ac hospitii regii requestorum magister, Ægidius de Campis eleemosynarius regius, Hugo le Rennoisier decanus Rhotomagensis sacræ paginæ professores, Guillermus Fillastre decanus Rhemensis in jure civili doctor, Dominicus Parvi, Joannes Brevislaxe, Joannes de Jarsonua, Petrus Plaiu, Joannes Parvi magistri in theologia, Gaufridus de Pompadour, Radulphus de Refugia utriusque juris, Joannes Gnoti, Robertus de Guesnero, decretorum doctores, Joannes Vorgnon, Henricus Dorgai magistri in medicina, Petrus Cathon, Eustachius de Franquemberch licentiati in jure canonica, Guillelmus Pulchrè nepotis, Arnoldus Voituwinb, Jacobus de Nomano secretarius regius baccalauri formati in theologia, Joannes Bonnuliste di-

Insignes Gallorum oratores ad eam decreti.

ctus

ctus Francisci licentiatus in jure canonico & Joannes de Rivello secretarii ducis Aquitaniæ dicuntur nuntii charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum illustris ad præsentiam nostram sicut accepimus pro parte dicti Regis venire proponant; nos eorum securitati providere volentes ipsis & eorum cuilibet etiam de per se cum eorum comitiva equitum & peditum usque in numerum quadringentorum navigiis, salmis, valisiis, equis, libris, auro, argento, pecuniis, jocalibus, vestibus, aliisque rebus & bonis suis quibuscumque, & cum familiaribus eorumdem tam per mare, quam per terram flumina, pontes, & passus quoslibet ad hujusmodi nostram præsentiam tam de die quam de nocte veniendi, ibique standi, & pro eorum & cujuslibet ipsorum beneplacito voluntatis recedendi toties, quoties eis libuerit, absque reali vel personali molestia salvum liberumque conductum & plenam securitatis licentiam concedimus per præsentes, &c. Suis imperat ne quam iis injuriam inferant, sed ipsos merita comitate prosequantur. *Dat. Romæ apud S. Petrum vi. id. junii pontificatus nostri anno 1.*

(a) To. 22. de schism. pag. 15. Obtulere (a) ii inter cætera Gregorio cunctanti, excusantique triremes, ut erat conventum, sibi deesse Genuensium triremes, quas ut suspectas non admisit: ac tum ii Romanos in ipsum concitare conati sunt: quibus Gregorius causas declinandæ Saonæ permutandique loci redactas in scriptis tradidit, ut paulo post dicetur. Demum pervigilio S. Laurentii Gregorius victus omnium precibus, cum Petrum Hanibaldum (b) S. Angeli diaconum Cardinalem Romanæ rei præfecisset, pro colloquio celebrando itineri se accinxit, quod ita describit Theodoricus Niemius (c). *Usque ad vigiliam S. Laurentii martyris in urbe remansit, quem ab urbe tunc recedentem de mane tempestive Romani sub pallio serico, ut moris est, extra portem urbis deduxerunt multum honorifice*, & paulo infra: *venit autem cum sua curia circa festum assumptionis Mariæ Virginis ad Viterbium, illic ad viginti dies conquievit*. Ex cujus discessu hostes ad Romam sibi subjiciendam occasionem captarunt; nam in primis Ladislaus ecclesiastici imperii occupandi cupidus copias immisit, quæ urbis Romæ mœnia perruperunt noctu; [1] adversus quem Gregorius judiciariam se veritatem adhibere constituit, ut dicetur inferius. Antipapa vero ad intercipiendam Romam absente Pontifice, quem inani colloquii spe decipiebat, classem instruxit: qua de re proximo anno agetur.

(b) Greg. l. 2. ep. cur. p. 71.

(c) Theodor. a Niem lib. 2. cap. 39.

Discessus illius ab Urbe.

Eo absente hostes urbi insidiati.

X. Horum & aliorum malorum præscius gravato admodum animo Saonense iter inibat Pontifex, nec deerant causæ, quas literis Viterbii exaratis Regi Francorum exposuit (d), poposcitque ut Saonæ locus cum alio magis opportuno commutaretur: deesse sibi Venetas triremes, quæ ex conventis pari numero cum aliis Petri e Luna instructæ armis stare in Saonensi portu deberent nisi se omnino adversarii potestati vellet permittere: ditionem ecclesiasticam ex longiori absentia maximis patere periculis: partium suarum viris Saonam omnino suspectam: nullam subesse rationem cur Saonæ tantum, ac non etiam in alio loco conjunctio inter ecclesias conciliari possit; præsertim cum ex Saonensi aditu alterius schismatis terror impendeat, ac si pestis periculum mutandi loci justa sit causa, longe novæ discessionis declinandæ causam justiorem videri, cum querelas adjicit de patriarcha Alexandrino ejusque sociis, qui si contra æquitatem sibi etiam Romæ insultare sint ausi, non aliud Saonæ expectandum, quam ut ipse ibi opprimeretur.

(d) To. 22. de schism. p. 15.

Repetitæ Gregorii querelæ suspectam Saonam esse.

Charissimo in Christo filio Carolo Regi Francorum illustri.

Cum honestas, tranquillitas animarum pertis nostræ, irreprehensibilitas nostri status re-

NOTÆ [1] Immissio illa copiarum Ladislai regis in urbem citius aliquanto contigit, quam hic assignatur. Etenim Ladislaus non captata quidem pontificis absentia ab urbe, sed eo adhuc præsente, ante profectionem ejus Viterbium, copias suas in urbem insinuavit teste, qui tunc Romæ aderat, Antonio Petri in Diario Romano, & qui pariter latери pontificis adhærebat Leonardo Aretino in epistola VIII. libri II. nov. edit. ad Leonardum principem Cortonensem, in qua etiam narrat ea, quæ tunc Romæ in aures insusurrabantur, nimirum regios illos milites clam accitos fuisse a Pontifice, ut eam causationem prætenderet, ne ab urbe ad locum colloquii cum Benedicto secederet. Non enim satis tuta existimari potuisset pontificis absentia in tanto validissimi hostis terrore. Ab ea quidem suspicione Pontificem ita liberat Aretinus, ut necessarios tamen ejusdem pontificis oneret: *De pontifice nullo modo credimus; de propinquis vero dubitamus*.

Testatur tamen idem Antonius Petri semel adhuc, etiam post discessum pontificis Romæ trepidatum fuisse, sed statim evanuisse metum ac omnia in pristinam tranquillitatem rediisse, nihilque de militibus Ladislai Romam subeuntibus memorat. Quare ea quæ narrat annalista inferius num. 16. ex literis Gregorii pontificis, ex vulgi rumoribus captata ad pontificias aures delata fuisse suspicor; nisi forte reputaverim Ladislaum supprimere incautos Romanos tentasse; sed cum vigilare cives comperisset, inanem recessisse.

Quæ vero ex Niemio refert Annalista eodem num. 16. a rebus anni hujus plane aliena sunt, cum nihil Romæ hoc anno innovatum fuisse ex eodem Antonio Petri, teste oculato, sciverimus. MANSI

requirant, ut ad locum Saonæ, secundum intentionem contractus adeamus in nostra potestate consistentes, permanentes, & recedentes, quæ res nobis aderat, præmissis habitis galeis, quibus carentes, has intentiones contractus servare nequivimus, nec per mare accedere, nisi ab ipsis intentionibus recedentes, nos & partem nostram parti adversæ submittamus; quæ res quam plurimos turbare habeat non est incredibile, & secundum varios effectus, qui solent in humanis accidere, etiam præter & contra voluntatem tuæ serenitatis rem ipsam contingeret perpetuæ esse reprehensibilitatis, nec confidentia conductoris hæc præmissa sufficit amovere; per ripariam vero accedentes ab ipsis intentionibus gravius laboremus: sed viam acceptantes per Lombardiam difficilem propter continuas guerras & turbationes reperimus, ut quodammodo ex præmissis, locus ipse Saona videatur inaccessibilis nobis. Gravius autem commovemur ex intimis compassione affligimur fidelium populorum sub ecclesiæ temporali dominio consistentium, quos ad locum Saonæ accedentes affligendos deserimus, quorum partem jam afflictam concernimus propter ipsum locum Saonæ, ex eo quod ipsum locum Saonæ ex toto non declinavimus graviter suspectum, cujus loci suspicione potentia nobis propinqua, cui non de facili resistere valeamus; hujusmodi attentata occupatione & afflictione; de cujus potestate cæteri omnes formidant, & hinc inde involvi angustiis: & nisi locus ipse mutetur in alium locum idoneum utrique parti, totale dominium temporale ecclesiæ in partibus his sub gravi periculo exponitur, quæ jam omnia notoria sunt, & a pluribus diebus eventura, declarata sunt crebris vicibus, & variis orationibus tam nostris, quam alienis: ubi vero locus ipse mutetur, plurima nobis offeruntur, quibus pro consequenda sacra unione, satis indigemus.

Subiicere se hac ratione adversariis.

Premi se a Ladislao Rege ob non declinatam Saonam.

XI. *Quæ igitur ratione tantum loco Saonæ insistendum est, ut dum in eo pax Ecclesiæ quæritur in parte nostra gravem divisionem, & post tot mala fatam inobedientiam futuro Pontifici, prout sors dederit, & schisma aliud relinquatur. Et si secundum conventionem locus ipse Saona ex legitimis causis mutandus est, numquid pestis, quæ in contractu exprimitur, & nunc in partibus illis esse dicitur, numquid guerra, quæ inter gubernatorem & Facinum Canem asseritur, magis urget; nempe causa quæ superius describitur, longe potior consistit. Illa corpus tangunt, hæc animum: illa periculum præsentis vitæ, hæc periculum æternæ vitæ ministrant: & dum iis debitis astringimur & ducimur, & Deo pura & recta conscientia operam devote offerimus, mutati a nostro proposito a quibusdam judicamur, quorum motus & detractiones tacemus, sed opera eorum Deo examinanda relinquimus, & ad partem, fili charissime tuorum oratorum convertimur, quorum ductor præcipuus extitit prætensus patriarcha Alexandrinus, quos nullis exhortationibus, nullis nostræ puræ intentionis expressionibus, nullis ad pacem Ecclesiæ voluntatis nostræ personæ vinculum charitatis, benevolentiæ, providæ maturitatis, ac providentiæ oblationibus * minimus nobis astringere, nec ad tractatus secretos & expedientes adducere: sed ab ipso initio, quia armatas galeas Januenses per eos oblatas statim non acceptavimus, asserentibus nobis, nos velle servare honestatem partis nostræ, ac galeas per contractum esse rejectas, continuo, dedignanter & fastuose a nobis recesserunt non reversuri, ut asseruit ductor & motor ipse prætensus patriarcha; quæ res plurimis ex suis displicuit: & in tantum prævaluerunt pravi conceptus, ut non ad unionem, sed ad divisionem, ad irritationem & partis nostræ depressionem videantur venisse, seditionibus, detractionibus, diffamationibus urbem replentes, & quæ circa hujusmodi fuerint, brevis non explicat ratio. Quibus non obstantibus, amore pacis & unitatis Christianæ, tractatus tenuimus & condescendimus, ut nostra responsio in scriptis docet, quam te credimus habere; post responsionem, iterum ad seditionem conversi sunt, & ad verba gravis injuriæ in majestatem nostram, sed tamen omnia patienter portavimus; ex quibus omnibus gravia sequuntur indicia, & suspiciones valida contra eos, de quibus valde dolemus, & opposita sperebamus, qui si in nos fuerint violenti in loco nostri dominii, quales nos essent habitari existentes sub sua potestate? qui & præmissas nostras legitimas rationes spreverunt, & in suis oblationibus non steterunt, &c. Datum Viterbii XVI. kal. septembris pontificatus nostri anno primo.* Repetitæ sunt v. id. septembris eodem argumento ad eandem Regem & ad Burgundiæ & Biturigum duces, atque academiam Parisiensem literæ (a), quibus Saonam se justis de caasis non posse accedere excusavit.

Novi schismatis impendere metum.

* Nequivimus.

Querelæ graves de patriarcha Alexandrino.

(a) Ext. in cod. to.22. p. 11.

XII. Inter hos de Saona declinanda angores Gregorius interjectis paucis a superioribus exaratis literis diebus, cum plura ex conventis cum Petro e Luna XXI. aprilis die Massiliæ, tum ex aliis ultima julii Romæ cum illius oratoribus pactis a Saonensibus, & Genuensibus, ut tuto Saona adiri posset, exigenda forent, Theodoro marchioni Montisferrati provinciam dedit (b), ut partis alterius Saonæ divisæ in duas atque alterius arcis possessionem acciperet, ac Saonenses sacramento obligatos nihil adversus Gregorium ipsum molituros, dandos obsides reciperet, congruam pro tuto Venetorum accessu cautionem posceret, Genuenses adigeret ad triremes quascunque armamen-

(a) Lib. 2. ep. cur. pag. 94.

Expetiti a Gregorio securitatis modi.

mentis alioque apparatu nudandas, ea excepta, quæ custodiendo, portui præesset: castrorum, quæ Senas inter & Saonam excurrunt, præfecturam flagitaret; si Petrum e Luna classe, Saonam petere contingeret, daret operam, ut comportatis ex ea armamentis dissolveretur, utque Bucicaldus Gallias repeteret, atque e Regis Francorum oratoribus unum pro Genua moderanda designaret, centumque Genuenses & Saonenses quinquaginta nobilissimos obsides deligeret; quæ singillatim in datis ad Theodorum ipsum literis (a) expressa fuere.

(a) Greg. l. 3. ep. cur. pag. 94.

Dilecto filio nobili viro Theodoro marchioni Montisferrati salutem &c.

De pactis Massiliæ confectis.

Cum per formam, & conventionem capitulorum circa extirpationem detestabilis schismatis & consecutionem desiderabilis unionis in Ecclesia sancta Dei inter venerabiles fratres Antonium tunc Mothonensem nunc vero Bononiensem, ac Guillelmum Tudertinum episcopos, ac dilectum filium Antonium de Butria utriusque juris doctorem Bononiensem nuntios nostros ex una, & Petrum e Luna, qui a nonnullis aliis sibi in hoc damnabili schismate adhærentibus Benedictus XIII. nominatus ex altera partibus, Massiliæ, die xxi. mensis aprilis proxime præteriti firmatorum, & etiam ex forma modificationum & conditionum per nos pridie in responsione facta nuntiis & oratoribus dicti Petri e Luna circa petitam per eos confirmationem capitolorum & conventionum prædictorum Massiliæ, ut præmittitur, firmatorum, nonnulla debeant & veniant a quamplurimis nobis seu per nos deputandis fieri, observari, & exequi, prout latius in capitulis hujusmodi conventionum, responsionum, & confirmationis, quarum tenores & formas hic alios de verbo ad verbum haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur; nos ad prosecutionem & executionem consequutionis unionis hujusmodi supremis aspirantes affectibus, & cupientes ac intendentes, dummodo nobis alias observentur, impleantur & fiant omnia & singula, quæ impleri & fieri debent per formam capitulorum, & conventionum hujusmodi, & responsionis per nos nuntiis dicti Petri factæ in alma urbe ultimo julii proxime præteriti, & confirmationis & capitulorum prædictorum, ut quæ exequenda veniunt salubriter compleantur, ac de tua nobilitatis, devotionis, & fidei sinceritate erga nos & Romanam Ecclesiam in magnis & arduis hactenus comprobatæ sumentes in Altissimo fiduciam specialem, quod ea, quæ eidem tuæ diligentiæ & nobilitatis & fidelitatis industriæ committenda duxerimus exquisitissima diligentia curabis salubriter adimplere; præfatæ nobilitati tuæ per te, vel alium, seu alios fidos tamen alias & idoneos, quem vel quos duxeris deputandos nostro & præfatæ ecclesiæ nomine petendi, obtinendi, & recipiendi a charissimo in Christo filio nostro Carolo Rege Franciæ illustri, aut ejus commissariis uno vel pluribus, ad hæc potestatem habentibus, nec non dilectis filiis gubernatore & commune Januæ, ac civibus & communitatibus & aliis quibuscumque, ad quos spectat totale dominium, jurisdictio, merum & mixtum imperium civitatis Saonensis, & castrorum in ea existentium; ita quod libera eorumdem traditio & possessio sit & esse debeat in manibus nostris & dicti Petri nomine præfatæ ecclesiæ æqualiter ac peti & absolvi faciendi castellanos & vassallos eorum a quocumque juramento, obedientia, fidelitate, homagiis & obligationibus aliis debitis, & illa præstari petendi & recipiendi nomine nostro & præfatæ ecclesiæ pro tempore, quo ibidem nos & ipsum Petrum, & alios nobiscum, secumque venturos conjunctim & divisim esse contigerit pro expeditione negotii præfatæ unionis; nec non dandi cautionem nostro & præfatæ ecclesiæ nomine de restituendo ipsam civitatem & castra in eo statu, quo fuerint assignata, juxta formam sexti capituli quod inter dicta capitula Massiliæ celebrata continetur, quod incipit : Item quod obtineatur, &c. *& etiam recipiendi ab omnibus civibus præfatæ civitatis Saonensis vel saltem a majoribus nomine universitatis & proprio, & in illo numero, de quo tuæ nobilitati seu aliis deputandis a te videbitur juramenti fidelitatis secundum formam quarti capituli inter dicta capitula Massiliæ celebrata denotati quod incipit :*

De præsidiis imponendis Saonæ.

Item quod quilibet ex prædictis duobus dominis, &c. *& finitis jurare debeant in introitu civitatis prædictæ Saonæ, & simile juramentum recipiendi a districtualibus & concitatensibus Saonensibus cum obligationibus opportunis secundum formam septimi capituli inter dicta capitula denotati, quod incipit:* Item quod omnes cives civitatis Saonæ *&c. & finit*, & quod hoc possit determinari & extendi cum clausulis (b) opportunis : *nec non petendi & recipiendi obsides idoneos a capitaneo deputando per ipsum Petrum pro ejus parte circa regimen & custodiam dictæ civitatis Saonensis & gentium armorum juxta formam octavi capituli inter dicta capitula contenti, quod incipit:* Item quod eligantur duo a prædictis duobus dominis, *&c. & finit*, aut amicos ad dandum eos obsides; *& etiam dividendi civitatem Saonensem prædictam in duas partes, prout melius & æquabilius fieri poterit, & dictam civitatem sic divisam pro una parte cum altero ex castris ejusdem juxta divisionem factam recipiendi nostro nomine ac retinendi, & etiam eligendi & deputandi; & etiam petendi & recipiendi in forma debita & opportuna a gubernatore Januæ & civibus & communitate Januensi, & ab officialibus & consiliis eorum-*

Sacramento exigendo a civibus.

(b) Ex hoc uno n. 4.

De obsidibus petendis.

Ne Genuenses triremes instruant.

eundem securitatem opportunam pro dilectis filiis universitate & singularibus personis Venetiarum juxta exigentiam decimi septimi capituli inter hujusmodi capitula denotati incipientis; Item quod obtineatur a domino gubernatore; civitate, & communitate Januensi prædictis plenam securitatem tam per mare quam per terram, nec non immunitatem, exemptionem, & libertatem, & exarmationem quarumcumque galearum, galea guardiæ eorum dumtaxat excepta: & quod nulla galea in riparia Januensi nobis & prædicto Petro ad ipsam civitatem Saonensem venientibus, stantibus & recedentibus inde, armetur, & ad alia exequendi, & observari petendi & faciendi juxta formam capituli decimi-octavi inter hujusmodi capitula contenti, quod incipit: Item quod circa receptionem & profectionem &c. & finit, galea guardiæ dumtaxat excepta; nec non petendi nostro nomine, recipiendi, tenendi, gubernandi, & custodiendi castra, quæ sunt de obedientia præfati Petri in Massilia residentis, existentia inter Senam & Saonam, ac etiam dandi dicto nomine sufficientes cautiones & securitates de restituendis hujusmodi castris in eodem statu, in quo fuerant assignata juxta exigentiam vigesimi capituli inter hujusmodi capitula denotati, quod incipit: Item quod castra, quæ sunt de obedientia &c. & desinit, propter viam & iter Senæ, & etiam petendi a dominis castrorum dictæ ripariæ, tenentibus ingressus & passus patriæ, securitatem debitam & opportunam de transeundo, stando, & recedendo, defendendo, & protegendo, & non permittendo quod ab aliquo violentia aut damnum fieri possit alicui parti, pro ut vigesimum secundum capitulum inter ipsa capitula comprehensum, & incipiens: Item quod a dominis castrorum ripariæ &c. & finit: alicui sit parti; continet, nec non in casu, quo præfatus Petrus aut alii de parte sua cum navigiis seu galeis armatis Saonam se contulerint, petendi, & faciendi exarmari quæcumque navigia & galeas tam hominibus, quam munitionibus quibuscumque per tantum tempus, antequam præstetur nobis habilitas ad dictam civitatem Saonensem nos transferendi, a dominis in Kal. novembris proxime futuri, & a gubernatore, & Genuensibus antedictis, similiter petendi exarmationem navigiorum quorumlibet & galearum eorundem fieri ante Kalendas octobris proxime secuturi, galea guardiæ ipsorum dumtaxat excepta, & alias non armari durante tractatu unionis prædictæ, & quousque omnia conclusa fuerint & deinde per unum mensem, postquam recesserimus de Saono, prout in responsione per nos nuncios dicti Petri & ratificatione dictorum capitulorum Massiliæ firmatorum, ut præmittitur facta die ultima julii proxime præteriti in alma

urbe, a quibus quidem responsione, ratificatione, & modificationibus, ac conditionibus per nos appositis & declaratis in eis non intendimus per præsentes recedere; sed ea ex causis, in ipsis denotatis & contenta in eis harum serie inesse volumus, & comprehendi; & etiam petendi juxta hujusmodi responsionis & confirmationis seriem quod dilectus filius nobilis vir Joannes Lemingre alias Bouciquaut Genuæ gubernator teneatur in Franciam redire, ubi continue durante tractatu unionis prædictæ, & postquam omnia conclusa fuerint & firmata, per duos menses continue residere, civitatem autem seu locum aliquem pro ejus accessu & residentia ex certis rationalibus causis animum nostrum moventibus eligere non intendimus, vel ipsi juxta dictæ responsionis continentiam assignare, sed illius in Franciam accessui & residentiæ hactenus inhæremus, & ab eodem Bouciquaut promissiones solemnes ac juramenta opportuna vel ejus procuratore ad id specialiter constituto recipiendi, quod contenta in responsione & ratificatione hujusmodi, prout ipsum concernunt, efficaciter adimplebit & observabit juxta ipsorum exigentiam & tenorem; & loco dicti Boucíquaut eligendi, nominandi, ac deputari petendi in gubernatorem Genuæ unum ex prælatis de numero oratorum præfati Regis Franciæ juxta formam responsionis & ratificationis hujusmodi ad nostram pridem directorum præsentiam, ad minus pro tempore absentiæ dicti Boucíquaut; & ab eodem gubernatore loco dicti Boucíquaut ponendo recipiendi promissiones, obligationes, & juramenta de adimplendis & observandis omnibus & singulis, ad quæ idem Boucíquaut per formam dictorum capitulorum Massiliæ firmatorum & contentorum in responsione & ratificatione prædictis quomodolibet tenebatur: & etiam ab eodem gubernatore, ut præmittitur, nominando obsides recipiendi, si habeat, nec non pro nostra & fratrum nostrorum & omnium aliorum securitate plenaria tam personarum, bonorum, quam rerum in eundo Saonam, stando, & redeundo & tam per mare quam per terram, nostro nomine nominandi, & eligendi de melioribus & notabilioribus, de quibus præfatæ nobilitati tuæ videbitur centum Genuenses, & quinquaginta Saonenses cives in obsides, ipsosque & eorum quemlibet ponendi in locis honestis nobis & ecclesiæ Romanæ subditis, vel alibi de ipsorum obsidum consensu, prout eidem tuæ nobilitati visum fuerit expedire, mansuros tamen in adventu, residentia, & reditu absque expensa vel onere nostro vel nostrorum, & generaliter omnia alia & singula gerendi, faciendi, exercendi, & exequendi quæ in prædictis & circa ea dependentia & connexa & pro salutari consummatione unionis præfatæ necessaria vel utilia videbuntur; plenam & liberam authoritate apostolica

Ut Bucicaldus redeat in Gallias.

De obsidibus a Genuensibus repetendis.

qui Viterbio digressus Senas ineunte septembri se contulit, ut propius ad locum congressus accederet. Interea Ladislaus cui Gregorius pontificatum adeptus Siciliæ regnum jure fiduciario confirmarat (a), datæ fidei immemor novam litem movit, Saonam sibi suspectam, ne quid in renovando sanctissimo inter ecclesias fœdere pro Ludovico Andegavensi statueretur, qua de re Leonardus Aretinus (b) qui in Gregorii familiaribus erat, ex rumusculis, quos in aula pontificia colligebat, hæc scripsit: *Eadem invitatio fuit, eademque cohortatio: locus deinde necessarius visus est, in quo & Pontifices ipsi & collegia convenirent. Ad hoc Saona pari consensu recepta est, urbs medio ferme spatio, & tam mari quam terræ accessibilis. Prospere hucusque & plane ex sententia; deinde turbationes subortæ graves cunctaque suspicionibus refecta; necessarii enim quidem propinquique confluentes suspicionem apud multos pepererunt, quasi voluntatem prius erectam inflectere conarentur; accedit quoque Ladislai Regis detestandus conatus: eam enim regnum Siciliæ ad sedem spectet Romanam, ac in hac divisione nostri quidem Pontifices Ladislao, diversi autem Ludovico Andegavensium duci concesserint, ac certamina ea de causa fuerint permagna, in quibus tandem Ladislaus prævaluit, regnumque solus possideat, veretur ne unione facta, & utroque collegio ad electionem coeunte, Gallicus forte aliquis ad pontificatum sumatur, qui favorem in regno obtinendo ad Ludovicum convertat. Hac itaque suspicione permotus omnes machines adhibet ad unitatem impugnandam, quod quidem factum patribus ac bonis ita molestum est, ut ad summum odium nomen Regis pervenerit; nam illis quidem satis cautum erat ex formula ipsa, quo providetur in cunctis dignitatibus, ubi plures a diversis electi reperiuntur, possessori dumtaxat jus fore: itaque suspicantur quidam non tam eo metu Regem moveri, quam id arcere moliri, ut per divisionem perpetuam sedes Romana imbecillior maneat, ac numquam in formidabile robur sit integrata, &c. Hæ literæ, ut in aliorum perveniant manus. Vale nonis aprilis.*

(a) Lib. 1. p. 305.

Ladislaus fidei violatæ reus.

(b) Leonard. Aret. l. 2. ep. 6.

Cur suspecta illi Saona fuerit.

Oppressurus ergo Romanam ecclesiam prima ad invadendum Picenum consilia convertit: eumque dolo Ludovicum e Melioratis provinciæ administratione a Gregorio submovendum curasset, illum mox sibi conciliavit, ut ejus opera ad eandem provinciam subjiciendam uteretur, atque Asculum Firmumque in suam potestatem redegit: tum submissis hostiles copias in urbem, quæ effractis mœnibus in eam irruperunt. Quibus acceptis Gregorius intentatis Ladislao gravissimis pœnis, ipsum ereptas Romanæ ecclesiæ urbes restituere jussit (c).

(c) Lib. 2. ep. secr. p. 318.

Gregorius episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Ladislao Regi Siciliæ illustri salutem, &c.

XV. Objecta illi labes ingrati animi.

Semper in nostris cordis affectibus gessimus & gerimus; sic ad conservationem statûs & honoris tuæ regiæ celsitudinis, etiam dum minori fungebamur officio (quod non debet serenitatis tuæ notitiam, vel memoriam effugisse) ardens omnis nostra invigilavit, & paternalis affectio, quod nobis assumptis ad apicem summi apostolatus, si conceptus sinister quispiam mentem tuam recepisset, vel animum contra sanctam Romanam ecclesiam aut nos, a corde menteque tuis, ad personam nostram, quæ serenitatem ipsam unice seduloque dilexit, & ad eandem ecclesiam tuam matrem dominam & magistram convertere filialis dilectionis intuitum, a qua diadema regium regnumque pariter, quod a nobis & præfata ecclesia, & tantis expensarum profluviis per ipsam ecclesiam peractarum, de hostium recuperatum manibus tenes, in feudum accepisti, conceptum ipsum debuisset abstergere, & ab omni non solum actu, sed cogitatu protinus abdicare, idque semper & per literas nuntiosque nostros, tuæque serenitatis oratores ad præsentiam nostram sæpissime destinatos, tam paterne, quam suaviter & cordialiter suadentes, fuimus cohortati, & præsertim, ut ab offensionibus quibuscumque contra nos & præfatam ecclesiam almam urbem marchiam Anconitanam & quascumque alias provincias, civitates, terras, & loca nobis & eidem ecclesiæ supposita, eorumque comitatus, territoria, districtus, cives, habitatores, incolas, res, & bona, deberes per te, & alios tuæ regiæ ditioni suppositos, vel commissos, facere modis omnibus & effectualiter abstineri; tuaque eadem serenitas tam literis quam nuntiis & oratoribus filialis reverentia gratissimam, & ut filium decebat devotissimum, atque charissimum, ad præmissa responsionem exhibuit, quæ tanta suavitate menti nostræ adhæsit, ut de ea spem concipientes amplissimam, atque fidem dilectis filiis Romanis & tam marchiæ quam patrimonii B. Petri in Tuscia, Spoletani ducatus, ac Romandiolæ, & aliis nobis & ecclesiæ præfatæ subditis asseruerimus manifeste. His nuntii respondebant, quod de eadem tua serenitate tuisque gentibus atque studiis, non erat quomodolibet ambigendum.

Nunc autem manifestissime cognoscentes eamdem serenitatem tuam spretis, & contemptis nostris salutaribus monitis & paternis, ac honore & reverentia sedis Apostolicæ atque nostris, necnon promissionibus in assumptione tua regii diadematis atque ergas prædictorum, ac jurisjurandi observatione tam per eandem serenitatem suam, quam procuratores tuos præstitis tempore felicis recordationis Bonifacii IX. prædecessoris nostri, a quo regnum ipsum

Sæpius promissis repetitis firmarat se Rom. ecclesiæ non adversaturum.

tam munificentissima largitate in feudum nobile suscepisti, contemptisque censuris ac pœnis spiritualibus & temporalibus, quibus ex forma infeudationis præfatæ ob infrascripta & alia patrata erroribus extitit, damnabiliter declinasse in contraria studia contra Deum & justitiam fidemque tuam; satis mirari, stupere, horrere pariter & dolere non possumus, ut a devotione, fide, & obedientia nostris & ejusdem ecclesiæ in rebellionis, infidelitatis, & inobedientiæ præcipitium sis conversus, quod esse potest & finitimis & remotis non absque fama tua indelebili macula, atque nota, luce clarius manifestum. Et ut aliqua referamus ne a remotioribus sumamus exordium, summa cum instantia per dilectos filios oratores tuos nobiles viros Thomam ferinarium ac Jacobum Galganum Aversanum milites [ut de literis taceamus] instantissime petivisti quod dilectum filium nobilem virum Ludovicum de Melioratis tunc pro nobis & præfata ecclesia in dicta provincia Marchiæ rectorem ob offensiones factas per ejus gentes contra subditos quondam Adriæ ducis menti tuæ, ut asserebant, molestissimas revocare a rectoratu hujusmodi curaremus, offerentes parte tua armigerarum tuarum gentium magna & continua præsidia in illius persecutionem & recuperationem civitatum & terrarum, quæ sub ejus regimine detinebat, pluraque alia, quæ exprimere longum esset; nos, ut tuis regiis beneplacitis nostrum præberemus assensum, & propter crudelia ipsius scelera strogesque nefarias & horrendas, præfatum Ludovicum, quem tunc hostem manifestissimum reputabat & infestissimum, ficte tamen ut nos, qui pure & simpliciter literis ac verbis tuis & tuorum impendebamus credentiæ plenam fidem possit [ut rerum approbat exitus licet a plerisque, ne id fieret dissuasum esset, asserentibus contrarium eventurum, quod nequaquam censuimus] supplantare, ab hujusmodi rectoratu amovimus, illique præfecimus venerabilem fratrem nostrum Benedictum Feretranum episcopum in rectorem firmo spe fiduciaque conceptis, ut eundem rectorem tuis regiis auxiliis in omnibus adjuvares, propter oblationes amplissimas & sæpius repetitas.

Insignis ejusdem proditio.

Fidissimum ducem exauctorandum a Pontifice ficte curaverat.

XVI. *Qualiter autem nobis & præfatæ ecclesiæ successerit, ex oblationibus hujusmodi novit ille qui ignorat, ac etiam provinciales, & reliqui noscunt Reges & principes, terrarumque domini, & alii tam proximi, quam remoti: nam propter revocationem hujusmodi de eodem Ludovico factam, & eodem contra nos & ipsam ecclesiam in hostem verso, ut [sicut conterminus] affectabas intentione tua sed reproba, protinus eundem Ludovicum muneribus, stipendiis, provisionibus, ac promissionibus amplissimis ad tua stipendia conduxisti, ac sub tua protectione, & recordatione clypeo suscepisti, civitatesque nostras & præfatæ ecclesiæ Æsculanam & Firmanam cum earum fortelitiis & nonnullas terras, castra & loca ad nos, ipsamque ecclesiam spectantia, damnabiliter occupasti, occupataque detines, & in nostrum & præfatæ ecclesiæ clavium vilipendium & contra nos in mentibus fidelium ac subditorum nostrorum & ejusdem ecclesiæ odium & diffidentiam causares, ut concernentibus daretur intelligi agendi talia concessisse liberam facultatem una cum tuo vexilla, ac arma & insignia præfatæ ecclesiæ, atque nostra quæ ad defensionem & exaltationem præfatæ ecclesiæ & subditorum gestanda veniant in eversionem status ipsius ecclesiæ atque nostri erigi & subditorum hujusmodi, & fortelitiis occupatarum civitatum affigi præsumptione detestabili jam fecisti, & per capitaneos tuorum gentium, præsertim nobilem virum comitem Carroria vice-regium Aprutinum, ut fide digna relatione didicimus, provincialibus dictæ provinciæ Marchiæ ne præfato rectori nostro obedientiam impendant, aut tallias & debita nostris armigeris gentibus quoquomodo persolvant, præsumpsisti facere districtius inhiberi, almamque urbem effractis muris gentes tuæ ac adhærentes & sequaces cum vexillis hujusmodi hostiliter intraverunt, sumpta occasione, sicut dilectus filius Dominicus de Neapoli ordinis Minorum professor ac ejusdem tuæ serenitatis orator ad almam urbem ad nostram præsentiam destinatus nobis expressit, quod præmissa & alia hostilia illaturus erat, ex eo quod locus civitatis Saonensis pro conventione nostra ac Petri de Luna, quem nonnulli Benedictum XIII. in hoc damnabili schismate nominant super extirpatione hujusmodi schismatis tibi suspectus, & gravis per nostros & Petrum ipsum fuerat deputatus.* An post ingressum urbis propulsatæ fuerint Ladislai copiæ a Romanis, an urbe ipsa potitæ sint non exprimit Pontifex: Theodoricus (a) vero e Niem locutus de Gregorii ex urbe recessu, in qua Petrum de Anibaldis diaconum Cardinalem natione Romanum, & Paulum de Ursinis ad eam tuendam administrandamque reliquerat, subiicit: *Infra breve temporis spatium ipsa Roma ad manus Regis Ladislai annuente præfato Paulo devenit quo facto dominus Cardinalis repente inde recedens ad civitatem Senensem declinavit.* Cæterum Ladislaum Romam ingressum proximo anno, ac pompa triumphali a Romanis exceptum dicemus inferius. Quo vero iis tantum scelus fallaci specie subornarit, indicat Gregorius, gravissimasque querelas aggerat.

Eumdem ad regia traduxit signa.

Asculum Firmumque occupavit.

In ecclesiam vexilla ecclesiæ vertit.

Romam effractis mœnibus invasit.

Denuntiatum Gregorio a Ladislao bellum propter suspectum Saonæ locum.

Quibus commissa Roma custodia.

(a) *Theod. Niem. lib. 3. cap. 22. & MS. diar. Hector. Pign. Homboldi Card. ex urbe fuga.*

Audiat hæc omnipotens Deus & exurgat causamque discernat suam: audiat mundus ac præsertim Catholici Reges & reliqui in praelaturis & dignitatibus constituti, cæ- XVII.

tuſ-

Ut sustentatus ecclesiæ opibus Ladislaus fuerit.

tuisque fidelium Christianorum quod Rex noster & ecclesiæ præfatæ feudatarius & vassallus, substantiis & bonis ecclesiæ enutritus, creatus Rex, adjutus & muneribus, & largitionibus amplissimis condonatus, usque ad expilationem bonorum ecclesiasticorum non solum Romanorum, sed basilicarum, ecclesiarum, monasteriorum, & hospitalium præfatæ urbis quamplurium, ut reliqua permaxima silentio involvamus, suo domino atque patri, in cujus & præfatæ defensionem ecclesiæ se debet & tenetur accingere, legem imponat pariter & indicat sub interminatione tam horribili & nefanda in perniciem status præfatæ ecclesiæ atque nostri & omnium subditorum. Sed aderit, ut speramus, omnipotentis dextra, quæ Petri naviculam ad portum, tranquillitatis, tempestate repressa, perducet:

Imploratum in eam divinum auxilium.

Nam etsi ipsa videatur navicula mortalium sensibus plerumque fluctibus agitari, mergi tamen nequit; oravit enim pro ea in Petri piscatoris persona redemptor noster unigenitus Dei filius Jesus Christus, qui pro ipsa, suo fundata pretiosissimo sanguine, crucis non dubitavit subire tormentum, ne posset quomodolibet deperire; ad quod erigas, obsecramus, intentæ mentis aciem, ac induas spiritum salutaris consilii, & resumas, nec oblivionum tenebras induas, sed diligenter considera famam processus dudum contra te & sequaces tuos per felicis recordationis Innocentium Papam VII. immediatum prædecessorem nostrum, demeritis exposcentibus, habiti & formati; recordare promissionum & juramentorum per te & procuratores hujusmodi in assumptione diadematis regii & concessione ac infeudatione dicti regni factorum & præstitorum, nec non conditionum, censurarum, & pœnarum spiritualium & temporalium eo ipso inflictarum, & adjectarum in infeudatione & concessione hujusmodi, quorum omnium tenores & formas hic haberi volumus pro sufficienter expressis:

Objecta Ladislao Innocentii in eum edicta.

Multiplicia perjuria.

reminiscere indultorum, privilegiorum, & gratiarum ab ipsis prædecessoribus eidem tuæ serenitati cum tanta benignitate & gratia concessorum, & per nos etiam indultorum; & tunc videbit eadem tua serenitas his omnibus ad lancem & trutinam rationis adductis, an tibi licuerit vel in futurum liceat præmissa & similia contra nos & præfatam ecclesiam sine dispendio salutis æternæ, honoris, & status regii amissionis regni & omnium indultorum impune patrare. Et quoniam ad statum & honorem tuum hujusmodi præservandum ardens & pervigil ac paterna semper nostra excubavit intentio, filiationem tuam nobis hactenus semper charissimam per aspersionem sanguinis præfati Redemptoris nostri ac per zelum, quo te semper prosecuti fuimus, perque fidem & filialem reverentiam, quibus nobis & eidem ecclesiæ astrictus esse

Repetita paterna monita.

dignosceris, obsecramus, obtestamurque quatenus depulsis errorum tenebris, & quibusvis impulsionibus, & suggestionibus malignorum te ad talia impellentium, resumas habitum catholici Regis & principis, ac fidelis nobis & eidem ecclesiæ, tanta dudum affectione conjuncti, & ab offensionibus conversus ad defensionem justitiæ, ac fidei pro statu & honore nostro & præfatæ ecclesiæ & subditorum hujusmodi thoracem & galeam, ac scutum induas, & tam fidelem quam filialem quamlibet armaturam, ut te decet, nobisque & eidem ecclesiæ occupata restituas, restituique facias, & contra præfatam urbem, provincias, civitates, terras, & loca ipsa ac subditos per te vel alios molestias vel jacturas non inferas, seu a quoquam poteris equidem atque debes inferre quoquomodo permittas.

Jussus occupata restituere.

Quo, si, ut cupimus & speramus, efficies, Salvator omnium in pace custodiet dies tuos statumque tuum cum gloria & honore feliciter conservabit, ac post hujusmodi labilis & fugacis vitæ cursum, meritis exigentibus, sempiternæ vitæ præmia ac indelebilis nominis gloriam ultra nostram & Apostolicæ sedis benedictionem, & gratiam eidem tuæ serenitati misericorditer largietur.

XVIII. Nos autem & fratres ipsi præfatæ ecclesiæ Cardinales, sicut sæpius obtulisse meminimus, iterato repetimus offerentes, si præmissa & alia, quæ teneris fideliter, ac realiter, filialiter ac realiter adimplebis, nos & illos esse dispositos, pervigiles, & intentos circa illa curis indesinentibus per quæ status & honor regius hujusmodi valeat feliciter conservari. Si autem obtenebratus in malorum sententiam descendendo prolapsus, ac studeas reprobis contra nos, ecclesiam, urbem, provincias, civitates, terras, loca, & subditos hujusmodi communiter vel divisim pertinaciter (quod avertat Omnipotens) malignari dispositus fueris, ex nunc prout ex tunc, licet totiens ex literæ requisitus monitis & tot tantisque nunciis & literis ac paternis exhortationibus excitatus, de Apostolicæ plenitudine potestatis & ex certa scientia de eorumdem fratrum nostrorum consilio & assensu tenore præsentium te & omnes alios, cujuscumque status, dignitatis, ordinis tam spiritualis quam temporalis, conditionis, vel gradus existant, exhibentes tibi vel tuis ad præmissa vel alia nocumenta quæcumque per se vel alios auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quomodocumque aut qualitercumque iterato præsentium tenore monemus, requirimus, & citamus, quatenus sub illis censuris & pœnis tam spiritualibus quam temporalibus etiam excommunicationis, suspensionis, interdicti in regnum, & ejusdem regni privationis & amissionis, & aliis quibuscumque ab jure vel homine contra talia perpetrantes inflictis & promulgatis, & maxime

Iotentatæ reluctanti pœnæ.

xime per formam concessionis & infeudationis dicti regni, nec non processuum apostolicorum contra invasores & occupatores almæ urbis, necnon provinciarum & terrarum hujusmodi solemniter factorum & publicatorum, quorum omnium status, tenores, & formas hic alias haberi volumus pro sufficienter expressis & specifice declaratis, tenearis & debeas, tuique etiam adhærentes, complices, & sequaces sint astricti eo ipso, prout ad quemlibet pertinuerit, infra triginta dies a data præsentium continue numerandas, quorum decem pro primo, decem pro secundo, reliquos vero decem pro tertio ultimo & peremptorio termino hacum serie assignamus nobis & præfatæ ecclesiæ consignasse & restituisse, ac consignari & restitui fecisse, seu venerabili fratri nostro Benedicto episcopo Feretrano rectori prædicto pro nobis & eadem ecclesia recipienti, civitates præfatas Asculanam & Firmanam cum fortalitiis, castris, & locis hujusmodi occupatis, ac etiam emendasse & correxisse te & ipsos, & satisfactionem de promissionibus fecisse etiam competentem, & ab offensionibus, ac molestiis & præsumptionibus, & a quibuslibet præsidiis & protectionibus præfato Ludovico vel aliis prout exhibendis abstinuisse & abstinere facere de cætero cum effectu per te & alios, ut præfertur. Alioquin, si præmissorum contemptor seu contemptores fueris vel fuerint, quod non reimur, eo ipso elapso dicto termino contra te & ipsos ad declarationem te & hujusmodi complices & sequaces in censuras & pœnas tam spirituales quam temporales inflictas & promulgatas a jure vel ab homine contra talium patratores & maxime per formam concessionis & infeudationis ac processuum prædictorum, ac excommunicationis, suspensionis interdicti, privationis & amotionis dicti regni fuisse & esse similiter irretitos, ac etiam incidisse & aliarum pœnarum inflictionem mediante justitia procedemus, prout putabimus convenire; volentes nihilominus, ac etiam declarantes scientia & auctoritate prædictis, quod præsens monitio atque citatio constitutionibus apostolicis, nec non privilegiis & indultis eidem tuæ serenitati, vel regno tuo aliis quomodocumque concessis, & quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus perinde te ac adhærentes, complices, sequaces, & fautores tuos & quemlibet ipsorum citet & arctet, ac si personaliter tibi & ipsis & ipsorum cuilibet insinuata & præsentialiter præsentata fuissent. Datum Senis VI. id. septemb. pontificatus nostri anno 1.

Ex his arguas Theodoricum Niemium Gregorii calumniatorem, qui de urbe a Ladislao occupata locutus addit: *Dissimulante ac tacente, immo conniventibus oculis hæc omnia Gregorio transeunte.* Quid enim Gregorius a Ladislao oppressus, ab antipapa, colloquii specie, exitium ipsi moliente proditus, a Cardinalibus etiam illusus, a schismaticis oppugnatus aliud agere potuit?

XIX. Abrogata Ladislao Campaniæ præfectura.

Ad comprimendam vero facilius nequitiam Ladislai Regis, qui beneficia quibus ab ecclesia Romana afficiebatur in nova scelerum arma convertebat, Gregorius VI. kal. octobris, dum Senis morabatur, concessam ab Innocentio Campaniæ & Maritimæ præfecturam ei abrogavit (a). At Ladislaus pontificiis literis, ut cœptis absisteret, monitus rescripsit (b) callide admodum Gregorio, Asculum se ac Firmum, ut ecclesiæ eas urbes servaret, recepisse; deque Saona pro celebrando colloquio admodum suspecta conquestus, multis verborum officiis Gregorium delinire nisus est, sic inquiens: *Scripsi, consului cum filis & sæpe humiliter supplicavi, sicut & alii mundi proceres & magnates fidei devotique vobis & vestro, immo & nostro & cunctorum fidelium cœtui, ut comperi, jam fecerunt, ut locus eligendus ad tam sperati futurique boni mysterium omni prorsus suspicione careret, nec electus Saonæ locus ad ea tutus & congruus videbatur: movebar siquidem zelo vestra & ut ardua tanta res tamque cunctis Christicolis necessaria ac frugi, recte & absque quovis impostoris redivivo careret scrupulo, sed auxiliante eo, cujus res agitur, foret in perpetuum duratura. Nam licet mea, ut id rite quovis loco fiat multum intersit, parum tamen refert, immo nihil quocumque terrarum angulo vel recessu bonum agatur, dummodo bene fiat; ad quod vellem concurrere vobiscum una, & sæpe obtuli, & denuo offero, semperque offerum me paratum & pro viribus adjuturum.* Et infra.

(a) Lib. 2. pag. 241.

Conquisita Ladislao causæ.

(b) Extant ejus lit. apud Theoder. Niem. tit. 4 c. 6. & apud Goldast. tom. pag. 383.

Persuadeo, consulo, supplico, oro, ac obtestor, ut ad hanc præoptatæ, optimæque rei consummationem, & perfectionem celerrimam, non solum ad Saonam locum pactum & pollicitum, ut omnes vere norunt, sed etiam, si libet, Parisiis refertam sapientia urbem dignissimam proficisci: neque sperno, immo acceptissima mihi est oblatio per vestram beatitudinem facta, ut ubique temporum & locorum causam meam, quæ ut justissima vestra est beatitudo, ipsa, sicut pridem mihi spopondit, ut pro posse servibus concludatur, habens uno cum aliis domnis sacri collegii in præcordiis recommissam. Nonnullisque interjectis se sua virtute regnum adversus hostes tutaturum addit. *Postremo citatus & monitus peremptorie a vestra beatitudine id tandem faciam, quod obedientiæ filii vero patri & matri Ecclesiæ ex debito facere obligantur. Et licet pridie ante bullæ apostolicæ receptionem meos peritos oratores ad vestram beatitudinem transmiserim, quos confestim supplico expediri, non diu post hoc alios*

Excusat admissa facinora.

in-

tamen mittam, me & meam innocentiam excusaturos, atque singula ad quæ teneor peracturos. Sed quæso, sanctissime pater, compescite hos animi vestri motus, ab aliis forsitan iniis aut dissidium procurantibus concitatos, & placidum pii patris in filium spiritum reassumatis; oro denique cum propheta: Domine ne in furore tuo arguas me &c. Altissimus Beatitudinem vestram bene dirigat diutiusque gubernet. Dat. Neapoli XII. die octobris anno Domini MCCCCVII.

XX. Gregorius a suis & ab hostibus proditus.

Plena erat ludibrio hæc cohortatio Ladislai insultantis pontifici, qui se ab adversariis circumveniri redintegrandæ ecclesiarum conjunctionis specie siverat, dum hinc Petrus e Luna Bucicaldi classe & Genuensium viribus fretus Christi vicarium pellectum in locum iniquum opprimere meditabatur, quod ex crebris ejus dolis, & pertinacia patuit; parte alia in Pontificem, qui debuerant esse fidissimi rebellarunt, Romæque imperium eripuerunt. Graviori itaque curarum æstu fluctuare cœpit Gregorius, atque a schismaticis imminens exitium expavescere, cum illi confectas pactiones non servarent; non enim antipapa ponebat arma, sed classe instructus inferebat; nam Bucicaldus Gregorii hostis apertus, satelles autem pseudopontificis redibat in Gallias: negabant Genuenses dare obsides, utpote qui inferendam vim Pontifici suspicarentur. Itaque blanditiis Gallorum se eo adductum perhorrescebat, ut se antipapæ furori objiceret, subjiceretque catholicam Ecclesiam schismaticorum potentiæ: quapropter ex aliquorum prudentum acutius imminentia discrimina perspicientium consilio, Petrum e Luna ita sollicitavit, ut ob justas causas de permutando loco paciseeretur, missis ad eum Jacobo a Turso Urinensi, Joanne abbate monasterii S. Mariæ e Pratalia, & Francisco Justiniano patritio Veneto internunciis, quos his mandatis instruxit (a).

(a) Lib. 2. p. 264.

Capitula ad Petrum de Luna, quem sibi adhærentes Benedictum XIII. nominant.

Primo fiat exhortatio ad eum, quod velit prospicere pie, quod omnia media ordinata ad aliquem finem sunt conferenda ad eundem finem; & si non conferant, sed potius impediant (quod in humanis usris in casibus solet accidere) recte mutanda sunt.

Secundo quod velit caritative inspicere, quod locus Saonæ fuerit ordinatus pro integratione unitatis Christianorum cum certis modis & securitatibus pro utraque parte, ut quantum fieri poterat esset æqualitas, inde interveniret honestas, quæ securitas & honestas in genere suo satis clare videretur requiri ad perficiendam ipsam integritatem unionis Christianorum; quibus deficientibus locus ipse Saonæ parti, cui deficiunt redditur gravis, & contra intentionem

Cur mutandus Saonæ locus.

tractat, & non conferens, sed impediens ad finem & ideo mutandus.

Tertio quod velit prudenter considerare, quod materia unionis charitative est tractanda & benigne, & quantumque fieri bene potest, cum pace eorum, quos materia intime tangit, & maxime præsidentium populis Christianis, ne corda gravata maxime potentium rumpant ad novas intentiones, & ideo media sic prudenter dispanenda sunt, ut, quantum fieri potest, servetur honestas utriusque partis, & altera pars non videatur dejecta.

Quarto quod velit diligenter advertere, quod considerantes, pure, & efficaciter integrationem unitatis Christianorum non est appetitus, non actus, nec signum ostentandi se; licite tamen rationabiliter excusandi se, si in aliquo deficiat non ex culpa, nec fugiendi calumnias & infamias, si aliter veritas & rectitudo servari non possunt, sed providendi & curandi vias, modos, & res, ex quorum natura & firmatione verisimiliter ad finem perveniatur optatam, scilicet integrationem unionis pacificæ Christianorum; unde re vera magis & juste damnatur ostentator ex quocumque eventu, quam calumniam patiens & injuste diffamatus; ostentatio namque dissonat amori unionis; qui amor mitens rectiori & strictiori via ad unionem, incidit quandoque in diffamationem.

Ut defugienda ostentatio.

Quinta exponatur, quod sanctissimus dominus noster dominus Gregorius Papa XII. intime dolet ac contristatur, quod sibi pure & efficaciter desideranti integrationem unitatis pacificæ Christianorum, intervenerunt aliqua contra voluntatem suam, ex quibus visum est sibi ex debito procurare mutationem loci Saonæ, considerato quod accessus Saonam non solum tangit personam suam, sed officium & obedientiam suam ac unionem: & quod gravia pericula, quæ tangereat solam personam suam, non retraherent eum.

Sexta exponatur quod ipse dominus noster non obstante, quod locus Saonæ esset incommodus, & incommodior ex multiplicatis mediis securitatis, nec fuisset nominatus, nec conceptus per eum, immo ex consequenti prohibitus, prohibita civitate Januæ, visus fuit adimplere conventa amore pacis, ex quo conventum erat: & ut clarius incederet, providit collegium Cardinalium procurare galeas, & alia sibi necessaria dans eidem potestatem impignorandi terras ecclesiæ pro expeditione, qui & ipsi Cardinales simul & seorsum posuerunt incassum diligentiam suam.

Queritur internuncios male obiisse legationem.

Triremes comparari non potuisse.

Septimo exponatur quod idem dominus noster Papa, qui a principio percipiens difficultatem de habendo galeas, purissime incedrat & credens posse accedere congrue & sine magna difficultate per terram ad locum Saonæ, non informatus de viis, tunc concludebat

dimi-

Ut suaserint Galli omittenda præparatoria, sed ab utroque cedendum.

dimittere galeas, & tandem deliberavit de duabus galeis tantum & formaverat capitula mittenda per jam electum oratorem suum, ita quod pars altera esset contenta de duabus tantummodo galeis: sed postquam recepit tres copias ejusdem tenoris a diversis dispositionis factæ in regno Franciæ de removendo tractatum præparationis in viam concessionis, & aliis exorbitantibus, quæ plura inconvenientia videbantur includere & periculosa retraxit se a prædicta deliberatione, permanens in executione contractus, ut inceperat, non tamen extimans illam puritatem in Gallia, quam primo excogitaverat & tenebat circa materiam unionis, quæ dispositio multum eum gravavit, & animum perturbavit; maxime quia in executione talis dispositionis videbantur graviora schismata posse contingere, & quia ex puro amore incœpit, ex eodem cupit finire: qui amor horret omnem violentiæ saporem.

Ingrata Gregorio hæc consilia.

Octavo proponatur quod velit mutare locum Saonæ, & videre & tractare de alio loco, quia finis non est desiderandus propter medium quod inventum est ad finem, & maxime quando medium servatur iis rebus & conditionibus, quibus ordinabatur ad finem: sicut accedit de loco Saonæ ex infra scriptis causis & motivis, quibus præfatus sanctissimus dominus noster motus fuit ad petendum & continuandum mutationem prædicti loci Saonæ.

Nono exponantur motiva petitionis mutationis loci Saonæ, quæ moverunt præfatum dominum nostrum, quæ sumuntur ex parte securitatis habendæ, & honestatis servandæ, incommoditatis removendæ, & crudelitatis fugiendæ, divisionis horrendæ, & unionis aptandæ, quæ omnia respiciunt debitum officium papatus saltem de congruo.

XXI. Initat conditionem securitatis deesse.

Prima pars capituli XIIII. primo ex parte securitatis habendæ. Securitas quidem conventa de galeis non respicit solum personam suam & singularis est. Sed ut caput & totam obedientiam suam, ideo ex debito, ne offendatur, tenetur non accedere secundum illa, nisi aliter disponeretur, saltem ex debito congruitatis: & hic securitas galearum erat potissima, & de essentia & substantia contractus, sine qua non intendebatur obligatio; quæ securitas servabat præfatum dominum nostrum in sua potestate eodem stando in loco, fortius securabat pluribus aliis securitatibus, & secundum varios eventus liberabat discedendo; & hæc impossibilitas galearum, & si non creditur, inquiratur, & clare invenitur si esset perpetua extingueret obligationem, temporalis autem impedit effectum: & si tangeret eum solam singularem, fervor expetendi pro unione eum reduxisset ad locum Saonæ.

Non tenere ea ratione contractum.

Secunda pars capituli IX. secundo ex parte honestatis: consideret quilibet rectus extimator rerum, si congruat eundem dominum nostrum servare honorem maxime magnatibus suæ obedientiæ, & si servetur suæ obedientiæ honor submittendo se in fortitudine & potestate partis adversæ, non habendo galeas; parte vero altera ipsas obtinendo, in quo casu multi gravarentur & timerent, & reprobarent se submissas verecundiam & scandalum eorum arbitrantes: & hoc posse videri in præsenti, & maxime in futuro evenisse, quæ est pars ista tanquam neglector & minus justa, volenda sedere suæ manulæ se submisisset, & in manibus partis adversæ se tradidisset: quam rem tanto efficacius credendum est eos fugere, quanto tenacius hanc fidem & obedientiam ex ordine rerum & conscientia clarius servarunt incorruptam: & qui rem suspectam perciperent quantum in sua fide & obedientia se offensos & dejectos sentirent & dolerent.

Inhonestum fore se partis adversæ potestati committere.

Tertia pars capituli IX. ex parte incommoditatis removendæ: semota quidem commoditate eundi cum galeis, accessus ad Saonam ascriptus erat per viam Lombardiæ vel Liguriam, quorum qualibet multum incommoda est talibus personis; sed incommoditas hæc reparari poterat per galeas Januenses, saltem pro magna parte, circa quam materiam non statur, quia de ea inferius tangetur.

Quarta pars capituli IX. ex parte crudelitatis fugiendæ: crudele nempe visum est deserere populos sub dominio ecclesiæ degentes vexandos multifarie, & perniciose subjugandos; cum potius deserendus erat locus Saonæ & mutandus in locum alterum, unde habilius posset defensari innocentia eorumdem populorum & fidelitas antiquata, ad quam defensionem ex juramento fidelitatis quilibet tenetur prælatus: quinimmo mutatio dicti loci Saonæ eosdem populos liberabit ab ipsa vexatione & gravi servitute, prout sibi pluries dabatur intelligi per oratores suos & oratores talia intendentis & attentantis, crudele namque videbatur, ut si locus Saonæ non mutaretur, ipse fieret occasio sanguinis effusionis innoxii, proditionum, expoliationum, exterminationum, homicidiorum, divisionum, & aliarum vexationum, quæ in talibus solent evenire, quibus jam turbatur totum dominium temporale ecclesiæ sub periculo totalis perditionis expositum, maxime si contingat præfatum dominum nostrum abesse & nimium elongari.

Obiici clientes ecclesiæ hostium grassationi.

XXII. Exorta propter conditum locum dissidia.

Quinta pars capituli IX. ex parte divisionis horrendæ: jam nunc locus ipse incepit esse disseminarium divisionis quam idem dominus noster Papa moleste sentit & patitur, nec dubitat ortam esse occasionem prædicti loci Saonæ, quam evitare ire diebus de mense præsenti octobris per totalem declinationem ipsius loci Saonæ, quam evi-

evitare iis diebus de mense præsenti octobris per totalem declinationem ipsius loci Saonæ disposuit, qui locus sentitur esse communiter molestus obedientiæ suæ, & maxime aliquibus principibus, quæ molestia de facili posset præstare fomentum divisionis.

Sexta pars IX. capituli ex parte unionis optandæ, nam ex iis sæpius dictis & aliis, quæ eligibilius silentio teguntur, verus vel præsumptus locus ipse Saonæ ad integrationem unionis pacificæ Christianorum comparatus dubius & obscurus, & non conferens videtur, sed potius medium impediens sentitur: quare & vi dilectionis unionis pacificæ Christianorum est mutandus, & idcirco præfatus dominus noster Papa providens recto affectu optavit & optat nunc locum Saonæ in alterum mutandum, ex quibus petiit & petit quod mutetur.

Decimo exponatur eidem quod veritas præmissorum successive magis claruit continuo tamquam firma veritas, recipiens ex diversis robur & augmentum notitiæ: & quamvis præmissa veritas ex ordine rationis firmiter exigat mutationem loci Saonæ, nihilominus præfatus dominus noster Papa ex eo solum incidit in calumniam, quia disposuit & aperuit de mutatione loci Saonæ de mense julii, quando habuit respondere super confirmatione contractus celebrati Massiliæ, quoniam præmissa veritas motivorum prædictorum incipiebat videri, & ante finem præfati mensis pro maxima parte complebatur & implebatur, &c.

Undecimo exponatur eidem quod præfatus dominus noster Papa existens in Roma constrictus, & medius inter hanc veritatem motivorum præmissorum, & inter conventa Massiliæ scandalum, calumniam, & alia hujusmodi eventura, si ad locum Saonæ non iretur in termino apud illos, qui præmissam non intelligerent veritatem, & apud leves judices, quorum numerus copiosus est, qui non respiciunt, nisi quæ sensibus patent, & impertinenter concludunt, & inde nihil velocius infamia percurrit: veritas autem ordinis rerum, quæ solo mentis oculo percipitur, non nisi ostensa innocentem liberat, & prospiciens ad humanam fragilitatem pro bono pacis, alias non facturus, cessit & detraxit præmissæ veritati, & cum motivis adhærens certæ moderationi circa conventa & locum Saonæ, non sine magna jactura honestatis suæ partis, quæ liquido patet sano mentis oculo & puro ex tenore responsionis factæ per eum Romæ ultimo julii ambassiatoribus Avinionensibus, inter cætera continentis pro effectuali sua & secum venientium securitate propter ea, quæ interventa sunt, quod Joannes Bouciquaut alias Lenyngre gubernator Januæ in Franciam redisse vel accessisse ad aliam civitatem vel terram, sibi non suspectam, de qua ipsi domino nostro videretur, deberet usque ad mediam septembris tunc proximæ sequuturi, ibique residere quousque in facto unionis conclusum fuisset, & postea per duos menses, quandoque Januæ poni deberet alius gubernator saltem pro dicto tempore de numero oratorum Regis Franciæ Romam ad ipsum dominum nostrum directorum eligendus per dominum prædictum cum simili potestate, quam habebat ipse Bouciquaut, & deberet omnia adimplere ipsi domino nostro ad quæ Bauciquaut tenebatur. Item quod galeæ ac navigia Petri de Luna & Januensium prædictorum exarmari deberent, galea guardia Januensium excepta, usque ad kal. octobris tunc proxime venturi, & alias non armare usque ad finem conclusionis dictæ unionis & post recessum dicti domini nostri per unum mensem. Item quod Januenses centum & Saonenses quinquaginta cives de notabilioribus eligendos per ipsum dominum nostrum dare in obsides deberent mansuros in locis deputandis per ipsum dominum nostrum præfatum, & etiam continentis de ascensu ipsius domini nostri super galeis Januensium & transitum cum eis, vel per viam Lombardiæ, prout hæc & alia latius in capitulis dictæ responsionis continentur.

Duodecimo exponatur eidem quod præfatus dominus noster Papa consideratis factis & monitis ante & post factam responsionem quorumdam ambassiatorum serenitatis Regis Francorum retraxit propositum suum, quod erat in deliberando juxta prædictam responsionem ascendendi tempore congruo galeas Januensium sibi promissas per prædictos ambassiatores, & eundi cum eis galeis Saonam, si implerentur quæ in dicta responsione continebantur: & in eo casu firmavit alteram partem distinctivæ, quæ erat in dicta responsione, videlicet de eundo per viam Lombardiæ. Qui dominus noster, non obstantibus prædictis factis & monitis injuriosis, diffamatoriis, seditiosis & valde turbatoriis optatæ unionis benigne, clementer continuo se habens se submiserat, & per dictam responsionem postquam responsionem damnabili injuria & seditione reiterata extitit graviter offensus, quæ omnia distincte non explicat brevis oratio.

Tertiodecimo exponatur eidem quod præfatus dominus noster Papa adhibuit rationabilem diligentiam & solicitam, & plenos conatus, quantum in eo fuit ut haberetur alius locus pro termino temporis statuto, in quo loco perficeretur negocium unionis, vel si servarentur quæ in præmissa responsione continentur, ipse esset Saonæ in termino temporis statuto: & ut nihil deficeret, præmisit ad præparandum sibi viam per Lombardiam, & plenam potestatem transmisit per suas bullas marchioni Montisferrati perficiendi, & complendi juxta & secundum conventa Massiliæ & dictam responsionem simul,

Patere se calumniis apud ignaros.

Non servari ab adversariis leges ut Bocicaldus recedat in Gallias.

Ut liguSticæ classi detrahantur ornamenta.

Ut obsides Genuenses & Saonenses dentur.

Propositum ut uterque sine triremibus terrestri itinere pergeret.

Decimoquarto exponatur quod præfatus dominus noster Papa miratur submissionem & obligationem, quam fecit per dictam responsionem tam humilem, tam detractivam honestatis suæ partis, tam efficacem desiderii unitatis, tam privativam quorumdam conservandorum & amandorum pro parte sua, tam denique ex longo itinere Lombardiæ, pensato qualitate & quantitate curiæ, laboriosum & appetitui multorum criminosam, ac ex multiplici ratione indecentem, adeo fuisse neglectam & rejectam, & locum Saonæ tanta tenacitate fuisse servatum & contractum Massiliæ in quo habetur de mutatione loci Saonæ esse effectum quodammodo immutabilem, ut sit nulla pars petitionis præfati domini nostri Papæ exaudiretur, & quarum qualibet ad unionem tendebat.

Rejecta res a Petro de Luna.

*Decimoquinto præfatus dominus noster Papa in prædicta admiratione trahitur ad considerandum comparationem inter altitudinem unionis, magnitudinem suæ obedientiæ, & celsitudinem suæ sedis apud suam obedientiam, quæ quandoque habuit obedientiam omnium Christianorum quæ non est vilificabilis qualitas in sede ipsa, & inter accessum gubernationis Januæ & adhærentiam pro aliquo tempore: & ex primo comparato videtur neglectus amoris unionisque; ex secundo autem comparato videtur despectio & contemptus Regum, procerum, & magnatum tantæ portis; ex tertio vero comparato non decuit sedem ipsam vilificari, & (ut cum pace & amore ipsius gubernatoris dicatur quod veritas magis debet esse amica) cum ipse gubernator misisset ambassiatores ad præfatum dominum nostrum Papam, non dedit eis potestatem de securitatibus dandis Venetis, quare præfatus dominus noster destinavit fratrem Joannem Dominici ad gubernatorem, ut ipse gubernator eum ea mitteret ad Venetos ad concordandum de prædictis securitatibus: qui gubernator dixit, se esse in pace cum Venetis & non mittendum nec offerendum; sed si Veneti peterent, daret. Sed cum dictus frater Joannes recepisset litteram responsivam præfati domini nostri, ut prosequeretur, & sibi commissum non posset obtinere, saltem posset docere ex tunc jam habita notitia desperationis habendi galeas Venetorum, certa operatus est idem gubernator ad propositum dissona tamen & prima responsione & hæc pro materia dicta fiat de gubernatione * secundum assertionem præfati fratris Joannis Dominici, quæ res si ita se habet, non placuit præfato domino nostro.*

Genuensis prætor cum Venetis de securitate pacisci noluit.

* Gubernatore.

Decimosexto trahitur etiam ex dicta administratione considerandum de obsidibus petitis per ipsum dominum nostrum, & oblatis per oratores prædictos Regis Francorum, & si forsan suspicio intervenerit pro statu Januæ extra ditionem prædictorum, multo magis, debuit dominus noster considerare fideles populos & tantum dominium temporale & alia, quæ superius dicta sunt, quæ pro pace deserebat & secundum informationem quam habebat perdenda.

Si Genuenses dare timerent obsides multo magis timere Pontificem se committere hostibus.

Decimoseptimo ex eadem admiratione videtur æquitas & æqualitas concepta in contractu Massiliæ multum lædi & pertinaciter trahi, cum non sit flexus ad mutationem loci, nec ad dearmationem galearum, quod aliter fieri amor exigebat & ratio unionis Christianorum.

Decimo octavo exhortetur, quod velit omnia præmissa diligenter advertere, & justo mentis oculo prospicere, quod præfatus dominus noster Papa non potest rationabiliter culpari, si non venerit Saonam; immo potius culpari si veniret; nec defecit sicut neque deficiet, quin integratio unitatis pacificæ Christianorum habeatur, plene desiderans corde & congruis mediis ad eam pervenire, per quæ media merito habeat sperare eam attingere; & quod si quæ detractio fiat contra eum erit injusta, & quidquid super ea erit ædificatum corruet.

Decimonono requiritur instanter & instantissime ex parte præfati domini nostri Papæ, quod velit effectualiter tractare & concludere de alio loco idoneo pro integratione unitatis pacificæ Christianorum, & in hoc satisfaciet Deo & hominibus, alias fieret interpretatio contra eum, quod ipsi domino nostro displiceret, sicut & ipsi displicere debet quod fiat interpretatio sinistra contra præfatum dominum nostrum super eo, quod non venit Saonam, quia decet ambos pure intendere ad unionem; & si ita fieret tolletur materia excusationis hinc inde, quæ excusatio mutua fieri non potest sine impugnatione utriusque.

Vigesimo ostendatur ex ultimo capitulo contractus Massiliæ, quod ipse tenetur recipere unum de locis nominatis per oratores præfati domini nostri in Massilia, & primo ex prima parte in qua habetur ut si interveniente casu legitimo de discedendo a Saona ab utraque parte fuerit deliberatum; nam casus legitimus, utpote impossibilitatis implendi capitulum de galeis omissis aliis omnibus quæ possunt dici intervenit, & idcirco requisito assensu alterius partium, teneatur concordare a dissensu, & per consequens recipere unum de prædictis locis. Secundo ostenditur ex secundo parte dicti capituli, ubi habetur quod si conditiones de securitatibus dandis per gubernatorem & communitatem Januæ non fuerint datæ Venetis, acceptare teneatur unum de oblatis locis per prædictos oratores domini nostri; & hæc conditio negativa est, causalis, & impleta: idcirco purificat ipsam dispositionem, videlicet quod teneatur acceptare unum de locis oblatis &c.

Expresso de mutando loco occasio incidit.

Vigesimo primo ex ista ostensione apparet manifeste, quod præfatus dominus noster ex ipso contractu in termino præfixo non tenebatur venisse Saonam. Similiter omiserunt

Non impletæ a Gallis promissæ leges.

runt

runt securitatem, quæ sequitur ex desarmatione galearum, & sic etiam non impleverunt hanc conditionem securitatis.

Vigesimosecundo ex iis superius dictis videtur rationabile ac debitum utrique parti, ut talis locus vel talia eligantur, quale aut qualia exigit ipsa integratio unitatis Christianorum, & quantum fieri potest, ut inde possit commodius innocentia fidelium populorum sub dominio Ecclesiæ constitutorum defensari & conservari ab omni molestia; quare idem dominus noster exhortatur eundem Petrum, ut velit humanitus advertere ad præfata rationem & debitum. Dat. Senis XI. kal. novembris pontificatus nostri anno I.

XXIII. Promulgatæ causæ ob quas Saonam non adeat Gregor. Recurrente festo omnium sanctorum die refert Theodoricus e Niem (a) præcepisse Gregorium nonnullis religiosis viris, ut e sacro suggestu atque etiam inter missarum solemnia exponerent populo causas, ob quas constituto die Saonam se non contulisset, præcipuasque recenset, nimirum veritos Gregorii ipsius oratores de non paciscenda pro celebrando conventu Genua, atque ideo Saonam tacite comprehensam exclusam fuisse; pacta ab adversariis non impleta; non datas Venetis sui accessus idoneas cautiones; triremes non tantum ad itineris facilitatem, sed ad Pontificis quoque & Cardinalium munimentum desideratas; adduci Petrum e Luna non potuisse, ut suas triremes armamentis spoliaret; denuntiatum fuisse Gregorio plurimorum literis, parari ei insidias, si Saonam peteret; inferendum a Neapolitano Rege bellum, ni suspectus Saonæ locus declinaretur; denunciasse Regis Hungariæ & aliorum principum oratores, Saonæ locum redintegrandæ concordiæ obfuturum; Regis Francorum oratores Romæ in Pontificem seditionem movisse, alienasseque ab eo Cardinales: non propter locum conjunctionem ecclesiarum consectandam, se ad eam perficiendam locum eligendum: flagitatum ex pactis fuisse, ut Bucicaldus, credita Genuæ duobus Regis Gallorum oratoribus a Gregorio designandis administratione, Gallias repeteret, nec impetratum: postulatos obsides, nec datos: Petrum e Luna ad æqualem cum Pontifice sortem, maritimis viribus dimissis, se redigere abnuisse, neque excurrente toto septembri promissa adversariorum impleta fuisse. His consonat apologia (b) Gregorii, qua Saonensis itineris intermissi culpam a se removet.

(a) Theod. e Niem. l. 3. cap. 22 & tr. 4. c. 7.

(b) Ext. to. 22. de schism. pag. 17.

Quædam justificationes pro domino Gregorio, & quædam rationes propter quas locus Saonæ non erat idoneus.

Intentionis & voluntatis nostræ fuit & est, & ut in Altissimo speramus, erit efficaciter intendere ad integram & pacificam unionem Ecclesiæ, per quam tollatur

schisma horrendum, & malitia temporis induratum, & indubitabiliter perpetuandum, ita quod Christianitas gaudeat unitate, ad quam totis visceribus, nullam recusamus viam per quam secundum veritatem ad eam pervenitur, sed omnem talem viam acceptamus, & specialiter viam renunciationis secundum formam juramenti per nos præstiti.

Pro executione præmissæ intentionis & voluntatis destinavimus ambassiatores nostros ad partes Avinionenses, quibus dedimus quandam bullam secretam nostram, in qua posuimus breve in quo erant descripta plurima loca & in eodem erat hæc clausula generalis, videlicet: Et generaliter omnia alia loca, quæ sint secura utrique parti, habilia, & talia, quod pure & sincere procedatur pro bono Christianitatis, quinque exceptis, ut supra. *Et superius est ista clausula:* Ista sunt XXXIII. de quibus excipiuntur quinque; *de quibus quinque unus locus erat Janua, de qua Janua dicti ambassiatores habuerunt expresse, quod nullo modo deberent convenire de loco Januæ: Et sic ex consequenti verisimiliter excludebatur locus Saonæ, qui non erat de nominatis, immo putamus quod non venit in conceptum alicujus, dum inter venerabiles fratres nostros Cardinales tractaretur de locis; & XXXIII. loca fuerunt descripta per duos Cardinales, aliis præsentibus, ita quod de communi consensu debuimus tradere XXXIII. loca dictis ambassiatoribus & recipere tria, vel quatuor, & etiam quinque, secundum quod nobis videretur certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus.* Et infra: *Tenor prædictæ bullæ clausæ sequitur, & est talis.* Ut Saona x se ex consequenti fuerit exclusa.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Antonio Motonensi, Guillelmo Tudertino episcopis, ac dilecto filio Antonio de Butrio utriusque juris doctori Bononiensi salutem & apostolicam benedictionem.

Ex certis urgentibus & arduis causis animum nostrum ad hoc inducentibus vobis breve nostrum interclusum præsentibus destinamus, volentes & mandantes expresse, ut juxta illius continentiam procedatis, & exequamini quæ in ipso continentur juxta vobis traditam ab Altissimo facultatem prout speramus, & cupimus, diligenter, tute, fideliter, & prudenter, ut exinde apud nos possitis de vera diligentia merito commendari. Dat. Romæ apud S. Petrum XV. kal. martii pontificatus nostri anno I. Deinde transmisimus bullam patentem prædictis ambassiatoribus, per quam possent docere absque apertione prædictorum secretorum, cujus tenor sequitur, & est talis: *Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Antonio Motonensi &c.* Quod diploma nos supra opportuno loco attulimus.

XXIV. *Postea habita informatione per dict e ambasiatores, quod convenerunt de loco Saonæ in certis capitulis, quæ tunc transmiserunt, non tamen extensa, quam extensionem mittere po erant & debebant, cujus extensionis omissione permansimus in ambiguo usque ad adventum episcopi Bononiensis, qui eu portavit; & novit Deus quanta displicentia ex tunc fuimus repleti ex eo maxime, quod tat media apposuerunt ad qualificandum, & securandum dictum locum, ut videbantur requiri, quod visa & considerata tanta difficultate requisitorum & conventorum concepimus, quod reddebantur impossibilia, & timuimus quod ei defectus impotentia imputaretur potius voluntati, & sic nascerentur contra nos calumnia, vel expediret quod ex fuga calamnia accederemus sine hujusmodi securitate; quod ultimum a certo tempore propter nova emersa rationabiliter plus nos gravavit, & continuo de ea conventione essendi nos gravatos, quia videbamus hanc conventionem multum præstare impedimentum facto propositæ unionis. Et ut hæc res tota esset clara & plana, & possemus effugere has inconvenientias, quantum fieri potest, voluimus, & potestatem dedimus venerabilibus fratribus nostris collegio Cardinalium ut ipsi hanc materiam curarent & promoverent, & inter alia dedimus eis potestatem usque etiam ad impignorationem terrarum, onerando conscientias eorum; qui apposuerunt diligentias suas, & miserunt diversos cum literis *.ie & nostris pro subsidia, & aliis requisitis, ut eis visum est inter alia ad Anconitanos quod ipsi armarent unam galeam pro ista executione sicut tenentur ex debito, & aliam nostris expensis, quæ expensa sperabantur evenire de subsidio, qui Anconitani humiliter se excusarunt de utraque, excludendo tamen omnem spem & undique modica appareret vel nulla spes a nostris; notarium enim est quantas molestias patiebamur, & passi sumus; & quantum defectum in necessariis promovendis, & in tantum ut deficeat nobis ad mittendum necessarios ambasiatores, ut de aliis rebus necessariis taceamus.*

Ut pactiones difficillimæ fuerint appositæ.

Adhibita frustra diligentia pro triremibus instruendis.

XXV. *Veneruntque ambasiatores gubernatoris & Januensium, & nihil effectualiter portaverunt, nisi gubernatoris & officialium Januæ juramentum de observando capitula conventionum, quantum ad communitatem spectat; & quia non potuerunt effectualiter de securitate tradenda Venetis, misi fratrem Joannem Dominici ad gubernatorem Januæ ut placeret sibi mittere aliquem cum dicto fratre Joanne ad Venetos ad concordandum de securitate, & deinde possimus habere galeas, quas per alium nuntium nostrum, quem ad Venetos mandavimus, petimus & ut habemus per literas dicti fratris Joannis noscimus quam spem habere debeamus de executione præfatæ petitionis, quia gubernator præsupponit pacem cum Venetis, cujus oppositum unum capitulum conventionis affirmat, & est res scandalosa. Et utinam ambasiatores nostri advertissent non trahere materiam unionis Ecclesiæ ex dependentia alterius concordia & discordia reparanda. Venerunt etiam ambasiatores partis Avenionensis, & nec isti, nec ambasiatores Januensium prædicti portaverunt aliquod documentum de traditione dominii Saonæ, quæ spectat ad Regem, secundum intentionem capitulorum etsi documentum non habetur infra tempus satis rationabiliter reddere dubia supradicta traditio domini, quæ si non habebitur, expensæ primæ essent supervacua & damnosæ; quare ante omnia debuisset habere claritas. Cum igitur ambasiatores Avenionenses petunt confirmationem capitulorum conventionis facta inter partem Avenionensem & ambasiatores nostros, declaranda sunt aliqua veritates, quæ trahi possunt ex præmissa bulla secreta, & brevi in ea conclusa, de qua bulla, & brevi superius scribitur. Ne tamen ex sola bulla patenti facultatis tradita nostris ambasiatoribus, de qua superius scribere intendimus, ex qua manifeste apparet, quod de loco idoneo & condecenti, & non de alio habuerunt potestatem conveniendi. Quis autem sit locus idoneus, brevi sermone non plene explicatur. Habet quidem plures partes, & refertur ad materiam in eo tractandam, & per quas personas & modum & supponatur pro nunc, quod securitas respectiva ad hoc requiritur, & non sufficit, ut locus sit idoneus, & quia intendimus facere fantere per modum declarationis veritatem non astringemus nos ad proprietatem sermonis, sed ad sanum intellectum. Ponimus igitur primo aliquas suppositiones, quarum prima sit ista.*

Non data a Genuensibus idonea securitas.

De Saonæ concedendo imperio non servata pactio.

Potestas præfatorum ambasiatorum hujusmodi sive facultas non cadit super loco nudo & separato ab idoneitate præsenti vel futura pro tempore adventus, alias non fuisset in facultatem locus terminatus restrictus, & contractus per idoneitatem; illud enim adjectivum idoneus, restringet locum.

XXVI. Ut internuntii mandatum sint transgressi.

Secunda suppositio est. Facultas hujusmodi cadit super aggregatum ex loco, & idoneitate præsenti, vel futura pro tempore adventus; probatur, quia locus venit in facultatem ratione idoneitatis.

Tertia suppositio. Locus intelligitur idoneus duobus modis; uno modo ex propriis conditionibus, secundo ex adjunctis modis.

Ex istis sequitur, quod non potuerunt ex prædicta commissione ad locum Saonæ sine idoneitate ejusdem loci præsentis vel futuræ pro tempore adventus nos obligare. Secundo sequitur quod potuerunt nos obligare ad dictum locum, si idoneus esset pro futuro tempore adventus. Ex quibus sequitur, quod si dictus locus non possit esse idoneus pro tempore adventus ex præmissa commissione per suum

Ut Gregorium obstringere non potuerint ad locum non idoneum.

suum contrarium jam factam, non potuerunt nos obligare ad prædictum locum. Nunc ponimus aliquas conclusiones.

XXVII. Media securitatis non fuere in potestate Gregorii.

Prima conclusio est hæc. Ambasiatores nostri intenderunt per suum contractum reddere locum Saonæ securum per multa media, inter quæ per galeas sex ad minus, & certam gentem armorum, & conclusio patet ex contracta quamvis intentionis eorum fuerit de galeis Venetorum.

Secunda conclusio. Non potuerunt nos per dictum contractum obligare absolute ad dictum locum per media securitatis, quæ non essent in nostra potestate; patet, quia aliter potuissent nos obligare ad impossibile.

Tertia conclusio. Si potuerunt nos obligare per hujusmodi media, quæ tamen essent in potestate aliorum, obligaverunt nos conditionaliter, & non absolute, idest in casu quo hujusmodi media effectualiter exhiberentur; patet quia obligatio nititur hujusmodi mediis securitatis.

Quarta conclusio. Per suum contractum non obligaverunt nos ad dictum locum per aliam securitatem; patet, quia aliam non intendebant, nec contractus eorum ad aliam se extendebant; & per consequens obligatio non nectitur ad dictum locum cum alia securitate. Ex his sequitur

Quinta conclusio. Si obligaverunt nos per dictum contractum, non tamen sine prædicta securitate per eos conventa; patet, quia ex quarta conclusione & præsenti sequeretur, quod potuisset nos obligare sine securitate. Tunc sequitur

Sexta conclusio, quod non tenemur exhibere præsentiam nostram ad prædictum locum Saonæ in casu, quo non possimus habere galeas fidas, & non exclusas per contractum, sicut sunt exclusæ galeæ Januensium, & similiter dicimus de prædictis gentibus armorum, dummodo non steterit per nos, sicut non stat, neque stabit.

Septima conclusio, quod non potuerunt ex commissione per prædictum contractum ad præsentiam præfati loci in casu prædicta præmissa sexta conclusionis nos obligare. Quibus positis, ponemus aliqua capitula sive articulos.

Primum est, indecens & scandalosum est, quod vadamus ad prædictum locum sine impletione prædictæ securitatis conventæ, & aliorum conventorum in dicto contracto.

Si non consultum sit securitati committere se hosti temerarium.

Secundum est quod, licet prædictus locus Saonæ non sit idoneus ex defectu aliquorum, quæ requiruntur ad idoneitatem, inter alia dicitur quod portus non sit tempore hyemali bene securus, & male divisibilis, super quo episcopus Bononiensis asseruit se fuisse deceptum, nec in aliis requisitis ad idoneitatem curamus nos extendere, sed bene possemus explanare; nihilominus ex fervore unionis volumus, & intendimus in casu impletionis prædictorum conventorum dicti contractus ad prædictum locum Saonæ exhibere præsentiam nostram, ad perficiendum opus unionis, nisi de consensu utriusque partis eligeretur alius locus.

Tertium, post dictum contractum emerserunt multa gravia, quæ rationabiliter habent movere utramque partem ad mutationem loci, quæ satis manifeste possunt colligi & videri, & firmiter apparet & tenetur, & nisi locus mutetur, sequitur perditio omnium temporalium ecclesiæ Romanæ in partibus istis, & magnum scandalum fidelibus.

XXVIII. Purgabat se apud prudentes Gregorius; neque enim antipapa, ut fingebat, sive in speciem jactarent adversarii, sive sincere id molirentur, unquam pseudopontificatu abiturus erat; sed armatus inermem Pontificem oppressurus, ut ex perspicuis signis patebat; ex quibus Leonardus (a) Aretinus & alii refelluntur, [r] qui rem a Petro e Luna sine fraude gestam inconsulte putaverunt. Contraxerat Gregorius imprudentum multorum invidiam, cumque ejus existimatio apud Florentinos a Balthasare Cosso Cardinale subornatos (b) laboraret, Joanni Dominici Dominicano injunxit (c), ut pontificium nomen a calumniis vindicaret. Denique instaurandum solemnes preces pro obtinenda a Deo pristina ecclesiarum conjunctione in omnibus ecclesiis a piis non sine indulgentiarum præmiis fundendas constituit (d), datis ad ecclesiarum præsules encyclicis literis, quarum potiorem partem subjicio. Ve-

(a) Aret. l.2. ep. 13.

(b) Theodor. a Niem in vita Joan. XXIII.

(c) Lib. 2. ep. car. 70.

Gravem invidiam contrahit Gregorius

(d) Ib. pag. 157.

NOTÆ

[r] NEscio unde accepit annalista ea quæ a Petro Aretino scripta hic refert. Neque enim in ea, quæ indicatur in annalibus, epistola, quæ alias erat XIII. lib. II. nunc vero num. XVII. ejusdem libri, Aretinus quidquam affert, quo Petrum de Luna sincere in negocio unionis agentem affirmet; quin potius opposita plane omnia de illo sentire se non ambigue significat: *In adversario pontifice* [Benedicto] *nequaquam recta mens; quamquam simulat ille mirabili astutia, ut facile imprudentes decipere possit: sed nihil sani, credere mihi illi inest.* Honestiora de Gregorio sentit, quamquam ad unionem alieniorem factum insimulat. *In nostro pontifice recta & simplex natura; sed ut quisque bonus & simplex, ita facile ab improbis decipitur ...... Formidines inanes illi inmittunt, & recta volentem nonnunquam sufficiunt.* Hæc utriusque pontificis indoles; illius quidem ab unione aliena, hujus vero abalienata. Porro necessarii illi pontificis, quos suspicione hac onerat Aretinus fuerunt Antonius Mothonensis episcopus, & Paulus de Corrario pontificis nepotes, quos eadem invidia onerat Anonymus scriptor historiæ schismatis Avenionensis, legendus inter acta prævia ad concilium Pisanum, vulgata in veter. monum. Martenii tomo II. col. 433. Mansi

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filiis capitulis quoque metropolitanarum & cathedralium ecclesiarum, & locorum ordinariis quibuscumque sæcularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, eorumque locatenentibus ad quos præsentes literæ pervenerint salutem, &c.

Fundamenta militantis Ecclesiæ in montibus sanctis & super firmam petram, & si divina bonitas stabiliverit, & vivis lapidibus compegerit muros ejus, tamen flatibus ventorum patentem reliquit, & quamvis nunquam ruitura, sæpius tamen impeti, sæpius quati, sæpius exagitari discriminibus ac turbinibus videatur. Sed nihilominus creator omnium & author Deus illam Indicit æ preces pro instauran. ecclesias. conjunctione. *protegit, illam dirigit, illam servat; tuncque præcipue flatus comprimit, ventos arcet, turbines dimovet, & omnia sernat, cum pura mente piisque & sedulis precibus exoratur. Sane cum ad sedandum horrendum & perniciosum schisma, quod jam per tot annos populum Christianum vexavit, & ad reintegrandum corpus universalis ecclesiæ, opera atque manu summi opificis opus esse videatur, ac fidelibus non tam de solicita quantumcumque inventione fidendum, quam de instantia orationis humilis & devotæ sperandum, universitatem vestram hortamur, requirimus, & monemus, vobis nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus pro Dei misericordia & Ecclesiæ pace clerus & populos civitatum, diœcesum, & locorum vestrarum ex parte nostra attentius inducatis, ut nobiscum ad Deum humiles preces fundant, & apud eum devotis orationibus insistant, jejuniis, eleemosynis, & aliis piis operibus vacent, ut ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, & imperat ventis & mari, sic omnium ad sedationem hujusmodi schismatis efficiat corda concordia, ut universalis ecclesiæ unitas celer, concors, & utilis, prout animarum salus exigit, & totius orbis requirit utilitas ex ipsorum unanimitate sequatur: quod ille præstare dignetur qui est in sæculorum sæcula benedictus.*

Nos enim ut omnium corda fidelium ad id eo libentius inducantur, quo dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, omnibus sacerdotibus, qui in missis suis orationem pro pace, vel Propositæ indulgentiæ. *pro nobis, aut pro Ecclesia sancta Dei juxta ipsius ecclesiæ ritum devote dixerint. Præterea universis Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui antiphonam:* Da pacem Domine; *cum suo versiculo, & oratione:* Deus, a quo sancta; *vel psalmum;* Exaudiat te Dominus in die tribulationis; *seu:* Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; *aut:* Ecce quam bonum, & quam jucundum: *aut quoties septies,* Pater noster, & Ave Maria, *similiter dixerint, vel toties quoties devote jejunaverint, aut pias eleemosynas hospitalibus vel aliis piis locis erogaverint, aut ad devota quæcumque loca peregrinati fuerint, singulis diebus tres annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus, præsentibus usque ad reconciliatam ecclesiam, & extinctum schisma, non ulterius valituris. Datum Senis XIII. Kal. novembris, pontificatus nostri anno I.*

Meminit de his Theodoricus Niemius XXIX. (*a*), sed fallacia aversæ a reponenda orbi Christiano pace mentis involucra fuisse interpretatus, quasi vero Petrus e Luna impostor candide rem gereret: & quidem in eo summa rei, causaque tota consistebat, ut Pontifex gradu cederet ea lege, si antipapa pariter inique affectatos apices poneret, satiusque erat ut ante Saonensem conventum ad insidias omnes avertendas ea res perficeretur, uti a Gallicano conventu consultum vidimus; agitasseque Gregorium Senis pontificatu ponendo in ea urbe tradit idem author (*b*): *Ad aliam*, inquit, *viam ad illudendum eis se convertit, videlicet ejus papatui cedere vellet in Senis, &c.* Confectisque cum Cardinalibus pactionibus, patriarchatum Constantinopolitanum, Mothonensem & Coronensem episcopatus, nec non in Anglia archiepiscopatum Eboracensem, tum aliud amplissimo vectigali insigne sacerdotium sibi reservasse, quibus dignitatem, Pontificatu dimisso, tueretur: tum in nepotes tres principatus totidem, nimirum Faventinum, Foroliviensem, ac Urbevetanum, una cum Cornero & nonnullis Ravennatis ecclesiæ oppidis transfudisse, quæ a Cardinalibus publicis tabulis confirmata (*c*) forent. Affulgere inde videbatur proximæ ecclesiarum conjunctionis spes, ac declinatæ Saonæ invidia removebatur, vel enim ejus exemplo Petrus e Luna gradu abiisset, ac tum de loco pro celebranda unici Pontificis creatione adversa collegia conventura fingebantur, vel si negasset, mox patefacto perjurio a suis deserendus credebatur. Verum promissa erant a Cardinalibus, quæ præstari non poterant, obfuitque Gregorio ne Christum nudum, nudus sequeretur, si qua Theodorico Niemio fides adhibenda est, nimium in nepotes studium; etenim Balthasar Cossa Cardinalis S. Eustachii, qui Bononiæ, Faventiæ, & Forolivio, ecclesiæ Romanæ nomine præerat, pontificiis nepotibus Faventinum & Foroliviensem principatus tradere abnuit: ob quas causas Gregorium se pontificatu non abdicasse memorat author (*d*) in suo unionis nemore. Verum alia suberat gravissima verissimaque causa, quæ Gregorium retardavit, nolu-

Gregor. diffugia captare visus ne pontificatum ponat.

(*a*) Theod. e Niem. l.3. c.23.

(*b*) Id. ib. c.21.

Paciscitur cum Card. ut se abdicet.

Quæ sibi & suis reservarit.

(*d*) Theod. e Niem. l.3. c.21.

Balthasar Cossa pactiones discutit.

Negat antipapa se unquam cessurum.

(*d*) Id. tract. 4. nemoris unionis c.2.

noluiſſa ſcilicet antipapam gradu cadere cum Pontifica: nam ut obſervat Juvenalis Urſinus (a), cum a Carolo poſtulatus eſſet, ut aderet diploma, quo poneret pontificia inſignia, ut ſcilicet a Gregorio diploma ſimila aderetur; id facere omnino detrectavit. Cum itaque Gregorius illum ſibi parare Saonæ inſidias animadvarterat, de loco in Florentino principatu deſignando nonis decembris nova fecit colloquia (b), ſed fruſtra, cum antipapa arte & flagitio Pontificem opprimere ſtuderet, & onius concilii œcumenici ſola authoritate illius pervicacia obteri poſſat: Egiſſe tum Gragorium cum Lucenſi prætore, refert Theodericus, ut Lucam tuto adire, ibique morari poſſet, ad colloquia cum Petro e Luna, qai unius aa alterius diei itinere Luca aberat. Ut vero proximo appetente anno eo ſe aontulerit, irrito, immo contrario ſucceſſu inferius dicetur; jam reliqua ad hunc annum ſpectantia proſequamur.

(a) *Juv. Urſin. hoc anno.*

(b) *Greg. l.2. p.167.*

Tentata fruſtra colloquia in loco tuto.

XXX. Schiſma in eccleſia Leodienſi.

Oborta aſt hiſce temporibus magna ex ſchiſmate in Leodienſi eccleſia peturbatio, Leodienſes anim ejecto primum Joanne apiſcopo deſignato, ad quem Leodii ſpectabat imperium, intruſo Theoderico ſchiſmatico, ſe ad Petri e Luna partes contolerunt. Poſtea autem horrore ax indigno patrato facinore perfuſi, cum poſtea Innocentio VII. ſe ſubjeciſſent, atque ab eo cenſuris ſoluti, admiſſique in gratiam fuiſſent, vocato ad pontificatum Gregorio, iterum ab Eccleſia Romana deſciverunt, ſeque acephalos reddere non ſunt veriti. Quæ mala Gregorius (c) in literis ad Joaonem alectum epiſcopum, cujus otiam jogum excuſſerant, ita deplorat.

(c) *Lib.2. epiſt. curr. pag.38.*

Dilecto filio Joanni electo Leodienſi, &c.

Sane, prout nuper formula publica divulgante, non ſine gravi mentis amaritudine percepimus, dudum humani generis inimicu procurante, commune tuæ civitatis Leodienſis, Dei timore poſtpoſito, ac humana prorſus honeſtate rejecta, una cum univerſitatibus quorundam oppidorum, villarum, & aliorum locorum, tuarum patriæ & diœceſis Leodienſis contra tuum ſtatum & honorem nequiter conſpirantes, te patrem & paſtorem animarum ſuarum, ipſorumque dominum temporalem, qui regimini tuæ Leodienſis eccleſiæ olim per ſedem apoſtolicam tibi commiſſo diu laudabiliter præfueras & præeras, quo eis hoc liceret, temerariis auſibus abjecerunt, ſicque lege autem violata, in caput ſuum inſurrexerunt membra, & divinæ ac humanæ legis, & totius politicæ conſiderationis & obedientiæ præceptis, quantum in eis erat, damnabiliter profanatis, a ſuo paſtore & vero domino temporali temeritate propria abſque judicio vel juſtitia recedentes, contra te tirannice rebellarunt, & ut hujuſmodi rebellionem liberius continuare, & palliare poſſent; ſicut rerum temporalium, ita honoris & famæ prodigum virum Henricum dominum loci de Parvueys dictæ diœceſis adminiſtratorem bonorum ac jurium temporalium ipſius eccleſiæ de facto deputarunt, eumque juxta vulgare ipſius patriæ mamburnum nuncuparunt, & nuncupant.

Henricus e Parvueys illius invaſor.

Qui quidem Henricus plurimorum bonorum, & beneficiorum a te & Eccleſia tua receptorum oblitus, tanquam ingratus hujuſmodi deputationem acceptare præſumpſit, tibi, & eccleſiæ tuæ malum pro bono reddendo, & in hoc legem nobilitatis etiam, quantum in eo fuit ſugillando; ipſumque etiam commune reprobum virum Theodericum ejuſdem Henrici natum prætenſum canonicum Leodienſem, & archidiaconum Hasbaniæ in eccleſia prædicta in regimine, & adminiſtratione ipſius Eccleſiæ de facto, cum de jure non poſſent, intruſerunt, ipſum Theodericum epiſcopum, ſeu electum Leodienſem temere nominando; & quod nequius eſt, præfatum commune cum hujuſmodi eorum mamburno & intruſo ac univerſitatibus ipſis, qui etiam olim ab obedientia & devotione ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ temere, & infideliter ſe ſubtraxerant, & poſtmodum per felicis recordationis Innocentium Papam VII. prædeceſſorem noſtrum ex innata clementia dictæ ſedis, ab hujuſmodi erroribus ad viam veritatis reducti, & miſericorditer abſoluti, & qui ab eodem prædeceſſore, præſertim quoad rehabilitationes, priuſque per eos obtentorum taliter qualiter beneficiorum eccleſiaſticorum canonizationes, titulorum exuberantiſſimas gratias conſequuti fuerant, ad vomitum ut canes redeuntes, & in priſtinos ac priores errores & hæreſes relabentes, hujuſmodi obedientiam, ac devotionem nobis, qui dicto prædeceſſore, ſicut Domino placuit, ſublato de medio, fuimus divina favente clementia ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, ac dictæ Romanæ Eccleſiæ infideliter iterum ſubtraxerunt, ſe in hoc damnato ſchiſmate neutrales, ut acephalos aſſerendo, &c. Præcepit Joanni electo, ut geſta ab intruſo Theoderico reſcindat, Leodienſes, & eorum prætorem, quem mamburnum vocant, tum canonicos principis eccleſiæ ad Apoſtolicam ſedem accerſat, cenſuriſque eccleſiaſticis, ſi juſſa ſpernant, percellat. *Dat. Romæ apud S. Petrum III. id. aprilis, pontificatus noſtri an. 1.* Luerunt poſtea Leodienſes admiſſi ſceleris pœnas, da quibus dicetur inferius. Maminit de turbis Leodienſibus Monſtreletus (d), concitataſque ait cum Joannes Bavarus principatu eo eccleſiaſtico potitus ſacris epiſcopalibus initiari ad populi vota detrectaret, ac Leodienſes id ægre ferentes, ab Romano Pontifice contendiſſe, ut illum exauthoraret eoque negante

Leodienſes ad Innocentii obſequium iterum traducti.

Acephalos iterum ſe conſtituunt.

Leodienſium turbarum cauſæ.

(d) *Monſtrelet. vol. 1. c. 31.*

te cum tempus constitutum, quo Joanneo sacra se suscepturum esat pactus, nondum effluxisset, descivisse od Benedictum antipapam; inde atrox enatum bellum, eum Joannes dux Burgundiæ Joannis Bavari causam tuendam armis suscepisset, quos proximo anno maxima cladu fudit (a). Ita dignos ex schismate fructus Leodienses retulere.

(a) Id. c. 47.

XXXI. Hoc anno xxiii. novembris Ludovicus dux Aurelianensis, qui fallacibus promissis delinitus Petri e Luna patrocinium suscepesat, ae deficientes Gallos ad illius obsequium reduxerat, confirmaratque io schismate, divina destitutus clieotela, quamquam ab Rege fratre Aquitaniæ ducatu auctus esset, expetitamque a se Gallicæ regiæ procurationem gereret, a Joanne duce Burgundiæ adversario furente odio, & invidia, ex insidiis immissis Sicaris Germano famulo se ad exeipiendos ictus frustra superliciente erudelissime trucidatus est (b): cujus sanguis fusus innumerabilium Gallorum strage & ipsius Joannis postea cæsi eruore vindicatus est. Tam atrox facinus, a Burgundo corruptus Joannes pseudotheologus cognomento Parvus, qui Gallo Regi assentando pontificiam authoritatem oppugnarat, defendere non perhorruit, contenditque edito libello, Aurelianensem veluti regni proditorem sine judicis imperio & authoritate jure cæsum, cujus propositiones postea hæreseos damnatæ fuere.

Aurelianensis dux antipapæ defensor pœnas dat.

(b) Juv. Ursin. in Car. VI. Monstrel. vol. I. c. 34.

Jure cæsum contendit Joannes Parvus pseudotheologus.

Quam vero tristis inde secuta fuerit Gallicarum serum conversio, describit Nicolaus Clemangius (c), ulciscente nimirum Deo Gallorum scelera. *Et mirari* inquit, *debet aliquis*, exclamat author, *si Christi desertores Christus deseruit? quo deserente cuncta super nos violenti torrentis impetu undique mala inundaverunt, ut a planta pedis (d) usque ad summum verticem vix aliqua sit in nobis sanitas relicta; unde enim Regem nostrum suapte natura clementissimum & optimum ita flagellatum credimus? unde tantam masculinam ejus progeniem extinctam, ut jam prope necessarium sit ad externos jura coronæ devolvi? unde nostrorum exercituum quondam invictorum coram exiguis hostium copiis fuga turpis & contritio? unde omnium fere nostrorum principum, tantæque nobilitatis aut mors aut ignominiosa captivitas? unde præterea ab alienis tanta regni occupatio? unde a nostris cohortibus regni universi per rapinas horrenda atque inaudita depopulatio? unde postremo, ut fontem malorum aperiam bella inter nos tam crudelia tam impia, tamque infausta? nisi propter execrabilia Deoque ulterius importabilia, quæ inter nos regnant scelera, quæ necesse est ut nos mature, nisi aliter obsistamus, in capitale atque irreparabile demergant exitium.* Civilia hæc Gallorum bella, & funestum schisma obstitere, ne ad Turcas Europa pellendos Christiana arma jungerentur.

Gallici regni status post schisma.

(c) Nicol. Clemang. de lapsu & reparatione justitiæ cap. 8.

(d) Isai. I.

Agitavit Sigismundus Hungariæ Rex sacræ in Turcas expeditionis consilia, divulsasque a Bajazete provincias ad sceptrum Hungaricum revocandi: aderat enim præclara ejus rei gerendæ occasio, com post Bajazetem captum a Tamerlano, extinctumque, Turcæ in civile bellum conversi ferrum in mutuas cædes acuerent. Cum itaque redintegrandæ ecclesiarum conjunctionis occasione Quinqueecclesiensis Cardinalis, olim ab Urbano schismatis exordio ereatus divinæ gloriæ studio ex Hungaria ad Gregorium venire decrevisset, illum Hungariæ Rex adjuncto collega Andrea archiepiscopo Spalatensi oratorem creavit, ut poscerent a Pontifice sacra indulgentiarum præmia iis conferri, qui regia signa adversus Turcas, vel alios a pietate catholica abhorrentes sequerentur: cujus petitio Pontifex, dato hoc diplomate amplissimo, assensit (e).

Sigismundus Pannoniæ Rex expeditionem parat in Turcas.

Gregorius &c. universis & singulis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, &c.

(e) Lib. 2. ep. cur. p. 179.

In vinea Domini sabaoth sancta videlicet & universali Ecclesia cultores atque custodes, quanquam immeritos inscrutabilis dispositione consilii deputatos attentius vigilare nos convenit, ne gens impiissima de silva tanquam effera progrediens, videlicet Teucrorum, quos Turcos vocant, Arianorum, Manichæorum, ac aliorum perfidorum infidelium vineam ipsam inhumaniter depascatur, & quantum nobis ex alto conceditur, ut eadem vinea præservetur illæsa, impetum bestiarum illam demoliri satagentium sub omni potentis virtute dexteræ reprimamus. Verum sacrosancta Romana ecclesia mater omnium fidelium & magistra suspiria producit ab intimis, oculi ejus solvuntur in lacrymas, vehementibusque gemitibus ipsius pectora quatiuntur, eo quod præter hostilitates, quæ a blasphemis crucis adversus fidei professores exercentur extrinsecus, undique bella fremunt intrinsecus, seditiones intestinæ dilaniant, & inquietant domesticæ simultates, gladiusque fidelium, qui ad Christianorum salutem & exterminium malorum foret contra hostium fidei cautos exercendus, conversus in proximos, proh dolor! inebriatur sanguine Christiano, & [quod acrius excoquit mentem nostram] scelerati filii, & a devotione semoti cæco furore immaniter debacchati armantur in matrem, ac illum ex quo prodierant uterum, nituntur summis viribus lacerare: quo fit, ut nos una cum memorata ecclesia sponsa nostra circa exhibitionem opportuni subsidii in hac parte juxta desiderium nostrum & apostolica debitam servitutis manus adjutrices extendere nequeamus.

Gregorii de ea literæ.

XXXIII. Oratores decreti a Sigismundo ad Greg.

Sentientes igitur quod sicut & publica fama referente, ac insinuantibus dilecto fratre nostro Valentino tit. S. Sabinæ presbytero Cardinale, ac venerabili fratre nostro Andrea archiepiscopo Spalatbensi oratoribus charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Hungariæ illustris percepimus, idem Rex z in devotionis accensus & pie compatiens diris cruciatibus, calamitatibus & arumnis, ac jugo miserabilis & lugrandæ servitutis, quibus pars magna fidelium Christianorum per hujusmodi Turcos, Arianos, Manichæos, & alios infideles de regnis & partibus Constantinopolitanis Valachiæ, Hungariæ, Bosnæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæ, & aliis circumjacentibus regionibus ad partes hujusmodi infidelium in captivitatum angustias sunt deducta, ac pro salute hujusmodi & aliarum partium tam lugubriter afflictarum, totiusque Christiani populi, in cujus excidium gens hujusmodi nefandissima & truculentissima in dies nititur crudelius ac inhumanius desævire, tanquam princeps catholicus & pervigil fidei orthodoxæ cum ejus fœlici & glorioso exercitu se accinxit & militet de præsenti; attendentesque quod, nisi iniquissima perfidorum hostium redemptoris omnium Jesu Christi ac suo pretiosissimo sanguine redemptorum in virtute Altissimi & manu potentissima conterantur, quantum Christianitati discrimen immineat, quodque nemine opem ferente præfato Regi Christianorum reliquiæ illarum partium debentur excidio, & regna, provinciæ, ac civitates & partes ipsæ in deditione Turcorum & infidelium prædictorum devenient, quod heu futurum ferme conspicimus, nisi omnipotentia Salvatoris & hujusmodi Christianus populus præfato Regi, qui ad hanc Dei causam ad occiduas partes cum suo potenti exercitu personaliter est profectus, tam potenter quam celeriter studeat subvenire.

Fideles ad sequenda Sigismundi signa sollicitati.

Ad hoc ut Salvatoris dextera protegente, eorum laboribus triumphi acquirat gloriam ac cœlestis vitæ stipendia, quæ sunt immortalitatis gaudia consequatur, universitatem vestram per aspersionem sanguinis omnium Redemptoris requirimus & hortamur in domino Jesu Christo, per apostolica vobis scripta præsentium tenore mandantes, ac in remissionem peccaminum injungentes, quatenus virtute constantiæ communiti assumptum æterni Regis negotium, tali vigore tantoque studio subire indefinentibus studiis & susceptum prosequi procuretis, erogando profutura subsidia ac stipendia in prosecutione tanti negotii per vos vel alios juxta vestrarum potentiam facultatum, ut gentis Teucrorum, Arianorum, Manichæorum, & aliorum infidelium feritas, quæ Christiano in sanguine tam immaniter debacchatur, in confusionis foveam deducatur, eoque correctore & duce perditionis ministrum & principem habeat tenebrarum, ita quod in virtutis vestræ dextera conteratur, quod ad notitiam Salvatoris saltem in via redeat, quæ multis præventa monitis se illius excellentiæ non inclinat.

XXXIV. Commendata iis concordia in hostem.

Et cum in desideriis habeamus ut nobis una sit fides mentium & pietas atque conformitas indeficientium actionum, devotioni vestræ duximus paternis affectibus suadendum, ut inter vos mutuam charitatem habentes, semper unanimes existatis ad depressionem barbaræ nationis secundum consilia, ac modos præfati Regis, quem ad reddendum suis hostibus ultionem fortis & potens, ac Rex Regum & dominus deputavit, ita communiter vota vestra dirigere, quod solitis & exquisitis fallaciis laborem vestrum Teucrorum & aliorum infidelium nequeat evacuare perfidia, sicque fiat quod vobis proficientibus ad triumphum, illos continuo confusio comitetur, & vobis sempiterna gloria conferatur. Et ut præmissa tanto libentius atque ferventius prosequamini, quanto ex vestris laboribus mercedem potiorem vos noveritis percepturos, nos de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa, quæ nobis licet indignis, est divinitus tradita potestate, omnes & singulos Christi fideles cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, sexus, vel status existant, qui actu cum præfato Rege vel ejus gente contra infideles hujusmodi nunc personaliter militant per se vel alios, & qui militabunt etiam per se vel alios, ut præfertur, in posterum, & etiam qui alias fideliter juxta possibilitatem eorum in hujusmodi negotio laborant, vel in posterum laborabunt, illam suorum peccaminum, de quibus veraciter corde contriti & ore confessi fuerint, rectoribus parochialium ecclesiarum, infra quarum limites extiterint, seu aliis sacerdotibus sæcularibus vel religiosis, idoneis tamen, quos duxerint eligendos veniam ac remissionem consequi volumus, quæ per sedem Apostolicam concedi consuevit transfretantibus tempore generalis vel particularis passagii in subsidium terræ sanctæ, & semel tantum in mortis articulo, ac si ad civitatem Jerusalem personaliter accessissent, ipsisque in retributione justorum augmentum æternæ beatitudinis pollicemur: nos enim rectoribus & sacerdotibus hujusmodi absolvendi confitentes ipsos ab omnibus eorum peccatis plenam & liberam concedimus auctoritate prædicta harum serie facultatem. Dat. Senis v. id. novembris pontificatus nostri anno 1.

Noxarum venia proposita.

I. Obortæ sunt in Dei Ecclesia schismatis causa majores turbæ anno Christi millesimo quadringentesimo octavo indictione prima, patuitque illos, qui temere ab Urbano VI. defecerant & schisma conflarant, non facilem, ut putabant illius dissolvendi viam, imperatæ Papæ & antipapæ voluntaria abdicatione delegisse, nec oblatum ab Urbano ipso in schismatis exordio œcumenicum concilium, iterumque a Bonifacio IX. expetitum, in quo veri Pontificis causa ab episcopis excuteretur, jure aspernatos: nam Petrus e Luna, in animum induxerat, licet universus in eum orbis consurgeret, numquam tamen se falsæ dignitatis insignia positurum artesque omnes adhibebat, ut Gregorium in locum iniquiorem allectum seu vi, seu metu, seu blanditiis pontificio apice deturbaret, totiusque Ecclesiæ gubernacula susciperet. Id plane rerum exitus edocuit, nec tum deerant signa, quæ subjectis verbis recenset Theodoricus e Niem (a): *Licet ipse antipapa multum scribat & dicat, ostendatque crebris rationibus, quod per eum non stetit hucusque, neque stet quo minus facta fuerit seu fiat adhuc unio ipsa, & ad hoc, ut asserit, totaliter ejus fuerit inclinata semper & inclinatura intentio: veruntamen continue quærit terras maritimas dicto Regi Francorum in imperialibus suæque obedientiæ subditas, multis galeis bene armatis pro ipso, & apud se quocumque vadit bene munitus ad instar bubali marini caput in aere, sed residuum corpus suum tenentis frequenter in aquis, nec confidit ad aliquem locum insignem ubi tantum negotium, prout ejus qualitas exigit, opportune tractari possit, cum nostra parte convenire, quantacumque sibi cautelæ sufficienter pro ipso suisque, ut fertur, ab eadem parte nostra quomodolibet offerantur, nec videtur esse consultum plerisque, ut ipse dominus noster cum suis accedat ad terras ipsi adversarios qualitercumque subjectas.*

Antipapæ doli.

(a) *Theod. e Niem. nemoris unionis tr. 6. c. 31.*

Famos tantum vendebat.

Opprimendi vi Pontificis occasiones venatur.

Respuit quævis loca nisi in iis dominetur.

II. Extant utriusque literæ (b), quibus alter in alterum non conveniri etiam tum communis loci culpam transfert. Et quidem Gregorius in iis, quas kal. aprilis exaravit Lucæ, quam urbem Senis digressus adierat, æquitati se visus est accommodare, dum ita ad antipapam manus qui Saona Portumveneris appulerat, maritima loca, quorum imperio potiretur, tantum admittentem rescribit (c).

(b) *Ext. apud Theod. e Niem. lib. 3. cap. 26. & tr. 6. c. 2.*

Gregorius &c. Putamus hoc negotium, quod Dei est & ad pacem tendit, pacifice & ad charitatem sine armis & sine strepitu humanarum vanitatum confici debere: itaque nobis illa via magis placebat & placet, ut sub uno aliquo domino vel dominio, in quo utraque pars tuta foret, hujusmodi fieret conventio personalis, hac enim via omnia impedimenta excludit, omnes scrupulos repellit, omnes amputat difficultates, pro cujus executione Florentinenses & Senenses offerant loca nobilia & decentia tam maritima quam terrestria, & insuper civitatem Lucanam pro parte nostra fecimus offerri, & præcipue civitatem Pisanam, qui locus est sic idoneus, ut nullus magis valeat reperiri, divisus fluminе, galeis, secundum quod tu optare videris, accessibilis, abundans victualibus, capax multitudinis, totus & omni respectu sit accommodus, ut ad ipsam conventionem fabricatus videatur: in unius diei spatio nos per terram & tu per mare ad eundem locum convenientes, pacem Christianitati reddere possumus, & tam infamem maculam de conspectu Ecclesiæ abolere. Hunc locum tam propinquum & tam idoneum & capacem declinare, & ad castruncula non capacia, atque decentia, & multas & magnas difficultates continentia convertere nullam potest habere sinceritatem, &c. Datum Lucæ Kal. aprilis pontificatus nostri anno II.

(c) *Ibid.* Declinatæ insidiæ a Gregorio.

III. Repulit multo verborum fuco oblata a Gregorio Petrus e Luna (d), illumque ad suspecta & angusta maritima loca, ut Cataris & Lavenam trahere moliebatur. Inter quæ colloquia frustra amborum dissentientes voluntates conciliare annitentibus Regum & principum oratoribus, Ladislaus Siciliæ Rex qui dementi ambitione ductus Romam sibi subjicere exoptabat (e), collectis equitum quindecim millibus, peditumque octo, tum instructa valida classe primum Ostiam cepit; deinde admotis urbi castris, quam Paulus Ursinus militari præsidio tuebatur, post leves velitationes confectis nonnullis pactionibus, atque in partes suas pellecto eodem Paulo Ursino, a Romanis more triumphali admissus est die vigesima quinta aprilis, cui umbraculum intertextum auro octo Romani patritii prætenderunt. Non deerat nefariæ tyrannidi color, quod antipapa absente Gregorio orbis tyrannidem affectaret. De festo ejus in urbem ingressu affert Theodoricus e Niem literas (f) ad nobilem Romanum tunc scriptas: *Sciat vestra reverenda paternitas, qualiter vigesima quinta die mensis aprilis proxime præteriti dominus Ladislaus Rex Siciliæ intravit urbem cum pleno dominio gratanter receptus ab omnibus cum ramis palmarum & ludis solitis fieri in festo S. Mariæ de augusto, & cum tanta virorum, fœminarum, ac senum, juvenum, & puerorum alacritate, & quod mirum fuisset vobis videre nulla novitas seu spoliatio aut sanguis intervenit, & exinde pax maxima*

Antipapa contra illum trahere in insidias nititur.

(d) *Ext. ejus resp. apud Theod. e Niem. li. 3. c. 27. & 28.*

(e) *Summont. hist. Neap. l. 4.*

Ladislaus Romam occupat. Ejus in urbem ingressus.

(f) *Ext. apud Theod. e Niem. l. 3. c. 28.*

ma subsecuta & rerum omnium abundantia. Et infra: *Dominus noster Papa etiam expectatur hic cum desiderio: Columnenses & alii omnes exteri reintrarunt urbem, & omnes stant in bona pace cum intrinsecis. Civitas regitur per senatores & conservatores & marescallos sicut tempore Bonifacii regebatur, & istæ gentes armorum pro majori parte mittuntur foras, & dicitur quod vadunt versus Perusium.* Ladislaum Perusium, & alias plures ditionis ecclesiasticæ urbes in suam potestatem redegisse scripsit (a) ad amicum Theodoricus: *Fama*, inquit, *est quod dominus Ladislaus Rex Siciliæ nuper mittendo de Roma usque Perusium millequingentos equites cepit possessionem civitatis Perusii & ejus fortalitiorum, item Ortanæ, Amelianæ, Interamnensis, Tudertinæ, Assisiæ, Reatinæ civitatum jam habet possessionem sine lite, seu bello; & dicitur etiam quod processurus sit Rex ipse ad capiendum reliqua ecclesiæ prædictæ ac Romani imperii jura. In partibus istis tacet ipse dominus Papa, & dissimulant hæc omnia domini Cardinales &c. Scripta Lucæ xi. junii.* Refert idem author (b), Gregorium atque ejus nepotes lætitia affectos audito Ladislai in urbem ingressu, ne scilicet occuparetur ab antipapa de cujus proditione mox dicetur; minus enim malum pejora timentibus lætitiam affert.

(a) Theod. e Niem. tr. 6. c. 37. & Hect. Pignatiel. in MS. diar.

Ecclesiæ urbes invadit.

(b) Theod. e Niem. l. 3. c. 28.

Scripsit tum ex urbe Ladislaus xi. junii ad Regem Francorum, atque ad academiam Parisiensem impendere discrimen ne novum schisma oboriretur, unde ecclesia in tres partes discissa esset, eosque rogavit (c), ut illud propulsare studerent.

(c) Ext. ejus lit. apud Monstrel. vol. 1. c. 42.

IV. Antipapa Romam occupare nititur.

Quo porro tempore Ladislaus urbe potitus est, Petrus e Luna dum vana colloquia ex arte cum Pontifice extraheret, Bucicaldi opera undecim triremes ad Romam intercipiendam submiserat (d), sed iis, reflantibus adversis ventis, itinere retardatis, Ladislaus eorum consilia & conatus occuparat, qua de re hæc Theodericus (e): *Butigallus gubernator domini civitatis Januensis pro Rege Francorum nuper misit undecim galeas armatas in subsidium Romanorum*; eorum nempe, quos Petrus e Luna auro vel promissis corruperat, *contra galeas & naves Regis præfati. Sed tardi venere bubulci, quia percipientes ea via, quam in mari tunc fecerunt, jam Regem præfatum Romam pacto subintrasse moræ sublato dispendio, ad propria sine bello reversi fuerunt, & citius illuc venissent, nisi maris tempestas per dies aliquos tunc impedivisset eosdem, quia sic forte dispositum erat desuper:*

(d) Greg. lib. 2. pag. 231.

(e) Theod. e Niem. tract. 6. c. 32.

V. Bucicaldi impetus retardati divinitus.

Hanc antipapæ proditionem vulgavit Gregorius encyclicis literis (f) ad fideles datis; neque ob res novatas, Romanæque rei administrationem a Ladislao arreptam tractatum de Pisana urbe ad colloquium commune designanda perduci ad exitum potuisse: tum de Cardinalibus, qui ab eo desciverunt gravissime est conquestus.

(f) Lib. 2. ep. cur. pag. 232. Ext. etiam apud Theoder. e Niem. tra 3. c. 23.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem.

Gregorius fideles de rerum statu edocet.

Docet Apostolus quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, qualia tempora & homines nos in præsenti periculosa & seipsos amantes incessanter experimur & patimur: nam cum pro integratione unionis Christianorum renunciationis viam juxta formam datam ingressi fideliter & pure pro conclusione laboraverimus, & hujusmodi via natura exigat, ut charitative, provide, ac libere per eamdem viam incedatur, quod summe desideravimus & desideramus ab intimis, quodque si ab utraque parte fuisset observatum propere ad finem deventum fuisset optatum: sed mixtis hinc inde non puris affectibus, nondum effectualiter inceptum est proh dolor! pro charitate odia, pro providentia inscitia, pro veritate falsitas, pro cautela calumnia, pro obedientia protervitas, pro maturitate levitas, pro defensione oppugnatio, pro confortatione impulsio, & [ut de cæteris taceamus] pro ordine servando ingesta confusio, pro directione suspicio adversus nos a nostris fere continuo apposita fuere, & dum sub specie unionis nostri depositio appetitur, molesta & periculosa divisio loco unionis in parte nostra subsecuta est, ex qua divisione conspirationes, machinationes, collusiones contra sinceritatem nostram suspici possunt in neglectu posito omni eo, quod nostræ obedientiæ confusionis, desolationis, ruinæ, ac divisionis contingeret, dummodo hoc unum habeatur, videlicet nostra dejectio. Nam dum fideliter tractavissemus convenire cum Petro de Luna, qui se facit nominare Benedictum, de uno loco, in quo nos cum nostris Cardinalibus & ipse cum suis prætensis conveniremus personaliter, & præparatoria & omnia necessaria pro reintegratione unionis Christianorum tractarentur & finirentur, & conclusio optata haberetur unionis, nec umquam cum eodem Petro proficere potuerimus, ipso nos trahere ad quædam castrunicula maritima periculosa, inhabilia, & omnino fugienda cupiente; nos vero inter alia loca nominaverimus locum Pisarum tamquam magis idoneum pro conventione utriusque personali; quo loco per ipsum declinato, condescensive tractabamus quod ipse saltem Liburnum veniret, & nos Pisas, primo habitis a dilectis filiis Florentinis quæ pro nobis videbantur necessaria pro libera exentione negotii unionis; de quibus duobus locis pendente tractatu inter nos & præfatos ambassiatores Petri, gravissima & novissima contigerunt, ex quibus adeo tractatus ipse obscuratus & obtenebratus est, & sic immutata conditio, ut apertis oculis videamur

Gravissimas in dies oriri dissensiones.

Agitatum de faciendo Pisis colloquio.

mur circumdari undique laqueis & insidiis.

Nam ipse Petrus e Luna cum subsidio gubernatoris Januæ graviter innovavit in subversionem status & honoris nostri, nitens prævidente occulto tractatu sibi subjicere Romanam urbem, pro qua obtinenda dictus gubernator cum galeis & nepotibus majoribus præfati Petri e Luna, & aliis propriis galeis, quas sub ficto colore occultabat esse ordinatas, ad occupationem urbis vigesima-quinta die mensis aprilis cum copioso & forti armata exivit, procedens versus urbem: quem accessum secrete disposuit, omnes versus ista loca, in quibus cum nostra residemus curia, venientes obsessis itineribus per quosdam dies capi & detineri faciens, & inter alios quosdam ad nos venientes, quibus dirbat sub spe conventionis nos tenebat intentos.

Antipapæ perfidia insignis & fraus.

Nam & sequenti die de mane, scilicet vigesima-sexta die mensis ambasiatores præfati Petri nobiscum tractantes in publico, obtulerunt præfatum Petrum ad Liburnum venturum infra breve spatium, si nos Pisas accederemus, quod ex causa prædicta per ipsum rationabiliter fieri non posse sciebant, nec per nos impleri posse cernebant, quamvis tractatus per nos capitulandi cum Florentinis super prædictis necessariis pro nobis non posse finiri rationabiliter tam breviter videbatur. Et tum hujusmodi exercitus vento contrario retro transmisissent & per dies detentus attente tamen esset compositus ad prosequendum versus Romam infra præfatos dies, scilicet vigesimumoctavum, dicti ambasiatores iterum eadem inscriptis dederunt nos ludificantes: quæ res nos & multos merito conturbavit, & ab inceptis retraxit, concurrentibus periculis & immutatis conditionibus verisimiliter Florentina & civitatis Pisarum ex traditione urbis per dilectos filios Romanos charissimo in Christo filio Ladislao Regi Siciliæ illustri facta suspicionibus quamplurimis involuta materia, ac detectis fraudibus & machinationibus & conspirationibus quorundam nostrorum, ut ipsi effectus subsecuti aperte indicant.

Illusos ab eo promissis ingenibus Gregorius.

VI.

Cardinales deficiunt a Gregorio.

Nam, cum merito ex tam gravibus inter exortis deberemus mature prospicere quid essemus facturi, & tam periculosis immutationibus subcrescentibus, & in dies magis lucescentibus, uti saniori consilio & provido auxilio, ne res male intenta sub spe unionis in præcipitium daretur, res in aperto deducitur, cum quidam de nostris Cardinalibus contra mandata nostra a nobis discesserint, Pisas accedentes & permanentes, conspirantes in unum adversus nos, & sibi usurpantes potestatem contra ordinem datum ab Altissimo, volentes nos trahere sub sua usurpata potestate, & nobis legem imponere, corruptis affectibus sub pallio unionis, de quo loco Pisarum decenti ex parte adversa tractatum sub fictis coloribus deductum numquam conclusimus & concludere, ut apparet, sperare tunc non habebamus. Nunc vero innotescentibus præmissis collusiones incipiunt in lucem prodire, quibus attentis cogimur ad Dominum exclamare, ut liberet nos, & Ecclesiam a laqueis quos periculose paraverunt pedibus nostris. Nos enim, cum pure & efficaciter intenderemus per viam renuntiationis ad unionem, tamen in has involutas conditiones innocenter, insidias & molestias eorum incidimus, qui abusi sunt mansuetudine, humilitate, gratia, & clementia nostris, qui fere continuo intendentes nos opprimere, foverunt & exaltaverunt partem adversam suis non rectis tractatibus tendentibus ad præcipitium nostræ obedientiæ, nos calumniantes per se & suos ministros per orbem, falsa contra nos disseminantes & nunc id ipsum fortius procurantes, colorantes eorum intentionem ex causis, qui nos interceperunt: sed solet Deus eripere & defensare innocentem, veritatem illustrare, & pervertere conatus reprobos, & pravas & varias cogitationes hominum & consilia non recta dissipare; in quo confidimus juxta gratiam nobis concessam. Quæ ideo universitati vestræ intimare decrevimus, ut adversum calumniam rerum seriem & puritatem verissimam sentiatis, tenentes indubie quod, quantum in nobis fuerit, & ex alto concesserit divina omnipotentia majestatis, cujus res agitur, & in quam nostros jactavimus cogitatus, inveterato nimirum ac lugubri schismate sublato de medio viis salutaribus, rationabilibus, congruentibus atque justis Christianitati pacem, & Ecclesiæ dabimus desiderabilem unitatem, ad quæ suprema desideria nostra tendunt; & cum iis anfractibus circumcinctos nos dignoscimus existere, ad hoc ut salubrius præmissa possemus Deo auctore complere, quatuor venerabiles fratres nostros in partem apostolicæ sollicitudinis ad perferenda dictæ Ecclesiæ onera nostris humeris incumbentia, & promovendum hujusmodi negotium unionis præfatæ Ecclesiæ assumpsimus Cardinales. Datum Lucæ XII. kal. junii pontificatus nostri anno secundo.

Authoritatem sibi in eum asciscunt.

Gregorii gravissimæ de iis querela.

Purgat se ab objectis.

VII.

Ladislaus velle colloquio interesse divulgat.

Quod ad defectionem Cardinalium spectat, Ladislaum Regem metuentem, ne quid pro Ludovico Andegavensi in conventibus a Pontifice ac Petro e Luna celebrandis decerneretur, Florentinis die tertia maii scripsisse (a), iis se interesse velle, narrat Theodoricus e Niem, ac Gregorium, cum vovisset, ne propagaretur schisma nullum Cardinalem, nisi ad suorum numerum cum adversariorum collegio æquandum creaturum, novos Cardinales renuntiare constituisse, quippe ejus sacramenti religione ob justas causas solvi se posse putabat. At Cardinales Gregorio obfirmate restitere, atque inde in parte catholica maxima orta est dissensio

(a) *Extrat lit. apud Theod. e Niem. l. 3. c. 29.*

cujus

cujus exordia ita narrat Leonardus Aretinus (a) qui præsens aderat: *Erant querelæ ingentes, & aperta jam oblocutio: indignabantur omnes ea ætate homines supra septuagenarium uterque est quo paucos sederent annos & Dei metum & hominum censuram post habere. Hæc erat hominum indignatio & querela. De me autem si quæris, ego deceptum Pontificem nostrum ab iis de quibus supradixi*, consanguineis scilicet, *metumque inanem per malos suasores injectam illi existimabam*, non inanem sed justissimum fuisse constat, *conspexeram enim ab initio illius rectissimam voluntatem, mutatum vero ex seipso bonum quidem persuadere mihi non poteram, nam si malignum putassem virum non tu me prævenisses abeundo. Cum esset hic status rerum, ecce nova turbatio super oritur, constituit enim Pontifex noster Cardinales novos in Romanam ecclesiam assumere: hujus vero causæ erant duæ, una quod fautoribus quibusdam suis gratiam referre cupiebat, præsertim id magnopere flagitantibus; altera quod admiscendo vetustis patribus novos assumptos, temperaturum se illorum vehementiam existimabat. Non erat dubium patres adversus hanc Pontificis voluntatem esse reclamaturos, & est mos nihil tale absque illorum consensu a Pontifice decerni*. Is mos non necessitate juris, sed Pontificum modestia inductus est, ut ostendit Cardinalis Baronius (b). *Fortiter igitur conandum ratus patres in consilium vocat. Convenere trepide & jam aliud alii suspicantes: paratur secreto locus, subsellia ponuntur; prodit cubiculo Pontifex & in throno resedit; patres inde suis locis considere jubentur; ubi consessum est, Pontifex contra consuetudinem duos circa se familiares retinuit, ceteram multitudinem omnem exclusit; id sive ut interventu nostro, si quid opus foret, uteretur, sive aliam ob causam fecerit incertum habeo, mora quadam prius & silentium fuit; inde Cardinales aspiciens non satis læto vultu: Præcipio, inquit, ut nemo vestrum assurgat. Hæc prima illius vox cum mentes subita admiratione percussisset, alio alium respiciente indignantique Henricus Tusculanus: Quid est, inquit, hoc pater, & quid sibi vult istud præceptum? Quandoquidem, inquit, vobiscum nequeo recte agere, providere Ecclesiæ volo. Ad hæc Henricus; Immo destruere Ecclesiam vis. Hic cum indignanter omnes sederent, tamen primus omnium Raynaldus S. Viti in Macello diaconus, vir ut tunc mihi visum est omnium qui aderant cordatissimus repente assurgens: Moriamur potius, inquit ut tu sets procero corpore, & cum proceritate ipsa, tum etiam verbis facere animos visus est. Itaque plerique post hunc surrexerunt; sed in nova & subita re prospicere licebat quid in unoquoque animi vigorisque inesset. Rubebant alii, alii pallebant, ira & jurgio alii, alii prece supplice nitebantur. Columnensem ego vidi ad pedes Pontificis provolutum, rogantemque ne ita facere vellet, contra vero Leodiensem minabundum & contumaciter incensum, Burdegalensis vero quasi medius quidam modo irat lenieba*t, modo Pontificem precabatur; ita re infecta consilium tandem dimittitur præcepta tamen prius a Pontifice, ne quisquam patrum urbe Luca exiret neve injussu suo convenirent. Id rursus præceptum non minus asperitatis suspicionisque habere visum est.*

(a) Leonard. Aretin. lib. 2. ep. 15.

Novos Cardinales Gregor. creare meditatur.

(b) Card. Baron. to. 7. Anno Christi 359. n. 74.

Relu-ctantur Cardinales.

VIII. Soluto sacramento Cardinales erat.

Reluctantes sibi Cardinales passus Gregorius, cum censeret retinere pontificatum se juste posse quod antipapa nollet pontificalia insignia deponere, neque in loco in quo ipse non posset opprimi, convenire, & nimium sibi Cardinales veteres infensos esse putaret, novos Cardinales studiis conjunctissimos soluta juste apostolica auctoritate voti in conclavi nuncupati religione, creandos duxit (c) Antonium Corarium ex fratre nepotem, religione & pietate præstantissimum ut ostenderur inferius, & Gabrielem Condulmerium nepotem ex sorore, qui postea Eugenii IV. nomen in pontificatu accepit, necnon Jacobum Utinensem protonotarium, [1] & Joannem Dominici e sacra Prædicatorum familia, qui pietatis laude

(c) S. Antonin. part. 3. tit. 32. c. 5. §. 1.

NOTÆ [1] ANtequam Luca discederet Gregorius cardinales IV. renunciavit, quod ab Annalista ex antiquis, & coævis Scriptoribus petitum est. Sed cum inter quatuor illos recenset Jacobum Utinensem refragatur fidei Sozomeni, qui præsens Florentiæ aderat sequenti anno, ut ipse testatur in historia Pistoriensi. Ille enim quartum hunc Cardinalem Lucæ promotum appellat *Lucam omnium Sanctorum de Florentia*, idemque recurrit apud Bonincontrum coævum authorem in annalibus Ministensibus. Lucas vero iste idem est monachus ordinis Humiliatorum, quem Ciaconius inter cardioales Senis promotos accenset. Verum Jacobus Utinensis omnino retinendus est ex fide Johannis Sercambii Lucensis, qui tunc Lucæ agens Paulo Guinisio Lucensi principi intimus carusque habebatur, & patriæ suæ historiam vernaculam ab exordio urbis summa fide scriptis mandavit. Hujus operis tantum postremam partem, in qua priores anni Pauli Guinisii percensentur, Muratorius nactus est, vulgavitque Rer. Ital. to. XVIII. Porro ille quartum hunc cardinalem appellat: *Un Protonotajo d'Udine*; quæ sane verba indicant Jacobum *de Tusio de Utino*, ut illum appellat author Miscellæ Bononiensis Rer. Ital. ibid. qui pariter inter cardinales Lucæ renunciatos illum accenset.

De numero cardinalium quos Gregorius Senis agens prioribus hisce adjecit varii varia tradunt. Nam quidam cum authore Miscellæ Bononiensis IX. enumerant, quem pariter numerum tuetur Sanutus junior in Gestis ducum Venetorum, vulgatus Rer. Ital. to. XXII. qui sane scriptor sæculo

laude effloruit. Vocato itaque episcoporum & præsulum cœtu eos in Cardinalium ordinem cooptavit absentibus veteranis Cardinalibus, qui nunquam eos se ut Cardinales habituros concepto jurejurando decrevere. Die autem quarta maji (a) cum vetuisset Gregorius Cardinales in colloquium cum Regis Francorum oratoribus venire, communicatis inter se consiliis parant ab eo abscedere inter quos primus omnium Joannes Normannus natione, vulgo Leodiensis nuncupatus, undecima die maji Luca Pisas se proripuit, quem Paulus pontificius nepos frustra armata manu est insecutus, ac deinde ejus familiares cepit, ac supellectilem diripuit. Sed cum Lucæ prætor mox ejus vim repressisset, sex Cardinales, dimisso Gregorio die proxima Joannem sunt secuti, ac literis encyclicis (b) universos præsules ac principes de impensis a se laboribus ad inveteratum atque exitiale schisma excindendum certiores fecerunt, utque in conclavi sacramento obligassent Pontificem eam ob caussam una cum æmulo se abdicaturum, ipsosque ab eo delusos questi sunt.

(a) Theod. a Niem tractat. 6. c. 10.

Illi ab eo discedunt.

Literas in eum scribunt.

(b) Extant apud Theodor. a Niem tract. 6.

Miseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi Cardinales universis, &c.

Cum crederemus, sicut ipse ajebat, post conventum Saona locum, si aut navicula sola, peditem solo baculo comitatum si aliter nequiret, ad illum profecturum, omnino verbis tamen suis pravitas effectu curantibus pluries testabatur, ut eam sanctum unionis opus, tamque pium & desideratum, ad quod assumptus erat, perficeret; nunc uno, nunc alio dilationum variarum sumpto & quæsito colore, usque in hodiernam diem distulit, non curans, prout se jurejurando ac voto ut non semel, sed pluries obligaverat atque nunc, in non modicum Christianæ religionis & ecclesiæ detrimentum votam & promissam rem consummare: & quamquam nos cum majori parte immo cum tota quasi Romana curia quorsum incederet perpenderimus, tamen sine motu & nocuo vel scandalo quo res ipsa pollicita perficeretur, omnibus viis & modis honestissimis, gravibus, & maturis cum sanctitate sua incessimus, ut tandem vellet eam ad salubrem & votivum exitum perducere: Verum quantum secum profecerimus, jam non sine admiratione & stupore nobilitas vestra percipiet. O bone Deus, quam difficile est cujusquam intentionem nisi experientia longa, quæ vix sufficiens est ad hominem ostendendum, cognoscere! Quis enim, qui verba ejus audisset tunc, ad credendum potuisset impelli, ut talem se postea effectibus ostendisset? Elapso jam tanto tempore, quod ipse per inania verba consumpsit, ad creationem novorum Cardinalium [*quantum in eo fuit, quia penitus juramento, voto, & promissione suis & nostris obsistentibus prohibebatur*] *incœpit velle prorumpere; cui cum devotis supplicibus & efficacissimis rationibus resisteremus pro debita & exoneratione conscientiarum nostrarum, intuentes consensum nostrum nec debere nec posse adhiberi, paucis decursis diebus die veneris quarta mensis instantis nobis ad palatium congregatis, nisi sibi, ut comperimus, facta resistentia extitisset, fretus quorumdam pravis venenosis, & detestandis consiliis, nos pro parte violenter in tetros carceres posuisset, & pro parte crudeli nece vita privasset, ut multi authoritatis non parvæ existimant* [meræ sunt hæc calumniæ, cum Gregorius benignitate summa uteretur) *& nos sumus multifarie informati: manifesto quidem, ita & comperte loquamur; nam satellitum & armatorum non mediocris numerus per omnes apostolici palatii partes ad secretiores atque conspecti sunt & nonnullorum pallida ora maximi sceleris patrandi, non dubia effugimus Dei misericordia, tam grande evitantes periculum: sed ut qualis erat animo, talem se effectu ostenderet, sub gravibus nobis mandavit pœnis, ne aliquis Cardinalium in Romana curia existentium de civitate Lucanensi, ubi curia residebat, præfata exiret, ac congregaremur ad invicem, & ne per nos vel interpositam personam cum oratoribus Petri e Luna & Gallicis, qui ex parte serenissimi principis Regis Francorum & universitatis Parisiensis pro tractanda unitate dicta Ecclesiæ venerant, pro qua solertissime laborabat, participaremus, ipso illa minime mandare valente, cum honoris, unionis, & status Ecclesia Dei essent penitus destructivi, non valuimus quod ægre admodum ferebamus saltem congregari pro tractando ordinandoque ad unionem opportuna, quæ ad consolationem Christi*...

Multa obiiciunt.

Apologia Cardinalium.

NOTÆ tolo hoc exeunte florebat. Sozomenus eadem tradit. Jacobus de Del' Ayta in annalibus Estensibus octo tantummodo delectos scribit, Ciaconius supra novem decimum adjecit Octavium de Octevenis, Florentinum, quem tamen de Del' Ayto eorum temporum scriptor omittit, sicut nec memorat Vincentium Valentinum Hispanum, ord. S. Bened. monachum, quem proinde vel alia occasione & tempore vel forte numquam promotum suspicor. Ex cardinalibus ita renunciatis alios quidem dignitatem acceptasse, respuisse vero alios tradit scriptor Miscellæ Bononiensis; ex quo forte hæc scriptorum varietas processit. Animadvertere demum juvat, lapsum quemdam Ciaconii a Del' Ayto corrigi; qui enim Angelus, Recanatensis civis est apud Ciaconium; Recanatensis quidem cardinalis, sed ortus *Menariæ in districtu Perusino* ab Historico dicitur. Cæterum cardinales tantummodo IX. Senis a Gregorio renunciatos fuisse definiunt articuli a concilio Pisano in Gregorium, & Benedictum deducti, legendi apud annalistam ad A. 1409. in articulo XXXI. MANSI

stiani populi & etiam vestræ nobilitatis pertinent, nobis & aliis Christianorum principibus cooperantibus: & ut præfata unio veniret in lucem, & attentis præteritis, & duritia ac moribus hominis, nil aliud poteramus animis volvere nisi tanquam ad immolandum victimas reservatas.

Neque his acquiescens die mercurii sequenti nono die mensis ejusdem vota, promissiones, & juramenta sua parvipendens, sine nostra præsentia, sed nobis per prius expressis contradicentibus, ut de jure tenebamur, ad pronunciationem, quam nullatenus poterat, in quatuor Cardinales devenit, quod nunquam a rerum initio fuit in Ecclesia Dei, & nos ad consensum præstandum non sine minaci supercilio, in immane periculum evasuro, compellere intendebat; sed Deus suæ Ecclesiæ, de cujus unione jam merito desperari poterat, misertus est: nos enim videntes ita potenter naviculam Petri quassam & quasi naufragantem pro exoneratione conscientiarum nostrarum, proque universali statu Ecclesiæ & Christianorum pace, cum omnes alias vias conspiceremus penitus obseratas, die duodecima mensis hujus circa vigesimam secundam horam de præsenti civitate Lucanensi, ut confusionem Ecclesiæ & tot pericula vitaremus, at conservationi præfatæ unionis consuleremus, divinitus aut quasi miraculo nobis occasione præstita cum deliberatione recessimus, & ad hanc Pisarum civitatem magno cum honore recepti devenimus; unde illo favente, cujus res agitur, sæpedictæ Ecclesiæ statum & honorem, quos usque ad exitum prosequi omni via nobis possibili secundum vota & juramenta nostra intendimus, tandem emanaturos speramus &c. Datæ Pisis die XIV. mensis maii anno MCCCCVIII. sub nostrorum secretorum signatorum sigillis.

IX. Provocant ad concilium. Pridie vero ejusdem diei Cardinales ut se adversus Gregorii judiciaria edicta communirent, conceptam provocationis ad œcumenicum concilium formulam (a) ei transmisere, cujus exemplum infrascriptum est.

(a) Ext. to. 22. de schism. pag. 23. & apud Theod. de Niem tract. 6. cap. 10.

In nomine Christi Amen.

Anno a nativitate ejusdem MCCCCVIII. indictione prima die dominica XIII. mensis maii hora tertiarum, vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Gregorii divina providentia Papæ XII. anno II. in civitate Pisarum in archiepiscopali palatio, & infra: coram beatitudine vestra, beatissime pater, cum omni reverentia in his scriptis appellando proponunt humiles servitores vestri Angelus Ostiensis, Antonius Penestrinus episcopi, Conradus tit. S. Chrysogoni, Jordanus tit. S. Martini in montibus presbyteri; Raynaldus S. Viti in Macello, Odo S. Georgii ad velum aureum hic postea in Concilio Constantiensi Martinus V. accepto nomine schisma sustulit, Joannes SS. Cosmæ & Damiani diaconi S. R. E. Cardinales, quod ad notitiam suam pervenit, quod eadem beatitudo vestra, nondum decem diebus elapsis, eisdem aliqua præcepta fecit, quæ de jure sunt nulla; & quatenus essent aliqua, cum omni semper reverentia loquendo, sunt iniqua & injusta; primi autem mandati tenor talis est: Præcipimus omnibus & singulis Cardinalibus existentibus in Romana curia sub pœna privationis Cardinalatus & beneficiorum suorum, quam quilibet ipsorum incurrat ipso facto, ne ab ista die quarta videlicet maii in antea aliquis exeat de Luca sine speciali & expressa licentia nostra, per nos oretenus sibi facta. Cujus mandati nullitas & iniquitas manifeste patet.

Primo quia non poterant ibi morari cum securitate personarum suarum, & sine metu carceris, aut mortis, & aliqui cadere posset in constantem virum; maxime quia die veneris quarta maii cum irent ad palatium, invenerunt domum habitationis vestræ etiam intrinsecus plenam viris & satellitibus armatis ultra solitum morem custodiæ, & in locis insolitis & ultra armaturam solitam & dictum fuit eis a fidedignis & veridicis personis, quod aliqui ex dictis Cardinalibus debebant interfici ea die, quod postea rei declaravit eventus: nam cum dominus Cardinalis Leodiensis de Luca recessisset, fuerunt ut notorie patuit post eum nonnulli ex armatis dicti destinati, quibus etiam mandatum extitit, ut eum caperent, & si ipsum captum ducere non possent, eundem dominum Cardinalem occidere deberent: qui etiam inseguenter post reditum ipsorum per dominum Lucanensem capti fuerunt & in carcerem detrusi. Obtendunt metum cadentem in viros constantes.

Item quia domus præfati domini Cardinalis Leodiensis postea per gentes beatitudinis vestræ ultra omnem modestiam fuit posita ad saccomannum in Luca, & familiares ejus capti & torti, & hoc absque alia justa causa, sed tantum quod sollicitabant causam unionis sanctæ matris Ecclesiæ, prout de jure & ex juramento & voto tenentur: & quia non consentiebant creationi novorum Cardinalium, prout de jure non poterant, nec debebant: quia nec vos sancte pater, de jure creare illos potestis, nec debetis, stante obligatione facta in conclavi, & per vos ratificata, ac etiam iterata post assumptionem vestram ad apicem summi apostolatus.

Item quia in domo vestra nocte præcedenti fuerunt fabricati cippi & compedes pro carcerandis & detinendis dictis Cardinalibus. Augent suspicionibus.

Item quia non consuevit, nec de jure debet, aut potest tam gravis pœna pro tam levi culpa, talibus viris, tantæque conditionis imponi, nisi ex gravissimis tantum cul-

culpis, & cum magna solemnitate, quæ in tali præcepto servata non fuit, & servari tamen debet, si possint, seu debeant Cardinales privari Cardinalatu, & de jure non aliter fieri poterit.

Discepant se obstringi ad tractandum cum anticardd.

Item quia secundum obligationem factam in conclavi, & votum ac juramentum ipsorum, oportet eos convenire cum alio prætenso collegio in loco idoneo. Cum autem civitas Lucanensis fuit jam per aliam partem recusata, tamquam locus non idoneus, necesse erat ipsos exire dictam civitatem Lucanensem pro prosequendo negotio unionis & servando juramenta sua.

Item cum per vos, beatissime pater, & per ipsos Cardinales de voluntate vestra fuerit oblatum de eundo ad civitatem Pisarum, si altera pars veniret Liburnium, quæ oblatio per aliam partem certo modo fuit acceptata, necesse erat eis se conferre Pisas, ut servarent etiam oblationem suam: quare dictum mandatum fuit omnino nullum & injustum.

Item per hujusmodi mandatum contra jus & justitiam eis indicebatur carcer, cum nihil deesset a carceribus mancipari, inter parietes murorum collocari, & incipiebatur ab executione a carceribus contra viros in tanta dignitate constitutos, quod omnia jura detestantur.

Constituunt se judices, an mandatum Pontificis sit iniquum.

Aliud mandatum quod fecit beatitudo vestra eisdem Cardinalibus fuit tale. Item sub pœna perjurii quam incurrent ipso facto, præcipimus & mandamus eisdem, ne ulterius congregentur in aliquo loco sine expresso mandato nostro. Cujus quidem præcepti nullitas & iniquitas & injustitia manifeste patet.

Primo quia mandatum hoc est contra jus collegii, quod habent Cardinales de jure & antiqua consuetudine a tanto tempore, cujus initii memoria in contrarium non existit, quod jus collegii principaliter consistit in conveniendo simul, & tractando negotia ad ipsum collegium pertinentia: quod jus & facultas ab eis sine causa auferri non debet.

Item Cardinales tenentur collegialiter inter se tractare & conferre de causis fidei & hæresis & schismatum, prout in conclavi se obligarunt solemniter per votum & juramentum: ac mutuo fidem tractare universaliter & singulariter de uniendo Ecclesiam: quod fieri non potest nisi collegialiter congregentur. Hanc igitur facultatem nobis interdicere est non solum nolle per se attendere ad unionem Ecclesiæ, sed etiam prohibere ipsis, ne ad eam attendant, quod omnino est iniquum & abominabile.

Item quia si unquam juratum fuit per ipsos Cardinales vel aliquem ipsorum, quod se non congregabunt, tunc juramentum fidelitatis vel obedientiæ, si quod præstiterunt, non extenditur ad hoc, quod de jure facere possunt, quare incongrua omnino & inconveniens ac injusta fuit pœna perjurii in transgressionem talis mandati vel præcepti constituta. Tertium præceptum quod fecit dominis Cardinalibus beatitudo vestra fuit tale: Item sub eadem pœna perjurii præcipimus & mandamus eisdem Cardinalibus, ne aliquis eorum participet cum oratoribus Petri de Luna, neque cum oratoribus Gallicis sive per se sive per interpositam personam; cujus quidem præcepti nullitas & iniquitas manifeste patet.

Trahunt in partem adversam vetitum se agere cum schismaticis.

Primo quia ex juramento & voto sunt astricti nihil omittere de contingentibus necessariis vel quomodolibet opportunis, seu utilibus; licetque inchoata omnia prosequi, mediare, & finire ad sanctam unionem consequendam, quæ obtineri & perfici non potest nisi habendo tractatus & colloquia cum altera parte & cum nunciis ad hoc missis; maxime per vos, pater beatissime, ad hoc tractandum fuerunt accepti. Hoc præceptum manifeste etiam est contra dictam obligationem, juramentum, & votum, & per consequens nullum & injustum.

Item quia hoc præceptum est contra charitatem, in qua qui non manet, in Deo non manet; & quia quilibet fidelis Christianus tenetur, quantum potest, errantes denuo revocare, quod utique fieri non potest absque participatione & colloquio, non ergo debuit prohiberi, maxime talibus viris, quorum affectus omnes debent revocare Christianos ab hæresibus & schismatibus. Quare, beatissime pater, præfati domini Cardinales & servitores vestri cum omni obedientia & humilitate ac reverentia exponunt & dicunt talia præcepta esse nulla, & de jure eos nullatenus astringere ad observationem ipsorum iniquitatum aut si forte forent, aut censerentur alicujus roboris vel momenti, dicunt ipsa fuisse & esse iniqua & injusta, & sex ex ipsis præceptis fuisse & esse gravatos contra omnem justitiam ac debitum juris, & ab ipsis præceptis ac omnibus aliis gravaminibus post prædicta forte secuturis, si quæ forte sequentur in posterum, præfati Cardinales, in quantum eis licet & in quantum possunt, provocant & in his scriptis appellant. Et primo quia ratio appetitui noscitur esse superior, & intellectus dominari sensibus & vobis, pater beatissime, irrationabiliter & secundum rectam rationem decernentibus ad vosmet secundum rectam rationem & melius informatum. Item si discretio personarum requiritur a vobis, pater sancte, vicario, ad dominum nostrum Jesum Christum, qui judicaturus est mortuos & sæculum per ignem: item ad generale concilium, a quo & in quo solent gesta etiam summorum Pontificum quæcumque pertractari, decerni, & judicari: item ad Papam & Pontificem futurum, cujus est gesta inordinata sui prædecessoris in melius re-

Pontificem concilio subjici volunt.

for-

(a) Ext. tom. 22. de schism. p. 23. & apud Theod. e Niem tract. 6. c. 10. (b) Ext. ead. to. 22. de schism. pag. 24.

formare. Hactenus Cardinalium provocatio, cui Gregorii jussu subjectis scriptis (a) responsum est (b).

Eorum provocationem refellit Gregorius.

Responsio super appellatione olim Cardinalium.

Quamvis appellatio facta per quendam Angelum episcopum ostiensem Sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalem, & suos sequaces die quarto maii super quibusdam mandatis eis factis per sanctissimum in Christo Patrem & dominum nostrum dominum Gregorium Papam XII. sit offensiva divinæ majestatis, sedis Apostolicæ, fidei orthodoxæ, & sacrorum canonum, ac indigna responsione; nihilominus ipse dominus noster Papa ex compassione & benignitate decrevit, quod respondeatur; nimium dolens ex multiplici errore olim inaudito prædictorum appellantium.

Et primo dicetur de justitia & opportunitate prædictorum mandatorum ipsius domini nostri Papæ; secundo de ipsa appellatione, tertio de falsitate causarum ipsius appellationis.

Pro primo dicitur quod notorium est quod ab ipso initio, quando venerunt Gallici ambassiatores Romam, Cardinales nimium adhæserunt ipsis Gallicis, qui etiam tunc procuraverunt subversionem, & divisionem partis nostræ, quam divisionem tandem ad effectum deduxerunt de pluribus ex Cardinalibus.

Item notorium est quod usque ad diem quartam mensis maii proxime præcedentis, qua die præfatus dominus noster Papa fecit prædicta mandata, ipse dominus noster toleravit conversationem indifferenter ipsorum Cardinalium cum ipsis ambassiatoribus Gallicis, ambassiatoribus Petri de Luna, & quibuscumque aliis; & e contra, tam in domibus quam extra, ac de die, & nocte conjunctim, & separatim, & ex quo Cardinales usurpaverunt se congregare collegialiter sine licentia præfati domini nostri, quod sine licentia ejus ante non faciebant, sæpius inceperunt cum prædictis non solum separatim, sed etiam collegialiter conversari, non obstante quod præfatus dominus noster quandoque ostenderit humiliter esse reprehensibilem hujusmodi congregationem collegialem, quam semel inhibuit Senis, sed postea non fuit observatum ex nimia benignitate, clementia & supportatione præfati domini nostri, & in tantum hæc processerunt, quod multi dolenter timuerunt de malo exitu futuro.

Conqueritur Cardd. ipso inconsulto cœtus cogisse.

X. Coitiones in ipsum fecisse.

Item aliqui ex Cardinalibus abutentes mansuetudine, benignitate, & clementia ipsius domini nostri Papæ cæca & inquieta cupiditate ceperunt machinari contra, & & adversus præfatum dominum nostrum, & fabricari facere certo consilio schismatico & hæretico, & alios trahere ad se variis modis, consurgere contra veritatem & innocentiam præfati domini nostri Papæ qui continuo, pure, & efficaciter intendens ad unionem per viam renunciationis, eosdem Cardinales suo consilia vertentes, vias & modos bonos turbantes, ac partem adversam foventes, ut merito redderent se suspectos; nec non falsum suggerentes, quod præfatus dominus noster nollet unionem, patienter supportans, nihil contra aliquem eorum attentavit facere, nec quod superius dictum est.

Item cum varii tractatus habiti essent, & tandem tractaretur de loco Pisarum pro ipso domino nostro & sua curia, & de loco Liburnii pro altera parte, ex quo altera pars ad nullum locum unicum pro utroque parte idoneum consentiebat emersis novis casibus, videlicet de occupatione urbis Romæ attentata per Petrum de Luna & suos sequaces, ac traditione ejusdem Romanæ urbis per Romanos facta Regi Ladislao illustri, necnon conspirationibus factis per Cardinales & alios, quæ conspirationes divulgabantur & copiose diffamabantur merito ex præfatis contingentibus tam gravibus turbato præfato tractatu pendente de Pisis & Liburnio, prædictus dominus Papa, considerans tantam subito mutationem rerum & earum circumstantias, necnon præterita, & præsentia colligens, quæ brevis sermo non explicat ac informationes secretas, quas recessus Cardinalium verificat, ac periculum maxime Ecclesiæ, & sibi scandalum & obedientiæ suæ ignominiam imminere ex tali Cardinalium recessu, unionis plurimum impeditivo, sibi obicem & obstaculum impositivo; eo quod membra sequi caput & non caput membra convenit, disconveniatque membra surripere ducatum & directionem, quæ ad caput spectare noscuntur, pie decernens obviare, & quanto melius poterat providere, ne tanta sequerentur mala, formidabilibus præceptis ex debita pontificatus statuit rempublicam tueri juste & opportune per infrascripta præcepta, de quibus in appellatione prædicta fit mentio, die quarto mensis prædicti ea scriptis tradendo, ac Ecclesiæ & sibi consulens, quatuor Cardinales sibi fidos postea creando ad quæ providenda consilium debitum defensionis suam sanctitatem arctavit, & mansuetudinem impulit; quæ quidem præcepta, sunt hæc.

Exponit novas rerum conversiones emersisse.

Voluisse Cardd. non regi, sed regere.

Pontific. adactum necessitate ad renuntiandos novos Cardd.

Præcipimus omnibus, & singulis Cardinalibus existentibus in Romana curia sub pœna privationis Cardinalatus & omnium beneficiorum suorum, quam quilibet incurrat ipso facto, ne ab ista die, quarta videlicet maii inclusive in antea, aliquis eorum exeat de Luca sine speciali & expressa licentia nostra per nos oretenus sibi facta. Item sub pœna perjurii, quam incurrat ipso facto, præcipimus, & mandamus eisdem ne ulterius congregentur in aliquo loco sine expresso mandato nostro. Item sub eadem pœna perjurii, quam incurrant ipso facto, præcipimus & mandamus

XI. Imperata a Gregor. Cardinalib.

mus eisdem, ne aliquis eorum participet cum oratoribus Petri de Luna, neque cum oratoribus Gallicis, sive per se vel interpositam personam.

Objecto iis perduellio.

Item si consideretur quot & quantis criminibus recessus prædictos hos homines, qui ab eo recesserunt, maculavit, clare videbuntur justitia & opportunitas primi præcepti, superius dictis declarantibus justitiam & opportunitatem secundi & tertii præceptorum; nam hi homines astricti fuit juramento obedientiæ & fidelitatis ipsi domino nostro Papæ, nec fecerunt, nec facere potuerunt juramenta contra obedientiam; ergo fidem, & juramentum fregerunt, & conspiraverunt, apostataverunt, usurpaverunt divinum, & sacrorum canonum ordinem perverterunt, qui in crimen læsæ majestatis multipliciter inciderunt, diffamando, detrahendo, & adversus præfatum dominum nostrum Papam scribendo, ab obedientia ipsius, quantum in eis est, alios detrahere nitendo, detractionem debitorum cameræ persuadendo, falsa multiforie componendo: qui videatur viam pacis non cognovisse, sub pallio unionis prosequentes cupiditatem, sanctissimum dominum nostrum deiiciendi, & avertat Deus, ne vadant in obscurum hæresim noviter inventarum.

Abdicationem Gregorii ipsos inique ursisse.

De appellatione dicantur breviter, hæc appellatio videtur potius inventa ad diffamandum quam ad sublevandum: hæc appellatio est contra sacros canones: hæc appellatio non defendit sed gravat: hæc appellatio implicat falsitatem hæreticam: hæc appellatio implicat ignorantiam, vel malitiam, vel vanitatem: hæc appellatio ostendit fictionem animi comparatis partibus adinvicem, ex quibus judicatur dolus, & per eam appellantes se ipsos accusant, & & impugnant.

XII. Causæ discessus Cardinalium.

Nunc respondeatur ad causas appellationis. Et primo dicunt in appellatione mandatum primum esse injustum & iniquum, & reddunt pro causa dicentes quod non poterant morari in Luca cum securitate suarum personarum sine metu carceris & mortis, qui aliequi cadere posset in constantem virum; &, ut apparet in dicta appellatione, dictam insecuritatem & metum incipiunt a quarta die maii immediate præcedentis, quia revera ante illam diem nil possunt fundare, ut patet etiam ex dictis superius; & usque ad illum diem fuerunt mansuete & benigne tractati, adeo ut videretur multis ipse dominus noster reprehensibilis super tanta mansuetudine. Ut igitur declaretur veritas, aliqualiter incipietur a materia pertinenti ad præcedentem; nam in medio quadragesimæ dominus noster Papa, considerans modos non congruos super tractatu unionis, difficultates, voluntates varias, & passiones non regulata rectitudine rationis Cardinalium & quorundam aliorum, per quæ

Cur novos Cardinales creare voluerit Gregorius.

omnia potius videbatur venire ad præcipitiam ruinam, confusionem, divisionem, & ignorantiam, quam ad Ecclesiæ integrationem.

XIII. Ut Cardinales illi obstiterint.

Concepit pro utilitate unionis creare camerarium nepotem suum solum in Cardinalem, assignans congruam & efficacem rationem: sed erant dicentes quod non poterat fieri obstantibus voto, juramento, & promissione, qui in hoc reputati sunt voluntarii, non valentes respondere rationibus præfati domini nostri Papæ in contrarium factis, & quamvis licite tunc potuisset, & secundum aliquos pro honore suo debuisset, cessit tamen pro scandalo evitando ipsis Cardinalibus tunc ei resistentibus. Et quia super istis dominus Lucanus fuerat pacificus mediator & discretus, & etiam cognoscebat præfatum dominum nostrum benigne portasse super hac materia offensam, prædicta quarta die mensis maii, volens procedere ex causis superius dictis ad provisionem Cardinalium novorum & prædictorum præceptorum, ut fieret cum pace omnium, advocavit illo mane præfatum dominum Lucanum, ut esset mediator tranquillitatis, ut omnia cum pace fierent: & quamvis tunc dominus noster voluit creare aliquos novos Cardinales, tamen leviter flexus ad preces humiles Cardinalium destitit creare, sed prædicta mandata tunc edidit, & ex tunc omnes Cardinales pacifice sine aliqua molestia ad domos redierunt: & quia præfatus dominus Lucanus se interposuit de materia creandi Cardinales, habita promissione ab uno eorum, quod si congregarentur, fieret intentio domini nostri Papæ: qua congregatione facta præfatus dominus Lucanus sensit se defraudatum, quibus diebus nulla molestia alicui fuit facta, nec verbo; sed omnia pacifice transierunt domino nostro inclinante, se, & se submittente ad quodque rationabile, & usque ad creationem unius dumtaxat, venientibus & recedentibus Cardinalibus secundum consuetudinem benigne tractatis, & congrue se habentibus venientibus ad præsentiam domini nostri, stando & recedendo.

Excusat se Gregorius de parata vi contra Leodiensem.

Nec potest dici cum vero quod aliqua offensa fuit illata, nedum Cardinalibus, sed nec alicui de familia eorum usque in præsentem diem, nisi quantum inferius dicetur super fuga Leodiensis, si tamen ibi offensa appareat, & hæc hic in Luca sunt clara, & manifesta. Ex qua veritate luculenter apparet falsitas conficta super materia timoris mortis, carcerationis, compeditationis, & torturationis.

XIV.

Item præmissa etiam declarantur ex eo, quod die nona præfati mensis maii prædictus dominus noster, volens creare Cardinales ex præmissis causis, fecerat vocari Cardinales, quorum aliqui venerunt, & quia videbatur eis grave interesse aliis absentibus in creatione, qui ut plurimum dicebantur non bene sani, præfatus dominus

no-

noster, eosdem qui venerant obedientes licentiavit, ne animo essent gravati propter absentiam aliorum, dans eis intelligere, ut si crearet in præsentia, crearet tantummodo duos; sin autem in absentia, crearet plures quemadmodum quatuor creavit. Post quorum creationem tres ex antiquis reduxerant fere omnes alios transmissi ab ipso domino nostro, & ad suggestionem ipsorum trium & aliorum distulit actum publicum consuetum fieri super nova creatione Cardinalium usque ad diem sabbati immediate sequentem, scilicet duodecimam; unde die veneris de mane, die videlicet undecima, qua die prædicti appellantes recesserunt ab ipso domino nostro, omnes antiqui Cardinales existentes in curia fuerant cum præfato domino nostro in camera paramenti, exceptis infrascriptis, videlicet Aquilejense & Tudertino, qui vera infirmitate videbantur impediri venire, & de Leodio, qui illis diebus ostenderat se non bene sanum; & die jovis tarde prædictis tribus transmissis, non dederat clarum responsum [credebatur tamen venturus] & excepto de Columna, qui dixerat se venturum die sabbati ante actum publicum, & ceremonias complendas; & retulit Burdegalensis ipsum de Columna ad eum misisse pro excusatione. Exceptis igitur iis quatuor prænominatis, omnes alii die veneris de mane, ut supradicitur, collegialiter & personaliter pacifice & quiete de bono animo in quantum apparuit dixerunt & promiserunt se venturos in sequenti die Sabati de mane ad complendas cæremonias fiendas per eos, quas dicebant se facturas ex mandato ejusdem domini nostri, quia ex quo fecerat eos, tenebant ipsos esse veros Cardinales: quam concordiam aliqui ipsorum dixerunt ad extra, ex qua nata fuit pluribus lætitia. Quo tempore tempestive ille de Leodio occulte recesserat, quem recessum præfatus dominus noster primo audivit cum esset in prandio, & stupuit, & cum ipse esset in dormitione in meridie, camerarius audiens prædictum recessum mandavit, ut aliqui irent post eum ad retinendum eum, ne faceret scandalum: qui habuerunt in mandatis ne transirent limites Lucanos in territorio Florentinorum: qui redeuntes fuerunt carcerati per dominum Lucanum ex eo quod aliqui illorum fecerant rixam cum aliquibus, qui exiverant castrum Libræ fractæ extra limites Lucanos in territorio Florentinorum: quæ rixa tamen, ut postea apparuit, fuit ex culpa illorum qui exiverant dictum castrum; sed ex quo iste de Leodio non fuerat repertus infra confines Lucanos, duo ex transmissis per camerarium fuerunt usque ad dictum castrum Libræ fractæ pro informatione habenda, sed tamen illa transmissio multum displicuit præfato domino nostro, nec circa domum, res, & familiam ipsius de Leodio camerarius aliter se habuit, quam modeste; & quia aliqui se traxerant ad prædictam domum propter novitatem, camerarius misit ad sedandum & recuperandum, & restituendum quæ per aliquos distrahebantur, sicut factum est.

Cur fugientem comprehendere voluerit.

XV. Negat carceres vel quid grave passe.

Quod autem dicitur de mandato mortis in ipsa appellatione confictum est; immo mandatum fuerat quod deducerent eum modeste, nec aliquis familiaris alicujus fuit tortus, & hæc tortura non potest fieri quin fuisset notum; & totus processus, & effectus qui secuti sunt ostendunt falsum esse quod dicitur, quod reliqui omnes dictorum Cardinalium carcerari debebant; nec etiam judicium de hujusmodi carceratione reperitur, quia talia clarissime sunt conficta, & per consequens falsa est causa, quam reddunt; mirum est quod audeant talia confingere; nec illa die quarta mensis maii viderunt nisi consuetos armatos, nisi illos qui solent associare dominum Lucanum, & illos qui sunt de familia nepotis ejusdem domini nostri, qui pauci sunt, qui omnes sociaverunt dominos suos, & eos expectabant armati, ut antea consueti erant; ita quod nihil possunt colorare apud illos, qui noscunt materiam. Item quod illa nocte fuissent fabricati cippi; non potuisset latere, tamen nullus reperitur qui sciat; unde claret quod est confictum.

XVI.

Item ad id quod dicunt, quod non consuevit, nec de jure debet, aut potest tam gravis pœna, &c. responsum est superius, ubi dicitur de justitia ipsius mandati. Item ad illud quod dicunt quia secundum obligationem factam in conclavi & votum ac juramenta ipsorum oportet eos convenire cum alio prætenso collegio in loco idoneo, &c. respondetur quod ipsi debent advertere quantum peccatum sit velle impugnare veritatem in tanta materia, & pervertere intellectum, & intentionem scripturæ, & voti & juramenti illius instrumenti facti in conclavi, & subvertere ordinem datum a Deo & descriptum in sacris canonibus, & etiam præconceptum & expressum in conclavi. Nec in hac parte potest sic obscurari veritas, ut non videatur depravatio voluntatis in præmissa damnabiliter incidere; nam ad Cardinales non spectat locum idoneum eligere, sed ad Papam, etiam secundum tenorem prædicti instrumenti conclavis, sicut in eo manifestum est, in quo per Papam electio ad utramque partem secundum intentionem voti, & juramenti debuerunt capita & membra simul convenire scilicet dominus noster Papa cum suo collegio, & antipapa cum suo prætenso, & non membra sine capitibus; & sic fuit dictum, tractatum, intellectum, conventum & firmatum in conclavi, & hæc separatio manifeste subvertit ordinem debitum & est contra scripturam & intentionem voti & juramenti dicti instrumenti conclavis, & perversitas separationis membrorum a capite

Expenditur an debeant Cardinales cum anticollegio congregari.

Objicitur non debuisse sine Pontifice ex voti formula.

Non abolen vetus schisma sed novum conflari.

pite est incboatio novi schismatis, & non emendatio antiqui, nec votum, nec juramentum poterant obligare ad hujusmodi separationem, cum manifeste obviaret divinæ ordinationi, & sacris canonibus. Non ergo fuit necesse exire de civitate Lucana pro prosequendo negotium unionis, & servando juramentum, immo per talem exitum magnum obstaculum inductum est negotio unionis, ac importabilis turbatio, & alias inaudita confusio, ut etiam superius tactum est, nec velint depravare sensum scripturæ præfati instrumenti conclavis, ubi dicitur: Dummodo velint sic convenire, ac concordare quod sequatur, &c. Et ibi intelligitur de conventione, & concordia animorum circa canonicam electionem, & debuit esse in loco electo, ut supra præsentibus capitibus ad actum eenunciationis, ita quod illum verbum: Sic, dicit modum in actibus eligendam, & non modum loci; determinat enim ita illud, insimul concordare, sicut & illud infinitivum convenire; nam ex modo actuum, & non ex modo loci sequitur juste canonica electio: sine enim qualitate in actibus non sequitur juste canonica electio, quæ non habet ordinem ad qualitatem loci, nisi intelligatur per qualitatem loci dispositio facta a capitibus, & præsentia eorum secundum jam dicta, vel qualitas a jure petita, & hujusmodi qualitates non sunt servata, nec possunt servari nisi per dispositionem Papæ, & antipapæ.

XVII. Conventa de Pisano colloquio non tenere. Antipapam de colloquio egisse ad ad Romam invadendam.

Nec valet quod dicunt, in obligatione loci Pisarum & Liburnii, quia manifestum est quod numquam fuit conclusum, nec nata aliqua obligatio, & tractatus ille pendebat; delusorie tamen ex parte antipapæ ut attentatis invasionis urbis per eum docet, & illa prædicta emerserunt gravia ad illum tractatum pertinentia, quæ merito indigebant novo consilio, & cum dicunt: Necesse erat eis se conferre Pisas, ut servarent fidem; aut intelligunt quod obligaverint se per fidem ire Pisas sine capite suo, & tunc se accusant super eo, ad quod obviandum fuit factum præceptum & mandatum, si autem intelligunt cum capite suo ante firmationem contractus, qui pendebat, non debuerunt præstare fidem, & si præstiterunt, servanda erat secundum intellectum quem habuerunt, & sic non tenebantur sine capite. Verum falsitas involvit fallentem, & cum credit se tueri falso detegitur in aperto; & dum pro fide ostentata frangit fidem Deo & homini sibi præsidenti, merito damnabiliter convincitur.

Non præstitisse Cardinales fidem de Pisis adeundis sine Pontifice.

Item ad id quod dicunt, se carceratos infra muros Lucanos, respondetur quod contra tanta pericula non potuit aliquid mitius fieri, de qua materia plura possent dici pro justitia, & opportunitate illius mandati, sed pro nunc sufficiant quæ superius dicta sunt.

Item ad illud quod dicunt de jure & consuetudine congregationis Cardinalium collegialiter, dicunt scienter manifeste falsum, cum etiam tempore præfati domini nostri solebant non se collegialiter congregare, nec aliquid tractare, nec literas ad collegium transmissas legere, nec aperire sine licentia ipsius domini nostri, sicut semper servatum est, quousque inceperunt usurpare tempore præfati domini nostri, nec tenentur collegialiter tractare de causis fidei, &c. ut dicunt, quia ad eos non spectat, nisi quantum Papæ placuerit, & mirum est quod contra tam notoria audeant affirmare: nec se potuerunt obligare in diminutionem potestatis Papæ, ad quem spectat vocare Cardinales, & non ad alium, & collegialiter cum eis tractare de unione ecclesiæ, & aliis occurrentibus.

Usurpasse sibi cogere conventus sine ipso.

XVIII. Non interdictum ne ecclesias conjungerent, sed ne magis discinderent.

Idcirco per illud præceptum secundum ipse dominus noster nullam facultatem abstulit ab eis, nec interdixit, neque prohibuit, ut non attenderent ad unionem ecclesiæ, quam pleno affectu prosequebatur, & toto conatu prosequi intendit; sed providit ne perverse laberentur in divisionem, sicut lapsi sunt, qui lapsus iniquus & abominabilis est; & non præceptum ipsius domini nostri, quod justum & opportunum fuit, ut superius dictum est. Item ad illud quod dicunt, quod nunquam juraverunt se non congregare, & quod de jure possunt se congregare, & quod juramentum fidelitatis & obedientiæ non se extendit ad hoc, satis videtur responsum, quia de jure non habent; sed tamen adhuc respondetur sibi quod de jure non possunt se congregare contra præceptum Papæ, nec ad hoc potuerunt se obligare, nec etiam se obligaverant, ex aliquo actu facto in conclavi, nisi postea temerarie attentaverint facere, ex qua attentatione non sequeretur obligatio, quinimmo in conclavi expresse fuit per omnes negatum illud quod nunc faciunt & fecerunt, etiamsi eligendus, post quam fuisset electus, & in Papatu expresse non vellet servare obligationem factam per eum: sicque tunc reprobaverunt propter periculum quod nunc fecerunt; & tamen non sunt, nec fuerunt in casu, quod Papa non velit, qui fideliter prosequitur ad quod tenetur; & si non potest per unam viam, intendit per aliam, nec quicquam fundari potest in contrarium; advertant ergo qualis sit assertio, quod congregare se contra præceptum Papæ non est contra juramentum obedientiæ & fidelitatis; hæc enim conclusio repugnat principatui a Deo instituto, & subvertit statum papatus, & ordinem principatus & firmitatem ejus; contradicit sanæ doctrinæ & antiquatæ observantiæ: collegialiter ergo Cardinales habent tractare cum Papa fideliter, prudenter, charitative, provide, ac mature pro unione, quod ipse dominus noster continue voluit, & utinam ii

Everti ab ipsis pontificiam auctoritatem.

qui

qui ab eo recesserunt sic fecissent.

XIX. *Ad illud autem quod dicunt de tertio præcepto sive mandato, satis ex superioribus patet responsio; & utinam non talia & tanto tempore tractassent sic sine fræno cum Gallicis & schismaticis, ac aliis; quia tanta mala non fuissent sequuta, & verisimile credi potest, quæ in præsenti habentur & in futuro dubitantur: & utinam servassent sane & pure juramenta & vota sua de inchoatis, mediatis, & finiendis, & nihilo mittendo de contingentibus &c. quantum in eis erat, idest quantum ad eos spectat, quia non præsumpsissent, nec præsumerent.*

Cardinalium objectio.

Item ad ultimum quod dicunt quod certum præceptum est contra charitatem, in qua qui non manet, in Deo non manet, & qua quilibet fidelis Christianus tenetur quantum potest errantes ab erroris semita revocare; quod utique fieri non potest absque participatione & colloquio: non ergo debuit prohiberi, maxime talibus viris, quorum officium esse debet revocare Christianos ab hæresibus & scissuris.

Gregorii ad eam responsio.

Hoc ultimum hic receptum de verbo ad verbum, quod ab eis positum est, secundum omnem partem facit contra eos, quæ res satis plana est, idcirco breviter sumatur: primo revocent se a divisione, quam fecerunt de semetipsis, & a scissuris, quas nituntur facere in alios per subtractionem obedientiæ &c. & alios si quos infecerunt; secundo ab erroribus se, & alios quos induxerunt: tertio provideant ne se & alios in hæreses immergant tanquam fideles Christiani, quod ad suum officium dicunt hoc spectare; & utinam illa participatio & collocutio fuissent in charitate, quia præceptum, quod sanctissimus dominus noster fecit in charitate non fuisset opportunum: libenter igitur præfatus dominus noster Papa subjicit se pleno corde, humili affectu, digna devotione, & recta voluntate amantissimo Christo & sibi amabilissimo, & ejus judicio, ex cujus providentia ejus vices gerit in terris, qui novit secreta cordis, & falli non potest, in quo posuit fiduciam suam, sperans per eum liberari a calumniis hominum, & veritatem & innocentiam suam illustrari, & per ejus manus misericordiæ, pacem Ecclesiæ dari, & integrationem: & quia videt multiplices defectus ex ignorantia & malitia hominum, quos non valet reparare, vehementissime desiderat concilium generale. Dat. Lucæ pridie id. junii pontificatus nostri anno secundo.

Provocat ad Christum contra Pisanum conventum.

XX. Interea Cardinalibus a Gregorio secedentibus, regium Gallorum consilium, cum Petri e Luna imperium excutiendum renitente frustra Guidone archiepiscopo Rhemensi decrevisset (a), censuit optimam ad componendum ecclesiarum fœdus viam ineundam, si ii cum adverso purpuratorum Avenionensium collegio convenirent, sicque exaratis XXIV. maii literis (b) Caroli Regis nomine, gravissimis sententiis questi de Gregorio & Petro e Luna, qui tanto tempore universi Christiani orbis spem fefellissent, ipsos ad ecclesiarum conjunctionem communibus curis & conatibus urgendam incitarunt.

(a) Monstrelet. vol. 1. c. 43.

(b) Ext. apud Theod. a Niem. tract. 6. c. 14.

De redigendis in ordinem Papa & Antipapa actum.

Carolus Dei gratia Francorum Rex egregiarum circumspectionum viris & amicis nostris charissimis, pro Cardinalibus se in Roma gerentibus salutem, & miseranda lacrymantique matri omnium Ecclesiæ condolere.

Caroli Regis lit. ad Cardd.

Cognoscitis abunde si non fallimur, dilecti & fideles amici charissimi, quam in gravibus doloribus & anxietatibus ob duorum nefandam ambitionem, qui diu de papatu contenderunt, sacrosancta Ecclesia magis in dies affligitur, magis laceratur & concutitur, videntes nunc miserabilem ac horrendam, atque nisi ex alto Deus piis oculis conspexerit, subversionem. Inde gemebundi & anxii visceratenus commovemur, ejus desolationi pie condolentes. Multisque de promissa sacramento a Gregorio & Petro e Luna fastigii papalis abdicatione interjectis, addit: *solemnissimos nostros & ecclesiæ regni nostri ambasiatores in magno & notabili numero de nostra intentione & voluntate ad plenum edoctos, primo ad dictum Petrum de Luna, deinde ad dictum Angelum transmisimus: & quamquam apud eosdem contendentes per magna tempora unionem nostro nomine prosequentes permanserint, nihil tamen quod Deo gratum, quodque mundo utile esset, reportarunt ab eisdem; sed annum & plusquam annum in legationibus unius ad alterum destinandis, in locis difficultandis, in coloribus pro sua parte ad sui excusationem quærendis consumpserunt; nec in orbe toto locum invenire valuerunt, ubi sua vota suaque juramenta adimplerent, ubi lugenti & desolatæ Ecclesiæ pacem darent. Quis autem eorum malitiam, fraudem, & iniquitatem clare non videat? Quis eosdem turbatores pacis, & impeditores unionis non accipiat? Quis talibus de cætero obediret? Violaverunt fidem, fregerunt votum, promissum non tenuerunt, & sponsam Christi ante pedes eorum videntes prostratam, eidem manus relevatrices, quas faciliter exhibere poterant, denegarunt. O magnum & scelestum facinus! O nefanda temeritas! O, talibus viris ad pacem Ecclesiæ dandam inter mortales obligatis indigna macula nunquam eorum delenda de frontibus! quidum opportunitatem assequendæ pacis perceperunt, quasi pavidi &, ut existimamus, suorum scelerum conscii, se mutuo in præsentia suorum collegiorum videre ausi non sunt, verentes forsitan ne voluntas Altissimi, quæ mentes scrutatur, & cujus majestati manifesta sunt omnia, eorum fraudes & collusiones & errores, longis inco-*

Queritur non agi candide ab utrisque.

gni-

guitor temporibus, in eorum pertinoria clarescere faceret. Hac & alia majora satis vos scire arbitramur, & quantum oclam ad pacem Ecclesiæ habuerint, qualiterve processerint, inde elicere potuistis: etenim ambo obstinati sunt, & dura sententia obfirmati, ut Ecclesiæ pacem dare recusent. Vos, quibus spes obtinendæ pacis ob defectum & vitium eorumdem relicta est, recogitamus & cum instantia Deum verum & immortalem, per ejus aspersionem sanguinis, per (siqua est vobis) fidei & Christianæ religionis integritatem, & ad matrem ecclesiam misericordiam & pietatem requirimus & hortamur, ut dimisso dicto Angelo, vos in unum locum conferatis, & conventionem cum nostris Cardinalibus procuretis: nam si locum in unum conveniretis, non dubitamus quin in ipsorum contendentium contumacia & absentia, attenta rei necessitate, qua in quantum subest legibus & decretis Ecclesiæ provisum sit &c. Datum Parisiis anno Domini MCCCCVIII. die xxi. maii.

(a) Ext. ejus lit. apud Nicol. Clemang. p. 587.

Hortata etiam tum est academia Parisiensis (a) pseudocardinales Avenionenses ut cum Romanis Cardinalibus consurgerent ad tollendum schisma, agendumque legibus in ambos certantes de papatu, quorum subtergia ad retinendam dignitatem captata ita damnant: *Superfluum videremur referre quoties requisita fuerunt dilutiones, refutationes, & illusiones, quibus jam orbem fatigaverunt, quod vos ipsi ea cognovistis: nullus in Europa locus aptus, nullaque dies anni conveniens ipsis visa est ad pacem Ecclesiæ dandam. O vehementem pertinaciam! O fidem, ne dicatur, debilitatam, sed tandem deperditam! Membra se dicunt Ecclesiæ vel capita, quam hostili gladio persecantur. Absit ut hostes Ecclesiæ dicantur pars Ecclesiæ, inimicus Christi dicatur vicarius.* Et infra: *Vestras reverendissimas paternitates hortamur, & hortando supplicamus ut relicto Petro de Luna cum dominis alterius collegii conveniatis, pacem & unum summum Pontificem fideli populo daturi & contendentium indignitatem, duritiem, & pertinaciam declaraturi, &c. Scripta Parisiis in congregatione generali apud S. Maturinum super hoc specialiter congregata die xxix. mensis maji anno Domini MCCCCVIII.*

Bononienses adversus Gregorium sentiunt.

Justissimæ erant eæ querelæ de Petro e Luna, qui ad correpta flagitio papalia insignia relinquenda non erat comparatus; non de Gregorio, qui pontificatum deponere volebat, modo schisma aboleri posset, ut vere in Constantiensi synodo deposuit, cujus exemplum pium imitari recusavit nequissimus pseudopontifex: debueratque Robertus Gebennensis antipapa, ejusque anticardinales ipsorumque sectatores potius oblatum ab Urbano VI. in schismatis exordio concilium admittere: nec etiam veram redintegrandæ Ecclesiarum conjunctionis rationem inivere, dum Cardinales induxerunt, ut a Gregorio deficerent, seque pseudocardinalibus conjungerent; non enim illos censuris solvere, neque eligendi Pontificis jure donare poterant, ac multo minus Gregorium exauctorare, cum maxime concilium œcumenicum non efficerent, & universitate tum potestatis tum multitudinis carerent, quod ingens multitudo adhuc Gregorio adhæresceret, & adversus ipsum rebellandum negaret, atque alia Petrum e Luna sequeretur. Omnium primus, qui a politicis subornatus est, fuit Balthassar Cossa, qui pontificatus adipiscendi rabida spe furebat, quo tandem potitus est, ut cum ignominia dejiceretur. Is Bononiæ summo cum imperio præerat, & Antonium e Butrio ac Petrum de Anchacano Bononienses doctores vi impulit, ut conclusiones promulgarent (b), defectionem a contendentibus de pontificatu honestam, ac licitam, ambosque concilii sententiæ obnoxios esse, ut utroque pontificia dignitate dejecto schisma extinguatur. Ex his autem Antonius e Butrio, cum paulo post morbo lethali implicitus decumberet, omnia quæ dixerat & scripserat adversus Gregorium revocavit (c). At Gregorius, cum se in crimen propagati schismatis falso adductum, fraudibusque schismaticorum, qui etiam ad defectionem Cardinales ac præsules trahebant, circumventum doleret, concilium indixit in Ravennate exarchatu aut patriarchatu Aquilejensi celebrandum, atque ad se tantummodo veteri Ecclesiæ more indicendi concilii auctoritatem spectare promulgavit, ac Robertum Romanorum Regem aliosque apostolicis literis sollicitavit, ut oratores suos ad illud mitterent.

Gregorius calumniis circumventus.

(b) Gobelin. in Cosmodr. æt. 6. c. 89. & Theod. a Niem. tract. 6. c. 16.

(c) Id. ib.

Indictum a Greg. concilium.

Ad futuram rei memoriam.

XXI. Gregorii lit. de concilio.

Cum tota nostra mentis intentio sit Christianorum Ecclesiam integraliter renuire, palpata per experientiam rerum magistram, quod per viam renuntiationis, quam pure & sincere obtulimus, & in eadem perseveranter persistimus, & adhuc persistere non desistimus, secundum formam & intentionem nostri voti & juramenti, nescientes divini secreta consilii sæpenumero per effectum demonstrantes quia vanæ sunt cogitationes hominum, ad viam juribus & antiquis consuetudinibus approbatam nos convertimus, generale concilium, quod omnes vias ad unionem includit, nullam penitus excludendo, quodque congregare solius Romani Pontificis esse dignoscitur, sineque cujus auctoritate factum, non concilium sed conventiculum aut conciliabulum dicitur, & definitur nullum existere, ad festum pentecostes immediate sequentis celebrandum, & in provincia Aquilejensi vel exarchatu Raven-

vennate, divino auxilio invocato, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica præsentium tenore indicimus, & etiam convocamus, per apostolica scripta mandantes venerabilibus fratribus nostris universis & singulis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, & dilectis filiis electis, & aliis ecclesiarum prælatis, ac reliquis in prælaturis & dignitatibus constitutis, qui solent ex dignitatibus aut prælaturis eorum in hujusmodi generalibus conciliis interesse, quatenus ad id se personaliter in eisdem loco, & tempore transferant tempore debito, scituri locum quem ex eis duxerimus eligendum: quem quidem locum nunc expresse denuntiare nequimus, propter varias circumstantias, quibus locus talis unitatis & pacis debet merito circumcingi, & quoniam pestiferum hoc schisma tolli verisimiliter non speratur, neque dari integritas unionis populo Christiano cum effectu sine dominorum temporalium voluntate, quorum honor status tangitur, charissimos in Christo filios nostros Rupertum Romanorum & alios Reges ac nobiles viros, duces, principes, caterosque potentatus, nec non communitatem & universitatum regimina principalia requirimus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus ad idem concilium personaliter veniant, aut aliquos viros solemnes, doctos, & Deum timentes transmittant ut fiat, Deo adjuvante, pax & unitas eadem in populo Christiano. Nulli ergo &c. Dat. Lucæ VI. non. julii pontificatus nostri anno II.

Rupertus Roman. Rex & alii vocati.

Antipapa & Cardinales adversati Gregorio.

Circumventus est Gregorius difficultatibus maximis, non enim modo antipapa unquam consensurus erat, ut pro tollendo schismate in unam synodum discissarum ecclesiarum episcopi convenirent, atque ideo, ut Gregorio adversaretur, schismaticæ factionis conciliabulum Perpiniani indixit; verum etiam Cardinales, qui a Gregorio defecerant, ex concilio ab ipso in Ravennate exarchatu, aut provincia Aquilejensi indicto, vocandi illius in publicam cum antipapa invidiam occasionem captarunt, ac post varia inter sese, & cum pseudocardinalibus Avenionensibus, & cum Florentinis facta colloquia, Parisiensium & Bononiensium doctorum sententiam amplexi sunt, atque ultima julii die ad Gregorium & Petrum e Luna ad abdicationem cogendos, vel in synodo ex utraque parte coacta pontificatu controverso deturbandos conjurarunt (a); quamvis VI. julii rogati essent, ut accederent ad Gregorium, cum omnino nuncupatum in conclavi sacramentum complere vellet.

Vocatus in invidiam Gregor.

(a) Tom. 22. de schism. p. 63.

Cæterum convicti sunt Cardinales ab eodem Gregorio, ipsos non æquitate & legibus usos, sed fraudibus, mendaciis, calumniis, falsisque testimoniis grassatos: nam in primis ut authoritatem convocandi concilii ad se pertinere deciperent, cum Gregorius pridie nonas julii concilium indixisset (b), illi Gregorium in concilio indicendo antevertisse mentiri, literas de indicto Pisano concilio vigesimaquarta junii die falso consignarunt, cum tamen mense tantum augusti Pisas a Florentinis pro concilio eligendo obtinuerint. Convicere etiam ipsos mendacii cæsarei oratores nam in literis datis Liburni XXVI. julii ad Robertum Romanorum Regem, scripsere (c) se deliberasse congregandum ex utraque parte concilium ac locum in quo celebrandum sit brevi dierum spatio designaturos. Si ergo Pisarum locus XXVI. julii nondum erat designatus, qua ratione XXIV. junii fuit designatus? Convicti etiam ex eo, quod in Rhenanis partibus mense octobri ipsorum internuntius literas de concilii convocatione die prima septembris promulgavit, cum antea bimestri præcedente Gregorii literæ de concilio indicto promulgatæ essent. Convicere etiam illos mendacii ex eo quod Cardinales Gregorii mutuum fœdus cum pseudocardinalibus Petri e Luna sanxerint ultima julii die, quemadmodum ex publicis eorum instrumentis patet; & tamen in literis de indictione concilii promulgant XXIV. junii mutuam illam conventionem sancitam. Ergo literæ convocationis mendaciis fœdissimis scatent. [1] Præterea innocentissimum Pontificem, qui ob eximium candorem animi ad falsa schismati-

Piara dolo & vi gesta a Cardd.

(b) Lib. 3. ep. cur. p. 63.

Convicti falsi testimonii.

(c) To. 22. de schism. p. 63.

NOTÆ [1] Quamquam hic ego excusandos mihi non suscipio cardinales, qui a Gregorio secessionem adornarunt; non tamen facile reos illos dixerim de adscripta literis suis, quibus concilium indixerunt, mendaci temporis nota, ut ostenderent in concilio indicendo sese Gregorium prævertisse. Quæ enim argumenta annalista hic profert, ut dolum illum evincat, vel falsa sunt, vel corrupti alicujus codicis fide nituntur. Quod enim ait, utriusque obedientiæ cardinales die ultima julii convenisse; id ex corrupto aliquo codice petitum est. Cum apud Martene inter acta varia ante concilium Pisanum veter. monum. to. VII. col. 798. extent solemnes cardinalium utriusque obedientiæ sponsiones, quibus sese ad procurandam ecclesiæ pacem certis quibusdam legibus propositis obstringunt. Signatur vero illæ die *penultima mensis junii* hujus anni, ac demum singulorum cardinalium nomine munitæ sunt, inter quos duo cardinales episcopi Prænestini & Petrus Blavi, inter cardinales Benedicti celebris, occurrunt. Quas igitur annalista consuluit tabulæ pro die penultima junii diem ultimam julii mendose præferebant. Ita pariter mendosam suspicor subscriptionem literarum, quas ad Rupertum imperatorem misisse se cardinales annalista testatur. Quomodo enim die XXVI. julii scriptæ literæ, ut codex illius ferebat, certum locum

ticorum promissa in extremum exitium pene se allici fuerat, in crimen violatæ fidei, extractique schismatis ob terreni honoris cupiditatem injuste vocaverunt, & quæ antipapæ erant propria scelera, in verum Christi vicarium velati eorum participem falso refuderunt encyclicis hisce literis.

Eorum literæ. *Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales nunc in loco Liburnii Pisanæ diœcesis commorantes, una cum collegio reverendissimorum in Christo patrum & dominorum in parte alia Cardinalium pro nobis, & aliis reverendissimis in Christo patribus dominis Cardinalibus pro nunc absentibus, adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte reverendo in Christo patri domino episcopo & capitulo, necnon venerabilibus & circumspectis, sæcularibus & regularibus cujuscumque conditionis existant, salutem, & promptum habere affectum ad pacem & unitatem Ecclesiæ procurandam.*

Quanta sollicitudinis cura salvator noster Jesus Christus unitatem Apostolis commendaverit, quantoque nitore pulchritudinis, unica sancta mater Ecclesia resplenderet, sacra docent eloquia, ex quibus postea sanctæ emanaverunt sanctiones; quamquam enim post resurrectionem, Apostolis parem tribuerit potestatem dicens : Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum; *tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejus originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant atque cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi, honore, & potestate.* Conficta fuit hæc hæresis, scilicet Apostolos pari honore ac potestate cum S. Petro instructos, cum maxima animi perturbatione commoti Cardinales Pontificem sibi vellent subjicere, neque adverterent D. Petrum fuisse reliquorum Apostolorum principem a Christo constitutum, quanquam maximam ab eodem Christo authoritatem accepissent; nec secum ipsi repu-ta-

NOTÆ locum concilii nondum designatum fuisse testari poterant; cum apud Martene ibidem col. 791. extent cardinalium literæ ad regem Navarræ, in quibus de concilio indicto *in civitate Pisana ad diem XXV. martii* proxime futuri princeps ille fit certior; literæ vero illæ diem XIIII. julii præferant? Qua pariter die literas alias ejusdem argumenti ad Castellæ & Legionis principes cardinales illi dederunt ibidem legendas. Si quid ergo conjecturis indulgendum est, suspicor literas illas ad Rupertum significantes nondum designatum fuisse certum concilii locum, die quidem XVI. julii datas fuisse; sed noluisse cardinales certum locum ubi concilium indixerant illi significare, arcani alicujus consilii gratia, opportunius forte tempus expectantes, ut loci ejusdem destinationem illi aperirent. Quæ si admittatur conjectura, omnia recte fluunt, nam cardinales Gregorii die XII. maii Pisas secesserunt. Non diu post transierunt Liburnum, quo e portu Veneris, ubi cum Benedicto agebant, ejus obedientiæ cardinales sex appulerunt. Miserat eos Benedictus, ut cum cardinalibus Gregorii agerent, ac de pace ecclesiæ procuranda communicatis sententiis tractarent. Docent hæc literæ cardinalium ad Benedictum, & vicissim Benedicti ad cardinales, legendæ in spicilegio Dacherii to. I. pag. 818. nov. edit. Conventum est inter eos ut generale concilium, quo utriusque obedientiæ præsules convenirent, indiceretur. Id vero cum per certum nuncium Benedicto indicassent; ille consilium approbasse visus est, testibus iisdem cardinalibus in iisdem literis ad Benedictum, quamquam Benedictus in responsione sua ad illos nihil tunc se censuisse de concilio affirmat. His ita constitutis, absolutoque conventu die XI. junii, quam diem Benedictus in eodem responso ad cardinales signat, ablegati Benedicti, qui cum tribus ejus cardinalibus Liburnum venerant ad illum regressi sunt, tribus illis cardinalibus relictis. Sub hæc Benedictus secessionem e Portu Veneris improvisus adornavit, prius tamen sub ipso nempe recessu, concilio ad Perpinianum ad Kal. novembris anni hujus indicto, literis datis e portu Veneris die XV. junii, vulgatisque inter acta prævia ad concilium Pisanum. Marten. veter. monum. to. VII. col. 781. Quibus fides adstruitur literis supra memoratis Benedicti ad cardinales ferentibus: *in nostri recessus procinctu concilium in villa Perpiniani duximus convocandum*. Concilium igitur ad certum locum primus omnium Benedictus indixit. Haud diu post, concessa a Florentinis Pisana urbe in sedem concilii, utrorque cardinalium cœtus datis die XXIV. junii literis concilium Pisis habendum die XXV. martii sequentis anni indixerunt. Secundum hæc leges sibi præscripserunt servandas, si alteruter pontifex eo temporis spatio usque ad concilium vel cederet, vel decederet, quas leges singulorum cardinalium subscriptione munitas in publicas tabulas retulerunt vulgavitque Martene inter acta prævia ad concilium Pisanum, præferuntque diem penultimam mensis junii. Has forte tabulas nactus est in suo codice Annalista, censuitque continere fœdus inter utriusque partis cardinales, quod compositum die julii postrema ex depravata literarum in eo codice lectione deduxit. Verum, fœdus diu ante sancitum fuit, ut ex dictis hucusque intelligimus & literæ non julio sed junio mense exaratæ sunt. Interim Gregorius desertum sese cernens ab antiquis cardinalibus, uno excepto cardinali Columna art Sozomenus testis horum locorum vicinus, & corvus in historia Pistoriensi; ad hunc annum & diem II. julii concilium suum in provincia Aquilejensi, vel in Exarchatu habendum denunciavit literis ab annalista hic recitatis.

Haud ita multo post, die nempe XIV. julii, teste Sozomeno, Luca discessit, & quatriduo Senas venit. Post moram ibi mensibus aliquot protractam, tandem die III. novembris venit Ariminum, teste F. Hieronymo Foroliviensi, qui patriæ suæ chronicon tunc scribebat, vulgatum rer. Ital. to. XIX. ibique toto hoc anno substitit; qua in transmigratione Senis Ariminum cardinalis Columna, qui unus e veteranis cardinalibus Gregorio fidem servaverat, secessione facta ad socios cardinales divertit, ait Bonincontrus corvus author in annalibus Miniatensibus vulgatis rer. Ital. to. XXI. cui Sozomenus fidem indubitatam adstruit. MANSI

tarent, cadente primatu apostolico, cardinalitiam dignitatem omnino corruere, neque cæteris parochis futuros Cardinales digniores, nec propterea concilium indicere posse fallacia; Subdunt illi, cum fundamenta suæ authoritatis agendarumque rerum statuissent: *Sed exordium ab unitate proficiscitur, quod Ecclesia Christi una esse monstraretur; quam unitatem ut discipulis suis suaderet & pacem, inquit:* Si duo ex vobis convenerint in terra, de omni re, quancumque petieritis, fiet vobis a Patre meo, qui est in cœlis. Ubicunque enim duo, aut tres collecti fuerint in nomine meo, ego sum cum eis. *Quam unam in canticis prædicat Spiritus Sanctus ex persona Christi dicens:* Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ electa genitricis; *quod unitatis sacramentum etiam docet Apostolus dicens:* Unum corpus, & unus Spiritus Sanctus; una spes vocationis nostræ: unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. *Hinc sancti patres, alienum & profanum hostem Patrem Deum non habentem judicant, qui universalis Ecclesiæ non tenent unitatem: & fidem erga Deum manifestant non habere, qui veluti quosdam artus dividi, & membra lacerari patiuntur Ecclesia. Cum enim propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus sit Ecclesia, non videtur ab iis fideo exhiberi Christo, a quibus evacuatur passio ejus, atque distrahitur. Episcopus erga summus unus esse debet, & Ecclesia una, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur; & quomodo de fonte uno rivuli multi defluunt, & radii multi & lumen unum, & rami arboris multi; sed robur unum radice tenaci fundatum: sic Ecclesia Domini luce perfusa, per universum radios suos porrigit, unum tamen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur, ramos per universum orbem copia ubertatis extendit per fluentes largiter rivos; unum tamen caput; una origo una mater Ecclesia sponsa Christi incorrupta & pudica. Unam domum noscere debet; unius cubiculi sanctitatem casta pudore custodire decet.*

Unitas ecclesiæ commendata.

XXII. Schismatis funesta mala.

Sane (quod dolentes, & ab intimis cordis contriti mœstitia referimus, quod & vobis non arbitramur incognitum) Ecclesia jam in triginta annorum spatio crudelem patitur & passa est scissuram; dirupta est tunica Christi, quam ut non scinderetur etiam Judæi in Christi passione sunt fortiti. Heu, proh dolor! obscuratus est color auri, sol obtenebratus est; mutatus est color optimus, fons exsiccatus est, rivuli arefacti sunt, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite platearum, in fabulam & in sibilum versus est amictus varietatis ejus; odor unguentorum in infamiæ pudorem, suavitas ejus in crudelem horrorem. Ut quid amplius immoramur calamitates Ecclesiæ atque dispendia? Postquam maledictum hoc schisma viguit, manus non sufficeret ad scribendum, linguæ ad proferendum, nec memoria quantumcumque tenax ad retinendum. Nos autem charitatis fervore officii nostri debito, ut contra hanc pestem remedia provideremus opportuno, cum domino Gregorio tunc nobiscum in minoribus constituto existentes, post obitum felicis recordationis Innocentii Papæ VII. & alii tunc domini Cardinales in Ecclesia existentes, invicem promissionibus, juramentis, & votis nos astrinximus pro schismatis extirpatione principaliter quinque continentibus.

Recensentur eque unt.

Primum quod si quis nostrum ad apicem summi apostolatus assumi contingeret, pro reintegratione unitatis Christianorum renunciaret summi apostolatus dignitati & juri suo.

XXIII. Exposita sacramenti in conclavi nuncupati formula.

Secundum quod post assumptionem suam approbaret publice votum, & juramentum confirmaret, domino Petro de Luna, qui se ex altera parte Benedictum appellat, Regibus, & principibus, ac aliis universitatibus, patentibus literis intimando & offerendo se illud impleturum, & paratum ad cedendum.

Tertium quod de fratrum consilia destinaret ambassiatores ad eum, qui se ex altera parte pro papa gerit ad prædicta intimanda locum eligendi.

Quartum quod tractatu pendente, nullum crearet Cardinalem: nisi causa coæquandi numerum cum numero alterius partis, nisi ex defectu alterius partis steterit, quod unionis præfata conclusio non sequatur infra annum a certo tempore determinato incohandum.

Quintum quod omnia præmissa incohata & incohanda mediaremus & prosequeremur, nihil de contingentibus, necessariis, utilibus, aut quomodolibet opportunis omittendo.

Post quæ dominus Gregorius præfatus ad apicem summi apostolatus assumptus, in quem omnium nostrum reposita erat fides, propter præteritam ejus apparentem vitam, quod prædicta absque mora, & efficaciter adimpleret: post sui assumptionem pluribus astantibus, omnia & singula prædicta approbavit, publice confirmavit, atque subscripsit, destinavitque ad eum, qui pro altera parte se pro Papa gerit, & ad Reges, principes, civitatesque quamplures, & universitates utriusque obedientiæ literas patentes tam nostras, quam suas, in quibus prædicta notificans ea se profitebatur impleturum offerenda destinatis ambassiatoribus: & facta conclusione de loco civitatis Saonæ, a qua postquam illam suis literis approbavit pro loco decenti, captatis occasionibus recessit, & sumpta hinc inde ab utraque parte superflua disceptatio-

Ut confirmata sit a Gregorio.

Ut de loco diutius fuerit disceptatum.

ne locorum circa illa multipliciter variando, tempus annuum & plus inaniter est consumptum, & cum multis ambagibus & varietatibus, quas narrare longum esset, numquam ad loci concordiam est deventum, quamquam loca in medio fuerint oblata decentia & habilia cum securitatibus debitis, quæ modo ab uno, modo ab alio contendentium de papatu fuerunt rationibus frivolis reprobata nobis contradicentibus, & omnibus ambassiatoribus, & omnibus aliis pro hoc negocio pureatibus in curia, & repugnanti communi hominum opinione.

XXIV. Ut consenserit Gregor. in locum Pisarum.

Postea a domino Gregorio civitate Pisana multipliciter pro loco habili commendata, & loco prædicto de ejus voluntate a nobis postulato; & destinatis ambassiatoribus ad dominum Petrum de Luna pro alia parte, Benedictum nuncupatum, eo se se Liburnum, qui locus est propinquus civitati Pisanæ, ac ejusdem diœcesis, accedere promittente, paratis Florentinis ad locum Pisarum civitatis utrique concedendum, præfatus dominus Gregorius numquam tempus determinare voluit infra quod accedere vellet, nec etiam cum plures diceret sibi necessarias securitates, exprimere noluit; cum tamen ambassiatores Florentinorum una nobiscum & cum ambassiatoribus Venetorum ac Petri de Luna, ex altera parte Benedicti nuncupati super hoc instarent; ipsis ambassiatoribus Florentinis, se ad ea, quæ concernerent Florentinos circa securitates & alia, paratos offerentibus.

Dein tempus definire noluerit quo esset accessurus.

Novas semper difficultates nexuerit.

Et tamen dominus Gregorius [quod dolenter referimus] per eum captata occasione a tractatu satis ignominiose recessit, ex quibus ejus in prædictis non sincera neque bona voluntas manifestissime propalata extitit & ostensa. Et sic tracti sumus per inania verba spatio anni & ultra sub velamine difficultatum loci, qui nec ad cedendum erat de substantia requisitus, nec ex forma juramenti ad hunc actum destinatus, cum ubilibet cedere potuisset uterque per procuratorem idoneum, aut in manibus collegii sui nobis & dominis Cardinalibus ex altera parte paratis ad omnia facte tam conventa, quam oblata convenire pro iis, quæ incumbebant pro implendo.

Controverterit assidue de loco.

XXV.

Sed tandem, ut nihil omitteret ad præcludendas vias unionis sanctæ, & claudendi aditus implementi juramenti & voti, ne quod boni agere nolebat, aliis via pararetur, nobis fecit tria mandata pœnalia evidenter injusta. Primum ne sub pœna perjurii collocutionem aliquam haberemus per nos vel per interpositam personam cum ambassiatoribus domini Benedicti, nec cum ambassiatoribus serenissimi principis Regis Franciæ, qui pro nulla alia causa, quam unionis prosequenda degebant in curia. Secundum ne sine ejus licentia sub eadem pœna congregaremur insimul; cum tamen in factis Ecclesiæ, & fidei conversationes & collocutiones hujusmodi approbentur, nec verbum Dei, ut unionis & pacis est, secundum Apostolum, sic debuit aut potuit alligari. Tertium ne sub pœna privationis cardinalatus & beneficiorum de civitate Lucana, in qua tunc eo degebamus, exiremus; & hæc omnia ut clauderetur via prosecutionis & pacis, nec aliquid de ea quoquomodo valeret attentari, & demum clarissimis verbis voluntatem suam propalando aperuit, quam ante palliaverat, quod suæ intentionis non erat amplius viam insequi cessionis, quam pluries in publico multis astantibus reprobavit ut diabolicam: quæ tamen ante ab ipso extiterat approbata, jurata, atque promissa, & a toto mundo recepta ut grata, sancta, & justa, & per quam solam facilius poterat hujus pestiferi schismatis finis haberi; cum tamen se ab hac retrahere non debuisset exemplo Christi, qui de cœlo in humana membra descendit, ut salutem humano generi daret, & pacem novissime contra votum & juramentum, antequam ab ultera parte a tractatu foret recessum, nobis renuentibus prius, postea absentibus, in confusionem unionis quatuor de facto creavit Cardinales, in proposito non cedendi sibi applaudentes, & eum in hoc multipliciter confirmantes; ex quibus a populo etiam cum gravissimo ejus scandalo de unione funditus extitit desperatum.

Tria mandata ad diturbandum ecclesiasticum fœdus ediderit.

Cessionem aperte damnaverit.

Violato sacramento Cardinales creaverit.

Nos autem per manus præfati domini Gregorii, & alterius qui se Benedictum appellat, saluti & unitati populi Christiani amplius provideri non sperantes, cum & inter eos de collusione permaxime suspicaremur; & considerantes super hoc nihil in præsentia domini Gregorii agi posse, tum quia reprobaverat cessionis viam, tam propter dicta iniqua præcepta, tum propter notorias persecutiones dicti Gregorii & suorum persequentium omnes nedum insequentes, sed etiam quoquomodo persuadentes unionem, via jurata; & ut clarius loquamur, ut mortem & incarcerationis injustæ periculum evidens evitaremus, prout in aliis nostris expressimus literis ut cum libertate in talibus debita, quam in civitate Lucana habere non valebamus, negotium præfatæ unionis, ut multipliciter eramus astricti, prosequeremur, & circa illud cum quibus expediebat de oportuno remedio provideremus secundum Deum, & canonica instituta, plus Deo quam homini parere volentes; discessimus a civitate Lucana, in qua pro tunc cum præfato domino Gregorio degebamus, & Pisas accessimus, deinde Liburnum; ut cum dominis Cardinalibus ex altera parte tractaremus de mediis & viis, quibus populo Christi pax daretur & unio. Et habitis & consideratis maturis consiliis, universitates, maxime Bononiensis insinuabant in has conclusiones, quarum plurima ad scripturam publicam, & authenti-

Secessionis causæ redditæ a Cardinalibus.

(a) Ext. apud Gobel. c.89.

ticis sigillis roboratam sunt redactæ (a); videlicet.

Conclusiones principum academiarum expositæ.

Primo quod uterque & dominus Gregorius, & qui se ex altera parte pro Papa gerit, ex debito officii pastoralis veri vel prætensi jure communi, circumscripto quolibet juramento & voto, stante schismate tam inveterato cum tanto populi scandalo, tenentur & debent cedere, ex quo propter dubia facti & juris, super papatu aliter commode dari non potest unio & pax in Ecclesia Dei, ne plus temporalem dignitatem, quam populi salutem & unitatem, ac æternam vitam appetere videantur, & quia finis pastoralis officii est providere unitati gregis, paci & saluti animarum populi Christi.

Discissæ ecclesiæ principes ad eam conjungendam teneri.

Secundo quod longe fortius ad hoc astringuntur, concurrentibus tam solemnibus vinculis, ut promissionis, voti, & juramenti.

Novis ex nuncupato voto vinculis obstringi.

Tertio quod Papa stante tali schismate, pertinaciter resistendo in implendo quod vovit & juravit, ad quod etiam absque voto & juramento tenetur, incurrit crimen notorium, & ultra hoc concluditur schismatis nutritor & fautor, cujus vetustate & obstinatione descenditur in hæresim, & fides læditur Deo & Ecclesiæ debita, cujus etiam provisio spectat ad concilium.

Propagati schismatis reos fieri.

Quarto quod etiam stante dubio, an hoc nutrimentum schismatis transeat in hæresim, vel an tale sit debitum, ex quo provisio spectet ad concilium, hoc cognoscere in dubio ad idem pertinet.

Quinto quod stante dubio papatus inextricabili propter dubium facti & juris, ne in subversionem fidei, Ecclesia sic maneat divisa perpetuo cum tanto scandalo & perditione animarum, provisio spectat ad concilium, & ad Ecclesiam universalem ut utrumque eis, non cedentibus, possit a papatu ejicere.

Spectare ad concil. decisionem litis ambiguæ.

Sexto quod stantibus terminis ut stant, & ambobus detrectantibus implere quod juraverunt, & voverunt, cum ex hoc nutriant schisma manifestum, subditi possunt & debent ab eorum obedientia recedere, & etiam tenentur, cum ex eorum obedientia palpabiliter videant utrumque in suo malo nutriri proposito; & etiam peccant si non subtrahunt tamquam principaliter schisma facientes, vel saltem indirecte auxilium præbentes nutritoribus schismatis antiquati, nec sententiis contendentium de papatu, aliquatenus propter hoc valent alligari.

Et contendentes exauctorare.

Subditos posse jure ab eorum obsequio discedere.

Ultimo ex factis & dictis, quæ supra ponuntur, quæ universo mundo notoria sunt, satis notorie patet utrumque detrectare implere quod debebat, & ad quod tenetur ex debito officii & juramenti, cum saltem potuerint cedere per procuratores idoneos, vel uterque in manibus collegii sui, & sic dare pacem populo Christi, maxime cum uterque de jure & forma juramenti arctetur ad nihil de utilibus, necessariis, aut quomodolibet opportunis omittendum; cum etiam ab utriusque pendeat potestate solvere perplexitatem juramenti, si qua subsit: & si quæ circa hæc excusationes alleguntur, frivolæ sunt, & eorum cognitio est concilii.

Ineptam de loco abdicationis litem ubivis locorum cedere potuisse.

XXVII. Quibus visis & plurimis habitis inter nos consiliis firmavimus nos unire cum dominis alterius collegii, & Liburnum accedentibus nobis, qui locus est prope Pisanam civitatem ejusdem diœcesis, ac eisdem dominis Cardinalibus ex altera parte in sufficienti numero nobiscum congregatis in unum nos univimus propositum, ut modis omnibus justis & sanctis, & secundum canonicas sanctiones, populo Christi de pace & unione provideremus. Et considerantes quod ipsi de papatu contendentes, contra se concilium integram minime congregarent, ut præteritorum experientia docuit, & docet, & etiam præterita negligentia & maxime quia cum domino Benedicto Gregorius negavit cessionis viam, & eam ut diabolicam reprobavit, ad quam tractandam etiam concilium denegasse videtur, attendentes etiam quod uterque permaxime est de convocando concilio suspectus, ut aut nolit, aut nimiam dilatet, aut etiam minus fideliter congreget, aut verbis & factis viam impedeat ad schisma tollendum, ad cujus finem concilium congregatur, cum perpendat uterque congregato concilio se verisimiliter excludi, & uterque multifarie se declaravit anhelare, ut in papatu etiam cum divisione remaneat. Item propter probabiles dubitationes de papatu tam ex facto & facti antiquitate, quam ex jure descendentes, & propter obedientias separatas, neuter quoad totam congregationem utriusque obedientiæ, quæ tota in tali casu necessario est congreganda, potest se ostendere papam indubitatum, nec in solida possessione pacifica papatus existit sic, ut eo modo, quo oportet, valeat concilium totum congregare, nec uterque de facili potest ad hoc induci ut congregent simul, tum propter eorum indispositionem ad hoc, quæ perpenditur ex retrofactis & dictis, tum propter nimiam inter eos distantiam in re tantam celeritatem desiderante; tum quia saltem casu aliquo canones inferioribus concilii congregationem permittunt; nullus autem proportionabilior casus isto, tum quia ad congregationem concilii requiruntur per nos; & per concilium requirentur, ut consentiant, & si consentiunt bene quidem, alias concilium procedere poterit, cum ab eorum potestate pendere non debeat, an de criminibus suis inquiratur, de quibus per concilium potest inquiri, nec ut perpetuo Ecclesia sic lacerata remanere debeat; tum etiam neutrales seu subtracti, de facile ad eorum convocationem non venirent, & sequeremur pericula alia evidentia in impedimentum desideratæ unionis.

Excusationum cognitionem spectare ad concilium Cardinales Romani cum Avenionensibus se Pisis conjungunt.

Objiciunt Gregorio respuisse abdicationis viam ut diabolicam.

Neutrum concilio posse præsidere.

Et attendendum quod, si diffugia & di-

lationes contendentium ulterius attenderentur, qui sic se ab invicem separant & dispergantur, maxima quasi ex proposito locorum distantia, & ut de eorum convenientia in unum de caetero nulla spes habeatur, errores succrescunt, cum schisma mater errorum existat, & inveteratum transeat in haeresim juxta divinas & canonicas sanctiones: & Ecclesia ad irreparabilis desolationis deduceretur opprobrium, in evidens & irrecuperabile periculum animarum: habita inter nos duo collegia matura deliberatione cum multis praelatis notabilibus & magnis literatis in theologia, canonica & civili facultate, sequentes exempla & gesta alias virtuose in ecclesia Romana servata, deliberavimus quod per nos in parte & obedientia nostra concilium seu Ecclesia convocetur in certo loco & termino, & idem fiat per collegium seu dominos Cardinales ex altera parte in eodem termino cum auxilio & benigno suffragio Regum & principum utriusque obedientiae, quibus nunc Romana & universalis Ecclesia permaxime dignoscitur indigere; & qui ut Deo devote dexteras Ecclesiae & nobis praebebunt adjutrices, & defensiones, ac protectionis praebebunt auxilia, ut devotissimos principes decet, & eorum conventus honestate ad finem, quod in dictis loco & tempore convenientibus domino Gregorio & domino Petro de Luna ex altera parte Benedicto nominato, quibus dicta deliberatio intimatur & requiruntur, ut dictae congregationi opem ferant & assensum, & in eis conveniant, finisque imponatur schismati per viam mutuae cessionis ut jurarunt, & electio fiat per utrumque collegium in unum convenientes unici & indubitati pastoris. Quod si venerint & non renunciaverint cum effectu, vel alter renunciaverit cum effectu & alter non renunciaverit, vel ambo non venerint, provideatur per Ecclesiam congregatam, attentis promissis juratis & voto confirmatis, aliae fere a cunctis fidelibus approbatis, decernatur & declaretur ut in praemissis necessarium fuerit & opportunum, taliter circa factum duorum contendentium, & necessitatem Ecclesiae imminentem, ut ipsorum vel alterius absentia seu pertinacia, & contradictionum non obstantibus schisma extirpetur, & per electionem unici & indubitati pastoris canonicam, unio perfecta in Dei Ecclesia habeatur, ad Dei servitium, gloriam, & honorem, & Ecclesiae debitam reformationem.

Occurrendum schismati ne pullulent haereses.

Concilii Pisani indictio.

XXVIII. *Quocirca praedictam deliberationem necessariam fidei & Ecclesiae sic deliberate digestam vobis & vestrum singulis intimamus & notificamus, precamurque & sub debito juramenti & fidelitatis quo ecclesiae Romanae tenemini, requirimus, quatenus, inquantum Deo placere cupitis, & defensioni fidei assistere, & unitatis vinculo procuranda ecclesiae Romanae tenemini, velitis in termino annunciationis B. Mariae proxime futuro de mense martii, quem terminum ad hoc congruum elegimus, ad quem terminum domini Cardinales alterius partis praelatos & alios obedientiae suae convocant, & ad civitatem Pisanam praefatam & in ipsa cum domino Gregorio, si venire voluerit, nobiscum qui in dictis loco & termino personaliter, Deo auxiliante, erimus, ac praelatos alios obedientiae nostrae & partis, quos pari modo specialiter ad hoc convocamus; ac cum deputatis Regum, & principum, quorum Regum & principum benignum auxilium huic Dei negotio fidei & Ecclesiae necessarium, & quamplurimum opportunum imploramus, convenire, & comparere ad fines, & effectus praedictos, sperantes gratia Spiritus Sancti prosequendos, & feliciter consummandos.*

Statutum tempus.

XXIX. *Quod si qui ex vobis, impedimentis causantibus, nequiveritis personaliter interesse ad dictos locum & terminum pro Dei & Ecclesiae reverentia & fidei necessitate, aliquos vestri nomine Deum timentes, scientia & experientia illustratos, destinare velitis suffultos speciali & sufficienti potestate ad effectus praemissos consequendos, taliter in his vos habentes, quod de promptitudine servitii divini & defensione fidei & subventione Ecclesiae apud Deum meritum consequamini, & apud homines laudem & gloriam sempiternam; Nec in hac parte & materia necessaria aliquo modo dubitetis, aut cujuscumque terrore concutiamini, quia cum vos & nos causam fidei, & extirpationem schismatis prosequamini, sub protectione Dei & Ecclesiae, de cujus congregatione agitur, & ad quam etiam dominum Gregorium per alias nostras literas specialiter provocamus, & intimari facimus ut concilio intersit, manebimus ab omni laesione processuum securi. Quod si aliqui processus contra vos & nos fierent occasione praedicta, nulli forent, & evidenter subjecti vitio nullitatis tamquam impeditivi sacratissimae unionis: est enim nostra & dominorum de collegio alterius partis intentio & irrevocabile propositum quod cum iis, qui veniunt ad dictum locum & terminum, provideatur fidei & Ecclesiae juxta effectus praedictos aliorum, qui non veniunt absentia non obstante, prout alias factum fuit in generalibus conciliis, in quibus fuerunt per modum praedictum errores extirpati, fides exaltata, ecclesia reformata in vinculo pacis & unionis, extincto errore schismaticae pravitatis.* At quo jure haec denunciatio fulta fuerit controversum est.

Denunciatam nullam rationem habitum iri absentium.

XXX. *Quia vero fidelibus non est tam de sollicita inventione quacumque fidendum, quam de instantia orationis humilis & devotae sperandum: Vestras charitates precamur, ac per victorem misericordiam Domini nostri Jesu*

Christi

Christi exhortamur, quatenus per vos & hoc idem fieri procuretis per fideles vestræ sollicitudini commissos, humiles preces fundantur ad Dominum, & devotis orationibus insistatur, ut ipse qui concordiam operatur in sublimibus suis dignetur efficere, quod debita per hanc deliberationem sequatur provisio celer, concors, & canonica, & animarum salus, & necessitas exigit, & totius orbis utilitas desiderat & expostit. Datum in castro seu loco Liburni sub triam priorum nostrorum appensione sigillorum vigesimaquarta mensis junii prima indictione anno a nativitate domini nostri Jesu Christi MCCCCVIII. Consignatas fuisse falsæ temporis nota hasce literas, & qua de causa, a Cardinalibus defectoribus & pseudocardinalibus Petri e Luna superius indicatum est, & inferius demonstrabitur, nisi extremo scilicet augusto, cum Pisas obtinuere a Florentinis, easdem literas confici potuisse: parique mendacio addidere, promulgatis bis literis Gregorium suum concilium indixisse, ac deinde Cardinales rogasse, ut ad ipsum pro complendis nuncupatis votis accederent: Cum hæc Gregorius ipse antequam se Cardinales conjunxissent pseudocardinalibus, præstitisset.

XXXI. Miseratione divina, &c. *Postquam hæc nostra deliberatio ad notitiam transivit utriusque de papatu contendentium* (Mentiuntur aperte in Gregorii causa) *factæ sunt ab eis ordinationes de convocandis obedientiis suis separatim, videlicet a domino Gregorio apud provinciam Ravennatem vel Aquilejensem in die pentecostes, a domino, qui se Benedictum dicit apud Perpignanum in Aragonia ad festum omnium sanctorum, & secundo per dominum Gregorium alia bulla emanavit ad omnes Christi fideles sub 10. id. julii, in qua declarat quod sua fuit voluntatis, est, & [ut in Deo sperat] erit pure ac fideliter servare formam & intentionem suorum juramentorum, voti, & promissionis in conclavi factorum, atque nos convocat secum cum prætensis Cardinalibus, quos de facto creavit, ad tractandum super negotio unionis: quæ tam convocationes quam literæ domini Gregorii qualiter ad finem tendunt unionis, literarum series patenter ostendit: tum quia ex convocationibus separatis & ad loca diversa & remotissima & diverso tempore congregandis nullatenus sequi valeat unio, nec aliquid concludi, cum talia ex utriusque pendeant facto; & quia, ut detur unio convocatio exigitur utriusque obedientiæ simul, & convocatio universalis Ecclesiæ secundum sanctiones sanctorum patrum, instituta, & consuetudinem hactenus in talibus observatam: nostra autem convocatio universalis Ecclesiæ est, & de utraque obedientia, ex qua sequi potest unio, & si ambo de papatu contendentes bonæ forent voluntatis, ut asserunt, nostræ potius assentirent congregationi, ut requiruntur de tota Ecclesia, quam novas & particulares facerent sic separatas, ex quibus nihil aliud sequi potest, quam schismatis confirmatio: & ex hoc etiam detegitur fraus secundæ bullæ domini Gregorii; cum enim nihil restet noviter tractari, sed solum restet executio voti & juramenti, quam agiliter potest expedire procuratorem constituendo ad renunciandum; ipse tamen conatur illum ad novos reducere tractatus & anfractus, primordialia reducendo principia, quasi materia non sit satis trita & notoria, & quasi per ipsum satis varietatibus & vacillationibus retro non fuerit intricata; tum quia ex suis contractibus, altera parte sic in remotis partibus agente, nihil nisi schismatis confirmatio sequi potest; tum quia, quantum ad se nos convocat, hoc non agit propter aliud, nisi ut nos segreget a collegio alterius partis: at sic convocatio universalis Ecclesiæ, & utriusque obedientiæ, ex qua sola, rebus sic stantibus dari potest unio, de nostris manibus infertur, & schisma perpetuetur. Ex quibus, & supra narratis, satis patet qualiter retro fuerit bonæ intentionis eum expresse viam renunciationis reprobavit, qualiter etiam de præsenti sit, & verisimiliter in futurum erit. Nolite igitur talia velut inania attendere, & quæ emanant in confusionem unionis, sed ad congregationem nostram iter præparate, ex qua tum adjutorio Jesu Christi, pax & unitas dabuntur in Ecclesia sua.*

Objectum Gregorii schisma per indictum ab eo Concil. sedari non posse.

Expeditam & facilem esse cessionis rationem.

XXXII. Confirmare id aliis amplioribus scriptis ad Gregorium literis (u) aggressi sunt iidem Cardinales, & contendere concilium œcumenicum neque celebrari a Gregorio, neque indici posse, objecto perjurii, & propagati schismatis crimine: quod tamen probare non poterant, cum etiam abdicante se Gregorio pontificali dignitate, Petrus e Luna non esset se abdicaturus: addidere etiam hoc argumentum, ideo œcumenicum concilium ab eo convocari non posse, quod ad illud adversa pars conventura non esset; neque in uno eodemque loco cum antipapa celebrare posse, cum ambo præsidere nequirent, neque alter alteri cessurus foret. Sed ea Papæ cum antipapa comparatio falsa omnino & iniqua erat: Arduam deinde movere litem, canonica nimirum jura, quæ de concilio œcumenico a Pontifice indicendo sancita sunt, præsenti casui accommodari non posse, in quo duo tamdiu de electionis juribus certarint: nullam ab indictis ab iis conciliis dissolvendi schismatis affulgere spem, cum quisque adversarium de jure suo docere contenderet: non inanibus colloquiis, sed facto jam opus: unicam itaque tollendi schismatis superesse rationem, si ambæ ecclesiæ

(u) Ext. to. 22. de schism. p. 31.

Calumnia imposita Gregorio.

Falso comparatus antipapa.

clesiæ uno in loco congregatæ œcumenicam synodum celebrent, ad quam ii opinionem Gallorum, qui jam ad neutrales & indifferentes defecerant secuti Gregorium vocarunt.

Litera Cardinalium ad Gregorium.

XXXIII. *Dominus & salvator noster Dei filius Jesus Christus, de summis cælorum ad ima mundi descendens, & tandem pro salute humani generis mortem subiens temporalem, ascensurus ad Patrem, ne gregem suum suo sanguine redemptum sine pastore desereret; fundamentum suæ militantis Ecclesiæ in beato Petro principaliter collocavit, & ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, & ut sua stabilitate fidei cæteros in Christiana religione firmaret, ut per hoc unum caput, unam originem, unamque Ecclesiam designaret, ramos suos per universum orbem copia suæ ubertatis extendit, ut per ipsam unam sponsam Christi incorruptam & pudicam casto pudore castitatem custoditurum beati Petri successoribus & gregi dominico demonstraret. Verum a triginta annorum citra curriculis decursis, caput istud unum in duo divisum ipsam etiam beati Petri sedem in duas similiter sedes divisam, [quod dolenter referimus] viderunt omnes fidei catholicæ prælati, Reges, principes, & omnes christiani populi nationes, quibus cum hæc scissura & decoloratio sanctæ matris Ecclesiæ displiceret, & plurimum continuo odiosa fuisset; ab ipsis dictam sanctam Ecclesiam sic divisam tenentibus, bona verba & spes optima de unione per eorum literas, & nuncios semper data fuerunt, effectus autem tot verborum, & bonæ spei quis, & qualis secutus fuerit, usque ad assumptionem vestram per nos episcopos, presbyteros, & diaconos S. R. E. Cardinales factam ad summum apostolatus apicem, in qua Gregorii XII. nomen, a utinam sic re accepissetis, elegistis, vos & tota Ecclesia catholica sunt testes. Quot enim dicto tempore adversa pertulerit, quotque repetitis malleis, crebrisque tunsionibus subjacuerit attestantur quamplura: defecerunt namque literarum studia, & per consequens ad viros ignaros translata ecclesiarum regimina, defecerunt jam universalis & aliarum fere omnium temporalia, & in ruinam prostrata sunt ipsarum magnifica ædificia: denique in laicis erga clericos deficit reverentia, & totaliter in contemptum populorum deducta est censura ecclesiastica, in clericis impunita maleficia, & in locum honestatis & scientiæ, successerunt præsumptio, temeritas, & superbia, ut sic ex istis & aliis non sine mentis amaritudine perlegendis, de ipsa Ecclesia cum Isaia dolenter concludere valeamus.* A planta pedis, usque ad verticem non est in ea sanitas.

Lamentatio de schismate.

Infelix status ecclesiæ.

XXXIV. *Nos autem una vobiscum, qui de nostro collegio tunc eratis, videlicet Angelo Corario tituli S. Marci presbytero Cardinali vulgariter dicto Constantinopolitano, dicta sede vacante per obitum bonæ memoriæ Innocentii VII. volentes tot animarum periculis & scandalis obviare, intendimus, ut ex debito officii tenebamur, attendere diligenter ut talem eligere, & in beati Petri sede ponere curaremus, quem ex præsumptis bona vita, & sancta conversatione præterita crederemus Christi vestigia imitari, qui velut pastor bonus, animam suam posuit pro ovibus suis, & qui æternam salutem præponendam crederet gloriæ temporali, sequens in hoc etiam Christum humilem & dicentem :* Regnum meum non est de hoc mundo; *& non solum ista de ipso cogitare, sed etiam de humanæ conditionis fragilitate curavimus, quæ numquam permanet in eodem statu, ac etiam astutiis inimici hominis, qui non desinit circuire velut leo rugiens * quos devoret, & facta nostra quandoque in principio, quandoque in medio, quandoque in fine corrumpere suis astutiis, ut nonnumquam qui toto tempore vitæ suæ bona opera exercuit & peregit, aliqua tentatione suborta, & opposita, cuncta ejus bona præterita supplantet, obruat, & corrumpat : unde de Saul, qui prius in oculis Dei bonus visus, in fine sui, scribitur quod spiritus malus descendit supra Saul: & idcirco nosmetipsos & singulos de gremio sacri collegii existentes & quemlibet futurum Romanum Pontificem per nos de dicto gremio eligendum curavimus obligare vinculo juramenti, voti, & promissionis solemni Deo & virgini sanctissimæ matri ejus Mariæ, beatis Apostolis Petro & Paulo, & toti cælesti curiæ esse vigiles, sollicitos, & per omnia diligentes pro sanctissima unione, & eam prosequi in principio, medio, & fine, & nihil omittere, de necessariis, utilibus, & quomodolibet contingentibus, quod unio subsequatur, & ita & vos tunc Cardinales, & nos omnes similiter promisimus, vovimus, & juravimus effectualiter, ut prædictum est.*

* quærer.

Ut dæmon nobis toto vitæ flexu insidietur.

Quibus quidem firmatis voto, & juramento ut supradictum est, in vos præfatum Angelum tunc Cardinalem Constantinopolitanum tamquam in præstantiorem, doctiorem, sanctiorem, & in omni virtute eminentiorem direximus unanimi consensu vota nostra, nam in personam vestram concurrere putabamus, ut apparebat, famam videlicet præclaram, sanctitatis apparentiam multiplicem, honestatis fervorem & zelum perfectæ charitatis, maturitatem ætatis, & insuper ad sanctissimam unionem ardens desiderium, & per lachrymarum effusionem sæpius magnum ostentationem voluntatis, sperantes indubie per vos supradicta promissa juramento & voto firmata servari, & spe ab intentione vobis in conclavi patefacta, & similiter voto, & juramen-

De confœderando ecclesiarum fœdere.

ramento, elegimus & assumpsimus in episcopum animarum nostrarum & universalis Ecclesiæ, & gregis dominici directorem.

XXXV. Objecta de voto non impleto.

Post quam electionem, & ante inthronizationem, eamdem promissionem, votum, & juramentum de novo præstitis; & subsequenter hæc omnia in publico consistorio publicastis, & confirmastis, ac etiam de prædictis firmiter observandis ad omnes fere mundi principes Climatis Christiani literas direxistis. Solemnes insuper oratores, & cum pleno mandato ad dominum Petrum de Luna, per nonnullos Benedictum vulgariter nuncupatum, illico, ut tenebamini, destinastis, ipsum ad similem cessionem, & renunciationem sui prætensi papatus multipliciter exhortando, & de loco mutuæ cessionis concorditer eligendo, & in literis ad eum directis utendo inter cætera istis verbis: Non enim semper de jure suo disputandum est: sæpe rigor ipse utilitati & tempori cedit; nam si mulier illa & juri suo renunciare, & filio suo proprio spoliare se voluit, ne sectionem unius pueri videret; quanto magis nos, si malitia operante, ad optatam unionem pervenire non possemus, per vias justitiæ pie cedendum videtur? *Demum responsa ab eo habito & conventu de loco Saonæ per vestros dominos oratores ad rectorem dicti loci literas apostolicas direxistis, inter alia continentes in effectu, quod oblationibus vobis factis ab eis uti intendebatis, & quod pro vobis vestrisque fratribus dominis Cardinalibus parerent necessaria, & taliter providerent super ipso accessu, quod possent merito commendari, prout plenius in dictis literis continetur. Tandem ad dictam civitatem sive locum Saonæ accedere vellø pluribus de causis minus justis, recusastis, nobis contrarium asserentibus propter observantiam promissorum; deinde dicto domino Benedicto Papa prætenso ad dictum locum se in termino conferente, & de accessu vestro & nostro similiter requirente, pluribus aliis ad hoc vos exhortantibus, præcipue oratoribus serenissimi Regis Franciæ in eodem proposito non accedendi pertinaciter perstitistis.*

Demonstratur insigni exemplo debere Pontificem juri suo cedere.

XXXVI. Objecta Gregorio summa inconstantia.

Similiter modiis notabilibus a dominis & oratoribus, maxime illustris ducalis dominationis Venetorum, pluribus locis successive oblatis utrique parti securis, in ipsis eligendis ac etiam recusandis pluries variastis, & interim per vos indebite & injuste dissolutus fuit contractus dictæ conventionis loci concorditer eligendi, & per consequens sanctissimæ unionis; ut sic merito qui ad tantum bonum optatum omni populo venerant, vel miserant, dolenter possint dicere cum Propheta: Venerunt ad hauriendum aquam, & vasa sua vacua reportarent; *& iterum illud,* Expectabamus pacem, & ecce turbatio; & justitiam, & ecce iniquitas; & judicium, & ecce clamor: *Si enim nihil tam conveniens humano generi, quam promissa servare, quid censendum est in sublimi excelsoque solio præsideat? Certe quædam dicit lex:* Nihil est quod præclariore luce præfulgeat, quam recta fides in principe; cujus verbum aut sanctum, aut sacrilegum.

Quibus adhuc non obstantibus, sed remanentibus in civitate Lucana hac de causa prosequendi & exhortandi vos ad præfatum sanctissimam unionem dominis oratoribus præfati Regis Franciæ, & prædicti domini Benedicti, & ad idem multipliciter vos impellentibus juxta conventa, votita, & jurata, & nobis ad istud idem, & in eadem voluntate concurrentibus & laborantibus apud vos cum omni insistere lenitate & mansuetudine, nostra & omnium aliorum salubria monita contempsistis: & tandem animum vestrum in oppositum celare amplius non valentes in ea verba & plures, atque pluries prorupistis, quod via cessionis, & renunciationis erat diabolica, & damnata, & eam sequi nullatenus volebatis, nobisque impie, & invalide sub pœna privationis cardinalatus, perjurii, & beneficiorum oretenus inhibuistis, ne cum prædictis ambasiatoribus Benedicti, vel Regis Franciæ de materia unionis amplius loqueremur, nec etiam nos ausi essemus de cætero sine vestro mandato similiter amplius congregari; prædictis mandatis expresse tendentibus in præjudicium sanctissimæ unionis quæ sine congregatione & colloquio cum prædictis prosequi non poterat nec haberi, ac etiam in scandalum totius populi Christiani, & insuper in confusionem, ruinam, & totale exitium omnium ecclesiarum & totius status Ecclesiæ temporalis destructionem, ac etiam contra sæpius promissa vota & jurata, & populo toties publicata, quasi per talia peccandi & dejerandi licentiam, ac vota & promissa tam solemniter transgrediendi per traditionem clavium regni cælorum assequuti fueritis potestatem.

Damnatum ab eodem cessionis modum.

Vere per ista & alia, quæ de vobis vidimus & audivimus, semper hoc timendum est de eo, quod beatus Bernardus de Papa Eugenio verebatur, ne in multis occupationibus, quoniam multa erant, frontem induraret, & in duritiam cordis iret, & inde in aversionem, definiens quid est cor durum, videlicet quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit ipsum esse, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur, ingratum ad beneficia; ad consilia infidum, ad pericula impavidum; temerarium in divina; præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens: & ut breviter cuncta, horribilis mali mala concludam, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. Si in hanc cordis duritiam jam in-

Objecta eidem cordis durities.

incessistis, ut ex prædictis, & aliis, quæ quotidie in vestra curia, & per vestros consiliarios agitantur, apparet, lacrymantibus cordis oculis contristamur, & plurimum anxiamur; quia præter & contra spem nostram talia contigerunt; per ista quidem de electione vestra ad apicem summi apostolatus gaudium in mœrorem & luctum, & expectatu consolatio unitatis in majus scandalum, & labores fere intolerabiles sunt conversi, ut sic quilibet nostrum dicere possit illud Job: Conversa in luctum est cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Et iterum illud: Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas; labruscas inquam acerbissimas, quas comedere obstupescunt Reges, principes, populus catholicus, atque clerus, considerantes excidisse a tanto, tamque sperato bono: & dimissos in tanto excidio absque spe reconciliationis alicujus, & in pejori statu, quam prius fuerant, relaxati, protracti, & delusi post longam moram, & consumptionem temporis, de loco conveniendo pro renuntiatione ac cessione verbali in quolibet certo loco, & si non per vos, saltem per procuratores, idoneos de facili facienda, si non quæ vestra & vestrorum sunt, sed quæ Christi, quærere & cogitare, ut vestra fama & gloriæ congruebat, & justum fuerat, curavissetis.

Concitatam de se spem expectationemque fefellisse.

XXXVII. Ex quibus, & aliis quæ quotidie vidimus de progressionibus vestris & modis, Deo teste, vobis compatimur, quæ patienter conniventibus oculis transissemus, si absque Dei offensa & transgressione juramentorum & votorum nostrorum potuissemus quomodolibet tolerare. Verum quia ex tali tolerantia & patientia fuissemus prædictorum voluntarie transgressores, & per consequens ut perjuri & infames ab omnibus reputati, & toti mundo exosi & quod pejus est inveteratæ schismatis nutritores & ob hoc per consequens juxta sacros canones hæretici reputandi: ideo Spiritus sancti gratia illustrati obedire volentes Deo magis, quam hominibus, curavimus unanimiter & concorditer, ut iidem canones præcipiunt, a vestris tabernaculis, & consortio separari, ubi nihil proficere, quinimmo ex tali mora officere sanctissimæ unioni plurimum fuerat visum nobis.

Se ob ipso discessisse ne schisma alerent.

XXXVIII. Idcirco ne sanctæ Ecclesiæ, a qua ab ipsa nostra pueritia enutriti & sublimati sumus, ingratissimi de tot beneficiis videamur, & ne dominus & redemptor noster Jesus Christus conqueri de nobis possit, & illud Isaiæ dicere: Filios enutrivi & exaltavi, illi autem spreverunt me; & iterum illud: Qui edebat panes meos, ampliavit adversus me supplantationem: & rursum: Generatio prava & perversa, hæc domino retribuisti? velut mus in pera, ignis & serpens in gremio suis consueverunt hospitibus exhibere; considerantes etiam pro majori parte nostrum senilem nostram ætatem immo quorumdam senio jam confectam, & per hoc de proximo migraturi ad vitam aliam sine tempore, sine fine; rationem ibidem reddituri in districto judicio, & tremendo examine; & ituri, si bona egerimus, in resurrectionem vitæ; si vero mala, veluti maledicti a Deo, in supplicium æternum; & præsertim Præsidentes, quibus durissimum judicium comminatur Deus, de quorum manibus subditorum ratio postulatur; Quæ præeminentia, si recto rationis judicio consideretur, ut ait Gregorius, plus doloribus afficitur, quam honoribus gaudet; & omnis potentatus brevis, sed etiam si annis mille, amplius in eis labor, & dolor; considerantes etiam per recessum vestrum & alterius videlicet Benedicti a voluntaria cessione, & unum ab altero adeo elongatum, quinimmo per vos etiam dicta via publice reprobata, prius tamen plusquam millies approbata & studiose pertractata, ac etiam viam justitiæ, ac juris utriusque discussionem difficilem, & impossibilem, & verisimiliter sine exitu, sine fine, non absque periculo, & scandalo partis alterius obedientiæ, si alterum non habuisse jus in papatu fuisset per viam justitiæ declaratum, & per consequens tantam multitudinem populi Christiani, Reges insuper, principes erravisse cum periculo, & discrimine animarum suarum; nec non videntes tot tergiversationes, volubilitatem & inconstantiam utriusque vestrum juxta communem omnium opinionem invicem colludentium, ac etiam propter crimen immanissimum, quod ex tam longa mora, & protractione in sponte cedendo juxta sacros Canones incurristis, & propter nonnullas causas rationabiles, quæ ad infrascriptam convocationem sacri concilii simul Dei gratia uniti nostros animos induxerint, dicimus, & de jure prætendimus potestatem convocandi, & congregandi sacrum & generale concilium ad nos totaliter devolutam, ex eo etiam maxime quod ex retrogestis estis in dicta congregatione suspecti; cum nonnisi postquam præsentistis nos ad dictam convocationem parari, hoc unquam velle facere ostendistis: & quia nec possibile sit per ambos vos in uno loco tale generale concilium convocari, nec vocatio illorum obedientiæ alterius partis posset recte dici concilium generale, nec in eo de altero irrequisito aliquid definire, nec requisitus etiam cum parte sua accederet, & si accederet, & si ambo præsideretis prout in uno Papa indubitato probabiliter dici posset, essetis in eodem corpore & unica Ecclesiæ duo capita quasi monstrum, nec jura, quæ de congregatione generalis concilii auctoritate Papæ loquuntur, vendicant sibi locum cum duo contendunt contra vota & juramenta sua improbabiliter de papatu, & qui per mutuam cessionem, absque

Coactos ob divinum metum.

Viam justitiæ nunquam exitum habituram.

Contendunt Cardinales ad se indicendi concilii jus devolutum.

Non posse eadem auctoritate Pontificem ambiguum qua non ambiguum.

quo concilii vocatione, juxta præmissa tot vinculis confirmata, possetis sine tot laboribus, & dispendiis dare Ecclesiæ unitatem, & pacem. Ex quibus & multis aliis, si duceretis dictum concilium congregandum, quid aliud præsumendum, quam velle rem trahere per longum ut hactenus protraxistis? & ad quem finem dicta convocatio fieret, postquam tot vinculis tenemini ad cedendum sponte? utrumne ad finem discutiendi de jure utriusque altera parte absente? & etiam si præsente, poteritis ne vos ambo ignari facti, nisi quatenus audita percipere potuistis, plus coram dicto concilio etiam simul utriusque obedientiæ congregato in facto vel jure ostendere, quemadmodum ostensum fuit hactenus per illos quodammodo, quæ viderunt & tetigerunt, & contraria solemnium doctorum utriusque obedientiæ pro se, & contra se

Non valere æmuli in æmulum controversias sententias.

consilia reportarunt? præterea cum partes utriusque obedientia congregata simul forent, quis contra partem suæ obedientiæ diffiniret, quinimmo proculdubio præsumendum foret, prælatus, Reges & principes de vestris moribus fastiditos & ad cedendum sponte tot juramentis & votis, & vinculis obligatos, aliqua pœna gravissima, merita condemnare.

XXXIX. *Ad prædicta igitur, tam salubriter, quam consulte pro vobis cum charitate dicta, & scripta, placeat & dignemini, deposito omni carnalitatis affectu, sana mentis consideratione attendere, & non errores erroribus accumulare, & per vias retrogradas veritatem confundere & sacro concilio universalis Ecclesiæ per vos ad quos pertinet, ut prædiximus contorto impedimenta præstare, ne ipsius generalis concilii, & totius populi Christiani indignationem fortius incurratis. In nomine igitur Domini nostri Jesu Christi, cujus Ecclesiæ militantis causam suscepimus, & suscepimus, totis mentis affectibus, & cum animorum sinceritate feliciter inchoandam, mediandam, & totaliter terminandam, prout ex prædictis promissionibus per vos factis, juramenti & voti, ut prædicitur, vinculis roboratis & confirmatis efficaciter obligamur, decrevimus, & firmavimus, ac decernimus & firmamus, utrumque collegium unitum, & in unum conjunctum, totam universalem Ecclesiam ad sacrum concilium convocare & congregare, prout juris ordo postulat, & requirit, ac ad ipsum omnes, & singulos, qui de jure vel aliter ad ipsum accedere vel mittere decreverunt, pro exequenda sanctissima unione sunt efficaciter astricti, venire, & comparere debeant legitime ad civitatem Pisarum in provincia Tusciæ ad festum annunciationis B. Virginis proxime futurum, ut sic advenienti dicto termino coram dicto sacro concilio hæc flebilis causa diuturni & nefandi schismatis a Dei Ecclesia extirpanda radicitus proponatur, & taliter per ipsum concilium ordinetur & provideatur, quod per viam renunciationis & cessionis per vos promissam & juratam, diu absque aliqua justa causa tam protractam, in dicto sacro concilio sancta unio & perfecta, ut expedit, habeatur in Ecclesia sponsa Christi. Ad ipsum igitur concilium infra prædictum terminum convocandum vos requirimus & invitamus, & in Domino exhortamur, quatenus ad dictum locum & in dictum terminum accedatis in dicto sacro concilio, ad prædictam renunciationem prout voluistis & jurastis efficaciter adimplendam; certificantes vos, quod si venire neglexeritis aut si veneritis & ad quæ tenemini voto & juramento efficaciter non ea adimpleveritis, dictum concilium contra vos vobisque faventes, sequaces, & adhærentes procedet, ut justum judicaverit coram Deo & ejus mystico corpore, & pro pace & unitate expedire videbit, vestra, & aliorum pertinacia, & obstinatione non obstantibus pro meritis recepturi vos & alii assistentes vobis in tanto scandalo, & schismate nutriendo, & fortius indurando, justitiæ complementum. Datum in castro seu loco Liburni Pisanæ diœcesis sub trium propriorum nostrorum sigillorum appensione, decimosexto mensis julii prima indictione anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi MCCCCVIII.*

Congregandam es juris ordine universalem Ecclesiam.

Denunciatum Gregorio ni votum impleverit contra ipsum judicio actum iri.

XL. Adjecta hisce literis temporis nota etiam adulterata est a Cardinalibus, ut superius indicatum est, cum ex ipsorum instrumentis convincantur, se conjunxisse pseudocardinalibus tantum ultima julii die, neque concilium Pisanum indixerint nisi appetente septembri. Cum vero mendacia causa sint increatæ Veritati, non mirum est si concilium Pisanum schisma non aboleverit, sed auxerit, quantumvis Cardinales pium ardorem conjungendarum ecclesiarum præ se tulerint: neque enim tam sacrum opus mendaciis dolisque peragi debuit: quare Gregorius cum eos fraudibus grassari animadverteret, Pisano concilio se committere noluit. Non dissimilem literarum formulam transmissam colligitur ab Avenionensibus purpuratis ad Petrum e Luna, qui Perpiniani synodum indixerat, non alia de causa, quam ut schismate corroborato fallaces titulos retineret; neque enim alio quam ad flagitium disgregata conciliabula vergere poterant.

Suspectæ mendacii literæ.

XLI. Is vero antequam Italia abscederet literas (a) ad Gregorium, a quo diffidere cœperant Cardinales, dolis & aculeis plenos misit, quibus non restitutæ Ecclesiæ pacis culpam omnem in eum conjecit; atque ita universæ Ecclesiæ fallaci ostentatione se illusisse putavit: cujus tamen doli patebant, cum pacis ecclesiasticæ instauratio non in difficillimo illo faciendo colloquio cum Gregorio sita esset, sed in abdicatione falsæ dignitatis, quam nunciorum opera, vel coram suorum colle-

Antipapa non procurata ecclesiarum conjunctionis invidiam in Gregorium derivat.

(a) *Ext. to. 22. de schism. p. 19. & apud Theod. a Niem. lib. 3. c. 3. & tr. 6. c. 23.*

Perjuria & fraudes Petri e Luna Gallis nota.

(a) Ext. ejus lit. apud Theod. e Niem. tr. 6. c. 2.

Ut ab eo defecerint.

(b) Ext. in cod. Victorin.

In eos adumbrate anathemata jacit antipapa.

(c) Monstrelet. vol. 2. Carol. 6.

Ejus internuntii habitus ludibrio.

(d) Ext. apud Theod. e Niem. tract. 6. c. 17.

Conclusiones Parisiensium adversus Petrum e Luna.

gio pseudocardinalium perficere poterat. Norant ejus artes Galli, ac Rex Carolus ineunte anno hoc xii. januarii promulgarat (a), excussisse se illius jugum, cum schisma extraheret, sollicitaratque catholicos, ut Gregorium ad servanda vota, denegato illi omni obsequio, adigerent: tam dolosas ejusdem Petri moras pertæsus ei denunciarat (b), ni recurrente sacra dominicæ ascensionis die finem schismati poneret, Gallias ejus imperiis non parituras. [t] Quas minas non ferens antipopa Carolum Regem & alios, qui ipsum deseruerat, anathemate percolit (c): sed illius diploma laniatum, ac flammis injectum est, ejusque nuncii ad summam ignominiam mithris e papyro redimiti, depictis Petri e Luna insignibus inversis in vestibus lineis per Parisios circumducti, deninue in carcerem missi fuere. Tum a Parisiensi academia hæ conclusiones (d) propositæ.

Prima conclusio. Petrum e Luna fore non tantum schismaticum pertinacemque habendum, verum etiam hæreticum, perturbatorem pacis, & sanctæ unionis Ecclesiæ.

Secunda conclusio. Petrus de Luna non est nominandus Benedictus, nec Papa, nec Cardinalis, nec nomine cujuscumque dignitatis, nec sibi obediendum est tanquam pastori sub pœnis fautorum schismatis.

Tertia conclusio. Facta, dicta, collationes, provisiones sive processus a tempore datæ literæ ad modum bullæ confecta, insuper pœna quæcumque spirituales vel temporales explicata vel implicata in dicta litera contenta nulla sunt.

Quarta conclusio. Dicto Petro aut suis literis aut mandatis nullus potest obedire, omne tenetur sibi non obedire sub pœna fautorum schismatis.

Quinta conclusio. Dicta litera est de se iniqua, seditiosa, dolosa, fraudulenta, turbativa pacis, & offensiva regiæ majestatis.

Sexta conclusio. Contra fautores & receptores dicti Petri & suorum suarumque literarum procedendum est sicut & contra dictum Petrum. Data sunt Bucicaldo Genuensi præfecto ab Rege mandata, ut Petrum e Luna comprehenderet: sed is periculum subodoratus e Liguria se in Cataloniam recepit, ut Regis Aragonum patrocinio tegeretur: quem ipsius Cardinales tunc deseruisse, Pisasque se contulisse jam diximus. Ut vero Perpinani conciliabulum proximo anno coegerit, suo loco dicetur: nunc ad Gregorium redimus.

Cur fugerit in Cataloniam.

XLI. Gregorius purgat eo ab imposito crimine.

(d) Lib. 2. ep. cur. p. 238. & to. 22. de schism. p. 27.

Cum a Cardinalibus, qui ab eo recesserant, apud Christi fideles in crimen perjurii, ac violati de abdicatione voluntaria sacramenti adduceretur, Gregorius publicis literis est professus (e), nuncupatam se in conclavi jurisjurandi voti formulam servare velle: tum illos, promissa amplissima venia, ad se revocare nisus est.

Ad futuram rei memoriam.

Profitetur velle stare jurejurando.

Ad protegendam innocentiam nostram adversus assertionem improvidam & injustam obloquentium, detractorum, & erigentium cornua malignantium in Christum suum, quibus inter cætera puritatem mentis nostræ, apostolicæque potestatis plenitudinem, ac nostram & damnabilibus infamiæ maculis deturpare, ac suis incursibus irritare temeraria non verentur, & etiam connituntur, asserentes nos promissionem, votum, ac juramentum nostra circa desiderabilis unionis in Dei Ecclesia materiam salutarem in conclavi facta, emissa, & præstita contemnere realiter observare, ne falsa pro veris recipiantur, cum opprimatur sæpenumero veritas, nisi salutaris defensionis præsidio fulciatur, tenore præsentium notificamus, & declaramus, quod nostra firmæ voluntatis fuit, & est, & in Deo speramus erit, pure & fideliter servare formam & intentionem nostrorum juramenti, voti, & promissionis in conclavi factorum hujusmodi. Et quia die undecima mensis maii immediate præterito quidam tunc ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. tunc Cardinalibus, videlicet Antonius olim Penestrinus episcopus, Conradus olim tit. S. Crisogoni, Franciscus olim tit. SS. Quatuor Coronatorum, Jordanus olim tit. S. Martini in montibus presbyteri, Raynaldus olim S. Viti in macello, Odo olim S. Georgii ad velum aureum diaconi præfatæ ecclesiæ Cardinales mandata nostra ausu temerario contemnentes, & a nobis damnabiliter recedentes, malaque malis adversum nos accumulare damnabiliter procurarunt, quos clemen-

Cardinalium qui ab eo defecivere nomina.

ter

NOTÆ [t] CUm Gallia universa ab utriusque pontificis obsequio sese subduxisset; visum est ecclesiæ illius præsulibus in concilium Parisiis coactis ea statuere, quæ ad optimam sacræ reipublicæ moderationem, quoadusque pontifex legitimus deesset conducere arbitrabantur. Hujus concilii nihil omnino superesse censuit Labbeus præter sententiam in viros nonnullos a Patribus dictam, qui Petro de Luna pervicacius adhærebant spretis regis edictis & academiæ Parisiensis sanctionibus. Lata hæc dicitur *Parisiis anno millesimo quadringentesimo octavo, mensis octobris die XX. in concilio reverendissimorum &c. archiepiscoporum, Episcoporum &c.* Verum præter hæc, sanctiones illæ, quæ sub anno 1404. ab eodem Labbeo recitantur hujus concilii portiones sunt, ut in nota ad A. 1404. 8. demonstravi. Reliqua pariter acta leguntur apud Martene Anecdot. to. II. col. 1398. &c. Quare vix ullum est aliud horum temporum Gallicanum concilium, cujus sanctiones temporis injuriam minus tulerint. MANSI

ter expectantes, paternisque affectibus, sed incassum, ut redirent sæpius excitatos supportavimus.

Volentes tamen oculos paternæ pietatis erga ipsos, ut convertantur & vivant, extendere, severitatemque misericordi temperare clementia, ipsos Antonium olim Prænestinum episcopum, Conradum olim tit. S. Crisogoni, Franciscum olim tit. SS. quatuor Coronatorum, Jordanum olim tit. S. Martini in montibus presbyteros, Raynaldum olim S. Viti in Macello, & Odonem olim S. Georgii ad velum aureum diaconos Cardinales præfatos, & eorum quemlibet de fratrum nostrorum consilio præsentium tenore requirimus & monemus, eisque nihilominus per scripta harum serie injungentes, quatenus infra præsentem mensem julii ad præsentiam nostram, ubi nos esse contigerit, debeant personaliter & præsentialiter se conferre: qui, si venerint infra prædictum mensem & charitative, ac provide voluerint tractare nobiscum, & cum venerabilibus fratribus nostris præfatæ ecclesiæ Cardinalibus super negotio unionis hujusmodi, eos benigne recipiemus, atque tractabimus, & abolentes omnem infamiæ maculam, sive notam præmissorum, & aliorum patratorum occasione contractam, remittemus eisdem offensionem quamlibet, atque pœnam, & cum sint perjurio maculati, & omnibus officiis, beneficiis, atque cardinalatibus privati, continuata etiam nostra majori clementia eosdem reintegrabimus, & in statum pristinum reponemus, & præmissa omnia, & singula referri valemus, atque referimus ad Petrum olim S. Angeli diaconum Cardinalem, qui sæpe monitus ex transgressione alterius mandati nostri omnibus beneficiis, & cardinalatu etiam est privatus.

Nititur Gregorius eos ad se revocare.

Exauctorat Petrum S. Angeli.

Si autem quod non remur ad cor contritum & humile, & ad viam veritatis redire noluerint, confidimus quod altissimus providebit contra confusionem, & involutionem, quas tam exitiabiliter, quam præcipitabiliter induxerunt, nosque excitabit ad faciendum, & providendum prout justum fuerit, & etiam opportunum, & aliis reconsitis noverimus in Domino, temporum atque rerum gravitate pensata, quomodolibet expedire, volentes nihilominus, & auctoritate apostolica decernentes, quod hujusmodi monitio proinde valeat, & plenum robur obtineat firmitatis, dictosque Antonium, Conradum, Franciscum, Jordanum, Raynaldum, Odonem, ac Petrum olim præfatæ ecclesiæ Cardinales, & quemlibet eorum perinde arctet, quacumque constitutione apostolica contraria non obstante, ac si eis, & eorum cuilibet intimata, & insinuata personaliter & præsentialiter extitisset &c. Dat fidem publicam, ne sedem apostolicam metu aliquo declinent: ac ne citatio ipsos lateat, sed in omnium oculis collocetur, Lucanæ ecclesiæ ostiis affigi diploma jubet. Dat. Lucæ IV. id. julii pontificatus nostri anno II.

Minas intentat alias.

XLII. Tantum abfuit, ut Gregorius sex illos Cardinales, qui Pisas perfugerant, ad se pellicere potuerit, ut etiam Henricus Tusculanus episcopus, & Angelus tit. S. Potentianæ presbyter, qui Lucæ cum Gregorio etiamtum hæserant, captata ejus e Lucana urbe recessus, suæque adversæ valetudinis occasione, atque etiam Landolphus S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis, qui Perusio præerat, spreto pontificiorum judiciorum ordine ut injusto & ad schisma propagandum usurpato, aliis Cardinalibus Pisis congregatis se conjunxerint (a). Gregorii porro recessum e Lucensi urbe descripsit Theodericus e Niem (b) in literis ad amicum datis: cumque iter in Picenum, uti Lucæ divulgarat, intenderet, occurrisse ei oratorem a Carolo Malatesta missum, qui significaverit vix tutum Picenum patere iter; tum eodem die ab exploratore cognovisse insidias sibi a Balthasare Cardinale S. Eustachii esse paratas: itaque Senas versus flexisse iter, atque a Senensibus Ladislai Regis fœderatis amanter & honorifice exceptum.

Duo alii Cardd. Gregorium deserunt.

(a) Greg. l.3. p.9.

(b) Theod. e Niem. tr. 6. c.43.

Comparatæ Gregorio insidiæ. Exceptus honorifice a Senensibus.

Interjectis paucis a suo in eam urbem ingressu diebus Gregorius, cum ab Wladislao Rege Poloniæ, & Anna Regina compater renunciatus esset ad regiam prolem a sacris baptismalibus efferendam, Alberto Posnaniensi & Petro Cracoviensi episcopis datis Senis VIII. kal. augusti literis ut ipsius nomine id hæc muneris obirent mandata dedit (c).

Renunciatur a Rege Poloniæ compater Gregor.

(c) Lib. 2. ep. curr. p.241.

Venerabilibus fratribus Alberto Posnaniensi, & Petro Cracoviensi episcopis salutem.

De vestra fidelitatis prudentia in Domino quamplurimum confidentes, discretioni vestræ, & cuilibet vestrum in solidum, prolem nunc de legitimo matrimonio natam si extat, alias quamprimum nasciturum ex charissimo in Christo filio nostro Vladislao Rege Poloniæ & charissima in Christo filia nostra Anna ejus uxore Regina illustribus nomine nostro de sacro fonte levandi, & omnia & singula faciendi, quæ in baptismali mysterio, & compaternitatis glutino secundum sacrorum canonum sanctiones reperiuntur, præfatis Vladislao Rege ac Regina communiter, vel divisim petentibus, abrenuntiandi, promittendi, confitendi, & agendi plenam, & liberum concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Senis VIII. kal. augusti pontificatus nostri anno II.

Creatus ab eo internuntius ad puerum baptismo lustrandum.

XLIII. Abrogavit (d) ex eadem Senensi urbe Gregorius Balthasari Cossæ Cardinali S. Eustachii legati apostolici jus, eumque tyrannidis crimine notavit. Gesserat ille plura adversus Gregorium (e): quippe qui pontificia ejus diplomata Bononiæ

Balthasaris Cossæ gesta adversus Gregorium.

(d) Greg. l.2. p.256.

(e) Theod. e Niem. tract. 6. c. 16.

in foro publico ad quadringenta axuffecrat (a) mille quingentis equitibus succinctus, ac magno pedestri exercitu a Bononiensi agro versus Picenum excurrerat, ut Pontificem caperet; adduxeratque Florentinos (b), ut Pisas ad peragendum ibi concilium permitterent: quem cum sibi acerrime adversantem experiretur Gregorius, Bononienses, & Flaminiæ populos, quibus jura dabat, sacramenti illi præstiti religione solvit (c).

(a) Eod. tr. c. 43. Structæ ab eodem insidiæ.
(b) Theod. a Niem. l. 3. c. 38.
(c) Greg. l. 2. ep. cur. p. 259.

Gregorius, &c. dilectis filiis universis & singulis, ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint salutem.

Ejusdem insignis defectio.

Zelus domus Domini, quam ipse nobis, licet immeritis, regendam pia miseratione disposuit, continue nos incitat, & inducit, ut ea quæ ad pacem, & conservationem sunt Jerusalem, sacrosanctæ videlicet Ecclesiæ procuremus, & perversorum conatibus, qui eandem Ecclesiam, licet frustra, cum ipsa fundata sit supra firmam petram, moliuntur concutere, & destruere, resistamus. Cum igitur, proh dolor! notoria facti evidentia doceat qualiter perditionis alumnus Baldassar Cossa olim S. Eustachii diaconus Cardinalis, & in nostra civitate Bononiensi, ac nonnullis aliis locis tunc noster, & sedis Apostolicæ legatus, cum quibusdam aliis filiis iniquitatis in reprobum sensum datus, in nos, & sedem ipsam, ac Dei Ecclesiam matrem suam cervicem erexerit, sub colore unionis ipsius quam conatus est, & sollicitis studiis omni, quo potest, modo dignoscitur impedire, spreto Dei cultu, & neglecto religionis Christianæ decore, apprehenso solum gladio sathanæ, & tyrannicæ potestatis; nos volentes, ut tenemur, suis pravis conatibus obviare, & ad conservationem terrarum, & locorum, quæ sibi commissa erant, & communem fidelium salutem in Dei honorem, & status ecclesiæ firmitatem, quantum nobis possibile fuerit, reparare, eundem jam dudum præfatis suis exigentibus demeritis, & aliis justis, & rationabilibus causis suadentibus, ab hujusmodi legationis officio, de fratrum nostrorum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, auctoritate apostolica amovendum duximus, & in totum ipsa legatione privavimus, locorum tunc commissorum regimina ipsorum populis committentes, quousque aliud duxerimus ordinandum. Quod ne vos & alios, quos tangit, pro republicæ bono lateat ullo modo, duximus præsenti serie intimandum, vos in Domino requirentes, & totis affectibus exhortantes, per hæc vobis nihilominus apostolica scripta mandantes, ut ab omni ejus suorumque assistentia, receptione, consortio, conversatione, ac favore, & auxilio protinus desistatis, & vos totaliter retrahatis: quinimmo, si Dei gratiam, nostramque benedictionem capitis, fervore devotionis accensi unanimiter, atque prompte ad reperiendum, deprimendumque ipsum tanquam nostrum & Ecclesiæ rebellem, & hostem viriliter intendatis, sique cum eo aliquo tempore ullo colligationis, pactionis, vel confœderationis, aut cujusvis obligationis vinculo, etiam juramento vallato, essetis annexi, & dubitaretis propterea contra ipsum aliquid innovare, ne forsan de facto perjurii vel alia infamia notaremini, licet ea omnia in jure sint nulla, ad uberiorem tamen vestram exonerationem vos ab omnibus, & singulis colligationibus, pactionibus, confœderationibus, & obligationibus quibuscumque quacumque verborum expressione, & juramenti forma etiam roboratis, quibus essetis vel diceremini quovis modo obnoxii, eisdem consilio, assensu, & auctoritate, absolvimus, & liberamus plenarie, & juramenta ipsa relaxamus totaliter per præsentes: nostis enim quare perversitatis, & ambitionis suæ maligna venena ad labefacienda, si valuerit, Christiani corporis membra transfundit, ut sic firmiter tenere possitis, quod si prædicta Deo, & justitiæ nostræ accepta feceritis, ut speramus, mercedem ab Altissimo, contra quem ille agit, & a nobis, & sede Apostolica, quam conturbat, præmium reportabitis atque laudem: in eo utique qui rem istam suam, & totum novit, fidem certissimam nos habemus, quod nobis, & sacræ unioni, quam quærimus, & perficere eo duce confidimus, a dextris aderit, ac illius, & aliorum iniquorum perfidiam superabit. Dat. Senis xv kal. octobris pontificatus nostri anno secundo.

Exauctoratur a Gregorio.

Jussi clientes ecclesiæ illi obsistere.

Jure merito quæritur Gregorius Balthasarem Cossam ambitionis veneno tumuisse, cum etiam invadendi in iis turbis pontificatus cupidine ureretur, quem dum Cardinalatum gerebat libidinum, omnique vitiorum genere contaminatissimum manifeste constat ex sententia in concilio Constantiensi adversus ipsum lata (d), cum in eadem objectum est ipsum veneno Alexandrum V. interimandum curasse; ut mirum non sit, si adversus Gregorium rebellarit, atque ad eum pontificatu deturbandum tot tantaque gesserit: auctorem enim defectionis Cardinalium a Gregorio fuisse eundem Balthasarem qui Bononiæ tyrannidem potius quam pontificiam legationem gerebat, spernebatque imperia Pontificum, Theodoricus Niemius tradit (e); nimirum cum Gregorius nepoti Bononiensem ecclesiam concessisset, Balthasarem illius ecclesiæ vectigalia, quæ jam invaserat, retinuisse, sprevisseque Pontificis imperia, ut antea Innocentium pariter contempserat: dumque Gregorius Lucæ morabatur, ut de colloquio cum Petro e Luna ageret, Balthasarem ipsum oratores suos misisse, sed illius artes a Gregorio cognitas fuisse, indeque Balthasarem in illum conjurasse. *Dictus Bal-*

tha-

Balthasaris mores & ambitio.

(d) Ext. in actis MS. concil. Constant. post sess. 10.

Balthasar Cossa defectionis a Greg. auctor.

(e) Theod. a Niem. in vita Joan. XXII.

Susceptæ inimicitiæ causa.

thasar, inquit, *volens aliud pro alio forsan ostendere, videlicet, quod ipse ut dicta fieret unio, cordialiter affectares; etiam suos ambaxiatores ea de causa, prout fecerunt multi potentes Italia, ad eandem civitatem Lucanam ipsi Angelo*, nempe Gregorio, *tunc Papa destinavit, exhortando ipsum scriptis, & magnis promissis, ut omnino vota & promissa sua in ea parte attendere vellet; ipse autem Angelus tunc modicam fidem præfati Balthasaris exhortationibus, scriptis, & promissis hujusmodi exhibuit, existimans forte quod non procederent puro corde; quod cum ipsi ambaxiatores ejusdem Balthasaris qualitercumque sentirent, valedicto Pontifice recesserunt, propter quod etiam dictus Balthasar contra præfatum dominum Angelum tunc Gregorium in iracundiam magis accensus, ex tunc ipsum incœpit animosius ubi potuit impedire, cæterosque dominos Cardinales tunc existentes Lucæ, cum prædicto Angelo tunc Gregorio, ut eo dimisso ad civitatem Pisanam accederent, etiam dictis & promissis grandibus per intermedias personas sollicitare: & cum prædicti domini Cardinales paucis exceptis ad eandem civitatem Pisanam, dicto domino Angelo per eos dimisso, postea declinassent ad habendum tractatus super unione ipsa qualiter facturi essent, ut res tanta* [*si Deo placeret*] *speratum sortiretur effectum, cum plerisque ex dominis Cardinalibus Petri de Luna præfatus Balthasar medio tempore tractavit cum Florentinis, qui tunc habuerunt etiam* [*non tamen absque consilio & auxilio dicti Balthasaris*] *prout adhuc habent & tenent eandem civitatem Pisanam cum municipiis & castris ejusdem durantibus tractatibus ipsis, dictosque tractatus & alia omnia, quæ sequerentur exinde tuto & absque impedimento aliquo in eadem civitate perficere possent, donando etiam in odium dicti domini Angeli tunc Gregorii certas pecuniarum summulas in subsidium expensarum aliquibus ex Cardinalibus ipsis, quos magis conspexerat talibus indigere, per quos allecti fuere etiam reliqui antiqui domini Cardinales, qui usque tunc Lucæ cum præfato domino Angelo tunc Gregorio remanserunt, quod ipso similiter dimisso ad eandem civitatem Pisanam ad eorum consinos unanimiter accesserunt demum illic generale concilium convocarunt*. Hæc in Gregorium Balthasar gessit, cum metueret ne ille, creato Antonio Cardinale nepote, ipsum Bononiensi legatione depelleret, cum ob facinora & crudelitatem Bononiensium odium in se concitasset, qui propterea Innocentium rogarant, dum Viterbii agebat, ut Bononiam accederet, quo Balthasaris jugum excuterent, in quos eandem Balthasarem graviter propterea sævisse, atque Innocentio in omnibus adversatum, narrat author.

Subdola ejus legatio.

Spreta a Gregorio.

In Gregorium iras concipit.

Subornat Cardinales.

Et Florentinos.

Corrumpit auro inopes Cardinales.

Horum opera alios seducit.

Timuit depelli Bononiensi tyrannide.

Adversatus fuerat antea Innocentio.

XLIV. Attulit porro maximum catholicis dolorem, illa Pontificis & Cardinalium dissensio, ne schisma novum inde erumperet, ac Senenses, apud quos agebat Gregorius, provinciam revocandi ipsos in concordiam suscepere (a): missis itaque Pisas oratores, qui Cardinales hortarentur, ut sentirent cum Gregorio, & unicum cum eo concilium celebrarent, ex varietate enim synodorum novas offensiones emersuras: quibus respondere (b) Cardinales, ex ipsorum ad Gregorium reditu pacem in Ecclesia componi non posse, neque enim ad illud concilium adversarios accessuros: antiquum itaque schisma tantummodo confirmatum iri, seque vota de eo tollendo violaturos: superesse unicam abolendæ veteris discordiæ rationem, si ambæ partes universalem synodum celebrent, ad quam si Gregorius accesserit, posueritque pontificios apices, cedente vel concilii sententia dejecto adversario, pax optata constituenda sit: si abnuat accedere, instruat auctoritate oratorem, qui pontificio nomine, abdicante papalia insignia Petro e Luna, vel vita functo, aut synodali decreto damnato, sacrosanctæ potestatis jus deponat, ita enim ecclesiarum conjunctionem se velle ostendet, quam facto perficiet: de loco vero celebrandæ universalis illius synodi facile cum Gregorio, si Senas etiam ipsas designet, consensuros: quorum responsa (c) in scriptis data Senensibus oratoribus ex MS. codice bibliothecæ Francisci Cardinalis Barberini in historiam producimus.

Gregorii conatus pro revocandis ad se Cardinalibus.

(a) Greg. l.3.p.9.

(b) Lib. 10. de schism. MS. Francis. Card. Barberin. p.42. & 50.

Cardinalium responsum.

(c) Ext. ibid.

Responsio Cardinalium de Pisis data Senensibus.

XLV. *I. Est nostra intentio dare pacem Ecclesiæ simul cum dominis de alio collegio per viam justam, rationabilem, canonicam, & alias a sanctis patribus observatam, scilicet viam concilii generalis utriusque obedientiæ: Et licet secundum glossas & doctorum opiniones possent domini Cardinales facere, tamen ut sine scrupulo procedatur, tutiorem partem eligunt, scilicet concilii generalis utriusque obedientiæ, ubi ambo vocabuntur, ut adimpleant promissa & jurata, quorum altero veniente & implere volente, alter secundum sententiam concilii ejicietur, ambobus contendentibus non venientibus etiam concilium procedet secundum juris regulas adeo quod unio sequetur in Dei Ecclesia.*

Congregandi concilii œcumenici necessitas exponitur.

II. Si ergo dominus Gregorius vult unionem Ecclesiæ ut ore dicit, habet tenere aliquos modos, videlicet quod in convocatione concilii, quam nos facimus simul cum convocatione partis alterius, idem dominus Gregorius veniat & renuntiet, domino Benedicto cedente, vel decedente, vel ejecto canonice, hoc est per convocationem partis suæ, & nostra, cum notorium sit ex separatione obedientiarum nullatenus posse unionem

Vel ad illud accedat Gregorius.

nem consequi, cum verisimiliter constet utrumque contendentium ex congregatione suapte dumtoxat tam longinqua non posse dare pacem Ecclesiæ, sed necessariam est, ut ad pacem Ecclesiæ amba obedientiæ conveniant, at possint extrema simul conjungere, ut expedit.

Vel procuratorem mittat.

III. Item si hoc facere noluerit dominus Gregorius saltem procuratorem constituat nobis fidum, & irrevocabilem ad cedendum, domino Benedicto cedente, vel decedente, vel ejecto canonice cum clausulis opportunis suo tempore declarandis: tunc enim velle unionem ostendet & bonum suum declarabit.

Totius controversiæ nodus.

IV. Item si dicat quod nos volumus eum ad plus obligare quam sit in primo instrumento, videlicet in casu ejectionis quod ipse renunciet, non est verum, nam ex vi instrumenti ipse ad hoc tenetur: nam ipse tenetur dare pacem ecclesiæ per omnem viam rationabilem, ex qua possit sequi unio, ista est talis. Ergo, &c. Item non obstante instrumento etiam de jure communi ipse tenetur cedere pro gravi scandalo evitando, ergo, &c. sumat ergo exemplum B. Clementis, qui sponte cessit, ut in ecclesia scandalum non esset.

Contentio de loco inanis.

V. Item ipse vult concilium particulare, nos volumus generale concilium utriusque obedientiæ: suum non potest dare pacem, ut diximus, nostrum sic. Veniat ipse ad concilium sine nova obligatione specifica, nisi quod stet deliberationi nostræ concilii generalis, & pro loco non remanebit.

Gregorium monens ut Concilio utriusque partis intersit.

VI. Item esset expediens quod populus Senarum supra se reciperet hoc onus, videlicet quod dominus Gregorius veniret ad concilium utriusque obedientiæ, & sicut dictum est non remanebit propter locum, & ibi vel renunciabit ut tenetur de jure, & etiam ex vigore voti, & juramenti, vel stabit determinationi concilii generalis, & hoc suis loco & tempore extendetur in bona & optima forma.

VII. Item prædicta practicentur & notificatio nobis qualitatibus negotiorum, tunc forte mittetur Senas honorabilis ambaxiata; aliter quidquid fieret esset contra unionem, cujus contrarium quærit civitas Senarum.

VIII. Item considerata fidelitate, & voluntate illius magnificæ communitatis etiam hactenus erga sanctam Romanam ecclesiam, nos sumus apti eandem civitatem honorare & eidem facere ultra alias civitates Italiæ, ad cujus honorem & utilitatem offerimus nos paratos.

XLVII.

Data hæc a Cardinalibus Pisis congregatis responsa subjectis rationibus confutare aggressus est Gregorius (a).

(a) Ext. in biblioth. Cardin. Barber. l. 10. MS. de schism.

Responsiones

Est ergo nostra intentio dare pacem ecclesiæ, &c. factis oppositum demonstratis, novum schisma inchoantes, & ad illud fovendam totum orbem invitantes proditionibus, falsitatibus, mendaciis, dolis, & fraudibus utentes, sicut literæ vestræ simul & verba verbis comparata instruunt: Cum domini de alio collegio, &c. utique nec apud nos, nec apud quosdam verum obedientiam sequuntur: illi vero collegium faciunt sed prætensum, sicut sensistis, dixistis, & scripsistis: & si apud nos illi collegium facerent, vos nec Cardinales fuistis, nec collegium faceretis. Per viam justam, rationabilem, &c. id est per viam concilii generalis utriusque obedientiæ; si sic esset, cum superstite Papa nullus possit concilium generale celebrare summo Pontifice excepto, & summus Pontifex sit superstes, scilicet dominus Papa Gregorius, & ipse indixerit concilium generale etiam antequam vos de conciliabulo convocando aliquid publice tractaretis, quare vos, & alii schismatici ad illud unum verum concilium non venitis, ostensuri si quid juris habetis? licet secundum glossas, & doctorum opiniones possent domini Cardinales facere, &c. Salva reverentia, quia nullus textus, nulla glossa, nullo cujuscumque doctoris opinio, hoc, quod dicitis, tenet: sed quia formatis casum falsissimum, casui falsissimo suffragantur glossa, & opiniones quos postea recitare vultis. Sed concesso vobis per impossibile, quod casus, quem dolose formatis, verus foret, adhuc non potestis concilium celebrare, nam nec vos, nec illi estis Cardinales: non vos, quia multipliciter, & multoties estis ipso jure, & ipso facto privati, aut non & declarato priviti publice & occulte: illi vero quia nunquam Cardinales fuerr, nec creati sunt de novo, patet quod non sunt Cardinales. Sed esto quod adhuc Cardinales essetis, quod tamen omnimode denegamus, per processus Urbani VI. quos approbastis, etiam essetis ipso facto privati, quia cum schismaticis participatis in crimine, ac iniquitatibus eorum favetis: Ubi ambo vocabuntur &c. Si nil aliud ageretis quam id, hac temeritate superba vos summi Pontificis judices constitueretis, contra omnium patrum sanctiones, & si dignitates aut beneficia vel officia haberetis, ipso facto deponendi essetis sicut archidiaconus, & nonnulli alii in XVII. di. notant.

Cardinalium refellit Consilia.

Præcipua vis argumentorum Gregorii.

Aliud dilemma validum.

XLVIII.

Sincera mens Gregorii in conjunctione quærenda.

Ad secundum capitulum: Si ergo dominus Gregorius vult unionem Ecclesiæ corde, ut ore dicit, &c. Ipsi scitis quia unionem voluit, vultque, & propter eam assequendum sponte demisit terras ecclesiæ ab hostibus invadendas, celebrem famam propriam exposuit, assumpsitque pericula mortis: sed vos, qui nil aliud quam cessionem quærebatis, vestris factionibus, infamationibus, consultationibus cum schismaticis, & aliis infernalibus viis unionem impedivistis, velut obliti juramentorum vestrorum, votorum & promissionum de eligendo locum unum, præparatoriis præmittendis renunciationis, & recessu a capite non admittendo,

Impedivere Cardinales illusi a schismaticis.

do etiam si ipsum caput publice, & manifeste contra diceret autem.

Ad tertium capitulum: Dominus Gregorius saltem procuratorem constituat, &c. *Ipsum summum Pontificem vos perjurum efficere laboratis; juravit enim una vobiscum ad locum conventionis & electionis accedere, & de iis, quæ pertinent ad unionem ecclesiæ personaliter pertractare. Item quæritis fieri quod an fieri possit non est expressum in jure, videlicet quod summus Pontifex per procuratorem renuntiare valeat.*

Exegere plura a Greg. præter fas.

Ad quartum capitulum: Item si dicat quod nos volumus eum ad plus obligare &c. *Patet falsitas, vultis enim eum obligare ad grave peccatum, scilicet quod subjiciat se summum Pontificem vobis schismaticis, quod foveat, & confirmet vestrum schisma, quod conciliabulum vestrum approbet ut concilium, quod divinum & humanum ordinem pervertat, & quod renuntiet nondum certus verisimiliter quod ex sua cessione integritas unionis sequatur in ecclesia Christianorum, quod est expresse contra juramentum, & votum, ac promissionem facta in conclavi*: Ista est talis: *id est rationabilis via, negatur: immo est contra omnem rationem quod omni dignitate, officio, & beneficio, perjuri, irregulares, infames, crimine læsæ majestatis damnati, concilium celebrent, Papam citent, immo quod summus Pontifex talibus conventiculis intersit, nisi forte ad damnationem, & exterminationem sic convententium.*

Objicitur non posse concilium celebrare.

XLIX. Non tenetur Papa ad voluntatem Cardd. pontificatu abire.

Item non obstante instrumento etiam de jure communi ipse tenetur cedere pro gravi scandalo evitando, ergo, &c. *Falsum est hoc ecclesiasticæ unione perpetualiter subversionum, nam per istam viam daretur occasio inposterum Cardinalibus, qui quacumque de causa de vero Papa non essent contenti, quod a suo capite rebellarent, ad hoc ut ipse summus Pontifex pro tali scandalo evitando cederet; & quia non sunt facienda mala, ut veniant bona, multo fortius non sunt facienda pessima, ut sequantur iniqua*: Sumat ergo exemplum B. Clementis, qui sponte cessit, &c. *Supponitis incertum pro certo, quia opinionem vestram veram, & certam non potestis fundare: immo famosiores sunt, qui scribunt Clementem non cessisse, quam qui arbitrantur oppositum. Sed sumatis vos potius exemplum Cælestini, qui solus papatui realiter cessit, absque dubio adhuc vivens successorem habent: & tamen ecclesia Gallicana cum universitatibus suis determinavit Bonifacium VIII. Papam non esse quod prædecessor suus adhuc militaret in via: ut sic discrete considerare possitis, quod dominus Papa ita prudenter ad viam cessionis accedit, ut omne dubium tollatur de medio, & integram pacem gregi dominico largiatur.*

Profitetur Greg. velle se abdicare ut omnino schisma tollatur.

Ad quintum capitulum: Ipse vult concilium particulare: & nos volumus generale, &c. *Solvo pace, quia nec particulare nec generale vultis, quia nullum erit concilium vestrum jura scientibus loquor, sed solus summus pontifex Papa Gregorius, quia est pater generalis, & communis potest, & vult generale concilium celebrare, & id erit solum ipsius generale concilium, excepto, quod ad illud non venient Judæi, Saraceni, Tartari, & quique schismatici, sed fideles Ecclesiæ catholicæ, de quorum numero non sunt, nisi qui suæ sanctitati adhærent: Celebravit dominus Jesus Christus concilium cum XII. Apostolis, & fuit generale concilium. Collegit Cayphas multorum pontificum, & pharisæorum grande concilium, quod verius fuit conciliabulum.*

Gravis objectio contra Pisan. concil.

L. Veniat ipse ad concilium sine nova obligatione specifica, nisi quod stet determinationi nostri concilii, &c. *Ista obligatio esset schismatica sapiens hæresim, ideoque non solum esset alterius speciei ab obligatione facta in conclavi, sed & alterius gravis: si tamen vitia, & mera privativa sub aliquo proprio genere cadunt: præterea gratia veritatis videndæ, aut vestrum concilium erit particulare, aut generale: si particulare, ergo nullum, & iniquæ petitum: si vero generale, aut Papa de jure tenetur stare determinationi talis concilii, aut non; si sic, frustra petitis: si non, ergo novam obligationem inducitis, quod tamen minus vere negatis. Item si erit concilium generale, quod negamus, & dominus noster ejus determinationi resisteret, nonne totam Christianitatem haberet oppositam sicut vos dictis, & literis procuratis? Cur ergo petitis novam obligationem hanc, nisi quia scitis concilium vestrum fore nullum, & vultis omnia clara involvere, & offuscare?*

Negat Greg. se illi subjicere.

Ad sextum capitulum: Item esset expediens, quod populus Senarum supra se reciperet hoc onus, videlicet, quod dominus Gregorius veniret ad concilium, &c. *Satis innotescit quorsum tendat vestra maligna iniquitas, scilicet ut a populo Senensi dominus Papa Gregorius tentatur, ducaturque ad præsentiam vestram captivus, ita ut quod plures vestrum insidiis non valuistis adimplere, nunc perficiatis cum dolis.*

Objecta perduellio Cardinalibus.

LI. *Ad septimum capitulum*: Aliter, quidquid fieret esset contra unionem. *Scripta dictis repugnant, quia doli vestri latere non possunt; oratores enim cum amplis promissionibus remisistis directe contrariis eis quæ dedistis in scriptis, & tandem concluditis aliter quidquid fieret, esset contra unionem: si vultis dominum nostrum transeuntibus stare dictis, quare scripturas mansuras in oppositum datis? Si vero scripturas vultis in suo robore stare, cur verba volantia in appositum fabricatis, nisi quia malitiosa contra sanctam Domini machinantes, vultis quod ii oratores lingua pandant*

Et perfida astutia.

in

in populis, vos offerre magnalia ad magnificandas fimbrias vestras, & filacteria dilatanda: præcluraque fama domini Papæ, quam sustinere nequitis, obnubilatur in turbis, atque si dominus Papa renuerit acceptare, quod tam munifica verbo tenus, & specie tenus. offerri ei videatur, ipsi pravus, & vos optimi prædicemini: si vero admitteret vos qui discordiam seminatis, respondeatis non esse vestræ intentionis, cum appareat a converso in scripturis traditis eis.

Ad octavum capitulum: Considarata fidelitata, *&c. Hæc adulatoria verba cæteris principibus & communitatibus scribitis, præferentes omnem locum omnibus locis apud eum qui dominatur in illo: per effectum vos ostendistis esse mendaces per ea quæ dixistis, & velocissime concludere cum Florentinis tractastis.*

Veneti Pontificem & Cardinales inter se conciliare iludent.

Tuente hisce argumentis suam causam Pontifice, postea cum Senensibus obtulere se concordiæ fora interpretes Veneti, quorum oratores cum Pisis congregatos Cardinales adiissent, ac proponerent unicam synodum ab iis & Gregorio celebrandam, ne præter vetus Gallorum schisma in Romana ecclesia schisma alterum oriretur: quibus, ut antea Senensibus, responsum est, si pergerent ad Gregorium vetus schisma liquido propagandum, & solemnia de eo abolendo vota infringi; ambas enim partes, uno in loco congregandas, ac si in ea synodo Gregorius vota impleverit, tum sa abdicante Petro e Luna, vel damnato atque a suis deserto, manifeste schisma ablatum iri; quorum rationes Venetos adeo approbassa videbimus, ut Gregorium iis non assentientem, licet si Venetum patria deseruerint.

Cardinalium responsum.

Approbatur a Venetis.

LII. Interea Gregorius synodum suam celebraturus, Cardinalibus Pisis coactis recurrente die vigesima octava septembris, constituta Senis in eos judiciorum forma, cardinalitiam dignitatem ademit (a), ratus Pisanum concilium nullius futurum authoritatis, si a Gallis pseudocardinalibus, & a Romanis gradu cardinalitio Pontificia sententia deturbatis celebraretur: contra illi præsules, qui in pontificio erant comitatu, publicis literis (b) ad se allicere conati sunt: præfati enim pluribus verbis de unitate sacrosanctæ Ecclesiæ, qua Petrus a Luna & Gregorius atiam tum retento contra datam fidem papali fastigio laniarent, nec pristinæ ecclesiarum conjunctionis redintegrationem ex indictis ab iis conciliis loco ac tempore discrepantibus expectandam, quæ utraque tantum Ecclesia in communi loco congregata coalescere posset, ad quam tantummodo excutiendam, & schisma extrahendum indictæ sint inutiles Synodi: tum preces addidare, ut Gregorius, cum certa experientia comperisset antipapam cum ipso convenire nolle; sessa Pisanæ synodo aggregare, & oratoris opera papales apices exuere dignaretur: ita enim pristinum pontificiæ famæ admodum obscuratæ nitorem restitutum iri: adhibitos quidem omnes conatus, ut ipsum ad abdicandum sa pontificatu inducerent; sed cum uterque in retinendo gradu & schismate alendo perstet, nihil aliud superesse, quam ut in judicium universalis Ecclesiæ velut contumaces, schismatisque rei vocentur: deinde illis suadere tentarunt, ut deserto Gregorio Pisanis partibus adhærescerent, & conjungerent studia ad pacem in orbem Christianum revocandam, polliciti religiosissime singulos in pristina dignitate consovendos.

Cardinales sententia decretoria damnat Greg.
(a) Lib. 3. p. 9.

Conantur ad se allicere præsules Gregorii studiosos aliosque ejus administros.
(b) Ext. tom. 22. de schism. p. 35.

Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales universis & singulis reverendis patribus dominis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac venerabilibus patribus dominis abbatibus, nec non venerabilibus & circumspectis viris dominis contradictarum sacri palatii causarum, & apostolicæ cameræ auditoribus, dictæque cameræ & capellæ clericis, literarum apostolicarum & sacræ pœnitentiariæ correctoribus, scriptoribus, & earumdem literarum apostolicarum abbreviatoribus, ac dictarum pœnitentiariæ contradictarum, & palatii causarum audiendarum procuratoribus; nec non magnifico viro marescalco, & nobilibus magistris hospitii & coquinæ, ac discretis viris armorum servientibus magistris ostiariis & cursoribus, cæterisque tam clericis, quam laicis officialibus, & non officialibus cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis aut præminentiæ curiam domini Gregorii in Senis existentis sequentibus salutem, & unionis ac pacis affectum. LIII.

Ad crudele, & antiquatum schisma de medio populi Christiani evellendum scribitur in levitico: In una domo comedetis, *&c. In una domo vescuntur secundum patrum institutum, qui in una catholica Ecclesia veram hostiam Redemptoris immolant unici. Sola illa domus est, & unica, quæ intra intra se positos valida charitatis compage custodit: unica Ecclesia est, quæ apud duos esse non potest, nec divisos in se populos tegit. Alieni sunt, profani sunt, fidem quam Christo debent nullatenus præbent, qui universalis Ecclesiæ scindi patiuntur unitatem; qui tunicam Christi desuper contextam minutatim per frusta * discrepunt, qui unicum Christi exterminant, qui domum Dei scindunt, quæ supra petram unam ædificata est, & una populum in unitate concludit. Hic unitatis & pacis decor domus est, quem psalmista desiderat:* Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, qui habitare

Cardinalium ad ipsos literæ.

* disrumpunt.

tare facit unanimes in domo. *Sane proh dolor! domus hac unica sponsa sine macula & ruga, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, jam triginta annorum spatio ambitione de papatu contendentium frustatim per membra divisa est; area Noa libidine dominandi per medium partita, induerunt duo Christi tunicam, & quæ duos non capit, nunc autem duo illi in tanto monstro præsidere satagentes, omnibus studiis, multifariis conatibus sic Christi vineam conculcare moliuntur, quibus merito dici potest illud Jeremiæ:* Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam: portionem meam desiderabilem dederunt in vastum & desertum solitudinis, posuerunt eam in desolationem. Desolatione desolata est terra, quia non est qui recogitat ex corde. *Novissime autem cum nobis viderent cataracta cali, & rores gratia Christi descendisse, propinata via clara ad pestiferum hoc schisma delendum, via scilicet renunciationis promissa, vota, atque jurata per utrumque contendentium de papatu, durissima corda mollia viderentur, ut merito cunctus populus exultanti animo diceret, & canticum cantaret:* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus; *in domum unitatis; in domum unitam tranquillitatis, & pacis, illud firma credulitate sperantes:* Ecce quam bonum & quam jocundum habitare fratres in unum; *scilicet cor unum, & anima una in unum ovile, in uno salutare fonte gratiæ non descendentes nisi in habitantes in unum ecce concupiscentia, radix omnium malorum, dominandi libido, atque ambitio in cathedra præsidendi se opposuit ex adverso, gaudium nostrum versum est in luctum, lætitia in mœrorem, risus in planctum amarum ut merito dicere cogamur:* Expectavimus pacem, & non est tempus curationis; & ecce turbatio; *& ubi summa fide, & ineffabili spe in Ecclesia Dei sperabatur unio fictis coloribus diversis, atque variis, inutilis tractatibus, in nulla mentis concordia dominis de papatu contendentibus spes pacis, unionis, & concordiæ, repente de manibus erepta est, & coacta est extra mundi partes exulare.*

Dominandi libido & parens & matrix schismatis.

LIV. Difficultates non sublatæ sed studio conquisitæ ab æmulis.

Jam enim per anfractus difficultatis de loco conveniendi, anni, & pluries tempore frustrato, sine quo potuissent, ut & pluries sunt requisiti, per procuratorem cedere, aut in manibus collegiorum, cum etiam multa in medio fuerint oblata loca communi hominum opinione habilia, quæ modo unus, modo alter de contendentibus refutavit injusta, pluries etiam requisito per nos domino Gregorio, & per ambasiatores pro hac causa degentes in curia, ut per aspersionem sanguinis Christi, viscera sua super populi stragem commoverentur, ut memor esset suis pastoralis officii, quod in salutem dirigitur animarum, ac juramenti, promissionis, & voti, quæ tam solemniter præstita ab eo, & toti mundo publicata fuera, ut Christum imitaretur, cujus vicariatum tenebat in terris qui pro populi salute, nedum de cathedra, sed de cælis in humana membra descendit, de domino formam servi accipiens; nedum dignitate se exuerat temporali, sed a tanta gloria descendens, nostras necessitates, & miserias assumere dignatus est, & ultimo crucis mortem. Quanto autem plus a nobis, & a quampluribus aliis exhortatus est, tanto plus obtusis auribus induratum se præbuit; nunc Cardinales contra juramenta, & vota, nobis primo renuentibus, postea absentibus, quantum in eo fuit, de facto creando, ad propositum non cedendi quamplurimum impellentes; nunc præcepta iniqua, & nulla ad confusionem unionis fulminendo pœnalia, ne invicem aut ambasiatoribus alterius partis, nec aliis, cum quibus solis poterat unio ad effectum perduci, loqueremur; ne etiam, de civitate Lucana discederemus, ut quod eo præsente agi non poterat, in absentia etiam ad effectum perduci non valeret; nunc aperte & clare viam renunciationis in publico ut diabolicam reprobando, quam ante laudaverat, & juraverat, ut sanctam asserendo; necnon etiam ad nonnullos literas destinando quod illam amplius non erat intentionis prosequendi: tandem omni conventionis, & concordiæ rupto tractatu, factis & dictis detexit omnino de unione desperandum. Novissime autem fucatis coloribus dicti contendentes, sic putantes Deo & mundo illudere, se pararunt ad recessum, quod postquam a domino Gregorio discessimus, uterque effectui mancipavit, domino Gregorio Senas, domino quidem Benedicto Perpignianum in Aragonia petentibus, uno ad occidentem, altero ad orientem gressibus directis ad schisma perpetuandum, & unionis spem penitus evacuandum, in medio luporum absque compassione contra debitum charitatis & officii, gregem Christi ut mercenarii, & quibus non erat cura de ovibus, sed de ovium lana, morsibus luporum ac dentibus rugientis leonis, non tam turpiter, quam impudenter deseruerunt, & inhumaniter quasi facto acclamantes illud Jeremiæ: Venite, & congregamini omnes bestiæ terræ; parate vos ad devorandam: Ecce derelictus est grex. *Heu propheta Jesu Christi, pro te ipse de Cælo descendit, dura verba, duriora verbera, durissima carnis vulnera sustinuit, ad ultimum tam dira Crucis morte, te suo pretiosissimo Sanguine redemit, nunc autem mercenarii absque pietate crudeles, & dentibus insidiatoris laniandum gregem exponunt, de vellere & lana contendentes carnebat, & animarum perditione pascuntur, quærentes quæ carnis, & quæ sua sunt, & non quæ Jesu Christi, contra quos*

Objectum Gregorio oblivisci muneris Pontificii.

Objecta tyrannis.

Objectum perjurium.

Graves in Pontificem & antipapam querelæ.

dominus per Ezechielem : Non quæsierunt pastores mei gregem: sed pascebant se ipsos; *vae tamen pastoribus* . Vos dispersistis gregem meum, *inquit pastoribus*, ejecistis eos, non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum. O *durissima, & praeceps libido dominandi, quae obtentu vix nanè sedis, nec suo parcit senio, nec defert officii debito, deinde nec lateri Salvatoris, quod in aqua & sanguine colligendi in fidei unitate populi obtulit, ne quis tentaret dividere quos ille colligeret, cognoscetur profecto dominum justitiam facturus, qui nunc in membris qua redemit injuriam patiens ignoratur* .

LV. *Nos autem pietate & animarum compassione compuncti, tantam advertentes cordis duritiam dominorum de papatu contendentium, dum maxime in domino Gregorio, qui vir tantae in principio sanctitatis reputabatur, tantam cernimus cordis duritiam, qui posita manu ad aratrum anteriora dimittens retro, tam fixe, tamque immobiliter ad posteriora versus fit, ut postpositis utque contemptis tam solemnibus vinculis, quibus Deo, & populo se astrinxit, absque Dei timore, sine ullo rubore verecundiae, tantam populi stragem patiatur; attendentes officii nostri fore, tantam non dissimulare populi perditionem, neque in tanta tacere discrimine, tamquam illi, quibus major, negligente pastore, cunctis Christianae religionis zelus incumbit; cum etiam error cui non resistitur, probetur, & non careat scrupulo societatis occultae, qui dum potest, manifesto facinori non desinit obviare; videntes penes dominum Gregorium nihil penitus proficere, qui magis & magis quotidie obstinabatur, nec de unione quicquam in ejus praesentia tractare valentes propter praecepta injusta, timores mortis, & carcerationis, quos juste timebamus, plus Deo quam homini parere volentes, ut tenemur tam ex debito officii, quam ex vinculis voti & juramenti, quibus ad nihil necessariis, utilibus, aut quomodolibet opportunis in re hac omittendis astringebamus, Pisas accessimus; quam civitatem dominus Gregorius ante elegerat pro loco decenti, ac multifarie laudaverat; & ad quam ipso mandante, ante accedere promiseramus, deinde Liburnum in dicta dioecesi Pisana, ubi cum reverendissimis dominis alterius collegii in unum propositum & voluntatem dandi pacem populo Christi nos junximus: & habitis inter nos pluribus conciliis, accersitis etiam & habitis consiliis tam praelatorum, ac aliorum tum divini quam humani Juris peritorum quampluriorum, viam elegimus concilii generalis, per quam commodius dari poterat executio praemissorum, & pax & unitas in Ecclesia Dei, videlicet ut quodlibet collegium suam convocaret obedientiam in uno loco & termino, scilicet in civitate Pisarum praedicta, & in festo annuntiationis gloriosissimae Virginis Mariae proxime futuro: & sic eos per alias literas requisivimus, ut sic per concilium Ecclesiae universalis utriusque deliberetur quid sit necessarium, aut opportunum taliter circa factum duorum de papatu contendentium, & necessitatem Ecclesiae imminentem per viam juratam & promissam, ut ipsorum vel alterius absentia non obstante, schisma extirpetur, & per electionem unici, & indubitati pastoris, Ecclesiae providere valeremus, ut sic cum Ezechiele dicere valeamus : Salvabimus gregem nostrum, & non erit ultra in rapinam, & suscitabimus super eum pastorem unum.*

Expositæ a Cardd. defectionis a Greg. causæ.

Cur Aeconomicis bus se junxerint.

Electa via concilii.

LVI. *Determinatis autem literis nostris concilii requisitoriis, hac praesentientes dicti domini de papatu contendentes ad hanc salutarem viam perturbandam, & ut pax Ecclesiae dari nequiret, duo ordinaverant conventicula, seu conciliabula ad diversos dies & distantes; ac loca diversa ab invicem remotissima, domino Gregorio in provincia Ravennati, aut Aquilejensi, & diem pentecostes, altero, qui se Benedictum appellat, apud Perpignanum in Aragonia in festo omnium sanctorum; cum notorium sit, sic stantibus terminis, unionem nullatenus aut aliquam viam ex conciliis diversarum obedientiarum sic dispersim loco & tempore congregatarum dari posse, immo potius schisma confirmari, & si bonae forent voluntatis, potius hanc nostrae de universali Ecclesia utriusque obedientiae, ex qua sola secundum canonicas sanctiones & sanctorum Patrum instituta, ac consuetudinem hactenus in talibus observatum unio dari potest, prout requiruntur, consentirent, quam novas facerent sic loca & tempore diversas; ex quibus nihil aliud sequi potest, quam unionis confusio, & schismatis perpetua confirmatio. Ultra haec, postea dictus dominus Gregorius, ut suum magis panderet propositum unionem confundendi, secundam edidit bullam universis Christifidelibus sub XV. idus julii, in qua sua asserit fuisse voluntatis & esse, & quod gratia Christi in futurum erit, pure & fideliter servare formam, & intentionem suorum juramentorum, voti, & promissionis in conclavi factorum, nos convocando ad eam ad tractandum secum, & cum eis, quos de facto creavit Cardinales, super negotio unionis, qui qualiter retro fuerit bonae voluntatis praenarrata, & quae toti mundo sunt notoria ostendunt; & qualiter sit in praesenti, & verisimiliter erit in futurum, series ultimae bullae patenter ostendit, cum quotidie domini de papatu contendentes ab invicem se elongent, cum quibus simul haec sunt tractanda. Et convocatio quam de nobis fecit, nulla alia causa fieri patenter ostenditur, nisi ut nobis*

Ut controvertentes de pontificatu concilium disturbare sint nisi.

Vocaverit ad se Cardinales.

bis a collegio alterius partis separatis secundum quibus partem alterius obedientiæ habere non valeremus, quæ cum nostra requiritur, ut tota detur Ecclesiæ congregatio, via quam elegimus de manibus nostris auferatur, & schisma perpetuetur. Nos etiam vocat ad novos incipiendos tractatus, re solam executionem desiderante implementi juramenti notorii, & sic rem, quæ jam est in executione, ad primordialia nititur reducere & extranea principia, ac quasi satis materia trita non sit, & quasi eam satis difficultatibus, vacillationibus, & varietatibus non involverit inanibus concordia loci, eam nunc novis tractatuum anfractibus implicare conatur.

Non deliberatione fuisse sed facto opus jam esse.

LVII. *Nos autem secum humaniter agere volentes, eum requisivimus, ac de novo requirimus ad cautelam per infinitam misericordiam Jesu Christi, quatenus viscera sua commoveantur super gregem sic divisum, sic laceratum, sic ferarum dentibus expositum, sic ejus & alterius culpa catervatim ad chaos, & profundum inferni innumerabiliter descendentem, ne sit immemor judicii æterni, coram quo sanguis animarum eorum in districto examine de manibus ejus exquiretur: ne sit immemor suæ salutis, nec juramenti, promissionis & voti, quæ præstitit tam solemniter, quorum ruptura populum pessimis corrumpit exemplis, ac gravissime scandalizat: nec in tantum sit suæ famæ prodigus, quæ ab universo laceratur, & subsannatur in sui præjudicium, & omnium, qui amodo se servitio Dei mancipabunt, & spiritus vitam ingredientur, in qua permanxime vivere putabatur, ut dignetur, quæ retro male gesta sunt emendare, unionem populi Christi accelerare, famam suam malam ad odorem bonæ convertere, & cum videat convocationes inutiles, quas una cum alio domino, qui se pro Papa gerit, agit, & nullam aliam viam propter absentiam longam partis alterius utilem fore, tum, ut experientia docuit, similiter noluit convenire, dignetur, & velit nostræ congregationi, ex qua sola sequi potest unio, consentire, & ut tenetur procuratorem ad renunciandum constituere, & sic ratio male gesta emendabit, Deo primo, secundo hominibus se reconciliabit: famam ab universis juste laceratam in odorem bonæ famæ convertet: apud Deum meritum, & vitam consequetur æternam, apud homines laudem & bonum exemplum. Nos autem cæterum ante & usque ad cessionem ad omne debitum sibi offerebamus præbendum: & post cessionem eum tanquam patrem & dominum, venerandum, & tractandum. Videntes autem nihil proficere, & dominos qui de papatu contendunt præfatos magis & magis quotidie indurari; secundum normam evangelicam, cum nihil aliud absit, deliberavimus dicere Ecclesiæ universali quam convocamus, ac eos ut incorrigibiles, schisma antiquatum descendens in hæresim nutrientes, contra vota, & juramenta in populi scandalum, votifractores, & perjuros notorios habemus, & ethnicos, & publicanos.*

Procuratorem qui cedat constitui posse.

Non differendum amplius in hac controversia ecclesiæ judicium.

Et cum interim talibus præbere obedientiam nil aliud sit, quam eos in suo obstinato fovere, ac manutenere proposito, & principaliter schisma facere, & duo supra se capita tenendo, populum Christi, in unitate a Deo prædestinatum, dividere contra articulum fidei: Unam sanctam; *dicimus vobis cum scriptura: Separamini a tabernaculis durissimi hominis, & nolite tangere ea quæ ejus sunt, ne pereatis in peccatis ejus, recedite a præsentia sua, & ejus curiam, ut Polycarpus refert de Joanne, balnea ejus, ne super vos corruant, qui ecclesiam Dei lacerat, qui vineam Christi conculcat, & inveteratum nutrit schisma in contemptum, & ruinam Ecclesiæ sanctæ.* Nimium præter fas se efferri in Gregorium sivere Cardinales, cum antequam decretoriam in ipsum ferrent sententiam, veluti exauthoratum a fidelibus deseri imperarunt, ac meram calumniam ipsi impegere, nimirum foveri ab eo schisma, cum non ipse, sed antipapa, qui nunquam ut sæpe repetendum fuit, invaso honore se erat abdicaturus, illud foverit. Pergunt illi: *Nostro autem proposito, divinitus ut putamus inspirato, ut in salutem non tam nostram, quam vestram & totius populi Christiani ordinata, qui unionem quærimus, qui vias Deo placitas, & ad unionem aptas, & a sacris canonibus approbatas elegimus, ut adhærere velitis, requirimus, obsecramus, & quantum in nobis est in virtute Spiritus Sancti injungimus, ut ad nos accedatis si commode poteritis in consiliis & auxiliis opportunis, & operationibus quibuscumque assistentes; præsertim dominum Deum nostrum Jesum Christum, cujus res agitur, exorando, quatenus sua pietate dignetur hoc sanctum opus ad finem perducere, & conducere optatum; scituri quod accedentibus, si fuerint indigentes, providebitur ad condecentiam sui status; & quod contra contumaces in non recedendo, & remissos, dictumque Gregorium sequentes tanquam contra foventes ipsum in schismate antiquata quod in hæresim descendit, loco & tempore opportunis procedetur ad privationem dignitatum, honorum, beneficiorum, & officiorum, inhabilitatemque ad illa, & ulterius prout fuerit contra tales de jure procedendum. Datum Pisis sub trium priorum nostrorum sigillorum appensione, die undecima mensis octobris prima indictione anno a nativitate domini nostri Jesu Christi MCCCVIII.*

LVIII.

Inhærendum veterum conciliorum institutis.

Purgavit postea se (a) de objectis Gregorius, nimirum a Cardinalibus primum Romæ habitas fuisse coitiones cum schismaticis, a quibus se subornari fiverint:

(a) *Greg. l. 3. p. 9.*

antipapam colluquii mentionem injecisse, ut absente Pontifice urbem caperet, confectasque pactiones non servasse, & grassatum dolis: Cardinales vero conjunctionis instaurandæ specie, cum Petrus e Luna pseudopontificatu se non abdicaret, neque abdicaturus esset ad Pontificem evertendum authore Balthasare ejus hoste capitali conspirasse, atque cum schismaticis se conjunxisse, novumque schisma conflasse: hæc & alia a Gregorio ipso inferius audiemus.

LIX. Cardinales alii creati a Gregorio. Eorum nomina. (a) Contelor. in elen. Cardd.

Oppugnatus ita a Cardinalibus Pisis congregatis novos Senis Cardinales ad partes suas confirmandas creavit v. non. maji, quorum catalogum recenset Felix Contelorius (a) in elencho Cardinalium; Ludovicum scilicet Brancacium archiepiscopum Tarentinum tit. S. Mariæ in Transtyberim, Angelum episcopum Recineretensem tit. S. Stephani in Cœlio monte, Angelum Barbaricum episcopum Veronensem tit. SS. Petri & Marcellini, Baldellum e Baldellia episcopum Ariminensem tit. S. Balbinæ, Philippum Anglum episcopum Lincolniensem tit. SS. Nerei, & Achillei, Matthæum episcopum Wormatiensem Roberti Regis Romanorum oratorem tit S. Cyriaci in Thermis, Lucam Florentinum ex ordine Humiliatorum episcopum Fesulanum tit. S. Laurentii in Lucina (hunc vocat S. Antoninus (b) magni consilii virum, theologiæ professorem, magnæ famæ & probitatis) Vincentium seu Valentinum priorem Montisserrati oratorem Martini Regis Aragonum tit. S. Anastasiæ, presbyteros, Petrum Maurocenum diaconum S. Mariæ in Cosmedin. Iturus vero Ariminum, Lucam tit. S. Laurentii in Lucina presbyterum Cardinalem in Etruria legatum creavit (c), ut Cardinalium adversantium molitionibus sese opponeret.

(b) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 1.

(c) Lib. 3. ep. cur. p. 4.

Dilecto filio Lucæ tit. S. Laurentii in Lucina presbytero Cardinali A. S. L. &c.

Gregorii adversus Cardinales querelæ.

In præsentiarum provinciam Tusciæ, in qua sumus, præcordialiter intuemur, in cujus parte humani generis hostis, pacis æmulus, & zizaniæ seminator in unum deduxit nonnullos schismaticos, qui se ausu temerario S. R. E. Cardinales nominare præsumunt, & aliquos, qui jam dictæ ecclesiæ Cardinales fuere invicem ad confusionem fidei Christianæ conjunctos, ore dicentes unionem quærere, corde vero, & opere spreto Dei cultu impedientes eamdem; unde graves, & amaras gessimus, & portamus in mente nostra punctiones, dum miserabilis eorum conditio, & commissorum per eos enormitas delictorum infra nostra præcordia revolvuntur, & utinam datum esset ut cum honore Dei, & Ecclesiæ sanctæ suæ, ac fidelium Christi saluti possit commode iis in partibus exhiberi nostra præsentia corporalis, ut quod mente vigilanter intendimus, præsentialiter panderemus. Sed quia ad confundendas perfidias eorumdem, & inducendam, si poterimus, pacis & unionis dulcedinem in populo Christiano, quæ nil apud Deum avidius expectamus, versus provincias nostras exarchatus Ravennatis & patriarchatus Aquilejensis, in quarum altera sacrum generale prælatorum indiximus concilium celebrari pro pace & unione prædicta nunc oporteat præsentialiter nos conferre, illos in partem apostolicæ solicitudinis de latere nostro assumimus, quibus fore percepimus cælesti dono provisum, ut altis & tam salutaribus negotiis sciant, & possint consulere provide, & utili consilio providere &c. Auget eum amplissima potestate, ut in Florentinæ reipublicæ ditione cis & ultra alpes pacem inter populos conciliet. *Dat. Senis VI. Kal. novembris pontificatus nostri anno II.*

LX. Ariminum proficiscitur Gregorius. (d) Theod. a Niem. lib. 3. c. 36.

Cum tres menses, & paulo amplius Senis egisset Gregorius, Ariminum profectus est (d), ex qua urbe Antonium nepotem episcopum Portuensem A. S. L. creavit, atque in Germaniam ad Rubertum Regem Romanorum ire jussit, ut Pisanam synodum disturbaret.

(e) Greg. l. 3. ep. cur. p. 13. Questus Greg. de Cardd.

Gregorius &c. venerabili fratri Antonio episcopo Portuensi A. S. L.

Istis temporibus, peccatis exigentibus, sic quorumdam sanctæ matris Ecclesiæ peculiarium filiorum excrevit damnata præsumptio, quod contra eamdem ecclesiam matrem suam cujus uberibus nutriti, impinguati, & dilatati sunt, calcitrationis spiritum assumentes, rebellionis in eam cornua erexerunt, & patrem eorum regem superbia instantes, conantur una secum universos, & specialiter Alamaniæ populos in barathrum æternæ damnationis immergere, turbare pacem, fœdera violare naturæ, &, quantum in eis est, sub nomine unionis & pacis inconsutilem Dei tunicam separare. Nos attendentes quod, licet ubilibet pro Christi fidelibus vigiles mente simus, personaliter tamen pro nostro exequendo desiderio, impossibilitate repugnante naturæ, ubique adesse non possumus, cogitare tamen cogimur, ut viros electos ex millibus, fide constantes, ornatos virtutibus, sermone potentes, & opere, ac in lege Domini eruditos, in partem sollicitudinis assumamus, ut ipsis vices nostras supplentibus sperata Christi fidelibus pacis & unitatis commoda proveniant, & firmata charitatis vinculo illibata consistant. Levantes igitur in circuitu oculos nostræ mentis, ad personam tuam, in cujus desideriis geritur pacificare discordes, recuperare deperdita, & errantes in viam reducere veritatis, nostræ deliberationis convertentes intuitum, in te de tuarum donis virtutum in Altissimo confidentes, ac in nostri Salvatoris pietate sperantes, nostra ac fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium deliberationis spiritus requievit. Con-

Considerantes itaque, quod te charismatum dator altissimus donis suis præveniens, tibi dedit sapientiam & linguam eruditam, ut scias quando debeat proferre sermonem, personam tuam scientiæ magnitudine, industriæ claritate, & maturitate consilii decoravit, non inani elogio Antonius decoratus, cum maximarum virtutum ornamenta in se præferret; fuit enim conditor congregationis S. Georgii de Alga, atque a B. Joanne Capistrano in summo honore habitum visuri sumas, *plenissimam quoque de tuis clarie meritis fiduciam obtinentes, quamvis apud sedem Apostolicam, ex eminentia consilii valde necessarius habearis, nosque & dicti fratres nostri tanti viri præsentia, propter urgentes necessitates careamus inviti; tamen propter evidentem utilitatem prælatorum, principum, cleri, & populorum Alemaniæ, Flandriæ, & illarum partium, ne a zizaniorum pravorum satoribus, & ipsorum falsis ac fictis persuasionibus circumventi, in errorum devia rapiantur, & a veritate avertentes auditum ad fabulas convertantur, ac propter conditiones illarum, & circumadjacentium partium, quibus speramus per tuam circumspectionem providam, illo qui in sublimibus suis terræ finibus pacem parat, concedente, circa reformationem pacis, justitiæ cultum, charitatis vinculum, & reductione ad ipsius ecclesiæ Romanæ obedientiam, fidelitatem, ac devotionem, præmissorum, & aliorum oberrantium quorumcumque, & ut existat cor unum omnibus in præmissis salubriter consuli, & utiliter conveniri, te ut fortem mittamus ad fortia, tuisque robustis humeris grandia onera imponimus; Te tamquam pacis angelum, reformatorem pacis & unitatis, fidei propagatorem, & latorem virtutum, ad Alemaniæ & Flandriæ partes præsentialiter destinamus, tibi in Coloniensi, Treverensi, Maguntina, Salisburgensi, Bremensi, Pragensi, Rigensi, Magdeburgensi, civitatibus, diœcesibus, ac provinciis, & aliis quibuscumque Alamaniæ, & Flandriæ partibus plenæ legationis officium, ac apostolicæ potestatis plenitudine, quam non ab homine, sed a Deo recepimus, usque ad prædictæ sedis beneplacitum committendo, &c. Dat: Arimini id. decembris pontificatus nostri anno secundo.*

Provinciarum nomina ad quas missus est.

LXI. Judiciaria acta Gregorii in Cardd. Pisani conventus. (a) Lib. 3. p. 9.

Proximo ab exaratis hisce literis die Gregorius, confecta Senis judiciaria acta adversus Cardinales, qui ab eo discesserant, renovavit, (a), questusque est in lata in eos sententia ipsos adversum se, dum sincero animo redintegrandæ concordiæ operam dabat, consilia perfidiæ plena agitasse cum schismaticis, pœnisque gravissimis Luca discedere vetitos apostolicu sprevisse imperia, ac non modo discessisse, verum Romanæ curiæ officiales, ut ab se deficerent, subornasse; intercepisse pontificias literas, fideles ab ejus obsequio divulsisse, indicto ab ipsomet concilio conatos impedimentum inferre, quos cum paterna charitate mulcere, atque a cœptis, promissa venia amplissima, abducere ad resarciendam Ecclesiæ scissuram studuisset, obduruisse in pertinacia ac pseudocardinales Gallos in societatem suam assumpsisse, quos cum iterum Senensium ac tertio Venetorum oratorum opera pellicere ad se tentasset, cœptis inhæsisse. Eos itaque in judicium vocatos, ac præcipue Balthasarem Cossam, qui longe plura adversus eum machinatus esset, ac Franciscum tit. SS. quatuor Coronatorum, qui ad Gallorum & Anglorum Reges se contulerat, ac Landulphum S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem, qui petierat Germaniam, ut adversas pontificiam dignitatem ea regna concitarent, notatos anathemate dignitatibus privavit: ad quam severitatem clementia temperandam trimestre constitutum, quo excurrente in locum antiquum gratiæ & honoris ipsos se restituturum est pollicitus.

Gregorius &c. ad futuram rei memoriam.

Suscepti cura regiminis vehementer nos angit, & urget charitas sponsæ Christi, ut præsumptuosis ac temerariis malignorum conatibus opportunis obviemus remediis, & Ejusdem sententia. *ut quos Dei timor a malo non revocat, & nostra clementia copiose diutius demonstrata ad veniam capessendam non emollit, pro eorum excessibus vigor ecclesiasticæ disciplinæ compescat, & ad declarationem pœnarum etiam a jure quam ab homine inflictarum, mediante justitia procedamus, ut & illorum comprimatur iniquitas, & alique terreantur talia vel similia attentare: sane cum ad ecclesiæ sacrosanctæ integrationem per viam cessionis secundum formam in conclavi traditam totos nostros pure, & sincere, ac fideliter continuo adhiberemus conatus, schismaticis ex adverso, sicut finalem patuit per effectum, dolis, fraudibus, involutionibus, insidiis, & violentiis intendentibus, cum quibus nonnulli ex nostris tunc Cardinalibus, & adinvicem conspirarunt, ut creditur, decepti & corrupti: ne ipsi tunc Cardinales ad partus divisionis malignæ defluerent, & optabile unionis bonum versutiis, & malitiis malignantium contingeret impediri, quam etiam divisionem schismatici inceperunt in Roma efficere, cum quibus schismaticis Cardinales pro eorum libito voluntatis libera, publica, & secreta habuerunt colloquia, & tractatus, a mense julii usque ad diem quartam* Objicit primum habitas Romæ coitiones cum schismaticis. *maii, cum sic ad prædictam sanctam unionem non proficerent, sed officerent; nos, certis indiciis, & multorum relatibus dignis prævidentes, ac ex iis quæ præcesserant, eosdem tunc Cardinales nos, & Apostolicam sedem velle relinquere non timentes, tam grave scandalum, & turpe instruere, & contra*

tra processus felicis recordationis Urbani VI. praedecessoris nostri approbatos, & observatos jam triginta annis elapsis, omni dignitate, officio, & beneficio, commodo, & honore ipso facto transgressores privantes, schismaticis adhaerere, cum quibus actualiter tractabatur, ex quorum recessu novum schisma verisimiliter poterat oriri, & roborari vetustum, sicut demum res male probavit eventus, praecepimus tam provide quam juste simul, & pie ipsis omnibus, & singulis Cardinalibus existentibus in Romana curia sub poena privationis Cardinalatus, & omnium beneficiorum suorum, quam quilibet ipsorum incurreret ipso facto, ne ab illa die quarta videlicet maii in antea aliquis eorum exiret de Luca sine speciali, & expressa licentia nostra per nos oretenus sibi facta: Item sub poena perjurii, quam incurrerent ipso facto, praecepimus, & mandavimus eisdem ne ulterius congregarentur in aliquo loco sine expresso mandato nostro.

Novum schisma exinde a-riundum praevidere.

LXII. *Item sub eadem poena perjurii, quam incurrerent ipso facto, praecepimus, & mandavimus eisdem, ne aliquis eorum participaret cum oratoribus Petri de Luna, neque cum oratoribus Galliciae sive per se, sive per interpositam personam, quia nostra intentionis erat, sicut & expressimus cum praelibatis olim Cardinalibus per expeditivas, claras, & saluberrimas vias ad desideratam unionem procedere, palpato quod a schismaticis fueramus delusi, & in frustatoriis verbis detenti, prout praecipue claruit tunc circa finem mensis aprilis, quando inter arctos tractatus de locis conventionis Petrus de Luna almae urbi nostrae, ut eam caperet, parabat insidias: ad quod perficiendum suas direxit cum suis galeas armatas: quae praecepta nostra si servassent & nobiscum, ut volebamus & decebat, perseverassent, jam (ut verisimiliter arbitramur) esset status ecclesiae reformatus vel saltem reformationi vicinus: ipsorum vero tunc Cardinalium (quod dolentes referimus) quidam, videlicet Antonius olim Penestrinus episcopus, Conradus olim tit. S. Chrysogoni, Franciscus olim tit. SS. quatuor Coronatorum, Jordanus olim tit. S. Martini in montibus de Ursinis presbyteri, Raynaldus olim S. Viti in Macello, Odo olim S. Georgii ad velum aureum diaconi Cardinales suae salutis immemores, divina pariter, & nostra summorumque Pontificum praedecessorum nostrorum, nec non juris humani contemnentes praecepta, odibiles Deo, nobis rebelles, subversores ecclesiae, scandalum populorum, perjurii, & praemissorum jussorum violatores, fugam ineuntes recesserunt a nobis, facto probantes se ex nobis non esse; quos postea sequutus est Petrus olim S. Angeli diaconus Cardinalis consimiliter mandata nostra contemnens, qui paulo ante valde damnabat fugam praedictorum. Qui omnes mala malis adversum nos accumulantes, damnabiliter procurarunt sanctam matrem ecclesiam, quantum in eis fuit viperinis conatibus laniare, & inconsutilem Domini tunicam scindere satagentes, scandalorum & schismatum seminaria praepararunt, & famae suae prodigi, & honoris proprii persecutores effecti non tantum seipsos nexibus peccatorum involvere, sed in reprobum sensum dati etiam alios ad praecipitium trahere conantur, curiales aliquos, & officiales nostros pecuniis, promissionibus, minis, & aliis deceptionibus subtrahentes, notarios etiam cum registris causarum, & libris curiae ad se traxerunt cum gravi scandalo, & etiam detrimento partium litigantium. Attentarunt etiam aliqua, quae ad solum Romanum Pontificem pertinent, literas quoque nostras intercipientes, & nuntios, quos ad principes destinabamus, & populos pro celebrando concilio generali, literas etiam ad nos, & curiales nostros directas, nec non quoscumque ad nos, & nostram curiam advenientes, quantum in eis fuit, detineri fecerunt contra processus, & sententias apostolicas in die coenae Domini in talia perpetrantes promulgatos.*

Delusum se ab antipapa.

Adhibitos ab eodem ad capiendam urbem conatus.

Cardinales defecisse a Greg.

Et ejus administros corrumpere conatos.

Eorundem contra ipsum alia gesta.

LXIII. *Quaesiverunt insuper per ambassiatas frequentes, & literas, quas sub sigillis quibus antequam essent privati utebantur, ad praelatos principes, & communitates per diversas mundi partes, ut obedientiam nostram a nobis subtraherent, destinarunt, & ut nihil omitterent ex iis, quae pacem, & desideratam unionem possent impedire, unicum & solatare ipsius unionis auxilium post tot mala relictum, generale concilium, quod die secunda julii in festo pentecostes proxime futuro indiximus celebrandum, miris, & dumaatie artibus conati sunt impedire, etiam vero consilio suum conciliabulum opponendo, existimantes loquacitatem, & maledicentiam unionis bonum signum, prorupere sapias, & publice in verba nontam blasphema, & schismatica, quam insana, innocentiam nostram apertis falsitatibus diffamantes. Nos tamen more pii patris, qui salutem zelabamus ipsorum, sperantes ipsos ad cor reversuros, & viam veritatis repetituros, eos diutius expectavimus patienter, nullum de beneficiis per eorum privationem vacantibus alicui conferendo usque ad quatuor tempora septembris; & exinde pauca contulimus, & per diversos probos viros magnae auctoritatis eos excitari fecimus, ac etiam per nostras patentes literas, ut infra certum terminum ad nos redirent, benigno requisivimus, & charitative monuimus, promittentes eisdem, quod si, & cum charitate tractare vellent nobiscum, & cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super negotiis unionis, eos benigne reciperemus atque tractaremus abolendo*

do omnium infamiæ maculam sive notam præmissorum & aliorum patratorum occasione contractam remittendo eisdem offensionem quamlibet atque pœnam, & cum essent perjurio maculati, & omnibus officiis, beneficiis, atque cardinalatibus privati, continuata nostra majori clementia eosdem reintegraveramus, & in statum pristinum reponeremus. Ipsi vero in sua pertinacia & superbia obstinati, nescientes in semitis justitiæ dirigere gressus suos, timoremque Dei præ oculis non habentes, etiam post dictam monitionem, & excitationes nostras, contra nos, & Romanam ecclesiam conspirationes, colligationes, & machinationes diversas continuarunt, & sub prætextu unionis nostram dumtaxat dejectionem quærentes, in Ecclesia Dei majus schisma, & divisionem ponere præsumpserunt, & ut in prædictis complices, & fautores haberent, se cum schismaticis, & schisma nutrientibus, videlicet cum quibusdam anticardinalibus Gallicis per processus apostolicos, ut præfertur Urbani VI. prædecessoris nostri justo Dei judicio condemnatis, juramentis, & aliis promissionibus ligaverunt, contra processus hujusmodi facere non verentes, & in scriptis suis ipsos anticardinales Gallicos, reverendissimos dominos Cardinales appellant, & sic eos verbis, & factis honorant, communicantes cum eis etiam, proh dolor! in divinis, asserentes, quod piæ aures refugiunt audire, dubium esse magnum & probabile tam de jure nostri papatus, quam prædecessorum nostrorum, a quibus ipsi cardinalatum, beneficia & honores habuerunt, veritatem in mendacium commutantes. (In quo sane Cardinales, dum nimio impetu ad lædendum Gregorium feruntur gravissimam sibi injuriam intulerunt: nam si dubius Pontifex Gregorius erat, dubii quoque Innocentius VII. Bonifacius IX. & Urbanus VI. Pontifices fuere: ac proinde ipsimet Cardinales dubii exstiterunt, atque ad ea ipsi dubii cum dubiis aut potius nullis concilium nisi dubium vel nullum celebrare potuerunt, si eorundem axiomati standum sit: pergit Gregorius :) *Nos non post terminum prædictæ monitionis iterato excitati per ambassiatam Senensium per eos verbis deceptoriis damnabiliter delusam, ac demum per Venetorum ambassiatam, restitutionis præmissæ nostræ clementiæ ab utraque ambassiata facta promissione, quas vacuas remiserunt, nec reductionem unici consilii per Venetos requisitam concesserunt, nisi ad suum conciliabulum iremus, congrue quidem pluribus videtur ut unum fieri debeat concilium, non tamen suum usurpatum, & a jure reprobatum, & super hæresi fundatum.*

Spretæ ob iisdem pontificiæ preces.

Querelarum Gregorii apex quæsitam ardenter ejus cessionem.

Gravissima Gregorii objectio in Cardinales.

Si Gregorius Pontifex dubius, ipsi dubii erunt Cardd. & nullo jure præditi.

LXIV. *Hoc tamen tempore, & malitia longe ante præcessit iniquitatis alumnus, & perditionis filius damnatus Baldassar Cossa olim S. Eustachii diaconus Cardinalis, qui tyrannice sub mentito nomine legationis nostræ, & sanctæ Romanæ ecclesiæ terras occupans, odiis & errorum furiis debacchatus fere per annum ante recessum olim Cardinalium prædictorum de Luca studuit per nonnullas ad hoc invitatos, & falsitatibus informatos nos perjurii, & schismatis maculis infamare, & fecit quantum potuit hoc contra nos publice divulgari, successive sollicitans adversus nos insurgere Cardinales, prælatos, principes, communitates, & alias privatas personas, inter quas præcipue mendaciter, precibus, pretio, ac pollicitationibus seduxit Petrum de Condia tunc basilicæ XII. Apostolorum, & Joannem, timorem eidem incutiendo, tunc S. Crucis in Jerusalem presbyteros Cardinales, ut sibi cæterisque rebellibus, & schismaticis adhærerent. Nec his malis contentus execrabilia quædam mandata publice fecit, ne quis nos Papam diceret aut scriberet, arma nostra in nostrum & sedis Apostolicæ opprobrium turpiter & manifeste de locis publicis & privatis faciens deleri, & captivari jubens: nuntios nostros & quamplures ad curiam advenientes perturbavit, & pecuniis & bonis aliis spoliavit, præcludens omnem viam, quam potuit, ne litteræ nostræ per nos de indicto concilio generali, & aliis veritatibus edocendis ad prælatos, principes, & communitates, eorumque ad nos pervenirent. Quorum errores secuti sunt tandem Henricus olim Tusculanus episcopus, Angelus olim tit. S. Potentianæ presbyter & Landulphus olim S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus Cardinales, quorum duo priores nobiscum, postquam primi fugerunt, steterunt Lucæ nobiscum etiam, & cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus concilio generali, quod indiximus, unanimiter consentientes & promotiones & quæcumque tractanda erant tractantes publice & private usque ad consensum inclusive procedendi contra præfatos apostatas & rebelles olim Cardinales, etiam distributiones recipientes; nec non, quando de Luca recessimus cum antedictis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, petiere licentiam cum suis familiis nominatim expressis remanendi, quam eis sponte, ut voluerunt, concessimus, donec liberi forent a suis languoribus corporalibus; deinde se ad nos Senas venturos, ubi pro tunc nostra residebamus cum curia; per replicatas literas & nuntios frequentatos ad nos ultra promittentes nobiscum perpetuo commorari. Landulphus vero, tunc temporis in nostra civitate Perusina & circumadjacentibus terris erat vicarius, per suum oratorem solemnem ad præsentiam nostram sæpe transmissus de constantia nos commendavit, confortavit ad patientiam, & ad procedendum contra sæpedictos olim Cardinales rebelles nos animavit, usque ad mortem nobis*

Balthasar Cossa omnium infestissimus Gregorio fuit.

Ejusdem varia facinora.

De aliis Cardinalibus qui postea secessere.

Landolphi Card. proditio insignis.

Assisium ab eo divenditum.

bis obedire promittens, & requirens quid ipsum facere juberemus, in hac confessione solum verbali, fuit factis ostendit, perseverans præcise quousque nostram & Romanæ ecclesiæ civitatem Assisii contra fidelitatis propriæ juramentum tradidit pro pecunia, & eam sibi imbursavit.

LXV. Præmunit se Gregorius adversus tertium pontificem deligendum.

Nos igitur, attendentes quantum præmissa sunt gravia & graviorem, nisi efficax apponatur remedium, perniciem paritura, præsertim cum intendant Ecclesiam novo idolo profanare, cum insolentiæ, quæ sine cautionis remedio per conniventiam tolerantur, animarum pericula & gravia scandala consueverint generare; ac nequeuntes absque indignatione majestatis æternæ & tremore conscientiæ tam gravia scelera & excessus detestabiles amplius tolerare, postquam pluries per plurimos viros solemnes de nostro beneplacito & consensu ad reversionem & plenam restitutionem & veniam fuerunt invitati, ipsique nostra clementia & impunitate abutentes, iniquitatibus iniquitates accumularunt, adversus præfatos iniquissimos viros olim S. R. E. Cardinales de fratrum nostrorum consilio in virtute Altissimi decrevimus exurgere, & super præmissis contra ipsos procedere justitia mediante. Quare Senis residentes in nostro consistorio ipsos Antonium olim Penestrinum episcopum Aquilejensem vulgariter nuncupatum, Jordanum olim tit. S. Martini in montibus de Ursinis, Corradum olim tit. S. Crisogoni Militensem, & Franciscum olim SS. quatuor Coronatorum Burdegulensem presbyteros, necnon Raynaldum S. Viti in Macello de Brancaciis, Odonem olim S. Georgii ad velum aureum de Columna, Petrum olim S. Angeli, & Baldassarem Cossa olim S. Eustachii diaconos Cardinales declaravimus privatos & reos transgressionis præceptorum nostrorum, & de novo privavimus cardinalatibus, & eorum beneficiis, officiis, commodis, & honoribus, & vigesimo octavo septembris de fratrum nostrorum hujusmodi consilio etiam privavimus, & privatos declaravimus omnes Cardinales prænus superius privatis & declaratis privatis adhærentes & participantes in crimine & nonnullos alios omnibus dignitatibus, honoribus, gradibus officiis, & beneficiis, intendentes quamprimum commode possemus, eosdem olim Cardinales privatos citare, & præfatas declarationes & privationes iterum innovare non aliter, pro tunc malitia temporis ordinarium processum impediente, habiliter valentes procedere.

Fert in Pisanos Cardd. sententiam.

Et quamvis prædicta & alia multa delicta, excessus, & crimina eorumdem diu fuerint, & existunt adeo notoria, quod nulla potuerint nec possint tergiversatione celari, nosque propterea absque alia citatione juste potuerimus ac possimus declarare prædictos infrascriptas pœnas incidisse;

ad majorem tamen cautelam & certitudinem præmissorum & abundantiorem justitiam, necnon nostram mansuetudinem exhibendam & ad convincendam eorum malitiam, de fratrum nostrorum prædictorum consilio tenore præsentium citamus prædictos Antonium olim Penestrinum Aquilejensem vulgariter nuncupatum, Henricum olim Tusculanum dictum Neapolitanum episcopos, Corradum olim tit. S. Crisogoni Militensem, Jordanum olim tit. S. Martini in montibus de Ursinis, Petrum olim tit. basilicæ XII. Apostolorum Mediolanensem, Joannem olim tit. S. Crucis in Jerusalem Ravennatem, Angelum olim tit. S. Potentianæ Laudensem presbyteros, necnon Raynaldum olim S. Viti in Macello de Brancaciis, Baldassarem Cossa S. Eustachii, Odonem olim S. Georgii ad velum aureum de Columna, Petrum olim S. Angeli præfatæ S. R. E. diaconos Cardinales, & quemlibet eorum in solidum ut trigesima die, a data præsentium computanda, de quibus triginta diebus proxime futuris decem pro primo, alios decem pro secundo, reliquos vero decem pro ultimo & peremptorio termino assignamus, si ea die consistorium erit, alioquin prima die tunc sequente, quo per nos consistorium teneri contigerit, compareant personaliter coram nobis humiliter & honeste, ubicumque tunc erimus visuri ac auditari se declarari propter præmissa & alia fuisse & esse privatos, ac de novo privari omnibus officiis, & beneficiis atque cardinalatibus, & tamquam hæreticos puniendos, & ad videndum & audiendam easdem declarationem & privationem per nos Senis factas, ut præfertur, innovari & publicari, necnon ad audiendum & videndum se declarari, & publicari se commisisse crimina inobedientiæ, apostasiæ, ariolandi, schismatis, blasphemiæ, perjurii, conspirationis, calumniæ falsi & læsæ majestatis, & propter præmissa crimina incidisse in pœnas & sententias spirituales & temporales, in talia perpetrantes inflictas & promulgatas; ad audiendum etiam & videndum per nos alias pœnas eisdem, quod sive venerint sive non, nos tamen in dicto termino ad declarationem & inflictionem hujusmodi faciendas, prout justum fuerit procedemus, eorum absentia vel contumacia non obstante.

Decretoriam judicii diem eis indicit.

LXVI. Et quia audivimus Franciscum olim tit. SS. quatuor Coronatorum Burdegalensem presbyterum & Landulphum olim S. Nicolai in carcere Tulliano Barensem diaconum præfatæ S. R. E. Cardinales se ad remotiores partes transtulisse adversus nostram innocentiam contra Ecclesiæ unionem & contra veritatem acturos pro posse, ipsos citamus quatenus prima die, qua per nos consistorium teneri contigerit, post tres menses ab hodierna die proxime futuros, de quibus tribus mensibus unum pro primo,

Iidem in judicium vocati.

unum

unum pro secundo, & reliquum pro ultimo & peremptorio termino assignamus, comparerent personaliter coram nobis, ubicumque tunc erimus, visuri & audituri per nos decerni & declarari ipsos propter præmissa incidisse in omnes suprascriptas pœnas, & audiendum & videndum per nos alias pœnas eisdem infligi, prout nobis visum fuerit & justitia suadebit; certificantes eosdem, quod sive venerint sive non, nos tamen in dicto termino ad declarationem & inflictionem hujusmodi procedemus justitia mediante, eorum contumacia seu absentia non obstante. (De Landulpho, qui Germanorum Francofurtensi conventui sequenti anno interfuit, videtur meminisse Gobelinus(a). De Francisco vero in Gallias & Angliam misso hæc narrat Walsinghamus(b): *Circa festum omnium sanctorum venit in Angliam Cardinalis Burdegalensis, vir potens in opere & sermone, missus a collegio Cardinalium ad informandum Regem regnique clerum de inconstantia Papæ Gregorii, prout prius edocuerat Regem Franciæ & incolas regni ejus, quatenus hi duo Reges, qui censebantur in orbe præstantissimi, manus apponerent adjutrices ad inducendum dictum Gregorium ad servandum juramentum præstitum, ut ipsorum duorum Regum auctoritate magnifica, unio fieri posset in Ecclesia.*) *Cæterum volumus & auctoritate apostolica decernimus, quod hujusmodi citationes perinde valeant, & plenum robur obtineant firmitatis, dictosque olim Cardinales & eorum quemlibet proinde arctent quocumque constitutione apostolica contraria non obstante, ac si eis & eorum cuilibet intimata & insinuata personaliter & præsentialiter extitissent &c.* Subdit ne metu judicium sedis Apostolicæ declinarent, remve ipsos latuisse obtentarent, liberi & tuti commeatus syngraphum se dare, & in principiis ecclesiæ Ariminensis foribus diploma defigendum jussisse: denique hæc ad clementiæ laudem adjungit.

(a) Gobelin. in Cosmod. ætat. 6. c. 89.
(b) Walsin. in Henr. IV. hoc anno.

Cardinales a Pisano cœtu in varia regna decreti.

Et ut nil omittamus de eis, quæ quomodolibet ad sacram unionem præsumi possunt pertinere, vestigia nostri Salvatoris sequentes, qui non solum debitorem decem millium talentorum contritum & rogantem absolvit, sed & sibi familiarem publicanum honorandum, correctum tamen assumpsit, & pœnitentem Petrum negatorem Deitatis & perjurum suo gregi præfecit; prælibatos olim Cardinales superius nominatos hortamur, & per aspersionem sanguinis Crucifixi obsecramus quatenus infra terminum eis ad comparendum, ut præmisimus, assignatum ad cor revertentes, suosque recognoscentes errores ad nos benigne suscipiendi revertantur pœnitentes, certificantes eosdam quod ad cardinalatus commodum & honorem, necnon ad beneficia, quæ primitus obtinebant, quorum tunc alteri non fuerit jus acquisitum, misericorditer restituemus; deletis inhabilitationibus, notis infamiæ, & quibuscumque censuris, quas ob sua scelera hujusmodi incurrissent, post prædictum terminum spe restitutionis penitus denegata, ut sic pœnitentes reversi & a nobis pie restituti ad sacræ unionis effectum, quem mundus pernicioso schismate fatigatus expectat, nobis cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus tractandum & perficiendum assistant. Hoc ipsum referri volumus ad prædictos Franciscum olim tit. SS. quatuor Coronatorum presbyterum, & Landulphum olim S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinales, si infra terminum trium mensium eis præfixum ad cor reverti & pœnitere voluerint. Nulli ergo, &c. Datum Arimini XIX. kal. januarii pontificatus nostri anno secundo.

Promissa ad obsequium redeuntibus venia.

Sprevere Gregorii sententiam ut ab æquitate abhorrentem Cardinales Pisis congregati, ubi nimirum de concilio, in quo vetus schisma extinguentur, id vero in synodo a Gregorio indicta, si ad eam se contulissent, non deleri, sed propagari, nec sacramenta servari, sed infringi tantum posse contendere. Si autem Pisanæ ex ambabus partibus cogendæ ipse assensierit, non dubiam redintegrandæ concordiæ spem affulgere; in sua itaque sententia perstitere; Gregorius vero damnato ejusmodi concilio Utinum in Aquilejensi patriarchatu ad indictam jam ante, dum Lucæ versabatur, synodum celebrandam designavit, ac præsules ut eo accederent, Regesque ac principes ut mitterent oratores, his literis sollicitavit (c).

LXVII. Spreta Gregorii sententia.

Indictum a Gregorio concilium.

Gregorius, &c. ad futuram rei memoriam.

Ad pacem Christianorum totis affectibus intendentes, diligentissime illa prosequimur, quæ ad consecutionem sanctissimæ atque optatissimæ unionis fore credimus opportuna. Cum itaque dudum, videlicet VI. non. julii proxime præteriti in civitate Lucana tunc existentes, generale concilium pro sedatione perniciosi, & inveterati schismatis, ad festum pentecostes immediate sequentis, in provincia Aquilejensi, vel exarchatu Ravennate de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, per alias nostras literas duxerimus convocandum, ac propter varios circumstantias, quibus locum hujusmodi habendi concilii accommodari, & per nos, cum non haberemus in potestate nostra, procurari oportebat, tunc in eisdem literis nostris, ipsum locum specialiter nequiverimus declarare, sed alio tempore hujusmodi declarationem eligerimus faciendam; nos volentes ut omnis ambiguitas tollatur, ac ut universi & singuli qui adesse debent, ad veniendum præparare se possint, & tempore debito accedere, habita

(c) Greg. l.3. p.33. & m.22. de schism. p.22. Ejusdem literæ.

super hac diligenti consideratione omnibusque locis provinciæ & exarchatus præfatorum mature pensatis, tandem ad magis idonei pro qualitate rei & temporis civitatem Austriæ & Utinum Aquilejensis diœcesis, quæ propter propinquitatem & cohærentiam, pro uno loco haberi debent, de eorumdem fratrum nostrorum consilio auctoritate præfata pro hujusmodi celebrando concilio elegimus, & præsentes per nostras literas declaramus, mandantes venerabilibus fratribus nostris universis & singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis electis; & aliis ecclesiarum prælatis etiam prætensis, ac reliquis in prælaturis, ac dignitatibus constitutis, sive sint catholici, sive schismatici, qui solent aut debent ex dignitatibus aut prælaturis eorum hujusmodi generalibus conciliis interesse; quatenus hujusmodi concilium per nos, ut præfertur, indictum, in præfatis loco & tempore, se personaliter conferant, ac requirentes insuper & hortantes in Domino charissimos in Christo filios nostros Reges ac nobiles viros duces, principes, ceterosque potentatus, necnon communitatum, & universitatum regimina principalia, quatenus ad idem concilium personaliter veniant, vel idoneos oratores transmittere procurent, ut sic Christifidelium multitudo in unum congregata pro pace & reintegratione Ecclesiæ, ac pro eradicando hoc perniciosissimo schismate pia & incorrupta suffragia, Deo propitio valeant exhibere. Nulli ergo &c. Datum Arimini xiv. kal. januarii pontificatus nostri anno iii.

Utinum designatum.

Sollicitati præsules ut eo se conferant.

Spreta ab omnibus ferme Gregorii imperia.

(a) Theod. e Niem. l. 3. c. 26.

Sprevere præsules & principes Utinense hoc concilium a Gregorio indictum, ut refert Theodericus, ac (a) paucos archiepiscopos & episcopos illic interfuisse tradit; de quo proximo anno dicetur.

LXVIII. Leodiense bellum cruentissimum.

(b) MS. antiq. vat. sign. 3881. de rebus Leodien. Monstrelet. vol. 1. c. 47. & alii.

Joannes episc. electus ab iis obsessus.

Interea invexit (b) schisma ingens bellum inter Leodienses & Joannem ducem Burgundiæ, cujus auxilium Joannes episcopus designatus imploraverat: illi vero nitebantur patrocinio Gallorum Regis, qui missis oratoribus, ut terrorem Burgundo injiceret, reum ipsum fecit ad dicendam causam de cæso regio fratre, Ludovico scilicet duce Aurelianensi. Ad quæ respondit Joannes Leodienses non esse Gallicæ coronæ obnoxios, quorum clientela Rex Francorum se implicare debeat; rebellasse illos adversos Joannem episcopum uxoris suæ fratrem, a quo nec non a Guillelmo comite Hannoniæ ad ferendam opem sollicitetur: confecta vero expeditione, de cæso Aurelianensi duce se responsurum. Cingebatur tum obsidione Ultrajecti Joannes Bavarus a Romano Pontifice designatus episcopus, quadraginta millium militum exercitu a Leodiensibus, qui auxiliaria alia circiter quinquaginta millia, duce Parvisio urbis prætore, novi pseudoepiscopi a Petro e Luna intrusi parente die xxiii. septembris eduxere adversus Burgundiæ ducem, qui ad solvendam obsidionem viginti septem millibus militum armatorum usu exercitatorum succinctus venerat. Conserta pugna, quam declinandam Leodiensis magistratus frustra monuerat, collectitiæ illæ turbæ Leodiensium dissipatæ sunt, ac viginti millia, & eo amplius contrucidata, in quibus Theodoricus pseudoepiscopus una cum fratre, & parte Parvisio, ex victoribus autem, quinque sexve millia cecidere. Egressus Ultrajecto Joannes Bavarus, Burgundo de soluta obsidione gratias egit: cui mox Leodium, Hojum, Dinantum, Tungrum, & aliæ urbes se submisere: præcipui adversæ factionis securi percussi: ecclesiastici schismatici, & etiam fœminæ aliquæ flumine mersæ, urbiumque propugnacula eversa fuerunt; atque ita de Leodiensium ad antipapam defectione meritæ pœnæ divinitus exactæ fuerunt, cum antea, dum constantes in Romanæ ecclesiæ obsequio perstiterant, opibus & potentia effloruissent. Parta vero hac victoria Burgundus, Aurelianensibus adversariis ac Francorum Regi tantum terrorem attulit, ut cœptus in eum judiciarius ordo sit intermissus. Quomodo vero extincto schismate, refloruerit Leodiensis respublica Constantiensium patrum studio, utque a Burgundica servitute fuerit vindicata, dicetur inferius. Hactenus de schismaticis: nunc quæ adversus hæreticos longe periculosius ecclesiam quatientes gesta sint, afferamus.

Una cum pseudoepiscopo magna internecione cæsi.

Eversa republica justas dant schismatis pœnas.

Sumptæ de ecclesiasticis schism. pœnæ.

LXIX. Pragæ celebrata synodus adversus Wicleffistas.

(c) Æn. Silv. hist. Bohem. c. 35. Jo. Cochl. hist. Hussit. l. 1. Dubrav. hist. Bohem. l. 19. & alii.

(d) Jo. Cochl. hist. Hussit. l. 1.

Petrus Payne Bohemiam infecit.

Hoc anno (c) Sbinko Pragensis archiepiscopus, cum animadvertisset Wicleffi hæreses a Joanne Hus, ab oppido, quod anserem sonat, ita dicto, disseminari, celebrem synodum coegit, in qua quadraginta quinque articulos Wicleffi Londini & Oxoniæ in Anglia, in Gallia Parisiis, & Romæ ab Urbano VI. damnatos, etiam in Bohemia Pragæ damnavit. Ut vero ex Anglia in Bohemiam Wicleffi hæresis miserando regno exitium allatura irrepserit, quive ii fuerint articuli, quorum primus affirmat substantiam panis manere in sacramento, tertius negat præsentiam Christi in Eucharistiæ sacramento, & sextus debere Deum parere dæmoni ait: ex quibus constat manifeste, quo spiritu afflati fuerint novatores describit Joannes Cochlæus (d) ex vetustis monumentis hisce verbis.

Factum est ut post mortem ipsius olim tum Wicleffi, *quidam ex discipulis ejus nomine Petrus Payne Anglus Pragam cum libris illius profugerit, regnante Wenceslao, ea forsitan occasione permotus, quod ante eum Bohemus quidam genere nobilis ex domo, quam putridi pisces vocant, apud Oxoniam in literarum studio constitutus libros Wicleffi, quibus titulus est, De univer-*

versalibus realibus, inde in patriam secum retulit, velut pretiosum thesaurum, quos Pragæ diversis transcriptionibus multis hominibus communicavit, & juxta nomen suum Putridi hæretici lethale virus civibus suis infudit. Communicavit vero libros illos iis potissimum, qui Theutonicorum uti refert Æneas, odio tenebantur, uti illi per nova dogmata vexati academiam Pragensem, in qua prævalebant, Bohemis regendam discedentes relinquerent: priusquam tamen invaluisset lues illa vulgo, apud multos doctores, & magistri almæ universitatis Pragensis, qui jam acceperant multos Joannis Vuicleffi articulos publice damnatos fuisse non solum in Anglia per concilium provinciale & per universitatem Oxoniensem; verum etiam Romæ in concilio generali, & Parisiis a celeberrima facultate theologica proposuerunt & ipsi quadraginta (a) quinque articulos Vuicleffi publice examinandos sub hoc verborum tenore.

(a) Ext. etiam in actis Syn. Const. sess. 8.

XLV. Articuli Joannis Vuicleffi.

I. Substantia panis materialis, & similiter substantia vini manent in sacramento altaris post consecrationem. II. Accidentia panis non manent sine subjecto in sacramento altaris. III. Christus non est in eodem sacramento identice, realiter, & in propria essentia corporali. IV. Si episcopus vel sacerdos existat in mortali peccato non ordinat, non conficit, nec baptizat, nec consecrat. V. Non est fundatum in evangelio quod Christus missam ordinaverit. VI. Deus debet obedire diabolo. VII. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis. VIII. Si Papa sit præscitus & malus, & hinc membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam nisi forte a Cæsare. IX. Post Urbanum VI. non est alius recipiendus in Papam, sed vivendum more Græcorum sub legibus propriis. X. Contra sacram Scripturam est quod viri ecclesiastici habeant possessiones. XI. Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat ipsum excommunicatum a Deo. XII. Excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem, & consilium regni, eo ipso est traditor regni. XIII. Illi qui dimittunt prædicare, sive verbum Dei audire propter excommunicationem prælati sunt excommunicati, & in die judicii traditores Christi habebuntur. XIV. Omnes de ordine mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati. XV. Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus dum est in peccato mortali. XVI. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia, & possessiones ab habitualiter peccantibus. XVII. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere. XVIII. Decimæ sunt meræ eleemosynæ, & parochiani propter peccata possunt eas ad libitum auferre. XIX. Speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos religiosos non plus prosunt eidem quam generales cæteris paribus. XX. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto. XXI. Si aliquis ingreditur religionem privatam quamcumque tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observanda mandata Dei. XXII. Sancti instituentes religiones privatas sic instituendo peccaverunt. XXIII. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione Christiana. XXIV. Fratres tenentur per labores manuum victum accipere, non per mendicitatem. XXV. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis in temporalibus obvenientibus. XXVI. Oratio præsciti nihil valet. XXVII. Omnia de necessitate absoluta eveniunt. XXVIII. Confirmatio juvenum clericorum, ordinatio locorum, & consecratio reservantur Papæ, & episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris. XXIX. Universitates, studia, graduationes, collegia, & magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ sicut diabolus. XXX. Excommunicatio Papæ vel alterius prælati non est curanda, quia est censura antichristi. XXXI. Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici. XXXII. Ditare clerum est contra regulam Christi. XXXIII. Silvester Papa & Constantinus Imperator erraverunt, Ecclesiam ditando. XXXIV. Licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei absque Apostolicæ sedis vel episcopi autoritate. XXXV. Ingredientes aliquam religionem eo ipso sunt inhabiles ad observanda divina præcepta & perveniendum ad regnum cælorum, nisi apostataverint ab eisdem. XXXVI. Papa cum omnibus Cardinalibus & clericis possessionem habentibus sunt hæretici & laici istis consentientes. XXXVII. Ecclesia Romana est synagoga sathanæ. XXXVIII. Credere indulgentias est fatuum. XXXIX. Decretales epistolæ sunt apocrypha & seductiva a fide Christi, & clerici sunt stulti qui eis student. XL. Imperator & sæculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus. XLI. electio Papæ a Cardinalibus est per diabolum introducta. XLII. non est de necessitate salutis credere Romanam ecclesiam esse summam inter alias ecclesias. XLIII. juramenta illicita sunt quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & civilia commercia. XLIV. Augustinus, Benedictus, Bernardus, damnati sunt nisi pœnituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, & introierunt religiones. XLV. omnes religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

Quos quidem articulos rite & legitime examinatos generali sententia uno ore & communi omnium consensu per solemne decretum condemnarunt doctores & magistri aca-

academia Pragensis anno Domini MCCCCVIII. *cujus rei testem ocularem produco M. Joannem Pzibram Bohemum, qui cum multis annis inter Hussitarum doctores fuerit unus de præcipuis, resipiscens tamen postremo acerrime Vuicleffistas impugnavit, atque etiam ex propriis Vuicleffi verbis confutavit & convicit.* Addit Cochlæus Joannis e Pzibram (a) testimonium, quod his verbis conceptum est: *Profiteor*, inquit, *toto animo, quod decretum & sententia in congregatione doctorum, magistrorum, & totius nationis Bohemicæ circa annum Domini MCCCCVIII. facta in universitate Pragensi in domo nationis ad nigram rosam magistro Joanne Hus tamquam principali in eadem præsente & consentiente, & me illic etiam præsente & coassistente, est in hoc de tanto justa & rationabilis, atque vera, de quanto omnes & singuli unanimiter nullo penitus contradicente decreverunt, &c.* Ut vero a Joanne XXII. (b) in Romana synodo, & a Constantiensi (c) synodo postea damnati fuerint, dicemus postea.

(a) Pzibram apud Cocla. in hist. Hussit.

(b) A. C. 1413. n. 1.

(c) A. C. 1415. n. 35.

LXX. Wicleffistica hæresis Pragæ propagata.

Vesanam hanc doctrinam amplexos nefarios quosque clericos, ac vel arrogantia vel invidia percitos, refert Æneas Sylvius (d): *Sequebantur*, inquit, *Joannem*, nimirum Hus, a quo Hussitæ nomen traxere, *clerici fere omnes ære alieno gravati, sceleribus, ac seditionibus insignes, qui rerum novitate evadere pœnas arbitrabantur. His & nonnulli doctrina celebres juncti erant, qui cum in Ecclesia consequi dignitatem non potuissent, iniquo animo ferebant sacerdotia majorum censuum his committi, quamvis nobilitate præirent, scientia tamen videbantur inferiores. Excæcavit eos invidia, ut qui viderant & qui intellexerant non intelligerent. Proruperunt in blasphemias, & cum aliquibus ignaris fortasse, ac vitiosis maledicere possent, in omnes latrare sacerdotes cœpere, & ab Ecclesia Catholica recedentes impiam Vualdensium sectam, atque insaniam amplexi sunt*: Recensitis nefariis illis erroribus subdit author; *Sbinco cognomine lupus clares parentibus apud Bohemos ortus per idem tempus Pragensem ecclesiam pontificio retinebat consilio, & animo illustris, qui orienti calamitati obviam ire cupiens priusquam amplius debacchiaretur, libros Joannis Vuycleffi ad se ferri, omnesque doctorum virorum consilio adhibito publice concremari jussit. Supra ducenta volumina fuisse traduntur pulcherrime conscripta, bullis aureis tegumentisque pretiosis ornata. Joanni prædicatio interdicta & adjecta minæ, si quando priores in populo errores vulgare auderet. Ipse Pragam excedens apud villam, ubi sibi origo fuit, ac cognomen, permittente loci domino, qui ejus infamiæ favebat, vocare plebes, ac docere non destitit, multa in Romanum præsulem, multa in reliquos Ecclesiæ Pontifices maledicta congerens, atque populi animos sibi magis ac magis conciliaret, decimas haud aliter, quam eleemosynas sacerdotibus debitas asserens: liberum prædia possidentibus si velint eas dare, si nolint, nullo jure cogi posse.*

(d) Æn. Silv. hist. Bohem. c. 35.

Sbinconis archiepiscopi pro restinguenda lue studia.

Hæreticorum lenocinium pro demulcendis populis.

Confirmavit Joannis Hus improbitatem Hieronymus Pragensis, qui vanæ philosophiæ fucis plures decepit; quem tamen hoc tempore Wicleffi errores una cum aliis doctoribus Germanis, qui florebant doctrinæ laude, antequam Pragensis academia dissolveretur, damnasse, ita arguit Joannes Cochlæus (e) dum ejus perfidiam exponit: *Si diligentius quis discutiat hanc rem, inveniet & Hieronymum istum circa Vuiclephi doctrinam terque, quaterque, ut ait poeta perfidum. Primo quidem Pragæ quando ipse anno Domini MCCCCVIII. quadraginta quinque articulos Vuiclephi simul cum cæteris publice damnavit,* [1] *cum ut magister universitatis, tum ut membrum Bohemicæ nationis: bis igitur, aut ter eam doctrinam sub interim damnavit Pragæ, scilicet in collegio Caroli, in Nigra rosa, & in prætorio. Taceo de ea damnatione, quæ in professoribus theologicæ facultatis facta fuit, quia non reperio eum illius facultatis membrum fuisse. At paulo post maxime asseruit, & prædicavit seditiosissime eamdem doctrinam, nec puduit eum cum sociis suis contra doctorum consilium in articulis objectiones suas dicere iniquam, injustam, ac teme-*

Hieronymum Pragensis Husso accedit.

(e) Cocla. in hist. Huss. l. 1.

Ejusdem summa in placitis inconstantia.

NOTÆ [1] JOannes Cochlæus in historia Hussitarum damnatos a Hieronymo de Praga Wikleffi articulos plus vice simplici, ac præsertim hoc anno, asserit. Verum hæc pugnare videntur cum iis, quæ inter reliquas accusationes objecta illi fuerunt coram Patribus concilii Constantiensis. Nam ibi num. 18. accusatus fuit: *quod in illa nefaria doctrina Wikleffi & habitis passibus in libris ut supra* (Wikleffi) *eam continentibus, & apud se existentibus in Praga, ac in regno Bohemiæ sæpe sæpius, ac diversis vicibus anno Domini millesimo quadringentesimo secundo* (nota epocha hæresis Hussiticæ) *tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octavo, nono, decimo, undecimo, duodecimo, decimotertio, & decimoquarto de mense januarii, februarii, martii, aprilis &c. & decembris dogmatizavit, docuit, &c.* Hæc palam pro concione exposita sunt patribus, ut ex iis tamquam veris, & assertis, quid sibi de Hieronymo judicandum foret intelligerent. Sed & ex his pariter, iis, quæ Cochlæus apud annalistam hic narrat fides detrahitur. Nisi forte Hieronymus, quæ ore, & pro concione probabat dogmata, eadem scripto una cum cæteris Pragensis academiæ doctoribus damnaverit. MANSI

temerariam esse, *& fuisse* XLV. *articulorum condemnationem*, *& prohibitionem*. Cæterum arrogavit sibi Hieronymus, quamvis laicus esset, prædicandi authoritatem adeo ut etiam pseudoapostolatum ad varias gentes invaserit, quem errorem cum Turlupinis communem fuisse, narrat Joannes Gerson (a), refellitque: *Pascere oves authoritative pabulo prædicationis*, *dando escam rationalem pro eis*, *est officium*, *quod nulli fas est exercere*, *nisi missus*, *nec mitti quispiam debet nisi idoneus & probatus*; *primam partem brevibus verbis absolvit Apostolus*; *Quomodo* [inquit] *prædicabunt nisi mittantur*? *confunderetur enim penitus ecclesiastica hierarchia*, *si cuilibet indifferenter authorativum prædicationis officium laxaretur*: *patuit Turelupinis & aliis idiotis quos hæc audacia fefellit*, *&c.*

(a) Gerson. in sermone facto in concil. Rhemen. apud Bochel. l. 2.

LXXI. Hoc anno Deus insigni miraculo præsentis in Eucharistia Christi veritatem confirmavit in Germania, dum heretici in Bohemia humanis commentis ac sophismatibus eam labefactare moliebantur. Describit rem gestam Nicolaus Serarius (b), his verbis: *Anno millesimo quadringentesimo octavo contigit illud*, *quod magno populi concursu quotannis*, *prout ipse vidi*, *celebratur Vvalduræ*, *quæ Moguntino nunc subest*, *miraculum Eucharisticum*. *Fuit hoc olim quidem scriptum & cusum*, *sed paulo accuratius renovatum*, *ac recusum Herbipoli anno MDLXXXIX. sic est*: *Vvirtzeburgensis diœcesis oppidum Durn aut Vvaldura appellatum tuibi in sacro D. Georgii ade incruentum missæ sacrificium faciebat sacerdos*, *cui nomen Henricus Otho*: *sed dum inconsideratius*, *negligentiusque rem tantam agit*, *calicem rite jam consecratum evertit*. *Et ecce derepente sanguis dominicus per subjectum corporale effunditur*. *Vini species sanguinis instar rubescit*: *quodcumque attingit miram imaginem exprimit*; *in medio quidem Crucifixi*, *ad latera vero veronicarum plurium*, *sic enim eas iconculas vulgo appellamus*, *quæ sacrum Christi caput spinis redimitum ostendunt*. *Territus sacerdos*, *etsi non deessent*, *qui factum vidissent*, *pannum tamen illum*, *quanti erat*, *sanguineis illis imaginibus tinctum in altare ipsum*, *lapide uno semoto condidit*, *ut quemadmodum pannus situ & carie*, *sic facti memoria ejus panni putredine interiret*. *At noluit tantum suum opus Deus optimus maximus latere*: *venit ille sacerdos ad vitæ extremum*, *morbo angitur*, *sed magis sceleris sui conscientia torquetur*: *mori cupiebat*; *sed mortem nescio quid retardabat*. *Collegit sese*, *factum confitetur*, *pannum commemorat*, *locum in quo jaceat indicat*, *& moritur*. *Inventa omnia*; *multus de re tota fit ubique sermo*, *eumque novis quotidie miraculis Deus auget*, *ita ut jam post annum fere septuagesimum accuratissime in rem totam inquirere & ad summum Pontificem quod comperissent referre magistratus statuerint*. *Quæ omnia anno Domini MCCCCVIII. ita diligenter*, *graviter*, *& vere facta*, *ut Pontifex maximus ad locum Dei gloriæ*, *& majestati convenientius ornandum*, *& celebrandum*, *omnium beneficentiam diplomate invitandam censuerit anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto pridie Kal. aprilis*.

(b) Serar. Mogunt. rer. l. 5. in Joann. II.

Miraculum Eucharisticum.

Vini species in sanguinem versæ.

Memoriam miraculi obruere sacerdos nititur, Moriturus factum detegit. Inventa res & plura edita miracula.

Hoc etiam anno patuit insigni miraculo valere apud Deum sanctorum preces, quantumvis contra obganniant heretici: apud Huyum enim puer, cymba eversa, passus naufragium opera B. Virginis, quam mater nuncupato voto interpretem divinæ misericordiæ sibi desumpserat, divinitus servatus est. Narrat miraculum Justus Lipsius (c) in Deiparæ Hallensis historia his verbis: *An.* MCCCCVIII. *Huyum oppidum in terra Eburonum super Mosam est*, *quod medium scindit*, *& interfluit*, *sed ponte lapideo conjunctum*. *Puer ibi annos quatuordecim natus cum quatuor æqualibus suis cymbam conscendunt*, *& solita huic ætati lascivia in flumen pergunt ludere & vagari captantes*. *Sed miseri in discrimen & angorem veniunt*: *venti surgunt & flumen a pluvia increverat*, *jactantur*, *fluctuant*, *& tamen adnisi ad ripam appellunt*; *& quatuor exsiliunt*. *Primus ille quatuordecennis puer relinquitur repulsa ut fit pedibus cymba*; *venti etiam abripiunt*, *atque adeo cymbam evertunt*: *puer in undis volvitur*: *pueri comprures opem clamant*; *accurrunt plures & inter eos trepida mater*; *Quid faceret*? *tollit in cœlum oculos*, *&*: *O Dei mater quæ Hallis coleris matri succurre*. *Ego & filius sospites tibi sistemur*: *votum facio*. *Dixerat*. *Ecce puer inter ingentes undas ad pontem abripitur*, *inter arcus illæsus transit*, *& ad medium circiter milliare supernatat*, *quo nisi cælesti manu sublevante*? *cujus ductu*, *lege infra oppidum in pratum devehitur* (*nam flumen restagnabat*) *& ibi molliter deponitur ac matri redditur*. *Reddunt & ipsi votum Hallis lubentes merito tibi virgo auxiliatrix*.

LXXII.

(c) Justus Lips. D. Virg. Hallen. c. 15.

Puer naufragus divinitus servatus.

Eodem anno divina providentia pluribus insignibus prodigiis latrones crudelissimos, qui in oppido, cui Gheervliet nomen est, apud Batavos detexit (d): nam cum innocentum cæsa corpora injecta magna straminum copia incendere noctu decrevissent una cum ædibus, ita criminis suspicionem flammis se abolituros rati, tamen ea cadavera divinitus flammarum vim non sensere, restinctoque incendio, cum presbyter qui ex latronum erat numero ad tegendum facinus, cadaver occisi domini amplexus esset, dexteram ab occisi manu nunquam divellere potuit. Deinde cum divina mysteria idem latro pro celebrandis exequiis perageret, sæpius ac-

Occisorum cadavera inter ignes illæsa.

(d) Jo. a Leyd. Chron. l. 32. c. 12.

Homicidæ divinitus patefacti.

Celebrante divina sacerdote homicida faces sæpius sponte extinctæ.

accensæ faces sponte extinctæ maximo omnium stupore, nec nisi cum maxima difficultate iterum accendi potuerint. Demum cum latrones supellectilem raptam in alienas terras navi avexissent, delira mulier divinitus acta prætori indicia authorum, qui hactenus latuerant, & ubinam esset rapta supplex, patefecit, adeo ut comprehensi extremo supplicio affecti sint: cujus terrore unus desperatione efferatus sibi gulam secuit: sacerdos vero crimen execratus plura pœnitentis animi signa edidit.

Con-

I. *Auctum schisma.*

[1] CONflata jam a Cardinalibus in Gregorium Papam, ut vidimus, discordiæ tempestas anno redempti orbis millesimo quadringentesimo nono secunda indictione catholicum orbem adeo concussit, ut novo ab illis renuntiato Pontifice schisma auctum sit, quod præsentiens Gregorius graves in eos querelas fudit in judiciariis actis (a), ineunte anno adversus eosdem Cardinales, cum die ab ipso constituta ad obsequium non essent reversi, promulgavit: cujus sententiæ prima pars cum iisdem fere verbis concepta sit atque illud edictum, quo in judicium vocatos vidimus, a nobis prætermissa est. Nulli vero se pepercisse operæ, quo illos ab imminentis novi schismatis consilio revocaret, ita exponit (b).

Gregorius Cardinales edictis infestatur.

(a) *Greg. l.3.p.53.*

(b) *Id. ib.*

Gre-

NOTÆ [1] HOc anno tam multa celebrata sunt concilia; quanta elapsis retro annis ad ipsum usque ecclesiæ initium numquam. Prætereo labente anno, die festa omnium sanctorum, Benedictus concilium Perpiniani, Aragoniæ urbe celebrare exorsus est, idemque per XIV. sessiones continuatum ad VII. kal. aprilis sequentis anni extractum fuit, ut Cossartius in addit. ad Labbeum notat. Assederunt Benedicto cardinales initio novem, dein septem, duobus ibi obeuntibus *cum prælatis de sua Hispania*, ait F. Bonifacius Ferrerius in apologia pro Benedicto cap. LXVI. Anecdot. to. II. col. 1481. *Aragonensibus, Lotharingis, Sabaudia, & de Francia, nonnullis scilicet de comitatu Fuxi, de comitatu Armaniaci. Regnum Scotiæ propter distantiam magnam & maris pericula non venit, sed postea gratum & ratum habuit confirmavitque.* Hæc Ferrerius, S. Vincentii Ferrerii frater, qui Carthusiensem ordinem professus eodem cum fratre suo mentis errore Benedicti factionem sequens aberrabat. Ultra cardinales interfuisse concilio huic trecentos circiter patres testantur literæ Joannis de Thurrena, qui apud Benedictum XIII. a concilio Constantiensi jam depositum cardinalem agens, eo defuncto pontificem alium substituit, de qua electione sua literas illas dedit ad Joannem Armaniaci comitem legendas Marten. anecdot. to. 2. Quid in eo concilio gestum sit satis explicat annalista. Profecto totum fuit, ut Benedicto demissionem dignitatis persuaderet; quam ab ipso præstari consolebat nedum æmulo cedente vel morte sublato, sed illo etiam exauthorato atque ad cedendum coacto. Quod cum Benedictus admittere se significasset, ut ex actis concilii apud annalistam & ex ipso supplici libello a Patribus eidem Benedicto porrecto, legendo apud Niemium de schismat. lib. 3. cap. 36. 37. intelligimus, decreta fuit ad cœtum Pisis colligendum ex delectis viris legatio, ut communi voluntate res perficeretur. Legationi huic inanes moras interjectas fuisse, ac tandem irritam cessisse testatur Surita in lib. III. ad A. 1408. At Bonifacius Ferrerus in apologia pro Benedicto, Bonifacius, inquiens, qui unus fuit ex legatis, pervenisse quidem illos Pisas affirmat; sed non ad præstitutam diem, &c. quod *istud erat impossibile; quia tam in dominia Franciæ, quam provincia Januæ, de Luca, de Pisa imminebat eis periculum evidens personarum & honorum; et ideo oportuit laborare pro salvis conductibus obtinendis... nec in Francia potuerant haberi nisi per medium regis Aragonum.... & habitis salvis conductibus ambaxiatores arripuerunt iterum viam suam, gradiendo celeriter & dietis continuatis.* Venisse pariter illos Pisas concilio nondum absoluto, quin & ante ingressum cardinalium in conclave, ac die 14. junii Pisis egisse illos ex Epistola Roberti prioris Celsinensis, relata inter acta conc. Pisani apud Martene vet. monum. to. VII. col. 1112. constat. Hæc satis de concilio Perpiniani, de quo plura annalista hic num. 84.

Concilium alterum anno isto ineunte januario mense, celebrarunt trium provinciarum in Gallia archiepiscopi Arelatensis, Aquensis, Ebredunensis, qui una cum suffraganeis suis Aquis januario mense coeuntes, præter canones nonnullos ad disciplinam, moribus Gallicanæ ecclesiæ consonam pertinentes, e cœtu suo viros destinarunt, qui communi nomine Pisano concilio interessent. Hujus concilii de quo nihil in collectionibus, canones vulgavit P. Martene veter. monum. to. VII. col. 912. & ego Additamenta e Taurinensi MS. codice suffeci.

Hoc ipso pariter anno, post diem XXVI. januarii, ditionis Florentinæ præsules convocati sunt Florentiæ, ait Sozomenus in histor. Pistor. ad hunc annum, ut editum ab optimatibus Florentinæ reipublicæ edictum, de subtrahenda Gregorio obedientia, authoritate sua confirmarent. Coitio illa concilium appellatur in literis nomine Gregorii XII. datis ad Florentinos legendis apud P. Martene Vet. monum. to. VII. col. 956. *Concilium congregaverunt ad deliberandum utrum domino nostro papæ deberet auferri obedientia.* Sententia patrum in Gregorium iniqua legenda est apud Martene ibid. col. 937. &c. cui præter archiepiscopum Pisanum, & alios Etruriæ episcopos tres, alii plures ex variis religiosis ordinibus viri docti subscribunt. Quanquam vero nullam mensis notam præfert; cum tamen in eadem sententia fiat mentio edicti a Florentinis lati, quod ibidem col. 931. legitur, signaturque die XXVI. januarii; ideo post eam diem convenisse patres oportet. Hoc pariter concilium a collectoribus omissum, a me suppletum est.

Quartum tandem concilium, omnium hujus anni celeberrimum, Pisis convenit: de quo satis multa Annalistæ. Pauca tamen hic subjicimus ad ea corrigenda, quæ eidem annalistæ sive exciderunt, sive ex historia ejusdem concilii ab eo consulta reperire non licuit. Utimur hic vero actis ejusdem concilii, vulgatis a Martene ibid. col. 1078. De appellatione quam legati Roberti regis interposuerunt a sententia concilii, nihil se legisse in actis concilii Pisani affirmat annalista. Verum in nostris actis sess. V. legimus in rem præsentem *De Pisa hospite insalutato recesserunt* (oratores Ruberti) *dimissa per eos quadam appellatione clam, & occulte.* Hæc ergo fortasse causa fuit, cur in actis, ab annalista consultis, provocationis hujus nulla mentio fieret, eo quod scilicet concilio palam intimata minime fuerit.

Sessiones reliquæ eo processerunt ordine eademque tractarunt, quæ annalista diligenter prosequi-

Gregorius &c. ad futuram rei memoriam.

Exponit studia ad eos ad se revocandos collocata.

Ut nil omitteremus de iis, quæ quomodolibet ad sacram unionem præsumi possent pertinere, vestigia nostri salvatoris sequentes, qui non solum debitorem decem millium talentorum contritum & rogantem absolvit, sed & sibi familiarem publicanum honorandum, correctum tamen, assumpsit, & pœnitentem Petrum negatorem Deitatis & perjurum suo gregi præfecit, prælibatos olim Cardinales superius nominatos hortati fuimus, & per aspersionem sanguinis crucifixi obsecravimus, quatenus infra terminum eis ad comparendum assignatum ad cor revertentes, suosque recognoscentes errores, ad nos benigne suscipiendi reverterentur pœnitentes, certificantes eosdem quod ad Cardinalatus commodum & honorem, necnon ad beneficia, quæ primitus obtinebant, quorum tunc alteri non foret jus acquisitum, misericorditer restitueremus, deletis inhabilitatibus, notis infamiæ, & quibuscumque censuris, quas ob sua scelera hujusmodi incurrissent, post prædictum terminum spe restitutionis penitus denegata, ut sic pœnitentes reversi & a nobis pie restituti ad sacræ unionis effectum, quem mundus pernicioso schismate fatigatus expectat, nobiscum cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus tractandum, & perficiendum assisterent, ac etiam attendentes quod, licet præfati olim Cardinales cum anticardinalibus fuissent requisiti, & instanter rogati per ambassiatores solemnes charissimi in Christo filii nostri Sigismundi illustris Regis Hungariæ, & dilectorum filio-

Qui concordiæ interpretes egerint.

NOTÆ quitur. Die vero XV. junii, sessione XVIII. celebrata, cardinales XXIII. in conclave secesserunt. Horum X. Benedictus XIII. reliquos Gregorius promoverat. Die XXVI. junii Petrus de Candia, dictus cardinalis Mediolanensis, qui Gregorio jam faverat, in pontificem communi Cardinalium assensu electus fuit, & Alexander V. appellatus. Is familia Filargonia fatus, teste Sanuto juniore in historia ducum Venetorum rer. Ital. to. XXII. olim Minoritarum ordinem professus favore Galeatii Vicecomitis, Mediolanensis principis, cui a sanctioribus consiliis aderat, in episcopum primo quidem Vicentinum promotus fuit, ait Niemius apud annalistam hic num. 71. cui adstipulantur anonymus Vaticanus, & alter qui additamenta ad Ptolomæum Lucensem in codice Patavino adjecit, quem utrumque produxit Muratorius rer. Ital. to. III. par. II. col. 842. Addunt ambo post Episcopatum Vicentinum, & Novariensem, ac demum archiepiscopatum Mediolanensem, quod postremum Niemius pariter asserit. Sed coævus author miscellæ Bononiensis dignitatum viri hujus gradus hoc ordine collocat: *Consigliere del Duca di Milano, poscia di Novara, indi di Vicenza, poi di Piacenza dopo arcivescovo di Milano, e finalmente cardinale.* Idipsum pariter de Placentino episcopatu affirmat Wadinghus in annal. Minor. quamvis alium inter dignitates illas ordinem constituit. Pontifice jam electo sessiones reliquæ, apud annalistam legendæ continuatæ sunt. Harum tamen sessionum numerus in variis codicibus varie assignatur; nam apud annalistam numero sunt XXIII. in actis apud Labbeum XXI. tantummodo. Item in aliis actis e codice Vindobonensi eruti apud eumdem, sessiones sunt XXII. sed cum mancus sit codex, nec exhibeat sessionem diei VII. augusti ea adjecta, quæ forte expressa erat in codice, sunt sessiones XXIII. Acta apud Martene Veter. monum. to. VII. signant XXI. sed hæc sessionem unam assignant diei XV. junii, quæ ingressui cardinalium in conclave destinata erat; nec conciliaris convocatio tunc ulla facta est; sicut & nullus pariter actus concilians in ea die præstitus in actibus illis memoratur. Hac ergo sublata sessione, acta illa nonnisi XX. sessiones exhibent; sed mendose profecto, cum sub una eademque sessione diei XXVII. julii ea conferant, quæ duplici in sessione, alia scilicet diei XXVII. julii altera vero diei VII. augusti peracta sunt, ut ex ipsa diei & mensis adscriptione in iis actis expressa constat. Hac igitur postrema sessione in duas secta, rejectaque sessione diei XV. julii, supersunt sessiones XXI. quot pariter acta apud Labbeum exhibent. Unde vero apud Annalistam, & in actis Vindobonensibus sessionum numerus ad XXIII. creverit ignoro: quamvis mendum ea in re irrepsisse ex consensu actorum Martenii & Labbei satis intelligo. Nec sane unicus hic est nævus actorum, quæ annalista consuluit cum & in catalogo Patrum, qui concilio adfuerunt, menda nonnulla animadverterit P. Cossartius in observationibus ad subscriptiones Patrum, legendas in to. XV. collect. Veneto-Labbeanæ col. 2247. Quamquam nec sinceriores subscriptiones illas Labbeus & Cossartius dederunt: sunt & æque mendosæ sunt illæ quas e Pisano codice Ughellius in Pisan. vulgavit. Multo auctiores atque emendatiores illas ex Taurinensi codice acceptas me dedisse blandior. Acta vero Vindobonensia in multis minus esse sincera ex eo colligo quod nec in diebus quibus sessiones habitæ sunt, cum aliis actis congruant: quæ in re reliqua omnia acta summa fide cohærent.

Superest quintum hujus anni concilium, quod Gregorius Utinum, vel in civitatem Austriæ nempe Forumjulium indixerat. Postmodum vero, prohibitus ingressu urbis Utinensis decreto principum ejus urbis, quod integrum recitat P. de Rubeis in notis ad concilium istud legendis in collect. Veneto-Labbeana to. XV. col. 1112. Forojulii celebrandum constituit. Eorum, qui tunc interfuerant, Episcoporum numerus ignoratur; sed unde acciti, invitatique venerint, deducimus ex enumeratione eorum locorum, quæ Gregorium pontificem recipiebant. Paruisse vero Gregorio tunc cum concilium agebatur, Neapolitanum regnum Ladislao subjectum, Malatestam Ariminensem & *Alemannos quosdam valde paucos* notat Georgius Stella in annalibus Genuensibus. Ex his locis accitis episcopis, pauci oppido ranique convenerunt in concilium die VI. junii Festo Corporis Christi solemni. Quid egerint, si pauca illa excipias quæ annales referunt, ignoro; cum in obscuro adeo concilium istud latuerit, ut scriptorem veterem neminem reperiamus, qui de illo aliquid tradiderit. Mera vero putaque ejus mentio apud unum Scriptorem additamentis ad historiam Ptolomæi Lucensis rer. Ital. to. III. par. II. col. 840. occurrit. MANSI

filiorum Michaelis Zeno ducis, & communitatis Venetiarum pluries, nec non per oratorem dilecti filii Malatestæ de Pensauro ad requisitionem dilecti filii Caroli de Malatestis quatenus pro bono hujusmodi unionis feliciter consequenda, neve per suum conciliabulum a nostro generali concilio separatum dicta unio retardaretur, sed forsan quod absit omnino impediretur, vellent a loco Pisarum discedere, & si non in loco nostri concilii ut dignum & justum esset, saltem in aliquo communi libero & sufficiente, ad quem locum communem, dimisso nostro loco, si quis per nos esset specialiter nominatus, nos parati eramus accedere, & per hoc nostram humilitatem & voluntatem, quam semper ad sacram unionem habuimus, & habemus efficaciter exhibere, iidem hoc facere pertinaciter, & obstinate penitus denegarunt, nullam concordiam aliam volentes, nisi quod sequamur eorum pravas affectiones, iniquitates, & errores, quæ totum statum primæ sedis, sive Romanorum Pontificum præcipitio exponunt, in tanta duritia permanentes, quod nedum videntur sacram unionem, quam verbis prædicant, realiter, & omnino refugere, sed etiam, proh dolor! ad perpetrandum, quantum in eis est, hoc schisma nefandum intendere, & novum idolum, idest alium antipapam in Dei Ecclesia veluti conflatilem vitulum procurare. Quorum considerantes malitiam & contumaciam obstinatam, pro bono universalis Ecclesiæ, cui auctore Domino præsidemus, gravibus nostri cordis aculeis pungimur, & ad procedendum contra eosdem mediante justitia sine prorogatione alterius termini pesurgemur.

Postulat Greg. concilium in tertio & libero loco fieri.

Abnuunt Cardd.

II. *Adveniente igitur prædicta trigesima die, videlicet hesterna, tunc propter festi solemnitatem consistorium non tenuimus, sed die immediate sequente videlicet hodierna, nobiscumque cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus in consistorio publico consistentibus, comparuit coram nobis dilectus filius magister Guillelmus Biordi de Latinis de Prata Pistoriensis diœcesis procurator fiscalis dictæ Romanæ ecclesiæ, & prædictorum olim Cardinalium ad dictum diem citatorum, & non comparentium & cujuslibet ipsorum contumaciam accusavit, ac petiit ipsos & ipsorum quemlibet per nos contumaces, & contumacem reputare, ac decerni, & declarari ipsos, & ipsorum quemlibet, in pœnas, & sententias prædictas, & in ipsis processibus contentas, & alias propter præmissa a jure, vel ab homine in talia perpetrantes inflictas, & quomodolibet promulgatas, seu etiam ordinatas incidisse, & alias eis & eorum cuilibet pœnas per nos infligi, prout nobis videretur, & justitia suaderet. Nos igitur dilectis filiis nostris Bandello tituli S. Balbinæ presbytero Ariminensi, & Petro Maria in Cosmedin Diacono de Venetiis vulgariter nuncupatis Cardinalibus vivæ vocis oraculo mandavimus, ut ad portas palatii nostri accederent, ut ibi per se & alios clamarent, & clamari facerent, ut si prædicti olim Cardinales vel aliquis eorum vel aliqui aut aliquis pro eis vel eo ibidem existerent, dictum palatium intrarent, & ad nostram præsentiam accederent: & deinde prædicti Bandellus, & Petrus sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales ad nos redeuntes dixerunt, se ad prædictas portas accessisse, & ibidem per se & alios clamasse, & clamari fecisse prout eis per nos mandatum fuerat, quod si iidem olim Cardinales vel eorum aliquis seu aliquis vel aliquis pro eis vel aliquo eorum existerent, dictum palatium intrarent, & ad nostram præsentiam accederent, ac retulerunt se prædictos olim Cardinales, aut eorum aliquem minime reperisse, nec etiam aliquem pro ejus vel ipsorum aliquo; propter quod prædictus procurator iterum petiit, prout prima petierunt, & superius est expressum.*

Servata in eos judiciorum forma.

Nos igitur præfatos Antonium olim Penestrinum dictum Aquilejensem vulgariter nuncupatum, Henricum olim Tusculanum, dictum Neapolitanum episcopos, Conradum olim tituli S. Crisogoni Militensem, Jordanum olim tit. S. Martini in montibus de Ursinis, Petrum olim tit. basilicæ XII. Apostolorum Mediolanensem, Joannem olim tit. S. Crucis in Jerusalem Ravennatem, Angelum olim tit. S. Potentianæ Laudensem presbyteros, nec non Raynaldum olim tituli S. Viti in Macello de Brancatiis, Baldassarem Cossa olim S. Eustachii, Othonem olim S. Georgii ad velum aureum de Columna, & Petrum olim S. Angeli præfatæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales diaconos, & quemlibet eorum de fratrum nostrorum consilio reputantes, prout sunt merito contumaces, ac volentes ut valuntee salva conscientia, tantam contumaciam, ac tot excessus notorios relinquere impunitos, in eosdem olim Cardinales propter hujusmodi contumaciam, excommunicationis sententiam promulgamus, & declaramus eos fuisse, & esse inobedientes, apostatas, schismaticos, blasphemos, perjuros, conspiratores, nec non ariolandi falsi & læsæ majestatis criminibus irretitos, & insuper propter eorumdem olim Cardinalium excessus & delicta, & alia supradicta declaramus eos fuisse, & esse privatos, ac de novo privamus omnibus officiis & beneficiis, dignitatibus atque Cardinalatibus, & eorum commodis & honoribus, & eos tamquam hæreticos decernimus puniendos. Innovamus etiam & publicamus prædictas declarationes, & privationes per nos Senis factas; in quarum prima prædictos Antonium olim Penestrinum episcopum Aquilejen-

III.

Lata sententia.

jensem vulgariter nuncupatum, Jordanum olim tit. S. Martini in montibus de Ursinis, Franciscum olim tit. SS. quatuor Coronatorum Burdegalensem, & Conradum olim tit. S. Chrisogoni militensis presbyteros, necnon Raynaldum olim S. Viti in Macello de Brancatiis, Odonem olim S. Georgii ad velum aureum de Columna, Petrum olim S. Angeli, & Baldassarem Cossa olim S. Eustachii diaconos Cardinales de fratrum nostrorum consilio declaravimus privatos a die transgressionis præceptorum nostrorum, quæ fuit undecima maii proxime elapsi, & ipsos de novo privamus Cardinalatibus, officiis, beneficiis, & eorum commodis & honoribus, in secunda autem declaratione & privatione, quæ fuit XXVIII. septembris, de fratrum nostrorum consilio privavimus & privatos declaravimus omnes Cardinales primo superius privatis, & declaratis privatis, adhærentes, & participantes in crimine, & nonnullos alios omnibus dignitatibus, honoribus, gradibus, officiis, & beneficiis; & nihilominus præsente populi multitudine copiosa, per hanc nostram sententiam pronunciamus, decernimus, & declaramus prædictos olim Cardinales propter prædictos excessus, in pœnas, & sententias in prædictis processibus Urbani VI. prædecessoris nostri contentas, & alias in talia perpetrantes tam a jure quam ab homine inflictas & promulgatas damnabiliter incidisse, ipsosque fuisse & esse privatos, & eos privamus quibuscumque dignitatibus, honoribus, privilegiis, & gratiis, necnon omnibus terris, locis, feudis, & bonis ac juribus & jurisdictionibus quibuscumque; quæ a nobis aut prædicta Romana ecclesia vel quibusvis aliis ecclesiis aut personis ecclesiasticis vel Romano imperio, seu quibusvis aliis quocumque titulo obtinent, ipsorumque bona, & jura omnia fuisse, & esse confiscata & ea confiscamus; ipsorumque olim Cardinalium personas detestabiles & infames esse declaramus. Et insuper omnes, & singulos qui præfatis olim Cardinalibus vel alicui eorum juramento fidelitatis seu homagii aut alterius cujuscumque obsequii debito, submissione, obligatione, vel pacto quacumque firmitate vallato prius tenebantur astricti, absolvimus & decernimus absolutos, ita quod nullus eis obedire, intendere, vel parere, nullus eis debita reddere, nullus eis respondere extra judicium vel in judicio teneatur.

Pœnis affecti.

IV. Episcopis præcipit Pont. ne illis adhæreant.

Monemus insuper omnes, & singulos patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, & alios ecclesiarum prælatos, nec non quoscumque clericos cujuscumque gradus, conditionis, vel status existant, ne dictis olim Cardinalibus vel alicui ipsorum contra nos, & Romanam ecclesiam, vel nostras, & ipsius ecclesiæ jurisdictiones, & bona servire vel adhærere præsumant: quod si secus egerint, eo ipso excommunicationis sententiam, & omnes alias pœnas in supradictos olim Cardinales inflictas & promulgatas incurrant. Mandamus etiam omnibus & singulis Christifidelibus utriusque sexus, cujuscumque status, ordinis, dignitatis, præeminentiæ, vel gradus existant, etiam si regali, reginali, imperiali, seu alia quavis præfulgeant dignitate, sub pœna excommunicationis, & aliis censuris, & pœnis gravissimis per nos imponendis, prout nobis visum fuerit, & justitia suadebit, ne ipsis olim Cardinalibus vel alicui eorum contra nos & Romanam ecclesiam, vel nostras & ipsius ecclesiæ jurisdictiones & bona favere vel adhærere præsumant: sint etiam ipsi olim Cardinales intestabiles, nec testamenti habeant liberam factionem; ad bona quoque aliorum ex testamento vel ab intestato nullatenus admittantur: nulla fides, nulla eis credulitas adhibeatur; sed a testimonio velut infames, & indigni totaliter repellantur. Sit eis indictus & cujuslibet ulterius publici officii exercitium interdictum. Et insuper, ut prædictorum olim Cardinalium eo major sit confusio, quo ipsorum culpæ potentius fuerint divulgatæ, omnibus & singulis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis sub excommunicationis pœna, quam ipso facto incurrant, nisi mandato nostro hujusmodi, post quam ad eorum notitiam pervenerint, per nostras literas ipsis episcopis vel eorum metropolitanis directas paruerint in effectu, districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsi prælati in singulis eorum ecclesiis, cum in eis major aderit populi multitudo, singulis diebus dominicis & festivis per unum mensem, campanis pulsatis, & candelis accensis & demum extinctis, & in terram projectis, per se vel alios, dictos olim Cardinales publice & alta ac intelligibili voce denuntient fuisse & esse excommunicatos, inobedientes, apostatas, schismaticos, blasphemos, perjuros, conspiratores, necnon ariolandi falsi & læsæ majestatis criminibus irretitos: & ipsos ut tales tam diu faciant a Christifidelibus evitari, donec ad cor reversi, suosque recognoscant errores, a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus absolutionis beneficium meruerint obtinere. Quod si forte dicti olim Cardinales, vel ipsorum aliquis in mortis articulo ab alio quam a nobis vel successore nostro Romano Pontifice fuerint absoluti, nihilominus decernimus, & volumus, quod ipsi perpetuo careant ecclesiastica sepultura: & si supervixerint, volumus, quod quam cito commode poterunt, coram nobis vel dictis successoribus nostris se personaliter repræsentent, satisfacturi & recepturi, prout justitia suadebit. Alioquin, ne propter hoc censuræ ecclesiasticæ eludantur, volumus quod ipsi olim Cardinales in eandem excommunicationis sententiam reincidant ipso facto: & quicumque, eosdem olim

Jussi Card. publice anathemate percelli.

olim Cardinales, vel eorum aliquem scienter præsumpserit ecclesiastica tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem condignam excommunicationis sententiæ se noverit subjacere, nec absolutionis beneficium obtinere mereatur, nisi propriis manibus ipsorum, vel ipsius olim Cardinalium vel Cardinalis corpora seu corpus exhumulent, & procul abjiciant ab ecclesiastica sepultura: & nihilominus locus ille perpetuo careat ecclesiastica sepultura, & nisi prædicti olim Cardinales se correxerint a prædictis excessibus & delictis, sine alia citatione aut monitione pœnas alias, quas pro nunc misericorditer omittimus, imponemus eisdem, prout nobis visum fuerit, & justitia suadebit. Nulli ergo &c. Dat. Arimini XIX. kal. februarii pontificatus nostri anno III.

V. Florentini sentiunt cum Cardinalibus. Sentiebant cum Cardinalibus Florentini, qui jam Pisas ad ineundos solemnes episcoporum cœtus concesserant, verebanturque Gregorii imperia in eorum ditione excipi: ad quos a suscepta mente in suas partes traducendos, vel saltem refellendum objectum perjurium, apologiam hanc scripsit (a).

(a) Lib. 3. ep. cur. p. 67.

Gregorius, &c. dilectis filiis nobilibus viris prioribus artium, & vexillifero justitiæ populi & communis Florentiæ salutem, &c.

Gregorii apologia ad eos transmissa. *Omnis catholicus, & fidei Christianæ zelator quantum teneatur pro fide Christi & sacra unionis dulcedine laborare, nec debet nec potest, si sanæ mentis existat, ullatenus ignorare, cum, & fidei documenta exhibeant, & ipsa natura unitatis amorem in cunctis animantibus etiam repræsentet, proinde cum nunc de re ipsa literas patentes, dilectissimi filii, habuerimus per manus unius, qui se vestrum dixit esse cursorem, sub vestri prioratus officii nomine vestrorum prædecessorum tempore datis, licet eorum gesta, & scripta in hac materia potuissent, & debuissent, prout vos ipsos nosse putamus, non ita inhonesta transire, attamen placide accepimus, & libenter, ac ipsarum contenta perspeximus diligenter,* Cardinalium causæ fundamentum. *cum nil vere gratius possit nostro præsentari conspectui, quam de re ipsa tractari cum modis & mediis per quæ possit non infici, sed perfici, sicut optavimus semper, & cupimus tota mente. Et ut sic firmiter credimus, nulla recognoscatis erronea a dilectis filiis communitate vestra catholica, sed a quibusdam civibus minus quam debita commotione deductis, quos in meliorem spiritum reducat Altissimus; & desiderantes, ut prædiximus exitum bonum rei, non tardabimus ultra ea, quæ oratores nostri, quos nunc apud vos debetis habere, exposuisse amodo debuerunt, etiam præsentibus respondere. Et ut præfatarum literarum continentiæ uberius satisfiat, ad ea quæ tangunt particulariter descendemus. Dicunt si quidem in primordio neminem esse debere, qui non habeat ad Dei Ecclesiam, sublato pestifero schismate,* Excusatio Gregorii quod ecclesiarum fœdus optaverit. *unitatem intendere, & quærere ejus pacem, & cum divina bonitate non sitis inferius membrum ipsius, nulla in re debere vos enixe magis, atque diligentiori cura laborare indicatis, quam dare pro viribus operam tantæ rei. Contentamur certe & lætamur, quod nec infimi sitis, sed potentes pariter, & fideles noscamini, & juvetis ut compleatur hoc sanctum Dei desiderium, atque nostrum, licite tamen & congrue, prout convenit, & aliter quam fuerint prædecessores ipsi vestri, qui ad multa indecentia devenerunt; & si tot legationum vices, quot apud nos, & Petrum de Luna transmisisse dicunt, pro re ista non profuerint, dolemus corde tenus & affligimur: sed novit Deus, & homines viderunt, tam ex vestris, quam aliis, qui adfuerunt, si volunt veritati hærere, quod per nos numquam defuit, nec remansit: & si tot sciverunt florenorum millia, quot provenisse scribunt de vestrorum finium beneficiis ad hæc trahi, bene scitis vos, & ipsi, qui sic scribunt, quod multo plura fuere quæ sub illo nomine pro vestra republica remanserunt, si illa modica voluimus, & quæ habuimus esse conversa pro urbis tuitione, quam non potuimus propterea defensare, neglectis etiam indigentiis propriis, quas portavimus pro tractatus unionis prosecutione, quam facimus tam ferventer, omissis omnibus cum prostratione personæ, quam & in æstatis ardore & in hyemis glacie omni submisimus periculo & jacturæ, deferentes propria, & cum evidentia personalis discriminis non semel sed pluries per ultima viatoris more vagantes, & incessam hucusque malignorum operante versutia, quam novistis.*

VI. Aliud Cardinalium argumentum. *Nil valuisse dicunt exhortationes & preces & oblationes factas nobis de Pisana, Florentina, & aliis civitatibus & oppidis vestris, &c. Exhortationes ipsas equidem atque preces admisimus, & habuimus gratas singulariter & benigne, & quantum in nobis fuit, valuere continue, & valebunt semper in omnibus possibilibus & honestis: sed quæ de vestrarum civitatum oblationibus tangunt, quomodo fuerint ut alii intelligant, expedit aperire: cum enim de provincia nostri patrimonii discessimus, & in Tusciam declinavimus, non volentibus, jam corruptis nostris, qui tunc erant, Cardinalibus per viam Lombardiæ ut deliberaveramus, transire & appropinquare Saonam pro re ista sancta perficienda si potuissemus, ad vos misimus & quæsivimus instantissime Florentiam, vel in alia ex vestris terris nobis magis grata, & facta accommoda receptari, dispositi ex tunc cum Altissimi gratia protectioni communitatis vestræ principaliter inhærere; & responsum fuit, non posse, nec velle,*

Respondet Gregorius sibi illusum a Petro e Luna.

si pars adversa non veniret: & nos ut veniret institimus totis viribus, eaque recusante, non voluimus habere. Perreximus Lucam, & cum gentibus vestris & per terras vestras fidenter & domestice, quantum scitis; & dum Lucæ essemus vestra semper loca quæsivimus, & ut pars adversa conveniret nobiscum in Pisis fecimus posse nostrum, dumque essemus in strictiori tractatu, adversarii ipsi pararunt insidias contra urbem, & contra personam nostram etiam conspirarunt, ut sic aliquos ex ipsis tunc Cardinalibus nostris, contra nos etiam ad invicem conspirantibus, subtraxerint a nobis, qui contra præcepta nostra Pisas perrexerunt, ut nostis, per aliquos ex vestris ducti, qui sub unionis colore talibus intendebant, ut tamen credimus, præter & contra mentem communitatis vestræ. Fecerant autem sic quod, ubi nos tam nostris minimum locum ex vestris non potuimus habere, ipsi conspiratores & fugientes a nobis Pisas obtinuerunt, & cum parte adversariorum nostrorum in ea postea se junxerunt: quonam igitur iste conformata fuerint oblationibus, quas tam amplas fecistis iniquitati & fi…ersi, quantum bonæ charitati convenerint, qualeque præparatorium fuerit unicui, quod a divisione & scandalis inchoassent, prudentia vestra judicet. Sed his missis, quæ vitio non fuere erroris vestræ universitati, ut credimus, per antea tunc non nota.

VII. *Tertia objectio Cardd.*

Veniamus ad alia, quæ literæ ipsa dictant, ubi ajunt scriptum esse, non qui inceperit, sed qui perseveraverit salvum esse, & ob id sanum habuisse consilium a doctoribus & jurisperitis & timentibus Deum, synodum spectare ad illos, qui olim Cardinales fuere & alios a jam diu pro schismaticis & hæreticis condemnatos, & pro illa Pisas concessisse eisdem; Respondeant qui talia scribunt, & qui tunc in vestris magistratibus præfuerunt, qui fuere doctores, & qui isti fuere periti & timentes Deum. Fuerant perditionis filii, ille olim Aquilejensis, & alter, qui appellatur de Turejo, & Baldassar Cosso, qui Antonium de Butrio & Petrum de Ancharano doctores suo jugo submissos mota præmiserat contra suam conscientiam autorantes, qui Antonius quæ dixerat & scripserat revocavit in mortis articulo, ut fideliter nobis constat. Fuerunt & illi olim Mediolanensis & Ravennas, qui seducti sunt, & secuti Baldassarem præfatum tanquam mali caput. Fuerunt ne isti consultores, qui contra christum Domini convenerunt in unum in civitate vestra Florentiæ de mense augusti proxime præteriti, dum pro conciliabulo ipso, quod synodum vocant, Pisas obtinuerunt pro sacro generali concilio per nos indicto die secunda julii præcedentis ad festum proximum pentecostes, si potuissent, impediendo, non veriti in tempore, ut in aliis, falso uti, fingentes præfatum conciliabulum xv. maii posuisse celebrandum in Pisis, cum dicti loci concessionem, ut dictum & manifestum est, circa finem dicti mensis augusti tantummodo obtinuerint, quam utinam non habuissent; & modo forsan res esset meliori unionis dispositioni propinqua.

Ut concilium prius indictum sit a Gregor. quam a Cardd.

Quare cum ab ambasiatoribus nostris qui tunc Florentiæ erant, quorum unus adfuit inter alios, vir singularis & doctor eximius dilectus filius noster Petrus Maroceno tunc notarius noster, & modo sanctæ meritis diaconus Cardinalis, clare ostenderetur eis omni ex jure contrarium, exaudire noluerunt? quare & cives vestri proprii doctores & magistri, tam religiosi quam sæculares, in opinione æquissima cum nostris oratoribus concurrentes, recusati fuere? Quare præclara concilia vestri populi vestrique communis noluerint admittere, dum negarent præstare assensum, magnum cognoscentes errorem tam de conciliabulo ipso, quam de concessione civitatis Pisanæ, ut sic illos tunc præsides vestros oportuerit pro sua & præfatorum malignitate fovenda ad vias pergere indirectas, &, prout apud nos notorium esse constat, civitatem ipsam concesserunt eisdem per viam baliæ Pisanæ ad hæc totaliter impertinentis, nisi forsan pertinens facta fuerit, prout fertur, pro observatione & executione promissionum, quæ de subtrahenda obedientia nostra facta fuisse dicuntur, quando cum gubernatore Januæ fuit conventum de habendo dominio civitatis Pisanæ? Multa autem cum præfatis civibus vestris in ipsa concessione civitatis Pisanæ & conciliabuli afferta, minus quam licite interventa, nolumus aperire: quæ tamen communitati vestræ non credimus fore ignota. Non fuit hæc perseveratio bona. Longe præstantior & Deo acceptior extitisset peccati accelerata correctio.

Varia acta pro obtinendis Pisis.

VIII. *Legatio Cardd. ad Greg. ut Pisano assentiretur concilio.*

Dicunt post hæc ad nos misisse, ut ad præfatum conciliabulum assentiremus accedere: quod quantum absurdum fuerit atque sit, judicet ipse Deus, & vestrarum conscientiarum maturitas velit justo judicio intueri, postquam ipsi agnoscere noluerunt, cum evidentissimis rationibus monstraretur omni jure omnique æquitate improbum & detestabile illud esse: sed esse debebat quod postea tempore suorum in officio successorum, qui viri modestissimi fuere, ad preces & instantias charissimi in Christo filii nostri Regis Hungariæ illustris & dilectorum filiorum ducis & communitatis Venetiarum, & subsecutione Caroli de Malatestis annuerimus loca mutare, & in tertio uno loco communi libero, & securo esse cum eis, ut sic ex utraque parte fieret sacrum generale concilium: quod licet in auribus vestræ communitatis, ut refertur, consonum videretur, illi tamen reprobe renuerunt, in sui conciliabuli obstinatione damnabiliter persisten-

Obtulit Gregorius, ut in loco congregaretur concil.

tes

ter, quamobrem dicunt ipsi vestro in officio praecedentes, per literas eorum praedictas exhortatos a multis obedientiam nobis tollere, postquam non volebamus nostra juramenta, vota, & promissa servare, nec aliquorum partes audire, & ob id convocasse praelatos, magistros & doctores, religiosos & alios sanctos viros degentes in locis suae ditioni subjectis, & cum eorum consilio obedientiam subtraxisse; prius tamen ad nos missa ano egregio & peritissimo domino Stephano Bonacursi oratore suo, & in nihilo proficiente, & cum conditione subtractionem ipsam fecisse, quod non ante sextum & vigesimum diem praesentis mensis martii locum habeat; declarasse quoque quod si infra hoc tempus volumus ad praefatum conciliabulum accedere, nosque libere & sponte determinationi illius conciliabuli submittere, atque quod determinationi praefatae stare nos obligabimus, vel si decreverimus infra praefatum XXVI. diem per nos vel legitimum procuratorem nostrum cum pleno & irrevocabili mandato ad praedicta renunciare papatui in manibus praefatorum damnatorum Pisis existentium, quos Cardinales appellant, aut alterius cujuscumque speciale mandatum ad praedicta habentis ab eis, tunc in illis casibus subtractio ipsa proinde sit habenda ac si non facta esset, ad praedicta nos orantes & obsecrantes cum oblatione salvi conductus pro nobis & societate honesta ad dictum conciliabulum accedendi, & haec est summa ad contextum scriptionis illorum vestrorum in officio praecessorum.

Ut Florentini se subduxerint a Gregorii obsequio.

Exclamationes querulae Gregorii.

Ah Pater omnipotens, unde tuis creaturis, quas de nihilo facis, praesumptio talis & tanta est, quod in sedem tuam sanctam quam pro ipsis conservandis, & salvandis constituisti in terris, non timeant insurgere tam proterve, unde est quod calumnias & fallacias faciunt ante te, qui omnia praesentia habes? Unde quod non erubescant tuae majestatis thronum, in saecula isto tam dulciter institutum, impellere & velle ducere velut monstrum? Parce, parce eis misericorditer, & ignosce, oramus suppliciter, & succurre, ne pereat grex tuus pro quo tu mortis patibulum tolerasti. Et vos filii dilectissimi, ab intimis cordis penetralibus exhortamur, ut fastus vestras veritatis in caelum, corda vestra figatis in Domino, nec vestrorum praedictorum in officio praedecessorum vestigia imitemini, qui dicunt convocasse concilium ad subtrahendum obedientiam apostolicae potestatis pro damnatorum obstinatione tuenda quam debuissent & deberent reprimere penitus & opprimere.

IX. Negat Greg. hypothesim Cardinalium.

Praesupponunt nos nolle juramenta, vota, & promissa nostra servare falsum totaliter affirmantes, cum & vota, & jurata, & promissa semper voluerimus & velimus, & in futurum continue intendamus integraliter observare, & mortem potius subire vellemus, quam desistere ab eisdem. Laudes Altissimo, qui hanc firmitatis gratiam nobis indulget: & firmum hoc teneatis, & tenere possunt, qui verum diligunt, non ut illi, qui asiunt de suo dominio convocasse concilium & saltem solum de sua ditione vocassent, ut praetendunt. Sed ut alii sciant, qui a longe distant, cum vobis, qui vidistis dicere non sit opus, quare & de Bononia nobis subjecta, sed occupata tyrannide per principaliorum unionis hostem & pacis Baldhassarem praefatum convocarunt generales illos Praedicatorum, Minorum, & Carmelitarum, ac sequaces ipsorum privatos, & justo Dei judicio tam per processus nostros, quam aliorum praedecessorum nostrorum summorum Pontificum condemnatos propter conspirationes & conjurationes ac sacrilegia contra nos commissa per eos? quare & alios quoscumque, & undecumque potuerunt habere nobis infestos & rebelles? quare & illos reprobos Aquilejensem, de Turcio, & Mediolanensem fecerunt praesides in concilio, & dilectum filium nostrum Lucam civem vestrum ibidem existentem presbyterum Cardinalem & Apostolicae sedis legatum noluerunt admittere, sicut prius receperant, & honoraverant in suo dominio ut Cardinalem pariter & legatum? quare & si concilium, prout decet, liberum esse volebant, vexillifer ille justitiae prima die surrexit in principio dicens, praemisso aliquali libertatis colore, deliberatum esse per dominium Florentinum nullis bullis domini Papae Gregorii obediri sub eorum dominio sive per privationem, sive per destitutionem praelatorum essent, & adhuc determinatum nullum denarium domino Papae Gregorio portari per collectores de jurisdictione ipsorum? quid aliud hoc erat, nisi suadere omnibus obedientiam nobis taliter subtrahendam? Quare & ad hunc finem die secunda cancellarium suum in introitu concilii fecerunt dicere quae dixit, & postea per dominum Laurentium de Rodulphis in publico etiam allegari? Quare & illi tres viri Dei, qui soli restiterunt & pro veritate nostra dixerunt, etiam uno ex eis pro justitia monstranda usque ad ignis introitum se offerente, si quis ex contrariis voluisset intrare, compulsi fuerunt & minis attriti, ita ut eos tacere oportuerit; immo & alium ex eis, qui tacere noluit, ut asseritur, deserere civitatem? sunt ne ista liberi concilii ostensiva? non certe.

De Balthasare sibi infesto conqueritur.

Lucas Card. Gregorii legatus repulsus a Florentinis.

Ut obtulerit se quidam pro Gregorii causa ignem ingredi.

X.

Dicunt praefatum Stephanum oratorem suum praemisisse, & nil profuisse, cum & ipse a nobis non nisi ardentem nostrum ad unionem affectum potuerit reportare, & deferre, per oratores ipsos nostros, quos actualiter nunc habetis, nos debite responsuros. Sed in hoc, prout in aliis, se gesserunt, cum oratorem ipsum suum post dictam eorum congregationem miserunt, & trium dierum terminum no-

Ut Florentini ex aula Gregorii abscesserint.

nobis dari fecerunt ad respondendum eidem, literae Florentiae datae die qua hinc orator ipse discessit, postea transmiserunt praeceptorias, & sub gravibus poenis minatorias subditis suis in nostra curia existentibus, si e vestigio non discederent, ambassiatorem ipsum dicunt ail profuisse, cum adhuc responsum non habuissent a nobis, quod habituri tamen erant, at habuissent minime expectarant; sique illud, ut debet, admittitur, proficuum utique valde erit & sancti operis perfectivum: sed ut nullus ex actibus suis ab altero discreparet, fecerunt ipsos in omnibus consimiles & conformes ad obedientiam etiam subtrahendam, licet parum restaverit; subtrahendum, cum preceptum fuit ab eis literas apostolicas non servari, & introitus canonicos interdici solum. Supererat atque restet nomen papatus, circa quod principaliter cum promissionibus & pactis abhorrendis illis vestris civibus bene notis omnis eorum astutia malignatur, & praefatorum reproborum ambitio tendit non respicientium unionem, nec quidquam, dummodo id sibi valeant quaerere quovis modo. O caeca cupiditas! o cupida rabies! o insana fragilitas hominum non verentium Dei sedem ascendere, ut illam cum damnatione aeterna sibi valeant vendicare! Procul vere fuat ipsi a nobis, qui illam graviter assumpsimus & solum Dei timorem & amorem, cujus nunc percepimus electionem nostram tam concorditer & spontanee factam esse, cupimus omnes istud cum intentione & aviditate intentissima unionem & pacem dandi populo Christiano, ad quae super omnia apud Deum nostrum continue & sincere retinemus incentum, & ob id praedictos nostros ad praesentiam vestram misimus oratores, tria habentes a nobis principaliter procurare.

Profitetur Greg. se retinere consilium de pontificatu ponendo.

Primum quod nostra veritas nostraque justitia, immo Dei locum habeat apud vos plusquam malignitas adversantium. Secundum quod inobedientiam velitis evadere, & in catholica fide & debita obedientia praestotione persistere, cum non hominibus, sed Deo vivo & vero impendatis; nec credatis quod hac quaeramus ob aliud quam ob suam reverentiam, & salutem vestram, & aliorum consideratione fidelium, pro quorum etiam interesse tenemur & sustinemus plusquam nostro, ne principes & magnates, communitates & universitates, & caeteri obedientia nostra taliter videant cum Gallicorum gloria se delusos, & exemplum perpetuum dimittatur in terris taliter & tam graviter excedendi. Tertium & ultimum est quod non velitis nostrum sanctum propositum perturbare, sed juvare, ut tenemini & debetis, & adversantes illos inducere ad locum tertium, communem, liberum, & universale concilium celebrare, & pacem ac perfectam unionem dare, quam cupimus & speramus: neque putetis quod de loco tertio dicimus, dilatorie sategimus: parati sumus, prout ab ipsis oratoribus nostris etiam debuistis habere, nos virum eligere Deum timentem, pacem amantem, schisma odientem, & cunctis respectibus unionem sacratissimam procurantem, qui pro parte nostra locum eligat supradictum, si ad idem potestis adversarios pro eorum parte deducere, quod recusare non debent, si pacem & unionem, quam ore praedicant, corde gerunt. Velit igitur quidquid per vestros actum sit in praeteritum devotio vestra, quam per illas strictiores & magis pias, quae possumus atque scimus obsecrationes in Domino requirimus & monemus, his nostris justis desideriis ad tantum bonum perficiendum juxta spem & fidem nostram reddere vos conformes, & si nulla alia causa vos inducat, saltem moveat illa Divina, quae super omnia est, bonitas & majestas. Dat. Arimini xv. id. martii pontificatus nostri anno III.

Instat ut locus tertius communis detur pro concil.

XI. Card. S. Sixti missus legatus in Pannoniam, &c.

Ad infringendos eorundem Cardinalium conatus, ac praesules, ne ad Pisanum, sed ad aliud a se indictum concilium proficiscerentur, avertendos, plures legatos amplissimis fretos mandatis in varias Christiani orbis partes decrevit, misitque Joannem Dominici pontificiae authoritatis vindicem tit. S. Sixti presbyterum Cardinalem in Hungariam, Poloniam, Russiam, Dalmatiam, aliaque regna finitima dato hoc diplomate (a).

(a) Lib. 3. ep. cur. p. 44.

Dilecto filio Joanni tit. S. Sixti presbytero Cardinali A. S. L. salutem &c.

Apostolicae ea de re lit.

Propter evidentem utilitatem Regum, praelatorum, principum, cleri, & populorum Hungariae ac Poloniae & illarum partium ne a zizaniorum praevenis satoribus, & ipsorum falsis & fictis persuasionibus circumventi in errorum devia rapiantur, & a veritate avertendo auditum ad fabulas convertantur, ac propter conditiones quassati, proh dolor! undique gregis dominici, quibus speramus per tuam circumspectionem providam, illo, qui in sublimibus suis terrae finibus pacem parat circa reformationem pacis, justitiae cultum, charitatis vinculum, & reductionem ad ipsius ecclesiae Romanae obedientiam, fidelitatem, ac devotionem praemissorum hujusmodi oberrantium quorumcumque, & ut existat cor unum omnibus in praemissis salubriter consuli & utiliter conveniri: & infra, *Te ad Hungariae & Poloniae ac Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Lodomeriae, Rassiae, Serviae, Bulgariae, Sclavoniae, & Russiae regna, caeterasque partes charissimis in Christo filiis nostris Sigismundo & Vuladislao Hungariae & Poloniae Regibus illustribus subditas, ac etiam comitatum Ciliae praesentialiter destinamus tibi in eisdem regnis & partibus plenae legationis officium ex apostolicae potestatis plenitudine, quam non ab homi-*

ne, sed a Deo recepimus usque ad prædictæ sedis beneplacitum committendo, &c. Datum Arimini VI. id. januarii pontificatus nostri anno III.

(a) Ib. ep. cur. p.51.

Tum Antonium (a) Cardinalem episcopum Portuensem nepotem suum in Angliam misit : is vero etiam in Germaniam ad Regem Romanorum, ut se Landulpho Cardinalium Pisis congregatorum legato Cardinali opponeret, est profectus : Navarat enim Landulphus sedulam adeo operam, ut Germanos ad conventus sacro epiphaniæ die Francofurti celebrandos adduxerit, promoveritque ut testatur Theodoricus e Niem (b). Interfuere iis Moguntinus & Colonienfis archiepiscopi, Robertus Romanorum Rex una cum aliis pluribus magnatibus & præsulibus, tum Francorum, Anglorum, ac multarum Germaniæ provinciarum oratoribus : cumque de redintegranda ecclesiarum conjunctione diebus sex agitatum esset, recurrente septimo, Antonius Gregorii legatus accessit, ac pluribus in ejus tuenda causa adversus Cardinalium cœtus Pisis coactos atque Landulphum egit. Quid vero post concertationes illas decretum fuerit, addit Theodericus, de quo paulo ante memoravi : *Et postea infra duos dies*, inquit, *Rex & Antonius prædicti, & paulatim etiam alii ad propria redierunt, concludendo finaliter quod Rex Robertus suos, & Moguntinensis & Coloniensis archiepiscopi & marchio Misnensis prædicti eorum ambassiatores ad Italiam mittere vellent ad sollicitandum factum unionis, &c.* pergit narrare author (c), ut Robertus Rex Antonium legatum honorifice habuerit, coluerit que, ac Gregorii partes defendendas susceperit ; tum Rigensem archiepiscopum, ac Wormaciensem & Werdensem episcopos oratores miserit, qui Pisis Pontificis causam agerent : perrexere ii ad Gregorium, qui ipsis est pollicitus, si Cardinales in alio loco ad concilium œcumenicum convenirent, sive Petrus e Luna constituenda ipsi die accederet, sive accedere recusaret, papales apices positurum. Ad promovendum itaque illud Robertus Romanorum Rex oratores Pisas proficisci jussit : ut vero Cardinales in pertinacia obfirmati Gregorii voluntatibus de alio deligendo loco, ut in eo id fieret, quod postea Constantiæ perfectum est, se accommodare detrectarint, dicetur inferius.

(b) Theod. e Niem. l.3. c.39.

Germanorum conventus Francofurti indicti.

Decreti ab his oratores.

(c) Ib. & Gobel. in Cosmod. c.89.

Urget Gregorius ut tertius locus deligatur.

XII. Pisani acta concilii.

Sessio I.

Interea inchoatum est Pisanum concilium vigesimaquinta martii die hujus anni, ac solemnibus supplicationibus habitis, peractaque re divina ad vigesimam sextam indicta est prima sessio, in qua Petrus Cardinalis Mediolanensis de excindendo schismate concionem habuit : ac deinde Petrus Alamannus archiepiscopus Pisanus ex concilii imperio decretum (d) Gregorii X. in concilio Lugdunensi de processione Spiritus Sancti ex Patre Filioque tamquam ab unico principio non duobus principiis ; tum ex concilio Toletano sanctionem (e) de modestia in synodis servanda ; denique de fide orthodoxa & schismaticorum æterno exitio hanc professionis formulam perlegit : *Ut lectum & recitatum est in generali Lugdunensi concilio continetur, tenet, profitetur, & firmiter credit hoc sanctum & universale concilium, & omnia alia, quæ de summa Trinitate & fide catholica, sacramentis Ecclesiæ, & ecclesiæ unitate hactenus docuit, & prædicavit, docet & prædicat sancta catholica Ecclesia, firmiter tenens omnem hæreticum, vel schismaticum cum diabolo, & angelis ejus æterni ignis incendio participandum, nisi ante finem hujus vitæ catholicæ fuerit incorporatus & reintegratus Ecclesiæ.* Exinde Simon Perusinus advocatus, ubi multa de Cardinalibus, qui mutuo se fœdere ad schisma tollendum conjunxissent, dixisset ; *Synodum*, ut ajunt acta, *exhortatus est, & postulavit ab ea, ut tanquam justus judex judicaret, & necessitati incumbenti Ecclesiæ provideret, &c.* Lectisque Gregorii & Petri e Luna provocationum formulis, criminis contumaciæ apud concilium eos postulavit : quæ actio in diem proximam, cum non comparuissent, extracta est, atque in secunda & tertia sessione judiciali forma in eosdem exercita.

(d) Extat in regest. Greg. X. lib.3. pag. 104. & in concilii actis edit. sue cap. de summa Trinit.

(e) Extant. v1. 4. 4. c. in loco.

Vetus decretum in schismaticos & hæreticos instauratum.

Provocationes Gregorii & Petri e Luna repudiatæ.

Sessiones II. & III.

XIII. Sessio IV.

In quarta sessione die xv. aprilis celebrata Ulricus episcopus Werdensis Roberti Regis Romanorum orator peroravit ad synodum, seque ac socios venisse est professus, ut pacem inter Gregorium & Cardinales conciliarent, attulisseque nonnulla dubia non disceptanda, sed commendanda memoriæ, quæ illustranda viderentur : a quibus petitum est, ut ea in scripta redigerent, ita enim omnem dubii nubeculam e Roberti Regis conscientia detersum iri. Proposita sunt in sacrario ecclesiæ S. Martini, die proxima Conrado e Susato Roberti oratore, una cum collegis Joanne Rigensi archiepiscopo, Mathæo Wormatiensi, & Ulrico Werdensi episcopis coram Cardinalibus ea dubia, de quibus in publica sessione mentio erat facta, non convocatam scilicet jure Synodum, moliri ipsos novum schisma, nullum juris servasse ritum, inconsultis primatibus, Regibus, & principibus concilium indici a Cardinalibus deficientibus a Pontifice non profuisse : si de Gregorii pontificatu ambigant, de ipsorum quoque cardinalatu ambigere debuisse ; nec de creando novo Pontifice, qui futurus sit ambiguus, utpote creandus ab his, quorum sit ambigua authoritas se ingerere jure posse : pluraque alia addidere, ex quibus Pisani præsules non se facile explica-

Cæsareus orator inter Gregor. & Cardd. pacem nititur componere.

(a) Ext. to. 22. de schism. pag. 63.

carent, quæ hac verborum formula (a) concepta fuerunt.

Reverendissimi patres & domini.

Excellentissimi principis & domini domini Roberti Romanorum Regis semper Augusti oratores exponunt coram vestris paternitatibus reverendissimis sincerissimam affectionem, quam semper habuit & hodie habet ad promovendum felicem statum & sacratissimam unionem sanctæ matris Ecclesiæ, & posse tenus laborandum ad remotionem istius pestiferi schismatis, ut sublatis universis animi passionibus, scrupulis, perplexitatibus, dubiis, difficultatibus, altercationibus, involutionibus, & erroribus quibuscumque conscientia singulorum etiam ab utraque parte possent servari & subsequenter, ut sincera, pura, integra ac totalis unio Christifidelium procurari valeat & introduci Domino concedente. Et quia omnibus & singulis circumstantiis hinc inde, ac processibus tam domini Gregorii, quam dominorum Pisis existentium maturis & frequentatis deliberationibus præhabitis diligenter, ponderatis, libratis, & pensatis regia majestas videre non poterat, quod concilio per dictum dominum Gregorium indicto ex una, vel etiam ex congregatione per V. R. P. in loco Pisarum facta, seu fienda parte ex altera posset sequi sincera, pura, integra, & universalis unio Christianorum ex dubiis & motivis, quæ ex literis factis & processibus utrimque habitis collecta sunt, atque infra clarius colligi possunt inferius annotatis.

Proponit non secuturam pacem, si Gregorius seorsum celebret concilium.

In primis quia, cum quæratur, quando subtracta sit obedientia domino Gregorio per reverendissimos dominos, &c. respondetur quod XI. maii proxime præteriti prout in literis eorum sub data Liburni prima die julii universis Christifidelibus directis clarius continetur, in quibus inter cætera sic dicitur de verbo ad verbum; Die XI. mensis maii proxime præteriti omnem, quantum in nobis fuit, obedientiam juxta juris exigentiam subtraximus & recessimus ab eodem; *dubium manifestum seu difficultas apertissima surgit ad oppositum, cum dicti reverendissimi domini, in quibusdam literis prædicto serenissimo domino Romanorum Regi per eos directis sub dat. Pisis die XII. maii inter cætera expresse scribunt in hac verba:* Nec nostræ mentis est a fide veritateque nostris erga prædictum dominum nostrum, dummodo modis hactenus per eum retentis succisis ipsum ad id, quod tenetur, effectualiter adimplere dispositum videamus, modo aliquo deviare, sed tali eventu obedientiam & reverentiam debitas exhibere. *Pro isto etiam facit tenor appellationis per eosdem reverendissimos dominos die XIII. dicti mensis maii contra dominum Gregorium interpositæ, in qua dicunt in hac verba:* Coram S. V. beatissime pater, cum omni debita reverentia in his scriptis appellando proponunt humiles servitores vestri, &c. *Et infra in eadem dicunt sic:* Quare, beatissime pater, cum omni obedientia, & humilitate, & reverentia. *Et infra:* A vobis, pater beatissime, irrationabiliter & secundum non rectam informationem decernente, ad vosmet secundum rectam rationem, & melius informatum: *Et infra:* A vobis, pater sancte, ejus vicario ad dominum nostrum Jesum Christum: *Notarii etiam cum in instrumento interpositæ appellationis scribunt in hac verba:* Pontificatus vero sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii divina providentia Papæ XII.

De tempore indicti concilii Pisani controversum.

Arguuntur mendacii Cardinales.

XIV.

Item quia dicitur in præfatis literis dominorum reverendissimorum patrum datis Liburnii prima die julii, quod omnem, quantum in eis fuit, obedientiam, juxta juris exigentiam abstraxerunt, ut superius inductum est; quæstio surgit sive dubium. Quæ solemnitas fuit in hujusmodi subtractione observata? dicunt namque dicti domini, in literis Regi Romanorum sub data XII. mensis maii directis, quod undecima mensis ejusdem hora XXII. recesserunt de Luca, & quia vigesima secunda hora solum per duas horas erat ante noctem, non videtur quod aliquam solemnitatem habuerunt, & maxime eis per viam & campos transeuntibus & in motu existentibus, & in tam brevi tempore. Item ipsi nunquam dominum Gregorium requisiverunt nec monuerunt, &c. nec consilium domini nostri Regis Romanorum, & aliorum principum, & prælatorum obedientiæ modo receperunt; sed certe domini de collegio partis adversæ non sic fecerunt, qui cum semel, antequam subtraherent obedientiam Benedicto, dominos de consilio Regis Franciæ & aliorum principum maturis & digestis deliberationibus præhabitis prius requirebant, & monebant, &c.

Objectum ipsos inconsultis principibus discessisse a Greg.

Item dicti domini in literis suis sub data prima julii superius inductum dicunt in hac verba: Requirimus, & monemus, quatenus ab ipsa Gregorii obedientia, penitus, & omnino desistatis, & recedatis, nec ei aut cameræ apostolicæ suo nomine de communibus, vel minutis servitiis, seu annatis beneficiorum, &c. aliquatenus respondeatis, &c. Dubium surgit quo juris ordine & qua justitia, hujusmodi requisitionem & monitionem facere potuerunt.

Quæritur quo juris ordine imperium Gregorii excusserint.

Item quæritur, vel dubitatur numquid dominus Gregorius adhuc sit Papa & pro tali tenendus in obedientia nostra: quod si sit quare sibi non est obediendum in licitis & honestis? & quare non ligant sententiæ suæ rationabiliter promulgatæ? quod si non quæritur quando, qua causa, & quomodo desierit esse Papa, seu nondum cesserit, &

ab

Et quomodo deserit esse Papa nec cedeut.

ab Ecclesia universali nondum condemnatus nec a jure communi depositus sit, nec coram suo judice de crimine haeresis, vel alio notorie scandalizante convictus sit vel confessus; immo ipse expresse neget quae sibi ab aliquibus obiiciuntur & impinguntur.

Item dubium est, utrum obedientia sit subtrahenda ad faciendum unionem, cum non sint facienda mala, ut eveniant bona. Item utrum obedientia fuit subtrahenda ante sententiam latam & ante causae, propter quam fieri debebat cognitionem. Item numquid tenemur lucrifacere animas aliorum cum maximo damno propriarum? nihil enim prodest homini, &c. Mirabile, immo detestabile esset se damnare ut alii redimantur agredi domum ut alii ingrediantur, se dividere ut alii uniantur, & se interficere ut alii salutis optata compendium consequantur. Item qua temeritate viri literati & periti qui sunt, vel saltem fuerunt de obedientia partis nostrae, audent dicere vel asserere quod vere obedientes Gregorio sint schismatis fautores, cum tamen nihil innovaverint, sed in terminis primis remanserint, & obedientiam solitam continuaverint, ac per Ecclesiam universalem de contrario nondum sunt informati, nec ad contrarium inducti? Haec dubia inducta inspiciunt subtractionem obedientiae per aliquos factam & aliis suasam per eosdem.

Urgentur Cardd. non debuisse negare obsequium sine consensu Ecclesiae.

XV.

Deinde surgunt dubia circa indictione concilii, & convocationes per dominum Gregorium, & etiam per reverendissimos dominos, &c. factas & promulgatas: & quia concilium domini Papae Gregorii fuit indictum, prout ex bullis suis manifeste habetur II. non. julii, & convocatio reverendissimorum Patrum fuerit indicta die XXIV. mensis junii, ut patet ex literis eorumdem dominorum, quibus indicebant suam convocationem in Pisis; surgit dubium quare dicti domini scripserunt serenissimo domino nostro Regi Romanorum literas sub dat. Liburnii XXVI. julii, continentes haec verba: Deliberavimus invicem convocare concilium generale ex utraque parte, cujus rei atque nostri propositi intimationem determinato loco, ubi optandissima congregatio hujusmodi fieri debeat, & oratorem nostrum praecipuum mittemus in brevi ad majestatem vestram. *In quibus literis videtur locum pro convocatione die XXVI. julii nondum fuisse determinatum; quomodo ergo die XXIV. junii immediate praecedentis plusquam per mensem ante ad illum locum poterant indicere convocationem fiendam? Praeterea est testimonium magnorum dicentium, quod per totum mensem augusti proxime praeteriti dicti domini nondum fuerunt certi de loco Pisarum.*

Arguuntur contradictionis circa tempus indictionis.

Item si die XXIV. junii convocationem suam indixerunt, quare in partibus Rheni, non remotissime distantibus, de mense octobris primo publicarunt per quemdam nuntium, qui habuit literas credentiae dictorum dominorum sub dat. prima die septembris.

Item Gregorius, qui secundum eos concilium suum posterius indixit in partibus Alamanniae, & praesertim Rheni, per duos menses suum concilium prius publicavit, quam domini supradicti.

XVI. Ut prius a Gregorio fuerit indictum.

Item in literis dominorum praedictorum pro convocatione, & congregatione fienda in Pisis habetur, quod hujusmodi convocatio facta sit per dominos de utroque collegio ad invicem unitos; nam in principio earumdem literarum dicitur in haec verba: Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctae Romanae ecclesiae Cardinales nunc in loco Liburnii Pisanae dioecesis commorantes, una cum collegio reverendissimorum in Christo patrum, & dominorum in parte alia Cardinalium. *Et infra versus medium dicitur:* Sic habitis inter nos consiliis firmavimus nos unire cum dominis alterius collegii; *Et post pauca:* Nos in unum univimus propositum. *Sed circa hoc oritur dubium; nam non videtur verisimile, quod ambo collegia convocaverint vel convocationem indixerint ante suam confoederationem; sed confoederatio prima facta est penultima junii, ut patet ex tenore instrumenti desuper confecti per quatuor vel quinque dies post indictionem convocationis.*

Item nonne convocatio concilii pertinet ad Papam dispositum ad convocandum, & qui quatenus in se est, indixit concilium, & convocavit? & respondent aliqui, quod hoc sit verum de Papa indubitato; sed quomodo Papatum Gregorii revocant in dubium, cum tamen in instrumento confoederationis sic dicatur: Et intendentes ad remedia fortiora, non quid juris pro parte eorum justitia suadet; quod jus verissimum est, & plena veritate fulcitum.

Ut convocatio concilii pertineat ad Papam dispositum ad convocandum.

Item si dubitant de Papatu Gregorii, quare simili ratione non dubitant de suo cardinalatu? quod si dubitant, tunc ex simile dubio non habent se intromittere de electione summi Pontificis contra practicam, quam habent prae manibus.

Si dubitent Cardd. de papatu Gregorii, dubitent ergo de suo cardinalatu.

Item pari ratione haberent dubitare de papatu Innocentii VII. & Bonifacii IX. & fortasse Urbani VI. & sic videntur in quamdam opinionem cum Gallicis, qui a principio diviserunt Ecclesiam, incidere, & in dando Gregorium & alios in summos Pontifices, totam obedientiam nostram videntur decepisse, si fas est dicere. Praeterea in literis, quas scripserunt Romanorum Regi post assumptionem domini Gregorii sub dat. X. decembris dicunt in haec verba: Post solemnes de futuri Pontificis electione tractatus, illo divinitus inspirante, qui cuncta perpetua ratione gubernat, vota nostra in reverendissimum in Christo fratrem & dominum ex nostro collegio dominum Angelum

Incidunt in Gallorum schisma.

gelum tituli S. Marci presbyterum Cardinalem, confratremque nostrum ad culmen dignitatis apostolicæ, post divinæ gratiæ munere, universis ejus exigentibus meritis, nec immerito ascensurum, nemine discrepante direximus ipsumque confratrem nostrum die ultima novembris in dominum nostrum elegimus atque patrem, &c. *In quibus verbis non prætendunt eum elegisse in Papam dubitatum; si enim de suo papatu dubitaverunt, quare eum elegerunt, & ut talem toti nostræ obedientiæ promulgarunt.*

Revincuntur suis literis.

Item dubium est, utrum dominus Gregorius in convocatione facta in loco Pisarum teneatur comparere; & si non venit, an possit judicari: dubium autem surgit ex hoc, quia major pars prælatorum in Pisis existentium est de parte sibi adversa, quæ partem nostram semper reputavit, & prædicavit schismaticam: alii autem fere omnes subtraxerunt domino Gregorio obedientiam & fecerunt se partem contra eum, & incusaverunt eum, & crimina manifeste imposuerant ante sententiam latam: modo non videtur, quod adversarii sint competentes judices vel conjudices, nec videtur quod quis ad vocationem talium teneatur comparere.

Obiicitur maximam partem præsulum Pisis consistentium compositam ex schismaticis antiquis.

XVII. *Item convocatio concilii videtur habere vim citationis, quia quæ in ea aguntur jurisdictionis sunt. Dubium igitur remanet, quare dicti domini suam convocationem die feriato indixerunt, scilicet ipso die Joannis Baptistæ, & ad diem feriatum convocarunt, scilicet ad festum Annunciationis proxime præteritum, cum talis saltem vi citationis nulla sit ipso jure.*

Item dubium est an convocatio concilii possit fieri ab illo, seu illis, qui nullam habet vel habent auctoritatem super convocandos, & præsertim super concilium, cujus ipsi Cardinales non sunt superiores, nec videntur habere aliquam auctoritatem super ipsum nec ordinariam nec delegatam.

Controvertitur Cardinalium auctoritas in convocando concilio.

Item videtur quod convocatio ad Pisas facta per dictos reverendissimos patres ipso jure non mereatur dici concilium, eo quod concilium debet esse liberum, sed istud est restrictum & limitatum; unde dicitur in litera convocationis in hæc verba fere post medium vel circa: Finisque imponatur schismati per viam mutuæ cessionis, &c. *Et infra.* Est enim nostra, & dominorum de collegio alterius partis intentio, & irrevocabile propositum, quod cum iis qui veniunt ad dictum locum & terminum provideatur fidei, & Ecclesiæ juxta effectus prædictos. *Numquid volunt ipsi imponere legem Spiritui Sancto? numquid non sunt dabiles aliæ viæ rationabiles pro unione Ecclesiæ sanctæ, &c.*

XVIII. *Item in casu quo dominus Gregorius veniret Pisas, & vellet renuntiare; non veniret Benedictus; Dubium est an deberet renunciare, cum postea posset contingere quod Benedictus manere vellet in sua possessione prætensa, quia posset dicere: Ego jam sum unicus, & nullum habeo contendentem de pari, cur vultis me privare & compellere ad cedendum? & istud veniret ad ignominiam & verecundiam partis nostræ, & maxime quia dicitur quod domini de parte adversa nondum subtraxerunt obedientiam domino suo.*

Item si Benedictus non veniret, vel nollet renunciare, videtur quod Gregorius obligetur ad renunciandum, prout colligi potest ex tenore instrumenti conclavis, &c.

Si antipapa non cedat Papam non teneri ad cedendum. Hic nodus litis.

Item terminus ad conveniendum assignatus videtur esse nimis brevis quo ad omnes nostræ obedientiæ partes, quia plurimi fideles nostræ partis tantum distant, quod modo humano non possunt prælati vel alii eorum nomine ad locum Pisarum devenire. Si ergo non veniant, non tamen sunt contumaciter absentes, & per consequens congregatio hic facta, non meretur dici concilium generale. Hæc circa convocationem & indictionem dubia occurrebant.

Tempus ad conveniendum nimis breve.

Demum dubitatur circa dominorum unius collegii cum dominis alterius unionem, utrum ne alterum istorum collegiorum sit verum & alterum prætensum. Præterea quomodo & quo jure potuit unum habilitare, reliquum absolvere, dispensare, famæ restituere, cardinales creare; utrum istud pertinet ad Cardinales &c. Plura alia multa possent induci dubia, quæ brevitatis gratia sunt prætermissa.

Controvertitur quomodo unum collegium possit anticollegium cardinalatus dignitate donare.

Verum reverendissimi patres, &c. quod non obstantibus præmissis & pluribus aliis serenissimus princeps & dominus noster dominus Robertus Romanorum Rex acerbissimi cordis dolore tactus intrinsecus, verbis & rebus vellet, prout semper voluit, quod istud miserabile dissidium & detestandum schisma auferretur penitus de Ecclesia sancta sic quod fieret sincera, pura, integra, & universalis fidelium unio & concordia; & quia concilio & convocatione prælibatis timet, ut præmittitur, id fieri non posse, fretus magnorum principum dominorum, & sapientum concilio commisit nobis suis ambassiatoribus, quatenus dominum Gregorium & reverendissimas paternitates vestras ad conveniendum pro certo termino temporis congruenti in uno loco tertio partibus congruo in quo dominus Gregorius faceret id, ad quod voto & juramento se astrinxit, pro parte sua regia majestatis inclinaremus, & induceremus, ut sic omnibus dubiis, perplexitatibus, scrupulis, & difficultatibus, ac novis divisionibus, præcipue in parte nostra, sublatis & exclusis, sincera & pura ac universalis unio sequeretur in Ecclesia Dei; adjiciendo quod sive dominus Gregorius in dicto termino & loco compareret, & debitum suum fa-

Porrectæ preces ut tertius locus communi consensu designetur.

faceret sive non, nihilominus ad effectum inceptum, scilicet ad electionem unici summi pastoris procederetur, quia ex tunc appareret, quod dominus Gregorius nollet facere debitum suum; & vellet majestas regia deinceps cum eis laborare, & eis assistere totis conatibus & viribus, corpore & rebus. Et pro isto, nomine dicti serenissimi Regis supplicamus, instamus, & petimus, ac postulamus exhortantes, vos Reverendissimos patres, & dominos, omnes & singulos prælatos, patres & dominos in ista congregatione simul considentes, seu existentes, quatenus propter sanguinem Jesu Christi, & propter amorem intemeratæ Virginis Mariæ, & totius curiæ cælestis, & propter salutem plurimarum animarum procurandam, & infinita pericula spiritualia & temporalia excludenda, ad id ipsum velitis adhuc hodie inclinare: Numquid pro una anima lucranda expediret magnam rem facere? multo magis incomparabiliter ad lucrandum plures animas, ad cavendum innumeras strages, ad præveniendum destructiones, & desolationes ecclesiarum, monasteriorum, cænobiorum ac pro universali, integra, atque pura unione facienda, & procuranda brevis mora cum assignatione alterius loci commodi nullatenus esset denegunda. Ego magister Conradus e Susate sacræ theologiæ professor præsentavi die XVI. aprilis MCCCCIX. præsentem cedulam dubia per episcopum Verdensem expressa continentem.

XIX. Cæsarei oratores Pisis abscedunt.

Addunt acta Roberti Regis Romanorum, oratores, motis iis dubiis, non expectato responso discessisse: *Nota*, inquiunt, *quod die dominico XXI. aprilis omnes oratores domini Roberti Romanorum Regis electi insalutato hospite de Pisis recesserunt, nolentes aliquam declarationem sacri concilii super dubiis suprascriptis expectare.* Verum antequam abirent, quamvis id in Pisanæ synodi actis non tradatur, dictus Conradus e Susato Roberti Regis Romanorum orator a Cardinalium & præsulum cœtu Pisis congregato ad aliam œcumenicam synodum indicendam a Gregorio provocavit: qua de re confectæ sunt publicæ tabulæ (a), quibus Gregorii causæ munimenta præcipua sunt comprehensa, quæ licet superius perstricta fuerint, repetenda tamen visa sunt ob rei gravitatem, ut magis illustretur causæ Gregorii æquitas, quam Pisanus conventus oppugnabat.

(a) *Ext. to. 22. de schism. p. 66.*

In nomine domini. Amen.

Provocatio a Roberti oratoribus edita contra Pisanos.

Anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo nono indictione secunda pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii divina providentia Papæ XII. anno tertio, die decima nona mensis aprilis hora primarum vel quasi in ecclesia S. Catharinæ ordinis Prædicatorum in civitate Pisarum in notariorum nostrorum testiumque subscriptorum præsentia personaliter constitutus honorabilis vir dominus Conradus de Susato canonicus ecclesiæ Spirensis, in sacra theologia & in artibus magister procurator, & procuratorio nomine serenissimi & gloriosissimi principis & domini domini Roberti Romanorum Regis semper Augusti constituentis, prout de ejus mandato per literas patentes sigillo majestatis dicti Romanorum Regis in cera crocea impendente sigillatas plenam fecit fidem, animo & intentione appellandi & provocandi tenens in suis manibus, quædam papyri folia, quamdam appellationem seu provocationem in se continentia, hujusmodi appellationem, seu provocationem interposuit, appellavit, & provocavit, Apostolos petiit, & protestatus fuit, omniaque & singula alia fecit & facere se dixit, quæ in dictis papyri foliis continentur, quorum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

Coram vobis discretis viris notariis publicis tamquam personis authenticis & fidelibus, & testibus hic astantibus fidedignis ego Conradus de Susato in sacra theologia & in artibus magister canonicus in ecclesia Spirensi procurator & nomine procuratorio serenissimi & excellentissimi principis & domini domini Roberti Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti præcipui defensoris & advocati Ecclesiæ sanctæ Dei, animo & intentione appellandi & provocandi & Apostolos petendi & recipiendi atque præstandi melioribus & efficacioribus modo, via, jure, causa, atque forma quibus possum & debeo, dictusque dominus meus potest & debet, dico & propono, quod licet dudum felicis recordationis domino Innocentio Papa VII. ab hac vita mortali subtracto, tunc episcopi presbyteri, & diaconi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, qui tunc erant, celebratis ejusdem quondam domini Innocentii funeralibus, atque ejus corpore ecclesiasticæ tradito sepulturæ per electionem summi Pontificis in conclavi secundum formam sanctorum canonum congregati, omnium & singulorum vota omnia & singula concorditer nemine discrepante in sanctissimum in Christo patrem & dominum dominum Angelum titulo S. Marci presbyterum Cardinalem, ipsorumque confratrem, ejus exigentibus meritis divinitus inspirati direxerunt, ipsumque in summum Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontificem elegerunt, inthronizaverunt, & ut talem venerantes adorarunt. XX. Creationis Gregorii series.

Et nonnullis interjectis, quibus a cardinalibus ut justum Pontificem habitum, promulgatamque toto orbe illius electionem describit, subjungit.

Nihilominus dicti domini olim Cardinales omnes & singuli, uno dumtaxat excepto, suæ salutis immemores, inobedientiæ filii, nescitur quo ducti spiritu foris XXI.

Objectum Cardinalibus eos scindere ecclesiam.

aggressi contra sacerdotem Domini, & relicto suo Rege rebellarunt, & Ecclesiam sanctam Dei, quæ in unitate consistit, ad cujus defensionem prælibatus serenissimus dominus meus constitucione astringitur & obligatur, scindentes & scindere molientes, se schismatis contra Papam irreligiosa temeritate instituerunt, nec non sua temeritate usque ad hoc prosilire, & suam divisionem catholicam esse credentes ecclesiam, cathedram sibi constituere, atque primatum assumere conantes, ab eo quod unum est semetipsos segregarunt, & licet præfati olim domini Cardinales die XI. mensis maii proxime præteriti omnem obedientiam dicto sanctissimo domino nostro Gregorio se scripserunt subtraxisse, prout in literis suis datis Liburnæ primo die mensis julii clarissime continetur, in quibus dicitur inter cætera, quod undecimo mensis maii proximo præteritis omnem, quantum in nobis fuit, obedientiam juxta juris exigentiam abstraximus, & recessimus ab eadem; quæ & tenorem literæ ego procurator prædicta nomine procuratorio, in quantum faciunt pro justificatione, & verificatione præsentis appellationis, habere volo pro insertis, plurimum tamen magni potentes & sapientes viri revocant in dubium an dicta die, prout scripserunt, ipsi obedientiam abstraxerunt, eo quod idem domini Cardinales in aliis suis literis datis Pisis XII. mensis maii scribunt quomodo die XI. maii recesserunt de Luca hora vigesima secunda, hoc est per duas horas ante noctem; & in eisdem literis circa finem habentur hæc verba: Nec nostræ mentis est a fide veritateque juris erga præfatum dominum nostrum, dummodo modis hactenus per eum retentis succisis ipsum ad id quod tenetur effectualiter adimplere, dispositum videamus, modo aliquo deviare: sed tali eventu obedientiam & reverentiam debitas exhibere. Cum igitur duodecimo die maii non habebant intentionem obedientiam subtrahendi juxta jam expressa quomodo stabit quod die immediate præcedente subtraxerunt obedientiam.

Objectæ aliquæ contradictiones in eorum scriptis.

XXII. Item die XIII. dicti mensis maii appellationem quandam interposuerunt, in qua coram domino Gregorio tanquam sanctissimo domino & patre sanctissimo cum omni reverentia tanquam humiles ipsius servitores appellarunt; quinimo dicunt in ea: A vobis pater beatissime irrationabiliter & secundum non rectam rationem decernente, ad vosmet secundum certam rationem & melius informatum. Notarii quoque ipsum in instrumenta cui appellatio est inserta, sanctissimum in Christo patrem scribunt, & appellant, &c. ex quibus luce clarius habetur quod tunc scilicet die XIII. maji ipsi olim domini Cardinales & eorum notarii dominum Gregorium pro sanctissimo Patre & domino & summo Pontifice manifeste scripserunt, nominarunt, & recognoverunt; quomodo igitur scribunt, quod undecima die dicti mensis maii obedientiam subtraxerunt? ecce inculcationem, ecce involutionem, ecce dubitationem mentibus principum dominorum, & aliorum virorum sapientum ingestam; & si sic erraverunt in principio, non est mirum quod in fine gravius erraverunt, dicitur namque: Parvus error in principio maximus est in fine. Esto tamen quod præfati domini olim Cardinales die undecima mensis maii obedientiam domino Gregorio subtraxissent, quod tamen ex præmissis non apparet, quia tamen, ut scribunt in dictis literis, hora vigesima secunda per duas scilicet horas ante noctem recesserunt, evidentissime constat, quod nullam solemnitatem nec ordinem juris in re tam grandi, & nova, sicut merito servassent, servaverunt. Vix sufficiebat eis tempus Pisas accedendi ante noctem, & ecce obedientiam subtrahere concluserunt, & eam subtraxerunt, ipsumque sanctissimum dominum nostrum Gregorium contra justitiam & juris ordinem, ut apparet, spoliaverunt: ubi deliberaverant? in campo: Ubi concluserunt? in diversorio. Ecce præcipitationem factam in principio: non enim immerita prius dominum Gregorium monuisset, quod nisi votis, & juramentis satisfaceret, obedientiam sibi subtraherent. Nunquid attendere debebant, cum quanta maturitate, quanta rei solemnitate Gallici processerunt cum suo domino, quem vocant Benedictum, cum semel sibi obedientiam subtraherent? literas autem, & instrumenta appellationum, & alia superius inducta, in quantum faciunt pro justificatione præsentis appellationis, &c. ego procurator præsentibus habere volo pro insertis.

Arguitur præceps eorum deliberatio in denegando obsequio.

XXIII. Præterea dicti olim Cardinales prioribus non contenti, sed pejora malis adjicientes, præfato domino nostro sanctissimo domino Gregorio multiplices injurias verbis, scriptis, atque factis, cum nulla contra eum adhuc esset lata sententia, cum etiam ipsi non essent, nec deberent esse judices in causa propria contra juris, & justitiæ ordinem, & omnem humanam æquitatem, in multiplex opprobrium sedis Apostolicæ, universalis Ecclesiæ, obedientiæ nostræ, & in cleri vilipendium, & totius cleri statut denigrationem multipliciter irrogarunt ab executione sententiæ nondum latæ inchoantes, sicque prædicti olim Cardinales per literas suas & pseudoapostolas præfatum sanctissimum dominum nostrum nondum juste convictum, nec confessum prædicarunt, intimarunt, & publicarunt quasi per totam Christianitatem perjurum, votifragum, schismaticum, imma schismatis auctorem, & hæreticum. Numquid est hic modus procedendi tantorum virorum olim in

Arguuntur Cardd. publicam eos offensionem injecisse Ecclesiæ.

Gregorium non convictum ut perjurium promulgasse.

tanto fastigia dignitatis constitutorum, ad quos oculi aliorum fidelium sicut sagittarii ad metam respiciunt jurgiis, blasphemiis, & maledictionibus partem adversam ante sententiam latam tam turpiter & detestabiliter infamare? Numquid ista sunt media ad concordiam & unionem inducendam? Numquid bonus finis bene etiam intentus per bona, & apta media bene, & rationabiliter est prosequendus? Numquid scriptum est; Quod justum est juste exequaris?

XXIV. *Item quis est iste modus a saeculo inauditus, quod dicti olim domini Cardinales, qui hucusque a tempore domini Gregorii, & sui praedecessoris fuerunt duces nostrae obedientiae, anticardinales Gallicos pridem excommunicatos, anathematizatos, & indignos aliquo praelationis titulo nominare, quinimmo schismaticos, & illius nefandi schismatis in ecclesia sancta Dei inductores, & nutritores vocant & scribunt reverendissimos patres, & dominos, quinimo & Cardinales sacrosanctae Romanae ecclesiae, & sanctissimum dominum nostrum Gregorium vocant, & scribunt schismaticum & schismatis nutritorem? Bene hoc potest conversio in oppositam qualitatem appellari, cum tamen ipse sanctissimus dominus noster nec schisma induxit, sed pluribus, proh dolor! annis ante eum fuit & duravit, nec iis qui schisma induxerunt, favet, & assistit; fomentum namque schismatis illis attribuitur, qui schisma faciunt vel fecerunt, inducunt vel induxerunt, & in hujusmodi perseverant, vel eisdem assistunt, &c. Sed nihil ad eos, qui non sunt sibi conscii alicujus culpae in hoc facto; sicut enim schisma Graecorum non est Latinis imputandum, ita nec schisma Gallicorum seu per Gallicos introductum capiti, vel membris obedientiae Romanae. Ipse insuper pro sublatione schismatis, cum nondum duobus annis esset in pontificatu, concilium generale decernere voluit, decrevit, & per suas patentes literas, prout infernum plenius dicetur, induxit, ut unio & pax daretur ecclesiae: denique literis suis, & nunciis omnes, & singulos sub obedientia domini Gregorii consistentes requisiverunt & hortate sunt, ipsisque nihilominus mandaverunt, quantum in eis erat, ut ipsi & eorum singuli domino Gregorio obedientiam subtraherent; cum tamen ad hujusmodi subtractionem nondum essent causae sufficientes ad lucem positae. Mirabile visum est, quod de tanta volebant se intromittere: quis enim constituit eos judices Gregorii, & totius obedientiae nostrae, & praesertim Germaniae? Constat eos velle omnes a Romano Pontifice declinare: quod si factum fuisset, quis tempore medio dispensasset in casibus Papae reservatis? quis cognovisset in causis appellationum ad eum devolutis? quis etiam pallium dedisset, & archiepiscopos confirmasset? &c.*

Et fecisse societatem cum schismaticis non dissolutis prius censuris.

Arguuntur a quo acceperunt, ut sint judices Gregorii.

XXV. *Praeterea sanctissimus dominus noster dominus Gregorius, videns se non posse perficere, nec concordare cum eo, qui se vocat Benedictum ab alia parte ad viam cessionis perficiendam, conclusit pro unione in ecclesia Dei perficienda viam concilii generalis, prout etiam illud convocavit, & indixit per certas litteras suas apostolicas sub data tertio nonas julii, in festo scilicet pentecostes proximo futuro, quarum litterarum tenorem, in quantum faciant pro verificatione praesentis appellationis, & non aliter, ego procurator habere volo pro insertis; & verisimile est quod ipse dominus Gregorius diu ante concilium concluserat: sed antequam litterae conficerentur habuit cogitare de congruis tempore & loco, quibus deberet convocari. Verum ut ipsi domini Cardinales praefatum dominum Gregorium etiam in hoc sanctissimo proposito praevenirent, praeoccuparent, & impedirent cum quibusdam anticardinalibus & schismaticis, dudum per dominum Gregorium, & suos praedecessores ex causis anathematizatis, & quocumque praelationis titulo privatis atque condemnatis, & pro schismaticis reputatis, atque a gremio & consortio sanctae matris Ecclesiae, eorum exigentibus demeritis prorsus exclusis, se univerunt & junxerunt, ac unum quoddam cum eis, ut asserunt, praetensum collegium, nullum caput habentes neque recognoscentes, de facto licet non de jure, effecti quoddam praetensum concilium, quod potius conventiculum, vel conciliabulum dici debet, per certas suas literas sub data anticipata, ut vehementer praesumitur, fabricatas in civitate Pisarum in festo annuntiationis Virginis gloriosae lapso sub data Liburni vigesimaquarta mensis junii indixerunt. Ex quibus quidem literis quot dubitationes, quot inculcationes & involutiones in cordibus principum, & dominorum, & Sapientum, ac Christifidelium exortae sint, vix poterit calamo scribi, vel lingua explicari, eo quod isti domini olim Cardinales, quantum ex ipsis eorum literis luce clarius habetur (quas etiam, in quantum faciunt pro verificatione praesentis appellationis, ego procurator habere volo pro expressis) nova numquam prius visa vel audita attentare conati sunt, semitas antiquorum, & sanctorum patrum, & sacrorum canonum doctrinas omittentes, obliquas ac dubias ambulare ceperunt vias, prout & illas continuant de praesenti: & nihilominus in neglectu posuerunt omne id & totum quod est honestatis, consolationis, & conservationis obedientiae nostrae, & Ecclesiae sanctae Dei, de suis omnimodis confusione, desolatione, ruina, atque divisione minime curantes: unde, ut de pluribus pauca tangantur, primo videamus de praeoccupatione; ex literis namque eorum pro concilio celebrando destinatis, de quibus statim facta est mentio, manifeste habe-*

Excusatur Gregorius, quod viam concilii inierit.

Objectum quod sint acephali.

Non sequuti leges canonicas, sed humana commenta.

betur quod unio ipsorum olim Cardinalium cum anticardinalibus præcessit ipsam prætensi sui concilii indictionem, dicentes prius se esse unitos, & postea matura deliberatione conclusisse concilium convocandum; unde dicitur in dictis literis inter cætera: Quibus visis, & pluribus habitis inter nos consiliis, firmomus nos venice cum dominis alterius collegii, & Liburnum accedentibus nobis, qui locus est prope civitatem Pisanam ejusdem diœcesis, ac de eis dominis Cardinalibus ex altera parte in sufficienti numero nobiscum congregatis in unum, nos univimus propositum, &c. *Et nihilominus, ut habetur ex literis suis super eorum unione datis Liburni penultima die mensis junii, literæ concilii datæ fuat per quatuor dies ante, quia vigesima quarta junii. Ecce quomodo in scriptis eorum daat intelligere sibi invicem contradictoria, quia ante indictionem convocationis concilii fuerunt uniti cum anticardinalibus, & non fuerunt uniti. Quis sanæ mentis ex istis non inciperet dubitare de factis, & processu dictorum dominorum? unde etsi dicti domini tempore suæ unionis cum anticardinalibus primo indixissent concilium, constat tamen quod hoc factum fuisset per quatuor dies post datam literarum convocationis concilii.*

XXVI. Arguuntur ex suis literis. *Item in quibusdam literis suis dicto serenissimo Romanorum Regi domino meo directis, datis Liburnii vigesima sexta julii scribunt ista verba:* Deliberavimus invicem convocare concilium generale ex utraque parte eisdem loco & tempore, cujus rei, atque nostri propositi intimationem determinato loco, ubi optandissima congregatio hujusmodi fieri debeat, & oratorem nostrum præcipuum mittemus in brevi. *Ex quibus literis & verbis patet quod vigesima sexta julii, quæ fuit plusquam per mensem, post prætensum datam literarum convocationis sui prætensi concilii, ipsi deliberaverant convocare concilium: sed nondum convocabant, quia nondum erat determinatus locus, ubi ista congregatio fieri deberet. Igitur tempore datarum literarum sui prætensi concilii nondum erant concordes de loco. Igitur data est anticipata, & hoc in fraudem domini Gregorii, ut vehementer præsumitur, & ut videatur eum prævenisse: per hujusmodi enim adinventiones exquisitas vehementer suspicatur & præsumitur, ipsos olim Cardinales fuisse, & esse causa impedimenti unionis exoptatæ. Nonne quivis catholicus hoc concipere poterit evidenter, quod si hujusmodi indictionem conciliabuli emisissent, dictumque concilium Papæ fuisset sortitum effectum, nec, ut prædicitur, impeditum sicut* Male quæsita pax per discordiam. *obedientia Benedicti in suo, ita & nostro in papali concilio unanimi voce, & concorditer requisivisset, & efficaciter induxisset dominum Gregorium ad observantiam voti, & juramenti sui pro reintegratione Ecclesiæ sanctæ Dei, necessariumque fuisset ipsum ad hoc attendere, omni dilationis mora postergata; alias tota obedientia vero ordine, & juxta omnem æquitatem, & cum bono conscientia recessisset ab eodem tanquam fautore schismatis antiquati, nullaque fuisset in nostra obedientia divisio subillata, quinimmo ex tunc sincera unio per ambas obedientias procurata, & inducta? Quidam etiam abbas ambasiator dictorum dominorum olim Cardinalium retulit, quod per duos menses disputarunt de loco, in quo indiceretur concilium, & de hoc etiam habetur evidens magnumque testimonium eorum, qui adhærent ipsis dominis olim Cardinalibus, dicentium quod per totum mensem augusti primo fuit concordatum de loco Pisarum cum Florentinis: quod etiam patet ex hoc, quia nuncius, qui deferebat literas concilii Cardinalium ad partes Rheni, habuit literas credentiæ olim dominorum Cardinalium sub data prima septembris, & post hæc recessit de Pisis, & per consequens tunc fuit primo expeditus; & verisimile est quod illum, vel alium nuncium citius destinassent, si de loco, & tempore die vigesimaquarta junii concordassent. Item multi curtesani, quorum aliqui tempore indictionis concilii, per Gregorium fuerunt in Luca, & aliqui in Pisis, & aliqui in Liburno, dixerunt quod dominus Gregorius publicaverat concilium suum per plures dies antequam audiretur de concilio olim Cardinalium. Videtur igitur manifestum quod datam prædictam callide anticipaverunt, volentes Gregorium, & suum concilium prævenire, quod si per impossibile non esset factum, quare sic tarde intimaverunt suum concilium? nam dominus Gregorius bene per duos menses suum concilium ante prætensum concilium eorum per literas patentes publicavit.*

Insuper & si convocatio concilii generalis juxta traditionem, & decreta sanctorum patrum pertinet ad summum Romanæ Ecclesiæ Pontificem dispositum saltem ad convocandum, & qui, quantum in se est, concilium generale indixit, & per suas patentes literas apostolicas publicavit, dicti tamen olim Cardinales, & eorum in hac parte complices in literis, & scriptis suis affirmant, & verbis prædicare non verentur quod hoc veritatem habeat de Papa indubitato: per quæ papatum domini Gregorii revocant in dubium; cum tamen in instrumento conclavis ad instantiam dictorum dominorum ante electionem domini Gregorii in summum Pontificem clare dicatur in hæc verba: Et intendentes ad remedia fortiora, non quid juris pro parte eorum justitia suadet; *Quod jus verissimum est, & plena veritate fulcitum; dicti autem instrumenti conclavis tenorem, in quantum* XXVII. Obiiciunt Cardd. non spectare ad Papam ambiguum indictionem concilii.

su-

facit pro justificatione & verificatione præsentis appellationis, ego procurator prædictus volo habere pro expresso. Præterea si dubitant de papatu domini Gregorii, quare simili ratione non dubitant de suo cardinalata? quod si dubitant, tunc etiam ex simili dubio non habent se intromittere de electione summi prætensi Pontificis contra prætensam practicam quam habent præmanibus. Item pariformiter dicti domini, & eorum complices habebunt dubitare de papatu Innocentii VII. Bonifacii IX. & forsassis Urbani VI. & sic in eamdem videntur incidere opinionem, quinimmo & verius errorem cum Gallicis, qui a principio istius detestandi, & horrendissimi schismatis Ecclesiam catholicam, & inconsutilem Christi tunicam dividere præsumpserunt: ipsi etiam in dando dominum Gregorium, & alium seu alios ejusdem prædecessorem seu prædecessores obedientia nostra in summos Pontifices eamdem nostram obedientiam totam videntur decepisse, subsannasse, & eisdem illusisse, si fas est dicere.

S. Gregorius ambiguus; ergo ipsi etiam Cardd. ambigui.

XXVIII. *Item in literis, quas scripserunt serenissimo domino meo domino Ruperto Romanorum Regi post assumptionem dicti domini Gregorii sub data Romæ decima decembris scribunt in hæc verba;* Post solemnes de futuri Pontificis electione tractatus, illo divinitus inspirante, qui cuncta perpetua ratione gubernat, vota nostra in reverendissimum in Christo patrem, & dominum ex nostro collegio dominum Angelum tit. S. Marci presbyterum Cardinalem confratremque nostrum ad culmen dignitatis apostolicæ, post divinæ gratiæ munera, universis ejus exigentibus meritis, nec immerito ascensurum, nemine discrepante, direximus, ipsumque confratrem nostrum die ultima novembris in dominum nostrum elegimus atque patrem. *In quibus verbis dant manifeste intelligi quod ipsum Gregorium ad culmen apostolicæ dignitatis elegerunt & assumpserunt, nullum dubium prætendentes: quod si aliquod dubium prætendebant, quare ipsum omni dubio semoto in summum Pontificem elegerunt, & ipsum toti nostræ obedientiæ pro summo Pontifice dederunt, præsentarunt, nec non verbis, & scriptis, nuntiis, & ambasiatoribus cum solemnitate debita publicarunt? Præterea licet congregationem per dictos olim Cardinales indictam in Pisis ad festum annuntiationis Virginis gloriosæ proxime præteritum prætendant esse concilium generale, & in eo tamquam in concilio generali posse, & debere facta tractari universalis Ecclesiæ, eaque habere vim & efficaciam: nihilominus ex ratione & simul ex scriptis eorum, & modo procedendi contrarium luculenter apparet: concilium namque generale debet esse liberum secundum traditiones sanctorum patrum: sed congregatio indicta per ipsos olim Cardinales expresse restricta est & limitata, unde in literis suæ convocationis dicitur in hæc verba:* Finisque imponatur schismati per viam mutuæ cessionis. *Et infra:* Est enim nostra, & dominorum de collegio alterius partis intentio, & irrevocabile propositum, quod cum his, qui veniunt ad dictum locum, & terminum provideatur fidei, & ecclesiæ juxta effectus prædictos. *Item in literis confœderationis seu unionis dictorum dominorum, cum anticardinalibus dicitur, & scribitur inter cætera sic:* Juramento, & voto irrevocabili firmavimus, quod per viam mutuæ cessionis ambo de papatu, vel alterius alio mortuo vel canonice ejecto prosequamur unionem.

Ex factis suis reprehenduntur.

Non fuisse ex eorum literis ambiguum.

Pisana decreta expenduntur.

Nunquid isti præsumunt imponere legem Spiritui Sancto, a quo dicitur regi concilium generale? nunquid sunt dabiles nullæ viæ rationabiles pro unione Ecclesiæ sanctæ, quam via cessionis? unde via hæc cessionis est a Gallicis pridem adinventa, & in particulari eorum conciliabulo determinata, quam pro lege isti paneates per anticardinales Gallicos inducti concilium limitare, & regulam seu legem Spiritui Sancto imponere minus provide: quinimmo & periculose præsumpserunt, quasi concilium non quamcumque rationabilem viam pro unione Ecclesiæ introducenda non inquirere, de ea deliberare, atque eam libere, & absolute assumere debeat atque possit. XXIX.

Item terminus in literis convocationis prædictæ expressus videtur esse nimis brevis, quoad plures de nostra obedientia, eo quod plurimi tantum distant a loco Pisarum, quod post insinuationem eis factam per se, vel suos procuratores ad locum Pisarum non poterunt modo humano pervenire. Si igitur non veniant, non tamen sunt contumaciter absentes, & per consequens congregatio facta Pisis non meretur dici concilium generale: Præterea dicti prætensi domini videntur asserere, dicere, & tenere quod sanctissimus dominus noster dominus Gregorius teneatur in Pisis in concilio prætenso, per eos indicto potius conciliabulo, comparere, & si veniret, quod posset ibidem judicari, quod utique ex iis quæ gesta sunt hactenus, nullatenus apparet, eo quod major pars prælatorum in Pisis existentium est de parte sibi adversa, quæ partem nostram semper reputavit, & prædicavit schismaticam sicut e contra: alii autem omnes fere subtraxerunt domino Gregorio obedientiam diu ante concilii sui prætensi indictionem, & fecerunt se partem contra eum ipsum, infamantes, & crimina enormia imponentes ante sententiam latam, ipsique olim Cardinales sunt excommunicati, omnique honore, & dignitate privati & exuti: quis autem compos rationis præsumat dicere quod quis, quantumcumque etiam modicus coram suis adversariis, seu parte adversa comparere teneatur, seu etiam quod sententia prætensa,

Contra definitum tempus concilii.

Non teneri Gregorium comparere coram adversariis suis.

si quam

si quam ferret, ipso jure subsisteret?

XXX. *Praterea esto quod dominus Gregorius veniret Pisas, & vellet renuntiare, non veniente Benedicto, dubium est an debeat renuntiare, cum contingere posset quod ille, qui vocat se Benedictum parte ex adversa post resignationem Gregorii diceret: Ego jam sum unicus, & nullum habeo contendentem de pari, cur vultis me privare vel compellere ad cedendum? quod si fieret, utique cederet ad ignominiam, & verecundiam permaximam totius obedientia nostra; & maxime quia dicitur, & ita dicunt aliqui ex olim Cardinalibus nostra obedientia, quod anticardinales Gallici obedientiam suo Benedicto pridem restitatam nondum abstraxerant. Praterea licet necessario aliqui de pratensis olim dominis Cardinalibus & anticardinalibus fuerint excommunicati, anathematizati, inhabilitati, & omnis prælationis titulo privati, nihilominus in vilipendium apostolica potestatis clavium Ecclesiæ, nescitur quo jure,* Quo jure pars una alteri auctoritatem daret. *quo modo, & quo bona conscientia una partium alteram habilitavit, dispensavit, famæ restituit, & in Cardinales creavit, & fortassis una aliam absolvit: quæ utique nullatenus ipsis vel alicui eorum, sed soli Papæ vel suam auctoritatem habenti possunt convenire.*

XXXI. *Item licet domini olim Cardinales ex obedientia nostra primo, & deinde ipsi & anticardinales Gallici simul pro parte serenissimi domini domini Roberti Romanorum Regis constituentis domini mei, & per suos solemnes oratores fuerunt cum omni reverentia, & debita instantia requisiti & exhortati quatenus amore Dei, & intemerata Virginis Mariæ, & totius curiæ supercælestis, nec non contemplatione Ecclesiæ militantis, & ad petitionem* Ut postulati de mutando loco. *regiæ majestatis vellent inclinari admutandum locum Pisarum, & ad reconveniendum in alio certo loco, dicto domino Gregorio, & eis congruo, ubi dominus Gregorius faceret id, ad quod obligatur, & ulterius ad electionem unici summi Pontificis procederetur, quia speraret dicta regia majestas quod per istum modum omnibus dubiis, scrupulis, perplexitatibus, difficultatibus, ac novis divisionibus, præcipue in partibus obedientiæ nostræ sublatis, & exclusis fieret pura, & sincera, integra, ac universalis unio in Ecclesia sancta Dei, quam per concilium indictum a domino Gregorio vel etiam per congregationem in Pisis factam, seu indictam timeret non posse habere: quod si ad hoc inclinarentur, & sic facerent, dicti oratores regiæ majestatis offerebant ipsis dominis plenam ejusdem regiæ* Proposita a Roberto concordiæ ratio. *majestatis assistentiam: & sive dictus dominus Gregorius in dicto loco compareret, & debitum suum faceret, sive non, nihilominus ad electionem summi Pontificis procederetur, quia ex tunc clare appareret, quod dominus Gregorius nollet facere debitum suum.*

Fuit etiam per eosdem oratores dictum & allegatum, quod si pro anima hominis lucranda expediret, sicut re vera expedit, magnam immo multum grandem rem facere, multo magis incomparabiliter ad lucrandum plures animas, ad cavendum innumeras strages, ad præveniendam destructiones, destitutiones, & desolationes ecclesiarum, monasteriorum, & cœnobiorum, atque universali, integra, ac pura unione facienda, & procuranda brevis mora cum assignatione alterius loci bene commodi, nullatenus esset deneganda; licet etiam dubia & difficultates, quibus multorum animi moventur & moti sunt, in præsentia dictorum dominorum, & aliorum prælatorum in ecclesia cathedrali Pisana congregatorum die decima quinta mensis aprilis fuerunt explicata, propter quæ & alia plurima, prout tunc publice dicebatur, timor erat, & est dictum domino Regi Romanorum, quod per congregationem in Pisis factam sincera, & integra fidelium unio nequaquam haberetur; nihilominus dicti domini quasi indurati, obstinati, & in alienum sensum miserabiliter versi, & primo & secundo responderunt præcipitanter, prompte, & satis irreverenter, quod impossibile esset mutare locum, quodque super mutatione loci nihil vellent audire, vel tractare quoquomodo. Et quia dicti olim Cardinales, prout colligitur ex præmissis consideratis viis & modis per eos servatis, ab obedientia domini Gregorii summi Pontificis, perperam recesserunt, multiplices injurias verbis, scriptis, & factis irrogarunt, & ipsum blasphemarunt, prætensum quoddam concilium, quinimo conciliabulum in loco Pisarum ad præveniendum, præoccupandum, & impediendum concilium indictum per sanctissimum dominum nostrum Gregorium Papam duodecimum, quantum in eis fuit, indixerunt: datam literarum, ut præsumitur, anticiparunt: locum sui prætensi concilii, verius conciliabuli dudum antequam eis esset concessus pro congregatione fienda nominarunt: ipsum dominum Gregorium Papam dubitatum appellarunt & scripserunt: suam congregationem prætensam, quam concilium vocant, contra libertatem, & naturam concilii certis modis, tanquam legem imponentes Spiritui sancto, limitarunt, & restrinxerunt: terminum conventionis seu congregationis pro multis de nostra obedientia nimis brevem assignarunt: in propria causa, cum sint pars & manifesti adversarii, se judices, vel conjudices esse præsumpserunt: se invicem, licet nulliter & de facto, habilitaverunt: petitiones, instantias, requisitiones, & exhortationes per oratores dicti domini serenissimi Regis Romanorum, & pro parte sua oblatas, & factas pro pura, sincera, & integra unione fidelium in- XXXII.

Negata a Cardd. loci mutatio.

Carpuntur plura acta Pisani concilii.

indacenda ut cum coram bona venia loquar animosi, pertinaciter, præcipitanter, temere, & irreverenter excluserunt, & admittere recusarunt; & quia etiam, ut verisimiliter timetur, dicti prætensi olim Cardinales in neglectu penitus ponentes omne id quod est confusionis, desolationis, ruinæ, destitutionis, verecundiæ, ignominiæ, & divisionis partis, & obedientiæ nostræ, quantum apparere potest ex iis, quæ per eos acta sunt, aguntur, & agentur verisimiliter in futurum, sanctam Ecclesiam catholicam & inconsutilem Christi tunicam amplius scindere, dividere, lacerare, laniare, prosternere, & conculcare timore Dei prorsus excluso satagentes, plura scandala, diffidia, & errores introducere, ac procurare, & quantum in eis erit, facere non cessabunt novum idolum, vitulum conflatilem, perversum antichristum, & maledictionis æternæ filium nominando, & intrudendo suas pravissimas, & perversissimas affectiones & errores insequendo, quibus totum statum sedis Apostolicæ, & Christifidelium ad exitium, & præcipitium intolerabile ponere, & integraliter subvertere nituntur; idcirco ego Conradus supradictus procurator, & procuratorio nomine præfati excellentissimi & gloriosissimi principis, ac domini domini Roberti Romanorum Regis semper Augusti, cernens dictos olim Cardinales, & alios anticardinales, quibus dicunt se unitos, a suo prætenso proposito non posse revocari; sed eos hujusmodi velle intendere damnabiliter, & de facto inhærere; sentiensque sanctam & universalem Ecclesiam catholicam, cujus ipse Romanorum Rex est defensor, & advocatus præcipuus, ad quem spectat, ne eam aliquibus patiatur insidiantium procellarum fluctibus illidi, & quietam faciem tempestatis insolito timore turbari, & præsertim obedientiam nostram, per omnia, & singula præmissa, & alia plurima, quæ calamus non capit, attentata, & præsumpta, in suoque prætenso conciliabulo per se, & eos qui in eo consistunt, & conveniunt, verisimiliter, ut timetur, licet nulliter, & de facto attentanda & præsumenda, dictumque dominum meum serenissimum dominum Regem Romanorum, & jus suum, ac quoslibet Romanæ ecclesiæ, & sacri Romani imperii fideles, & præcipue status, honores, & jura Regum, principum & prælatorum, communitatum, ac personarum tam spiritualium, quam sæcularium, cujuscumque status, conditionis, vel sexus existant, præsertim eorum, qui hactenus fuerunt de obedientia domini Gregorii, & suorum prædecessorum, multipliciter læsa esse, vel saltem lædi, & gravari posse quomodolibet in futurum; ne etiam præfatus serenissimus Romanorum Rex per dictos olim Cardinales, & anticardinales, ac eorum conciliabulum nulliter, & de facto attentata, fienda, & præsumenda, aut ipsorum aliqua in præjudicium sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, sacrique Romani imperii sive regni, Regum, principum, prælatorum, communitatum, ac personarum sive spiritualium, sive sæcularium, atque prædictorum ejusdem ecclesiæ & sacri Romani imperii sive regni subditorum quorumcumque aliquatenus videatur approbare, aut in ea vel ipsorum aliquod consentire quovis modo; & volens tam contra præterita illata, ac præsentia gravamina, quæ fortassis inferuntur, sed & contra futura, licet nulliter & de facto, inferenda juris beneficiis dictum dominum nostrum Romanorum Regem, sanctam Romanam ecclesiam, sacrum Romanum imperium sive regnum, omnes & singulos supranominatos defendere, & juvare a præmissis omnibus, & singulis, & aliis gravaminibus quibuscumque illatis, & inferendis, comminatis, & comminandis, & omnibus sequelis, seu illis, quæ elici poterunt quomodolibet ex eisdem, vel eorum altero communiter vel divisim, pro dicto domino serenissimo Romanorum Rege, & pro aliis Regibus, principibus, prælatis, communitatibus, personis privatis, spiritualibus, vel sæcularibus, & aliis quibuscumque præsenti appellationi adhærentibus, seu adhærere volentibus: nec non a dictis olim Cardinalibus, anticardinalibus, conventiculo, atque conciliabulo per eosdem convocato, vel in posterum convocando, contra ipsos & quemlibet ipsorum adhærentium eis, atque suum conciliabulum, seu conventiculum ingredientium seu approbantium, quod cum de jure, & bona æquitate, ac ratione possum, & debeo, & ipse præfatus serenissimus princeps dominus meus Romanorum Rex potest & debet, ad dominum nostrum Jesum Christum sponsum, & caput præcipuum ecclesiæ militantis, judicem vivorum & mortuorum, nec non ad generale concilium legitime, rite, & canonice, atque debite convocatum, seu convocandum in iis scriptis procuratorio nomine quo supra, provoco & appello, apostolos peto primo, secundo, & tertio instanter, instantius, instantissime si quis sit qui eos mihi dare possit, velit, aut valeat, protestans, quod hac appellatione, seu provocatione pendente contra præfatas sanctam Romanam ac universalem Ecclesiam, & serenissimum dominum meum Robertum Romanorum Regem, cæterosque Reges, principes, prælatos, communitates, personas spirituales, vel sæculares, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, & Romani imperii subditos præsenti appellationi, & dicto Romanorum Regi adhærentes, seu adhærere volentes, nihil omnino debeat attentari.

Objectum moliri ipsos tertium Pontificem ambiguum creare.

Denuntiatio Cæsaris contra Pisani concilii acta.

Provocatio ad concilium vere œcumenicum.

XXXIII. *Submitto nihilominus ego Conradus procurator nomine procuratorio, quo supra, Domino nostro Jesu Christo, & futuro generali concilio rite, legitime, atque canonice convocato, vel convocando prædictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ jura, privilegia,*

honores, bona, immunitates, & libertates, atque ejusdem ecclesiæ, dictique domini Roberti Romanorum Regis constituentis domini nostri, aliorumque Regum, principum, prælatorum, communitatum, personarum, atque ecclesiæ & imperii subditorum, ac fidelium, omniumque & singulorum sibi & præsenti suæ appellationi adhærentium, vel adhærere volentium, omnia atque singula bona præsentia, & futura cum protestatione minuendi, corrigendi, immutandi, facti substantia non mutata, & aliae prout est moris, cum protestatione etiam intimandi, insinuandi, & publicandi ubi quando, quibus, & quoties, videbitur expedire.

XXXIV. Institit (a) etiam gravissimis argumentis apud Pisani cœtus Cardinales ac præsules Gregorii nomine Carolus Malatesta toparcha orator, ut unicum œcumenicum concilium celebraretur, cum ex multiplicibus synodis multiplex schisma constandum foret: Gregorium vero de imminentibus malis fecit certiorem (b), consuluitque ne Forumjuliense concilium celebraret, sed Pistorium potius ad componendam controversiam accederet: communem illum locum futurum, in quo esset vel discissas ecclesias redintegraturus, vel in universi orbis oculis, ac luce innocentiam suam collocaturus.

Orator missus a Greg. ad Pisanos conventus.

(a) To. 2. de schism. p. 107.

(b) Ibid.

Scripta domini Caroli de Malatestis, de iis, quæ ipse cum Cardinalibus Pisis tractavit, & in reditu cum Gregorio.

Significatum Gregorio ex Forojuliensi synodo magis illius res dejectum iri.

Ait sanctitatem suam facere posse quod sibi libebat; cum reverentia tamen, de his, qua titubat, ipsam advisabat, videlicet accessus sui ad partes Forojulii accelerationem futuram esse maxime futuri scandali non extirpandi forte diebus suis. Credere quidem poterat sanctitas sua ipsi Carolo si placebat, non dicturo in hoc mendacium; per eam enim quæ dum Pisis erat, comprehendere potuerat, multi erant qui sollicitabant per publicos processus sanctitatem suam, & adversarium suum ejici, & opportunitatem ad honestandum negotium, quod optant, quærunt: cumque viderint beatitudinem eamdem discessisse, calumnias exasperabunt in eam, jus suum dilatantes, dicentesque. Ecce viam ad conveniendum pro sacra unione exequenda, *atque ex hoc jam adepti, coram suis astantibus quos cupiebant processus urgebunt; & postquam de tractatu unionis infecto illos palam castruere poterant, eum perjurum, fautorem antiquati schismatis, & hæreticum astruent, neminemque sic excusare eum posse, cum cedendi tractatum quemlibet infecerit, nec alium prosequatur, per quem unionem fieri possibile sit: quidam patule dicent:* Patet orbis universæ cernere quod non nisi ad subterfugiendum cessionem, & decipiendum fideles hujusmodi concilium indixit & prosequitur; certus namque est dominum Benedictum & suos ad illud accessuros non fore, similiter neque majorem partem fidelium, quæ ad hoc verum & sacrum concilium accessit & accessura est: & propterea ipsum cum paucissimis suis consentientibus non posse unionem per concilium illud facere, cum certissimus sit & certi quilibet esse debeant, quod non accedebat illud ad unionem perficiendam, sed quantum in eo fuerit, destruendam. *De concilio quidem domini Benedicti, qualem unionis fructum attulisset, patebat; unde inferent quod uterque eorum jam præcisus est, & notorie incorrigibilis, gravemque jacturam sanctæ Ecclesiæ imminere, si Apostolicam sedem diutius vacare sinatur, & exinde occasione sumpta concorditer procedent ad sententiam diffinitivam celeriter, & postmodum ad tertii, ut sic dicatur Pontificis electionem, quo facto (quod jam factum est) ipso domino Gregorio Forojulium accedente, Carolus videre videbatur, & cum reverentia petebat quomodo & quando putabat fieri unionem posse.*

Inutile prorsus esse hujusmodi concilium.

Latum iri decretoriam sententiam in utrumque contendentem.

XXXV. *Et si diceret forte, quod alias dixerat separatum acquiescere terminationi concilii sui, quod vere & juridice universalem repræsentabat Ecclesiam, & Ecclesiæ universalis authoritate fungebatur, petebat dato quod sic esset, quid in facto concilium illud proficeret unioni, & quid circa hoc consulere poterit, aut diffinire; si enim consultum fuerit, & concesso etiam quod juridice terminatum, quod dominus Urbanus prædecessoresque sui & ipse veri fuerint Pontifices, & quod diligentiam debitam adhibuerint pro unione exequenda, iterum terminent ipsum tamquam verum Pontificem ab omnibus venerandum fore; cæteram terminent aliorum congregationes, non concilia, sed conciliabula fuisse irritent, damnent eos & acta per eos, petebat a sanctitate sua si alios credebat hujusmodi acceptare sententiam, dicens Carolus se certissimum esse quod non, & propterea certissimus erat, quantum humana fragilitas de aliquo certificari poterat humana consideratione, concilium suum per viam illam de facto unionem facere non posse. Insuper si diceretur quod dabitur modus in illo concilio reintegrandi obedientiam quæ fuit domini Urbani, dato quod sic fiat, quod tamen fieri quodammodo impossibile Carolus putabat, animadvertebat quod pars illa fuit per multos annos absque ulla divisione, multa principum prosperitate & potentia fulta, & tamen schisma minime sublatum fuit; quinimmo quotidie auctum & inveteratum; unde etiam per viam illam concilium suum unionem producere posse parum sperandum erat. Præterea quod ipse dominus Gregorius una cum concilio suo, omni postposita excusatione, ubicumque in orbe terrarum fuerint adversarii ejus, utrique videlicet qui dicitur dominus Benedictus, & anio collegii, terminaverit accedere, ibique suum debitum quodlibet implere plene, &*

Nullo modo consequi posse conjunctionem ecclesiarum ex concilio Forojuliensi.

per-

perfecte; non putabat tamen Carolus quod si qui Pisis sunt, electionem alterius jam fecerint, stante quod in facto expertus est modicam erga dominum Deum reverentiam & charitatem; insuper urgente in proximos odio & privato honoris & commodi mundani ambitione proterva, non credit, licet unio fieri deberet, ipsam tamen fieri. Movebant quidem præsertim animum suum rationes istæ, nam dominus Gregorius adversariis ejus non cedentibus, cedere debere atque teneri non credebat, sed suum consulere concilium aut diffinire.

XXXVI. Consultum Gregorio ut potius accederet Pistorium.

Quod si huic via dominus Gregorius jam conceperat, terminaveruntque suo concilio illum terminante assentire, longe præstantius pensabat Carolus certitudini unionis & ipsi domino Gregorio fore Pistorium accedere, quam festinare suum concilium celebrare, ut talem exequatur terminationem, postpositis quidem rationibus aliis publicis & privatis, hac propter unionis certitudinem apparebant præferenda, videlicet primo cedere quam alius eligatur, quam post: si enim primo cessent, dubia non est electio causa sui. Si quidem antequam cedat alius eligatur, sua cessio post factam electionem illam, nisi de facto tantum certificare non potest, valeat quidem licet Pontifex cedere, non potest sibi substituere Pontificem, & si mala seu inepta fuerit electio, ejusmodi cessio post factum inepitudinem illius auferre non poterit, multo minus sic validare. Si dicatur dispensari posse electionem illam per eum prius quam cedat, quis dicet hoc certum esse de jure, an dubium potius est, an cuilibet juri canonico dissonum & oppositum. Præterea quis credet electum illum & electores hujusmodi postulare dispensationem, vel gratis oblatam acceptare velle? An si dicatur: ille talis, postquam fuerit electus, cedere poterit; dicebat Carolus quod bene faceret, sed rerum multiplici, & præsertim præteritorum experientia, & præsentium qualitate ponderata, non putabat, quod si tertius eligatur, nisi invite numquam cedet; aut enim cogitatur eligendum elige debere cum modo, ut cedat, aliis cedentibus, quisque electus fuerit cum voto solemni & juramenti cautione, quam magis de jure valide fieri queat: & tunc vel credebatur illos, qui Pisis erant, hujusmodi electionem facturos esse, vel non detur quod sic: tunc quærebatur, qua ratione humana habilior modus reperiatur, tres insimul conventuros fore & cessuros, quam duo? Si namque difficultas negotii causa impedimenti fuit, nuncte causa difficultatis adde impedimentum necesse erat; quales enim erat difficultas conveniendi insimul duos, & modum reperiendi ad cedendum, opus teste erat, si negotii difficultas, & non partium voluntas causa fuit impedimenti? si quoque voluntas, credendum ne est humana mutis,

Propositæ difficultates ingentes orundæ postquam tertius fuerit electus.

Tres non conventuros si duo non convenerint.

liberum citius cessurum fore, quam eos, qui per vota solemnia & juramenta valida ad cedendum obligatos fore toto patebat orbi? vel forte credendum erit, si tertius ille majorem sibi cæteris favorem inspiciat; citius quam cæteri cesserint, cedere?

XXXVII. Tertium creatum sine onere ad cessionem.

Quod autem electio illa non fieret cum obligatione ad cedendum, iis rationibus ipse Carolus movebatur; primo quidem putabat, quod si volebant, qui Pisis erant, concilium juridicum, & indubitatum asserere, velut asserebant, eorum terminationes tam circa ejectionem, quam circa electionem validas, indubitatas, & irrefragabiles omnimode fore, cunctis fidelibus conarentur ostendere, & inde non cum obligatione illius modi electionem facturos fore: si quidem bono moverentur zelo, dubitandi maxima inerat ipsis causa si cum modo cedendi debite elegerint, ne forte si voluerit ille servare promissa opus est sit dato quod jus faveant illum iterum tamquam alios velut perjurum, antiquati schismatis fautorem, & hæreticum ejectum & præcisum declarare, & ad quartæ electionem pervenire. Unde quartum schisma pro trischismate fieret. Concludebat ergo de primo ad ultimum, quod in principio unius particulæ proposuit, videlicet accelerationem ad concilium suum Forojulii accelerationem posse esse, immo fatueam esse credebat accelerationis tertii ad nomen papatus eligendi, quo facto, de unione diebus suis parum, quinimmo forte minime erit sperandum. Et ideo suppliciter sanctitatem deprecabatur suam modum adhibere, per quem tam proximum, maximum, pessimumque scandalum non fiat in Ecclesia sancta Dei. Et infra.

Eo citius creandum, quo Forumjulium celerius peteret.

Præterea, quoniam non solum per ea, quæ clandestine perceperat, verum per ea quæ manifeste viderat, & multis tam aliorum, quam eorum qui secum inerant, manifesta etiam esse putabat, non credebat sanctitatis suæ personam tutam Pisis esse, potestate civitatis illius existente, velut erat, in favorem congregatorum Pisis promptus, multo quidem minus concilium: nec quoque putabat, quod sumpta suspicionis rationabile excusatione apparente propter detrimentum sui status, suæque civitatis, rorve publica excidium vitandum domini Florentiæ fortalitia, & potestatem civitatis Pisanæ, in manibus suspectorum partibus Ecclesiæ universalis traderent. Verum ex adverso considerabat quod concilium Pistorii congregandum, non privatum, sed commune esse oportebat, quia communi consensu & auctoritate congregari alii assentiebant, nec amplius suæ præjudicabat sanctitati ipsum Pistorii congregari communi partium consensu & auctoritate, quantum Bononiæ & cæteris locis, quibus sic congregandum esse assenseret, qui Pisis erant assentirent congregari? Credebat etiam per ea, quæ sibi oblata fuerant, quod domini Florentini

Pistorium propositum pro communi loco ad celebrandum concilium.

Rogatus Greg. ne propter Cardd. ultimo creatos abdicationem differret.

adversus eum jam conspiraverant, & decipulae non cessabant suis tendere pedibus, solum se absque concilio reperiret & favore; alios quoque ne rebellaris adversus Cardinalibus suis, ipse ab eis eam tribus derelictas cum ipsis tantum tribus remaneret. Audierat etiam a sua sanctitate quod viros humiles, & quam meliores sciverat, elegerat ad Ecclesiam sanctam Dei nutriendam, & reformandam, omni penitus spe humani favoris ejecta. Concesso igitur hoc, cum cardinales istos fecerit propter animae favorem, & sanctae Ecclesiae quietem, sanctitatem rogabat suam Carolus, quod ne in detrimentum propositi ipsos fecisse reperiatur, putabat etiam ipsos debere velle sua dignitati cedere, ne propter hoc sancta Ecclesia impediatur commodum & tranquillitas; videntes praecipue ipsius exemplum, qui post dominum Deum suus erat pater & dominus & magister, & pontificali, quae major erat, sua dignitati renunciabat, ut quiete & commoda fruatur Ecclesia: si autem nollent, cum mala in hoc deprehendatur eorum ambitio, potius Ecclesiae commodum tolli a sanctitate sua supplicabat, quam ipsorum prava voluptas: de suis vero Cardinalibus similiter docebat, concludens in responsione hac, quod si videbatur sanctitati suae annuere petitioni eorum, qui Pisis erant, cum opportunum foret tractare de securitate sui accessus Pistorium, & concilii tute ibi celebrandi, futurique Pontificis libera electione, poterat immo decens erat de statu suorum Cardinalium futuro tractare, nec non de securitate status principum, qui fuerant constantes in obedientia sua, & aliis suis sequacibus, & fidelibus, &c.

Consultum ut de statu suorum Cardinalium ageret.

XL. Cum ita Malatesta urgeret Gregorium, ut Pistorium accederet, quo celebrato in loco communi concilio imminentis novi schismatis periculum propulsaretur, apud Cardinales Pisis congregatos egit, ut permutationi loci pro tanto avertendo malo assentirentur: qui respondere, sine justa causa Pisas a Gregorio recusari, ac pro dissolvendo schismate tam tetro judiciariam auctoritatem ad Ecclesiam devolutam, conciliique oecumenici auctoritatem Pontificis auctoritati in praesenti casu, in quo etiam Pontifex in crimen propagati schismatis vocabatur, anteferendam.

Quaedam responsio olim Cardinalium domini Gregorii facta ambasiatori domini Malatesta de Pesauro, ad quaedam capitula per ipsum dominum Malatestam petita.

Propositio oratoris Malatestae de unico communi concilio celebrando.

Ad capitulum secundum, videlicet. Dixi pro parte praefati fidelissimi servitoris vestri domini nostri Malatestae, quomodo magnificus frater suus dominus Carolus sibi pridem intimavit, quod pro unione consequenda eidem videretur unicam tantum fore viam indubitatam, & sine aliquo scrupulo enervativam penitus omnis scandali & cujuscumque dubitationis de mentibus fidelium, videlicet quod fiat unicum & generale concilium, in quo concurrat voluntas dicti domini Gregorii pariter, & vestra; alias si plura concilia in diversis locis indicta fierent, ut ordinatum est, verisimiliter & necessario multa scandala, divisiones, ac haereses suborirentur exinde. Et sic ubi pacem quaerimus, multiplex discordia sequeretur, sicque erit error posterior pejor priore, &c. *Respondent & dicunt sic, quod veritas est, quod pro bono negotii, & ut in illo certius, & securius procedatur, & ad serenandas conscientiae omnium, utile & expediens est, quod non teneantur plura concilia, quia sunt solum ad impediendum, & non ad expediendum sanctum negotium, de quo agitur. Ipsi ergo commiserunt se simul & fecerunt unicum, & unicum collegium pro prosecutione sanctae unionis; & habitis inter eos multis deliberationibus, & diversis, ac repetitis consiliis pro unica, & sola via dandi pacem Ecclesiae, elegerunt convocare concilium generale, & elegerunt locum communem infra Italiam scilicet Pisarum, qui locus per contendentium quemlibet fuerat oblatus, ut patet per publica instrumenta, nam primo dictum locum obtulit dominus Benedictus in Massilia nepoti, & aliis ambasiatoribus domini Gregorii, & e converso ambasiatores dicti domini Gregorii locum eundem in loco de Portuveneris publice obtulerunt dicto domino Benedicto; ad quam electionem etiam domini Cardinales utriusque collegii consenserunt, & praecipue collegium Italicum hoc procuravit de mandato dicti domini Gregorii per organum magnifici militis comitis Campaniae, quem ad hunc effectum miserunt Portumveneris ad dictum Benedictum & suum collegium: & idea dominus Gregorius habet quod quaerit: nam Pisanus locus, ut praedicitur, est electus de communi consensu, ut ipse vult, & nedum de communi consensu, sed ad procurationem ejus solius, ut patet ex responsione sua facta in Luca, & ex bulla quam super hoc domino Benedicto transmisit, cujus bullae particula sequitur in haec verba, videlicet.*

Responsum Pisani concilii.

Pisas jam electas ab ipso Gregorio.

Itaque nobis illa via magis placebit: & placet ut sub uno aliquo domino vel dominio, in quo utraque pars tuta foret, hujusmodi foret conventio personalis; haec enim via omnia impedimenta excludit, omnes scrupulos repellit, omnes amputat difficultates: pro cujus executione Florentinorum & Senensium loca habilia & decentia, tam maritima quam terrestria, & insuper civitatem Lucanam sibi pro parte vestri fecimus offerri, & praecipue civitatem Pisanam, qui locus est idoneus, ut nullus magis valeat reperiri divisus flumine, galeis, secundum quod tu optare videris, accessibilis, abundans victualibus,

Confirmatur ex literis Gregorii.

ca-

capax multitudinis, tutus ab omni respectu, sic accommodus ut ad istam conventionem fabricatus videatur, in unius diei spatio nos per terram, & tu per mare ad eum locum convenientes, pacem Christianitati reddere possumus; *Itaque ad istum locum, tamquam ad locum per utrumque electum, dicti domini Cardinales mandaverunt concilium generale, vocaverunt que solemniter & canonice utrumque dictorum contendentium ad dictum locum & præfixam diem, & ita nuntiaverunt per ipsorum solemnes nuncios & literas publicas, & apertas omnibus prælatis, Regibus, principibus, ducibus, nobilibus, notabilibus, communitatibus totius christianitatis. Itaque concludunt, quoad istum articulum, quod per eos non stetit, nec stat, quin concilium generale fiat, sicut fieri debet, ad quod ipse & Benedictus, de cujus re similiter agitur, specialiter sunt vocati.*

XLI. Principes & populi optarunt Gregorii cum Cardinalibus conjunctionem.

Ad tertium articulum videlicet; Item dicit præfatus dominus Carolus sibi a certo innotuisse, multos principes & communitates concurrere ad hanc viam tamquam præ cæteris meliorem; institisse quoque cum præfato domino Gregorio, eidem supplicantes, ut sibi placeret concurrere cum concilio suo in uno loco vestris R, P. [*vestroque consilio subjungens idem dominus Carolus*:] Quod si altera partium V. R. P. videlicet, & præfati domini se retraxerit a prædicta electione dicti unici loci communiter fienda, verisimiliter hoc eventurum non asserit, quod ab illa parte, quæ recusaverit, omnis obedientia totaliter subtraheretur cum vilipendio, detrimento, & infamia maxima ejusdem partis, cum manifeste convinceretur nolle unionem per modum justum & æquum, attenta maxime promissione utriusque facta de non omittendo aliquid de contingentibus; recusare autem electionem dicti unici loci, esset omittere, & sic contra præmissa venire, &c. *respondent dicti domini Cardinales quod de fide, legalitate, & probitate & pura intentione dicti domini Caroli circa unitatem Ecclesiæ dicti domini confidunt sicut de speciali & singulari filio Ecclesiæ Romanæ; & pro tanto quicquid dicat, vel faciat, domini reputant eum bono zelo procedere; sed possibile est quod dominus Gregorius vellet eum circumvenire si posset; sed cum Dei auxilio sperant dicti domini, quod ipse est talis, qui non permittet se decipi vel seduci. Et quia dicitur in dicto articulo quod posset multum imputari ad vilipendium, detrimentum, vel infamiam illius partis, quæ non acceptaret tertium locum eligendum, cum manifeste convinceretur eos nolle unionem, & per consequens ab illa parte subtraheretur omnis obedientia, attento quod multi principes, & communitates concurrerunt ad hanc viam; respondent dicti*

Ut experiverint tertium locum.

domini Cardinales quod possibile est, quod aliqui domini & communitates, qui non sunt plene informati de facto, & circumstantiis ad informationem, seu suggestionem dicti domini Gregorii contentarentur, & placeret eis si possibile esset, quod fieret mutatio ad unicum locum de communi partium voluntate; sed domini certificant dictum dominum Carolum, & dominum Malatestam, quod ipsi habent nova de majoribus Regibus, & principibus Christianis, & de majoribus prælatis totius Ecclesiæ, quod ipsi acceptant, laudant, & approbant viam istam receptam per dominos Cardinales de concilio generali celebrando in Pisis, & venient ad dictum locum, & tempus qui venire poterunt, legitimo impedimento cessante; & qui erunt legitime impediti mittent procuratores plene instructos cum sufficienti mandato, & erunt in tanto numero, quod bene admirabuntur uterque istorum contendentium.

XLII. Respondent Cardd. tertium locum dolo obtrudi a Gregorio.

Et nihilominus credunt dicti domini Cardinales quod omnes, qui pro nunc approbant mutationem loci, quando erunt informati de impossibilitate juris & facti, & maliciosa cautela, per quam istud procuratur per dominum Gregorium, recognoscent veritatem, & concurrent cum majori & saniori parte Regum, principum, communitatum, cleri, & populi Christiani, & cum tota Ecclesia authoritative, canonice, & sufficienter unita. Et ut dicti domini sint de singulis informati tamquam speciales Ecclesiæ filii, domini ejus notificant, ipsosque cum pura veritate informant, quod in casu, de quo agitur, quando scilicet sunt duo contendentes de papatu, ut est in casu præsenti, concilium generale est judex ordinarius & superior utriusque: nam clarum est quod propter dubium unus non est superior altero, nec ambo simul, cum non possint esse duo capita, & esset contra articulum fidei: Et in unam sanctam, &c. *Nec alter ipsorum per se habet in ista materia aliquam jurisdictionem, nec convocandi, nec ordinandi, nec aliquid statuendi; nam alias quilibet esset judex in causa propria de titulo sui papatus; nec unus cum parte sibi obediente obediret, seu determinationi alterius, ita quod oportet de necessitate quod sit dare tertium, qui judicet inter eos, & nullus est nisi universalis Ecclesia, quæ est superior & mater utriusque, quam reputant generale concilium in hoc casu: nam nullus eorum habet integram obedientiam, ita quod universalis Ecclesia non est, neque esse potest apud aliquem eorum, & per consequens neuter potest convocare concilium quod sit generale totius Ecclesiæ.* Opponebat Gregorius constitutis iis principiis, cum Ecclesia & concilium œcumenicum sit judex controversi pontificatus, Cardinales Gallos Urbanum pacifica pontificatus possessione po-

Contendunt concilium judicem eum de pontificatu controvertitur.

titum

Ex principiis suis adversarii Greg. revicti.

titum sine concilii œcumenici authoritate exauthorare non potuisse: itaque se, utpote legitimum Urbani successorem, in ea pontificatus in universam Ecclesiam possessione restituendum fuisse, atque ab se indicendi œcumenici concilii authoritatem pendere. Objiciebant contra Cardinales, at non probabant, nolle Gregorium congregari œcumenicum concilium, neque idoneas rationes sectari, & pro retinenda dignitate propagationem schismatis contemnere. Pergunt iidem Cardinales.

XLIII. Et cognitionem causæ an schisma foveant ad ecclesiam spectare.

Opponuntur etiam contra eorum quemlibet fautoriæ schismatis, atque asseruntur notoria & probabiles, pertinaces & obstinatè ex dictis & factis eorum: opponuntur enormia & gravia crimina notoria facti permanentis, de quibus pluries & solemniter moniti fuerunt incorrigabiles, pertinaces & obstinati: & crimina sunt talia, quæ enormiter scandalizant totam Ecclesiam; immo sunt in subversione, nisi occurratur, totius status ecclesiastici. Istis pro vere præsuppositis, quæ sunt luce meridiana clariora, quæ præsidenda signa freneticæ audebit efferre, quod ipsi vel eorum alter in ista materia possit, vel debent esse judex, ut per consequens auctoritative convocare concilium generale, cum multi opinentur eos jam esse præcisos?

Præscribendum esse locum contendentibus.

Præterea clarum est, quod isti sunt principales Benedictus & Gregorius, de quorum facto agitur, ita quod necessitate juris oportet eos requirere, & provocare ad causam, & assignare eis locum securum, & istud jam est factum per dominos Cardinales, nam dominus Gregorius hunc locum recusare non potest; nam omnis locus in hoc articulo recusatur, vel quia non est idoneus, vel inhabilis, vel quia non est tutus, vel quia non est electus per partes. Quo ad idoneitatem vel habilitatem loci Pisarum, non est insistendum, primo quia notorium est, secundo etiam ultra alia loca mundi Gregorius commendavit locum Pisarum, sicut est rei veritas. Item ex tunc se posuit bis in manibus Florentinorum, in quorum dominio est ipse locus. Similiter dominus Benedictus, qui jam acceptavit hunc locum, non potest eum allegare suspectum, & ut communiter contrarium etiam asseritur, & est magis verisimile propter illam, quæ facta dicitur, & habentur literæ a diversis personis fide dignis: Dominus Benedictus personaliter veniet ad istud concilium ad locum præsumptum, si inveniat locum mutatum, factis justis & rationabilibus protestationibus suis recedet, & sic concilium ruet ex toto, & ipse prætendet se excusatum.

Nullam causam afferri posse cur Pisæ recusentur.

Si instante Gregorio locus mutetur mutandum instante Benedicto.

XLIV. Si locus mutetur non venturos episcopos & principes.

Præterea Reges & principes, communitates, prælati, clerus, & populus totius Christianitatis utriusque obedientiæ sunt solemniter vocati ad istum locum & terminum, & a pluribus habetur responsio, quod venient vel mittent, si inveniant locum mutatum, delusi & frustrati si venerint recedent, & si per prius ea sciverint non venient & arguent nos probabiliter varios, mutabiles, & inconstantes, & per consequens concilium ruet, ut supra. Et credant dicti domini Carolus & Malatesta, quod multi venient Pisas, qui propter multas rationabiles, & justas causas non transibunt magis profunde in Italiam. Sunt & multa alia, ex quibus manifeste convincitur quod dictus Gregorius & sui, qui vellent divertere, & impedire istud sanctum negotium, procurant ista diverticula. Quis sanæ mentis non videat, quod quidquid agitur per dictum Gregorium & suos, est ad divertendum istud sanctum concilium, per quod solum potest sedari schisma, & uniri Ecclesia Dei; & quod malitiose & nequiter procuratur ad impediendum tantum, & tam optatum bonum, ita per Dei gratiam dispositum, & propinquum, & sub fallaci & dissimulata cautela petivit seu peti faciunt loci mutationem? Quæ enim est ratio quod dominus Gregorius non venit ad locum per eum nedum acceptatum, sed tam publice & solemniter oblatum, & copiose laudatum, nisi ut sub verborum pampinis frustretur negotium? Nam si nunc (quod absit) concilii congregatio impediretur, non esset spes quod de tempore nostro posset iterum congregari; & ad istud tendunt isti seductores populi Christiani, & maxime bonorum virorum & simplicium devotorum, tractando & procurando per vias exquisitas, quod divertatur negotium, & concilium non teneatur, &c.

Omnia agi dolo ad concilium disturbandum.

Premebat valde Cardinales & alios præsules, qui Pisis morabantur difficultatum moles in arduo illo opere, atque ideo nonnullas quæstiones eo spectantes, quibus adversarii ipsos possent lacessere, proposuerunt, subjectisque capitibus (a) distinxere.

XLV. Difficultates ingentes circa auctoritatem Pisani concilii.

(a) Ext. in biblioth. Barber. l. 7. de schism. p. 33.

Dubia mota per Cardinales, qui fuerunt Pisis anno Domini MCCCCIX.

Quia in concilio universali possent duo contendentes de papatu seu ipsorum alter, vel etiam ipsorum sequaces movere dubia, & dicere exceptiones, quæ sequuntur, ideo super illis est habenda ante diem concilii matura deliberatio.

Objectio quod indicendum sit concilium a Pontifice.

I. *Et primo forsan dicetur, & excipietur quod Cardinales non potuerunt vocare concilium, sed potius ille, qui gerit se pro Papa in parte sua, & hoc videtur habere colorem per omnia jura di. XVII.*

II. *Et si huic dubio clare satisfiat non censebitur Ecclesia congregata, nec esset ibi concilium, sed potius conciliabulum, & sic nullius auctoritatis jux. c. mul. XVII. di.*

III. *Item movere aliud dubium. Si quilibet, qui se pro Papa gerit, petit ante omnia restitutionem propter subtractionem, &*

nem-

neutralitates sibi factas, talis petitio videtur habere colorem per C. item summatus, qui est sub §. Item cum Balaam II. q. VII.

Objectio quod petatur restitutio obedientiæ.

IV. Item potuerunt dicere prima facie contendentes quod posito, quod si Cardinales possent vocare concilium, vocatio ista esse nulla, quia exspoliatus episcopus ex quacumque causa vocari non potest de jure concilium, nisi fuerit restitutus: nec de aliquo crimine agi contra eum, ut volunt jura per expressum III. q. I. & II. q. per totum, & ista est una exceptio, quæ prima facie videtur juridica per dicta jura, & in illis dominus Benedictus se fundavit tempore alterius subtractionis: & nisi isti dubio sufficienter respondeatur, concilium nullius effectus redderetur.

Item subtractos & neutrales repelli.

V. Item posset moveri dubium, si Benedictus vel Gregorius in concilio peterent subtractos, vel neutrales repelli a concilio tamquam ibidem vocem non habentes, ista petitio videtur habere colorem per §. huic etiam XVII. di. & quia, subtracti seu neutrales spoliantes per hoc Papam, censentur esse inimici secundum jura vulgata, & sic venient in concilio ut partes, non autem ut judices, vel vocem habentes. Istud dubium est forte, &c.

Qui interfuerint Pisano concilio.

Sed maximis hisce difficultatibus spretis congregati Pisis Cardinales & episcopi in sententia de concilio celebrando persistere, cui interfuere viginti duo Cardinales veri falsive, patriarchales titulos gerentes quatuor, archiepiscopi duodecim, octoginta episcopi, Galliarum, Angliæ, Poloniæ, Lusitaniæ, Cypri, Bohemiæ, tum Romanorum & Siciliæ controversorum nimirum Wenceslai & Ludovici Regum oratores. Castellanus vero & Aragonius pro Petro e Luna: Robertus Germanus & Ladislaus Neapolitanus, Danus, Suecus, Norvvegus, Batavus & Sigismundus Hungarus pro Gregorio aliquantulum constantes stetere: Eorum porro, qui interfuere nomina ita descripta habentur (a).

Ergo non est Œcumenicum. Pars Urbani erat amplior.

(a) *Tom. 22. de schism. p. 115.*

Nomina reverendissimoram Cardinalium, ambasiatorum Regum, principum, ducum, comitum, baronum, communitatum, & universitatum.

Nomina Cardinalium.

Episcopi Cardinales.

Dominus Guido episcopus Penestrinus.

D. Henricus episcopus Sabenensis.

D. Nicolaus episcopus Albanensis.

D. Antonius episcopus Ostiensis.

D. Petrus episcopus Tusculanus.

Presbyteri Cardinales.

Dominus Petrus tit. S. Susannæ dictus de Tureyo.

D. Angelus tit. S. Potentianæ dictus Laudensis.

D. Petrus tit. S. Praxedis dictus de Hispania.

D. Conradus tit. S. Crisogoni dictus Militensis.

D. Franciscus tit. SS. Quatuor coronatorum dictus Burdegalensis.

D. Jordanus tit. S. Laurentii in Damaso dictus de Ursinis.

D. Joannes tit. S. Crucis in Jerusalem dictus Ravennas.

D. Antonius tit. S. Praxedis dictus Tudertinus.

D. Lodovicus tit. basilicæ duodecim Apostolorum dictus de Baro.

Diaconi Cardinales.

Dominus Amadeus S. Mariæ novæ dictus de Salutiis.

D. Raynaldus S. Viti in Macello dictus de Brancaciis.

D. Landulphus S. Nicolai in carcere Tulliano dictus Barensis.

D. Baldhassar Cossa dictus S. Eustachii.

D. Odo S. Georgii ad velum aureum dictus de Columna.

D. Petrus S. Angeli Romanus dictus.

D. Antonius S. Mariæ in via lata dictus de Calancho.

D. Petrus S. Angeli Ultramontanus dictus.

Nomina Ambasiatorum Regum, & primo Regis Romanorum, & Bohemiæ. Legati Regum.

Dominus Vvenceslaus patriarcha Antiochenus.

D. Simon episcopus Misnensis.

D. Benetius Cesutch miles.

D. Hieronymus auditor sacri palatii.

D. Joannes Nuson decretorum doctor.

Ambasciatores Regis Franciæ.

Dominus Loduvicus S. Agathæ diaconus Card. dictus de Baro.

D. Simon patriarcha Alexandrinus.

D. Petrus episcopus Meldensis.

D. Ægidius episcopus Constantiensis.

D. Guillelmus Boraterii Legumdoctor.

D. Goffredus de Perusia.

Ambasiatores Regis, & regni Angliæ ac omnium ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium, & collegiatarum.

Dominus Robertus episcopus Saresberiensis.

D. Thomas episcopus Dameniensis.

D. Henricus episcopus Menensis.

D. Thomas abbas monasterii S. Mariæ Eboratensis.

D. Richardus abbas monasterii B. Mariæ Jorevallis.

D. Thom. prior Cantuariensis Cisterciensis ordinis.

D. Comes Soffolchiæ.

D. Joannes Ochul miles.

D. Richardus Camascon legum doctor canonicus, & officialis Goracensis.

Ambasiator Regis & regni Poloniæ.

Dominus Petrus episcopus Cracoviensis.

Ambasiatores Regis & regni Portugalliæ ac omnium ecclesiasticorum, & prælatorum ipsius regni.

D. Joannes episcopus Ulyxbonensis.

D. Epi-

D. Episcopus Lunatensis.

Magister Laurentius provincialis ordinis S. Augustini.

Magister ordinis Minorum confessor Regis.

Procurator Regis Cypri.

D. Petrus Cardinalis S. Angeli Ultramontanus.

Ambasiatores Regis Ludovici Jerusalem & Sicilia.

Dominus Joannes episcopus Vapicensis.

D. Guillelmus de Rapibus miles, & cancellarius.

D Joannes Guardus legumdoctor, & consiliarius.

Magister Luchas de Castiglione secretarius.

Tum de iis, a quibus oratores missi fuere, hæc subiiciuntur; *Primum a ducibus Burgundia, Brabantia, Ernesto Guillelmino Bavaria & Hollandia, Stephano de Bavaria Buggaslaus Stetiensi, Pomerania & Casubia, principeque Ruxanorum, Carolo Lotaringia & Marchiana, Gerstlco de Belderfinge Mazovia seniore, qui numero viginti quinque: tum a comitibus Clinensi, Blandrata, Valeandia, de Serra & Semburch, Oclnmburg & Iatceenlerg, judice Arborea, domino Narbona & vicecomite de Passo, qui undecim numero extitere: tum a marchionibus Jodoco Brandeburgensi, & Moravia archicamerario sacri Romani imperii & electore, Frederico Thuringia, & marchionibus, Misnia, Estensi, qui fuere quinque: ab archiepiscopis Coloniensi imperii electore, & Maguntino, qui tredecim fuere: a patriarcha Aquilejensi tres; quinque ab electo Leodiensi, a magistro ordinis e Prussia, & Hospitalariorum duo.*

Suos misere plures academiæ, ut Parisiensis, Bononiensis, Tolosana, Andegavensis, Cracoviensis, Viennensis, Montispessulani, Exoniensis, Cantabrigia, Pragensis, Coloniensis, qui unus supra triginta fuere.

Philibertus e Naylaco magister Rhodiorum equitum cum sexdecim religiosis equitibus accessit.

Quatuor interfuere patriarcha Simon Alexandrinus, Hugo Jerosolymitanus, Vuenceslaus Antiochenus, Franciscus Lando Gradensis, protonotarii duo; archiepiscopi duodecim Franciscus Narbonensis, Philippus Lugelon ... Petrus Bituricensis, Nicolaus Sipontinus, Franciscus Smyrnensis, Amelius Turonensis, Pileus Januensis, Vitalis Tolosanus, Albamannus Pisanus, Bertrandus Arbonensis, Joannes Viennensis, Joannes Ulyxbonensis: episcopi octuaginta: priores anni supra quadraginta, abbates octogiata septem: priores monasteriorum viginti: generales Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Augustinianorum cum aliquot magistris theologis, & procuratore ordinis montis oliveti, quatuordecim archiepiscoporum procuratores, episcoporum duo supra centum, abbatum ducenti duo: capitula ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium, & collegiatarum, quæ suos misere oratores novem supra centum fuere.

Quinta, sexta, septima & octava sessiones, in urgenda judiciaria actione adversus Gregorium, & Petrum e Luna occupatæ fuere, in quarum etiam postrema edita hæc sanctio. XLVI. Sess. v. vi. vii. viii.

Tribus sessionibus actum adversus contendentes.

Sancta synodus, habita plena & matura deliberatione, decernit, pronuntiat, & declarat unionem ac conjunctionem factam de duobus collegiis dominorum S. R. E. Cardinalium fuisse, & esse legitimam & canonicam, ipsamque sua auctoritate roborat, approbat, & confirmat pro bono tam sancti & pii negotii ac evidenti & imminenti necessitate universalis catholicæ Ecclesiæ, extirpationis schismatis, ac unionis & reintegrationis ipsius Ecclesiæ ac etiam hanc sanctam synodum per dominos Cardinales utriusque collegii ad tantum bonum simul unitos & congregatos tempore congruo, & in loco tuto, habili, idoneo, securo, & libero rite, debite, & canonice convocatam. Declarat insuper, pronuntiat, & decernit per Dei gratiam hic esse generale concilium repræsentativum totius universalis Ecclesiæ catholicæ rite, juste, & rationabiliter fundatum & congregatum, & ad hoc generale concilium tanquam ad unicum superiorem & judicem in terris pertinere hujus causa & omnium propositorum contra dominos Benedictum & Gregorium nominatos contendentes, seu, ut asseritur, colludentes de papatu cognitionem, examinationem, decisionem ac omnimodam determinationem, ac omnium & singulorum ad dictam causam pertinentium quoquomodo dependentium, & incidentium, seu emergentium ex præmissis.

Decretum Ecclesiam esse judicem contentionum inter Pontifices.

In nona sessione promulgarunt sanctionem, a Gregorii & Petri e Luna veneratione discedere fidelibus licuisse, ex quo redintegrare ecclesiarum conjunctionem voluntaria abdicatione pertinaciter negarunt, sed id falso affictum Gregorio, omnia acta a Gregorio & Petro e Luna edita in propagationem schismatis rescindere instruendamque in eos, discussis testium dictis, actionem pronuntiarunt. Addidere etiam: *Item eadem sancta synodus in favorem fidei & pro schismatis extirpatione ac lacerata Ecclesia unienda & pacificanda decernit, pronuntiat, & declarat omnes, cujuscumque status, &c. etsi cardinalatus, &c. præfulgeant dignitate, qui in causa præsenti sunt, & esse possunt judices seu conjudices, in concilio etiam esse posse legitimos testes, eorumque tam testimoniis quam sententiis fidem esse indubiam adhibendam.* In quo decreto observandum est voluisse ipsos, contra jura com-

Sess. ix.

Promulgatum licuisse fidelibus abscedere ab obsequio Gregorii & æmuli.

commotia, ut Gregorii inimici testes ac judices illius esse possent. Demum vigesima prima die maii, in sessione decima

Sess. 2.

instaurata est judiciorum forma in Gregorium & Petrum e Luna XXIII. maii: productaque sunt adversus utrumque plura accusationum capita (a); quorum hic articulos subiicimus.

(a) Ext. to.22. de schism. p.125.

Articuli producti coram sancta synodo contra Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corario Gregorium XII. nuncupatos, de papatu perperam contendentes, notorii probantur, ut sequitur.

XLVII. Capita criminum objecta Gregorio & Petro e Luna.

Coram hac sancta & universali synodo hic principaliter Spiritus Sancti gratia congregata pro parte procuratorum, promotorum, instigatorum, seu sollicitatorum deputatorum ad causam prosequendam pro extirpatione hujus detestandi & inveterati schismatis, & unione & reintegratione sanctæ matris Ecclesiæ, contra & adversus dominum Petrum de Luna a nonnullis Benedictum XIII. nuncupatum, & Angelum Corario ab aliis vocatum Gregorium XII. de papatu damnabiliter & temerarie contra omne fas contendentes, & quantum in eis est, Ecclesiam dividentes, ad hanc sanctam synodum legitime vocatos, & per eamdem contumaces reputatos, & quemlibet eorum proponitur, & pro plena informatione omnium in hac præsenti synodo residentium subjungitur plena informatio omnium, & quorumcumque gestorum per quemlibet prædictorum duorum contendentium sub forma infrascripta, & ut ab exordio schismatis, vera & notoria describatur narratio, deputati ad facta infrascripta colligenda & causas, dant & exhibent huic sancto concilio, quæ in sequentibus describuntur tamquam vera, manifesta, & notoria. Sequitur prima pars primi articuli. Post mortem enim felicis recordationis domini Gregorii XI. qui Romæ obiit anno Domini MCCCLXXVIII.

Repetita Schismatis origo.

& die XXVI. mensis martii reverendissimi in Christo patres & domini domini Cardinales tunc Romæ existentes metu, ut ajebant, Romanorum petentium eligi Romanum vel Italicum, elegerunt dominum Bartholomæum quondam Barensem archiepiscopum, qui fuit Urbanus VI. nominatus, iidemque domini Cardinales reputantes, hoc non obstante, Romanam ecclesiam vacare. Debebat hoc concilium excutere, an illi recte reputassent laniandam esse schismate Ecclesiam: *ex post elegerunt dominum Robertum de Gebennis basilicæ XII. Apostolorum presbyterum Cardinalem, qui sic electus fuit Clemens VII. appellatus. Quanta ex istis electionibus insurrexit in Dei Ecclesia divisio, quantum turbo inde exortus concusserit clerum, & populum involverit Christianum, cum notoria existant, & rei evidentia manifesta, illa prosequi supervacuum reputatur.* Sicque involuit ambitio, scilicet Gallorum anticardinalium, & pseudopontificum qui controversiam concilio toties oblato permitti non assenserunt,

Ambitio tot caula malorum.

ut tempore Urbani, Clementis, & Bonifacii aliqua reperta non fuerit dispositio, per quam schisma extirparetur, & unitas in Dei Ecclesia reduci valeret, quamvis domini Cardinales de utraque obedientia id maxime anhelarent: sed non poterant executioni demandare propter potentiam præsidentium. Probatio primæ partis primi articuli est & probatur per XIV. testes, quorum tres sunt Cardinales, quinque episcopi, & unus ad certam in ecclesiam cathedralem electus, unus est abbas, tres doctores, & unus licentiatus in decretis.

Electus ad ecclesiam cathedralem.

Sed superveniente domini Clementis transitu ab hac luce, iidem domini Cardinales, qui in Avinione erant, inter quos erat dominus Petrus de Luna diaconus Cardinalis tunc, postea assumptus in Benedictum XIII. quod semper gesserunt in corde, disposuerunt in actionem adducere, futuris impedimentis & ambitionibus viam præcludendo; propter quod post conclave ingressum, antequam ad electionem procederent, ad invicem promiserunt, & juramento firmaverunt, quod si quis eorum in papam eligeretur, prosequeretur extirpationem schismatis & unionis vinculum in Dei Ecclesia reduceret per omnes vias rationabiles & accommodas, per quas brevius posset haberi unio, etiam usque ad renunciationem papatus inclusive, si visum fuerit majori parti dominorum Cardinalium eorum, qui tunc erant, pro bono unionis videretur expediens fore, ut hoc in quadam cedula super præmissis facta subscripta manibus ipsorum dominorum Cardinalium plenius continetur: & singulariter fuere prædicta jurata per dominum Petrum de Luna tunc diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin, & ex post ipse dominus Petrus electus fuit in summum Pontificem ab ipsis dominis Cardinalibus ea confidentia, & intentione, ut tunc inter eos dictum fuit, quod præmissa servaret, alias eum nullatenus elegissent: qui sic electus & Benedictus XIII. nuncupatus iterata vice juravit prædicta inviolabiliter observare ad requisitionem dominorum Cardinalium prædictorum: & ista secunda pars primi articuli probatur per XII. testes, tres sunt Cardinales, quatuor episcopi, & unus electus ad ecclesiam cathedralem, unus abbas, duo legum & decretorum doctores, & unus licentiatus in decretis.

Avenionenses primum conati redintegrare ecclesiarum conjunctionem quam diremerant.

Jusjurandum a Petro e Luna conceptum.

Et tunc illico ipse dominus Benedictus ad varias mundi partes, verbo, & scripto mandavit & notificavit, quod erat omnino dispositus renunciare pro bono unionis, adversario pariter renunciante: sed infra paucos dies sic opinionem mutavit, quod de via cessionis verbum audire nolebat, illosque exosos habebat, qui de illa materia mentionem faciebant. Et probatur notorius per octo testes, & quorum unus est Cardi-

Ejusdem perjuria.

dinalis, duo sunt episcopi, unus electus confirmatus ad ecclesiam cathedralem, unus abbas, duo doctores, tam legum, quam decretorum, & unus licentiatus in decretis.

Ut cessionem detrectarit. XLVIII.

II. Articulus. *Post vero ipsius domini Benedicti assumptionem, domini Cardinales varia tenuerunt concilia supra modo uniendi Ecclesiam, & dum ipsa concilia inchoarent, evidenter apparuit quod ipse dominus Benedictus viam cessionis per ipsum juratam prosequi non intendebat, sed potius illum declinare, nam ex post, quia aliqui domini Cardinales aperte loquebantur de via cessionis, fuerunt in periculo captionis & incarcerationis taliter, quod interdum aliqui comminationum metu subito a consiliis & a missa recedebant non petita licentia, nec sine expectato, aliqui metu territi silentium imponebant ori suo; alii etiam subito a civitate Avinione recedebant capi timentes & incarcerari, nam illi reputabantur exosi, qui de unione prosequenda loquebantur per viam mutuæ cessionis. Et probatur per* VIII. *testes, quorum tres sunt Cardinales, unus episcopus, unus electus ad ecclesiam Cathedralem, duo doctores decretorum, & unus licentiatus in decretis.*

Cardinales conjunctionem Ecclesiarum cupidos mali exceperit.

III. Articulus. *Deinde infra annum assumptionis domini Benedicti serenissimus princeps dominus Carolus Rex Francorum ad ipsum dominum Benedictum illustres principes Bituricensem & Burgundiæ patruos, & Aurelianensem fratrem duces cum notabili comitiva prælatorum, magistrorum in theologia, doctorum in jure canonico, & civili, & aliorum virorum insignium destinavit ad requisitionem ipsius domini Benedicti, qui per suos postulaverat nuncios ut Rex mitteret ad eum tales, & sic solemnes nuncios, cum quibus posset deliberare de facto unionis Ecclesiæ, ut cum ipso Rege; qui cum magna sinceritate, humilitate, & devotione hortati fuerunt dominum Benedictum ad prosequutionem unionis Ecclesiæ, offerentes pro parte Regis & sua ac totius regni Francorum consilia, auxilia, & favores, requirentes ab ipso domino Benedicto ut dignaretur Regem & ipsos certificare de via, per quam extirpationem schismatis prosequi intendebat. Et quia dominus Benedictus aliud specifice aperire, quam viam compromissi, quam justitiæ appellabat, ac conventionum partium in certo loco faciendum, quæ fuere communi judicio dominorum Cardinalium, ipsorumque dominorum ducum, prælatorum, & aliorum notabilium virorum dilatoria & inania reputata, & ad unionem in Dei Ecclesia reducendam nullatenus pertinentia, præfati domini duces pro parte Regis & sua & prælatorum regni proposuerunt quod via mutuæ cessionis ipsius domini Benedicti & sui adversarii erat illa, per quam schisma extirpari poterat, attenta diuturnitate schismatis, magna utriusque partis adherentia, ac difficultatibus tam facti quam juris, in causa schismatis occurrentibus, & aliis multiplicibus modis & rationibus luce clarioribus ostenderunt, viam cessionis necessariam existere; supplicantes ut vellet eam acceptare, offerre, & prosequi, maxime quia idem dominus Benedictus per antea Regi per suos nuncios mandaverat, quod ipse omnem viam sibi aperiendam rationabilem acceptaret, & nullam penitus refutaret, quæ posset ad extirpationem schismatis pertinere; & etiam quia ipse dominus Benedictus existens legatus tempore Clementis in Francia, dixerat aliquibus ex dominis ducibus antedictis, & quibusdam aliis notabilibus juris, quod erat necessarium & expediens ut per viam mutuæ cessionis finis schismati imponeretur. E probatur ista prima pars tertii articuli per decem testes, quorum duo sunt Cardinales, tres episcopi, unus ad ecclesiam cathedralem electus, unus abbas, & duo doctores juris canonici & civilis, unus licentiatus in decretis.*

De legatione a Gallo Rege decreta ad Petrum e Luna.

Ostensum illi viam abdicationis necessariam.

Cardinalium preces repetitæ.

Deinde etiam Cardinales iteratis & humilibus supplicationibus instantias fecerunt permaximas, ut ipse dominus Benedictus viam cessionis acceptaret, offerret, & prosequeretur, & ultra; quia videbant supplicationibus & orationibus non posse proficere, in vim cedulæ in conclavi juratæ dixerunt, quod erat omnino expediens bono unionis, ut ipse dominus Benedictus per viam cessionis mutuæ prosequeretur pacem Ecclesiæ, & schismatis extirpationem, & in vim cedulæ prædictæ juratæ ipsum solemniter requisiverunt, ut per viam cessionis, pacem Ecclesiæ prosequi vellet, quod facere expresse denegavit, asserens eam esse perniciosam non bonam. Et probatur ista secunda pars tertii articuli per XII. *testes, quorum tres sunt Cardinales, quinque episcopi, unus ad ecclesiam cathedralem electus, unus legum doctor, unus abbas, & unus licentiatus in decretis.*

Ab eodem repudiatæ.

XLIX. Novo legatio Regum.

IV. Articulus. *Ex post serenissimi principes Reges Franciæ, Angliæ, & Castellæ suos simul nuncios solemnes destinaverunt ad ipsum dominum Benedictum in Avinione residentem, supplicantes instanter pro via cessionis per eum acceptanda & prosequenda, pro qua similem instantiam facere intendebant domino Bonifacio, qui tunc Romæ residebat; quam viam cessionis publice impugnari fecit & reprobari in præsentia dominorum Cardinalium & nunciorum prædictorum per dominum Bonifacium de Manatis: & aliud dominus Benedictus responsum non dedit, sed dixit, quod per nuncios suos Regibus antedictis infra breve tempus notificaret intentionem suam: quod facere ex post omnino prætermisit, & supplicatio-*

nes

Inanibus verbis elusa.

xet dominorum Cardinalium super hoc exaudire recusavit. Et licet nuntii prædictorum Regum ad dominum Bonifacium Romæ accessissent, tamen dominus Benedictus præmisit nuncios suos ad dominum Bonifacium videlicet episcopum Tirasonensem, valde sibi familiarem, & domesticum, & quosdam alios, qui secreta & familiaria habuerunt cum dicto domino Bonifacio, & suis consilia & colloquia ante adventum nunciorum Regum prædictorum. Et nuncii prædictorum Regum supplicationes eidem fecerunt de via cessionis acceptanda, & in effectu idem dominus Bonifacius respondit quæ dixerat dictus dominus Benedictus, & eodem præmeditato sermone, nullo modo subsecuto effectu (falsum omnino istud est, nam Bonifacius respondit dirimendam esse controversiam a concilio œcumenico, sed politici repudiato concilio, id quod id spectabat, Pontificem pontificio solio discedere pro imperio jubebant ue, ut supra diximus, discussa controversia de schismate, ipsi rei deprehenderentur.) *Comprehenderuntque evidenter & notorie nuncii antedicti, & publice dixerunt, quod in domino Benedicto & Bonifacio nulla erat dispositio ad viam cessionis, vel aliam, per quam pax in Dei Ecclesia haberi posset, sed potius inter ipsos erat collusio & concordia, ut manerent in eorum damnatis cathedris, & honoribus concupitis, post terga ponentes quidquid de fide Ecclesiæ, & salute fidelium juraverant.* (Impudentissime fuere istæ illorum mendacia, nam Bonifacius stare volebat Ecclesiæ judicio, & ab Angliæ Regis oratoribus rogatus Gallorum Rex, ut controversium a concilio œcumenico dirimi pateretur, id detrectavit; pariterque antipopa nunquam Ecclesiæ universali se submittere voluit.) *Et maxime collusio antedicta evidenter colligitur, quia per antea ipsi duo contendentes miserunt sibi adinvicem nuncios & literas absque conscientia dominorum Cardinalium, quo ad illa quæ erant tractaturi & prosecuturi, & nunciis suis Benedictus, quos ad dominum Bonifacium destinaverat, in mandatis dedit, ut domino Bonifacio papalem reverentiam adhiberent, eidemque fecerunt nuncii domini Bonifacii domino Benedicto publice & notorie.* (Prævaricatos ea in re Bonifacii oratores certissimum est.) *Et probatur quartus articulus per decem testes, quorum duo sunt Cardinales, quatuor episcopi, unus ad ecclesiam cathedralem electus, unus abbas, unus doctor legum, unus licentiatus in decretis.*

Oratores a Regibus ad Bonifacium transmissi.

Pontificii oratores turpiter antipapam coluere.

V. Articulus. *Post hoc illustrissimus princeps Rex Romanorum & Bohemiæ, suos solemnes nuncios, inter quos fuit principalis R. P. D. episcopus Cameracensis ad dominum Benedictum, tunc in Avinione residentem destinavit, & in publico consistorio, præsentibus dominis Cardinalibus, prælatis, clericis, & laicis, in copiosa multitudine, proposuerunt ex parte dicti domini Regis, mala quæ ex diuturnitate schismatis evenerunt toti christianitati, & difficultates occurrentes in istius pestiferi schismatis extirpatione; quodque ipsi Regi & suo consilio videbatur utilis & necessaria via mutuæ cessionis, & pro illa acceptanda & prosequenda supplicabat instantius, intendens similem instantiam facere domino Bonifacio Romæ residenti, cujus supplicationibus idem dominus Benedictus nullatenus voluit consentire, & in eodem publico consistorio viam cessionis expresse refutando publice & notorie omnibus audientibus, quod de hoc via cessionis prosequenda alias fuerat requisitus, sed illam non acceptaverat, nec illam intendebat in futurum acceptare, quia crederet peccare mortaliter si illam acceptaret & prosequeretur. Et probatur illa pars prima quinti articuli per XI. testes, quorum quatuor Cardinales, tres episcopi, duo legum doctores, & unus archipresbyter ecclesiæ cathedralis, & unus licentiatus in decretis.*

L. Wenceslai Regis Rom. ad contendentes legatio.

Respondet Petrus e Luna lethale crimen admissurum si se abdicaret.

Hæc autem assertio sive dogmatizatio sic publice facta audientes commovit quamplurimum, quia cum via cessionis mutuæ pro unione in Dei Ecclesiis reducenda, sit justa & sancta, authoritatibus novi & veteris testamenti conveniens determinationi Ecclesiæ, sacris canonibus, & sanctorum patrum decretis, & exemplis, sitque charitatis, & perfectionis, & ab omnibus Christifidelibus approbata, & necessaria in hoc casu reputata, non videbant audientes a quo fonte posset procedere ista assertio, nisi solum ex dominandi cupiditate, quæ sequitur juxta beatum Augustinum opiniones gignit legi, & fidei contrariat; & quid importet hæc assertio sic publice & notorie prædicata, istius concilii est deliberare & decernere, prout fidei, Ecclesiæ unitati, & saluti fidelium noscitur expedire. Et probatur ista secunda pars quinti articuli per VII. testes, &c. quorum quatuor sunt Cardinales, duo episcopi, & unus licentiatus in decretis.

Ex dominandi cupidine incidit in hæresim.

VI. Articulus. *His peractis, ostenderunt domini Cardinales frequenter domino Benedicto claris, & evidentibus rationibus, quod sua via compromissi, cui nimis pertinaciter inhærebat, non erat bona & conveniens ad unitatem Ecclesiæ procurandam, nec juridica, quia compromissum reprobatur a jure, cum de titulo beneficii ecclesiastici cujuscumque agitur, multo fortius cum agitur de titulo papali, & habenda Ecclesiæ unitate; illaque via non erat conscientiarum serenativa, immo potius maculam inferens, & adversarius illam merito poterat rationabiliter refutare, supplicantes ut illi vellet inhærere, sed potius viæ mutuæ cessionis per eum juratæ, & fo-*

re

Arrogans ejusdem denunciatio.

re ab omnibus christifidelibus approbata: quæ facere expresse denegavit, subjungens idem dominus Benedictus in præsentia omnium dominorum Cardinalium, tunc in sua præsentia existentium, quod frustra sibi fiebat mentio de via cessionis, quia ipse numquam offerret illam, seu prosequeretur etiamsi adversarius renunciare vellet, nunquamque sederet inter Cardinales in eorum scamno, ostendens per hoc evidenter, quod nullatenus renunciare intendebat pro bono unionis, sed potius tenere illum statum quamdiu viveret in humanis. (In hac pertinacia demonstrabat antipapa, numquam schisma abolitum iri nisi a concilio œcumenico, causa cognita, anathematis sententiæ polliceretur: hisque illustratur etiam Gregorii justitia; nolente enim cedere antipapa vi voti ad cessionem non tenebatur. Nam pluries frequenter dixit publice & asseruit, quod cedula per eum jurata ad viam cessionis, quæ bona ana erat, nullatenus obligabat, nec illam intendebat aliquo modo acceptare, etiamsi totus mundus hoc sibi consuleret, posito etiam quod omnes obedientes sibi, a sua recederent obedientia. Et si hæc ad impedimentum unionis Ecclesiæ, juramenti liciti transgressionem, notorium scandalum Ecclesiæ, pertinaciam, & contumaciam notoriam evidenter pertineant, videant zelum Dei habentes, decernat & judicet hoc sanctum, & universale concilium. Et probatur iste articulus per quinque testes, quorum duo sunt Cardinales, unus episcopus, unus electus ad ecclesiam cathedralem, unus licentiatus in decretis.

Universæ Ecclesiæ repugnaturam professus est.

LI. VII. Articulus. Ulterius quia multi Reges, & principes, prælati & alii disponebant se subtrahere ab obedientia ipsius domini Benedicti, quia perpendebant evidenter & notorie indispositum, pertinacem & contumacem ad unionem Ecclesiæ prosequendam, domini Cardinales pro evitatione tantorum scandalorum eidem supplicaverunt, ut viam cessionis offerret, & prosequeretur, vel saltem consentiret, & afferret, ut per omnem viam rationabilem, & juridicam finis schismati imponeretur, & quod via cessionis esset ultima, si per alias unio haberi non posset, vel conveniret cum adversario in certo loco, & ibi ageretur de viis debitis & necessariis, quæ omnia facere expresse denegavit, non curans, at tunc publice & frequenter dixit de subtractione quacumque quæ sibi fieret etiam si totus mundus se subtraheret, quia beatus Petrus, ut dicebat, non habuerat in sua obedientia Franciam, nec alias partes, de quarum subtractione timebatur, subdens etiam in verbis suis publice, quod plus merebatur cessionem non acceptando, quam posset demereri alius uno mense, & quod si cogeretur ad cessionem dimitteret Ecclesiam in tali statu, ut post suam mortem longo temporis spatio reparari non posset, facta vero sibi ex post in regno Franciæ generali subtractione, domini Cardinales eidem supplicaverunt, ut pro evitatione tantorum periculorum, & cum regnum Castellæ ad similem subtractionem se disponeret faciendam, & nonnullæ aliæ nationes, ut ex post fecerunt, vellet afferre viam cessionis, ipsi domini Cardinales offerebant se interpositaros & laboraturos, ut subtractiones factæ revocarentur & aliæ non fierent; ipse dominus Benedictus præmissa facere denegavit, & expresse recusavit, & [quod longe deterius existit] tunc publice in ecclesia Prædicatorum Avinionensi prædicari fecit per suum confessorem magistrum Vincentium, quod ipse nunquam acciperet viam cessionis pro quacumque subtractione sibi facta vel facienda; immo potius pateretur mortem, si sibi hæc de causa inferretur, quam cessionem offerret. Consuluisse illi S. Vincentium, ut se œcumenico concilio submitteret, visuri sumus. Si ista bene soneat, impedimentum pacis & unionis Ecclesiæ important, & notoriam Ecclesiæ scandalum cum pertinacia & contumacia notoria, videat & judicet hoc sanctum, & universale concilium: Et probatur iste septimus articulus per sex testes, quorum tres sunt Cardinales, unus episcopus, unus ad ecclesiam cathedralem electus, & unus licentiatus in decretis.

Spreti ab eodem Petro a Luna eorum pii conatus.

Impiæ antipapæ minæ.

Concionatus est publice Vincentius Ferrer. nunquam Petrum a Luna cessurum.

Toleraturum prius mortem.

VIII. Articulus. Subtractione ipsi domino Benedicto facta durante, ipse tunc suos defectus aliqualiter agnoscens, obtulit saltem in verbo cum juramento publico, quod fere ad omnes Reges & principes suæ partis direxit viam cessionis quæ sibi tunc visa est justa, licet illam per prius asseveraret peccatum mortale continere adversario volente pariter cedere, mortuo, vel ejecto, promisit eam in eodem juramento, quod ad congregationem, synodum, vel concilium, quod inde contingeret teneri, & celebrari pro unione Ecclesiæ, ipse dominus Benedictus accederet: & propter hanc oblationem & alias considerationes restituta sibi fuit obedientia, quia credebatur pro illa, quæ verbo obtulerat facto deberet adimplere. Et probatur ista prima pars octavi articuli per octo testes, quorum duo sunt Cardinales, tres episcopi, unus ad ecclesiam cathedralem electus, unus utriusque juris doctor, unus licentiatus in decretis.

Ut abdicationem iterum se pollicitus.

Et in restitutione obedientiæ inter ipsum dominum Benedictum & Cardinales fuerunt initæ conventiones sub juramentis publice, inter quas una fuit, quod promisit seu intendebat ipse dominus Benedictus convocare & tenere concilium suæ obedientiæ super bono regimine Ecclesiæ & unione Ecclesiæ prosequenda: & licet de hoc fuisset facta specialis mentio in castro Raynar-

De congreganda suæ partis concilio convenit.

nardi, & Ponteforgia diœcesis Aveutonensis in instrumentis ibidem confectis, tamen dominus Benedictus conatus fuit ex post, ut notarii instrumenta in formam publicam redigerent, illo articulo de convocando concilio prætermisso, contra veritatem rei gesta: & quia camerarius domini Albanensis, qui fuerat unus de rogatis notariis, hoc facere recusavit, ne crimen falsi incurreret, fuit per dominum Benedictum sub aresto tentus in curia per annum & ultra, & facta sibi graves comminationes incarcerationis, & quod igni traderetur nisi hoc faceret: sed in illo fuit firma constantia, adeo quod minis & terroribus ad hoc induci non potuit; & per hoc potuit evidenter, quod servare nolebat promissa de via concilei convocandi, & minus prosequi pacem Ecclesiæ per viam cessionis, de qua facta sibi restitutione verbum audire noluit. Et probatur ista secunda pars octavi articuli per testes quatuor, &c.

Dein concilii convocationem repudiavit.

Quantum a concilio abhorruerit Petrus e Luna.

LII. IX. Articulus. *Exactis ex post aliquorum temporum intervallis dominus Benedictus suos destinavit nuncios ad dominum Bonifacium, & licet notificaverit dominis Cardinalibus quod mittebat pro facto unionis, ut dicebat, tamen ad quid mittebat, & quæ debebant ibidem tractari, seu prosequi ipsis dominis Cardinalibus omnino occultum tenuit, prout & alias semper erat facere assuetus, quando ad dominum Bonifacium nuncios destinabat: & prædicti nuncii, ut ex post dictum fuit, ipsum dominum Bonifacium requisiverunt de via conventionis ipsius, ac domini Benedicti in uno loco de via compromissi quam justitiæ appellabant, & quibusdam aliis: & licet tunc in domino Bonifacio non fuerit reperta dispositio ad unitatem Ecclesiæ prosequendam*. Falso impingitur calumnia Bonifacio, nam ad committendam concilio controversiam semper se paratissimum obtulit, ut dictum est, tamen ipso domino Bonifacio tunc infra breves dies defuncto, adhuc nunciis Benedicti Romæ existentibus, domini Cardinales, qui domino Bonifacio adhæserant, ipsos requiri fecerunt, quod si a domino Benedicto habebant mandatum, seu potestatem de via cessionis offerenda, hoc eis notificarent, quia ex causa domini Cardinales erant dispositi ab electione cessare & negotio unionis intendere, & si de hoc ad dominum Benedictum, ut ipsi erant dispositi expectare responsum: qui quidem nuncii responderunt, quod nullum habebant mandatum de via cessionis offerenda, & pro hoc non intendebant mittere ad dominum Benedictum, quia via cessionis non erat bona. *Et probatur iste novus articulus per* VII. *testes, &c. quorum tres sunt Cardinales, duo episcopi, unus ad Ecclesiam cathedralem electus, & unus licentiatus in decretis.* Hactenus Pisani patres adversus Petrum e Luna antipapam, quem schismatis reum fuisse certum est: nunc judicium instruunt in Gregorium, qui ab antipapa spe colloquii illusus, atque a Cardinalibus per politicos subornatis desertus fuerat.

Impostura ejusdem in offerendo via compromissi.

X. Articulus. *Subsequenter mortuo domino Bonifacio, præfati reverendissimi domini Cardinales in conclavi existentes, inter quos erat Cosmatus tunc Cardinalis Bononiensis nuncupatus, postea assumptus in Innocentium septimum, antequam ad electionem procederent, ordinaverunt certa, quæ tunc videbantur utilia pro unione Ecclesiæ procuranda & facienda, prout in instrumento super hoc confecto latius continetur. Et quia electo post præmissa per ipsos dominos Cardinales, qui tunc Romæ residebant, domino Innocentio prædicto, satis infra breve patuit evidentia facti, quod illa quæ fuerunt per ipsos dominos Cardinales prævisa & ordinata pro bono unionis non fuerant ad pacem introducendam sufficientia, malitia hominum pensata, & propterea infra breve tempus, defuncto domino Innocentio præfato, antequam ipsi domini Cardinales ad electionem vellent procedere in conclavi existentes, inter se magno zelo disposuerunt ad fortio manus ponere, ideo statuerunt & adinvicem promiserunt, & convenerunt, & juraverunt, & solemniter se voto astrinxerunt, quod si eorum aliquis in summum pontificem assumeretur pro unione sanctæ Dei Ecclesiæ reducenda, & schismatis extirpatione, renuntiaret papatui & juri, quod sibi posset competere in illo, dum tamen Benedictus pariter renunciaret, vel moreretur, dummodo domini Cardinales, qui cum Benedicto erant, vellent sic convenire cum dominis Cardinalibus Romæ existentibus, quod sequeretur electio unius veri & indubitati pastoris, & summi Pontificis, ut in instrumentis super hoc confectis plenius continetur; & specialiter prædicta juravit, & vovit dominus Angelus Corario tunc Cardinalis Constantinopolitanus vulgariter nuncupatus, & postea in Papam ab ipsis dominis Cardinalibus electus, qui interrogatus per bonæ memoriæ dominum Florentinum priorem dictorum dominorum Cardinalium, ut consentiret electioni de ipso factæ, dixit consentire, & non velle contradicere divinæ voluntati tantum ut daret unionem & pacem Ecclesiæ, & post Gregorius nominatus prædicta de novo juravit & voto firmavit, & instrumenta publica super hoc iterata, manu propria, sub nomine Gregorii subscripsit; ut in ipsis instrumentis plenius continetur, misitque literas suas sub media bulla fere ad omnes principes & nobiles, communitates, universitates studiorum præmissa continentes, & quod ea volebat inviolabiliter observare: & post sui coronationem in consistorio generali de novo prædicta omnia, & singula promisit, vovit, & juravit, præsente multitudine cleri & popu-*

Sacramentum conceptum a Cardd. in electione Gregorii.

Ratum habitum ab eodem Gregorio.

Explicata ab eodem egregie.

populi copiosa, increpando prædecessores suos, quod tantum neglexerant in dando unionem & pacem Ecclesiæ, de quibus fuit Angelus Dei multipliciter commendatus, & fuisset per amplius, si perseverasset in incepto juratis & vota toties repetita firmatis. Et probatur iste decimus per xxv. testes, deponentes aliquos super tota, aliquis super partibus, quorum quatuor sunt Cardinales, unus magnificus baro, tres auditores, unus magister in theologia, unus doctor legum, unus advocatus consistorialis, unus clericus cameræ, duo scriptores literarum apostolicarum, unus scriptor pœnitentiariæ, unus licentiatus in decretis, unus nobilis de Janua, unus olim vicecamerarius, unus clericus capellæ, duo generales ordinum mendicantium, unus alius scriptor literarum apostolicarum procurator ordinis.

LIII. XI. Articulus. *Item ipse dominus Gregorius per suas literas & nuncios prædicta per eum jurata, & vota firmata notificavit domino Benedicto in Massilia residenti, requirens eum, ut prædictis vellet annuere, quod fecit tandem attractus tamen & quemadmodum invitus, nec sic simpliciter ut dominus Gregorius, licet per dominos Cardinales, & nuncios domini Gregorii fuisset sæpius solemniter requisitus, ut simpliciter consentiret, ut fecerat & faciebat dominus Gregorius; immo voluit sibi partem servare in electione futura, quod non fecerat Gregorius, dum dixit in suis literis :* Dummodo Cardinales Gregorio adhærentes velint nobiscum & fratribus nostris taliter convenire, quod sequatur canonica electio; *prout in literis domini Benedicti responsivis literis dicti domini Gregorii, & eidem missis latius continetur; ita quod ex modo agendi, loquendi, & circumstantiis evidentibus deprehendatur, quod dominus Benedictus viæ cessionis assentiebat in verba, non autem in re & effectu: & de hoc erat oblocutio, & fama Massiliæ inter dominos Cardinales, & alios quamplures tunc Massiliæ residentes. Et probatur iste XI. articulus per XIV. testes, deponentes quosdam super toto articulo, & quosdam super partibus, quorum quatuor sunt Cardinales, unus magnificus baro, duo auditores, unus licentiatus in decretis, unus camera, duo scriptores literarum apostolicarum, unus scriptor pœnitentiariæ, unus clericus capellæ, unus advocatus consistorialis.*

Ut Gregorius Petrum a Luna de mutua abdicatione postulaverit.

Deprehensum est Petrum e Luna ficte omnia agere.

XII. Articulus. *Et per antea audita de bona voluntate domini Gregorii, quam habere videbatur ad ecclesiæ unionem magnificus dominus Malatesta de Malatestis de Pensaura etiam propriis expensis ad serenissimum dominum Regem Franciæ, & ad dictum dominum Benedictum tamquam fervens zelator hujus sacratissimæ unionis accedere se obtulit, qui pro parte domini Gregorii, occasione ipsa, ut ad urbem propterea se transferret fuit requisitus: qui postquam cum honorabili comitiva Romam ad exequendum oblata & requisita applicuerat, supervenientibus nepotibus domini Gregorii, scilicet domino Antonio, tunc episcopo Methonensi, & Paulo Corario, ibidem dominus Gregorius per dictos suos nepotes, ut dicitur, seductus & in reprobum sensum datus, variare & evidenter a promissis retrocedere incœpit: nam juxta consilium omnium dominorum Cardinalium noluit mittere dictum Malatestam ad legationem prædictam, sed dictum dominum Antonium.* Floruisse Cardinalem hunc pietate B. Joannis Capistranensis testimonio visuri sumus, idemque ordinis canonicorum S. Georgii in Alga conditor erat. *Cui arcana suæ mentis, ut creditur, & post factum constitit, aperuit, associatis sibi bonæ memoriæ domino Guillelmo tunc episcopo Tudertino, & domino Antonio de Butrio, utriusque juris doctore, ad famam tantum, quia ipsi nesciebant secreta, ut expost dixerunt publice dicti domini episcopus & Antonius, immo nec domini Cardinales aliquid sciverunt de secretis, quæ portavit dominus Antonius ejus nepos, cui dedit unam bullam clausam, cujus continentiam præfati domini Cardinales ignoraverunt: quibus per aliam suam bullam de conveniendo de loco habili & idoneo decenti mandatum dedit: per quos oratores tandem conclusum fuit de loco Saonæ cum dicto domino Benedicto & suo collegio, qui & præfatum dominum Gregorium in vim dicti mandati obligaverunt, ut in certis terminis declaratis, cum suo collegio, deberet ire Savonam, cum certis etiam modificationibus, prout in instrumento super hoc confecto plenius continetur. Et probatur iste duodecimus articulus per XIV. testes, quorum tres sunt Cardinales, unus magnificus baro procurator, unus auditor, unus clericus cameræ, unus generalis ordinis mendicantium, unus scriptor pœnitentiariæ, unus clericus capellæ, duo scriptores literarum apostolicarum.*

Gregorium a nepotibus suis seductum objiciunt.

Inconsultis Cardd. paciscitur Gregorius de Saonensi colloquio.

XIII. Articulus. *Item quod dictus dominus Gregorius cum de dicta concordia loci Saonæ notitiam habuisset, ipsam concordiam approbavit & ratificavit, & coram suis dominis Cardinalibus & aliis notabilibus personis sæpius affirmavit, quod locus ille sibi placebat commendando nepotem suum prædictum, & increpando dominos Cardinales qui illum suspectum habuerant dum mittebat confortando, & sollicitando eosdem dominos Cardinales pro accessu ad dictum locum cum quibus dominis Cardinalibus in diversis consiliis deliberavit, quod si galeas habere non posset, dispositus erat ire in una barchella, seu pedes, si aliter transire non posset, assentientibus & ad hoc confortantibus eum dictis dominis Cardinalibus: scripsitque bullas* LIV.

Ratum habuit eum locum.

Cardinales suspectum habentes increpuit.

suas

suos serenissimo domino Regi Francorum, sollicitando per suos fratres, ut ea quæ ipsum tangebant secundum dicta conventionis capitula, celeri executioni mandaret; ac per fratrem Joannem Dominici dominum Gubernatorem & regimen Januense requisivit pro celeri expeditione, & executione eorum, quæ ad ipsos spectabant, quæ omnia ex relatione dicti fratris Joannis Dominici per dictum dominum gubernatorem & regimen Januense fuere integraliter executa, & similiter communitati Saonæ regratiando de prompta devotione & executione eorum, quæ ad ipsos pertinebant: illos hortando in domino ad ulteriorem prosecutionem per suas bullas conscripsit; & ab oratoribus, syndicisque communicatum Januæ & Saonæ Romæ existentibus, juxta continentiam conventionis prædictæ, juramentum fidelitatis recepit, redeuntemque dictum dominum Antonium nepotem suum, pro gestis & meritis in legatione prædicta, in camerarium promovit.

Nepotem de legatione bene gesta commendavit.

Objectam illi desertisse a pactis.

Deinde autem idem dominus Gregorius variare & evidenter retrocedere a præmissis tam solemniter firmatis & ratificatis incepit, allegans aliquas frivolas excusationes & causas, non leves sed gravissimas fuisse demonstratur, *impedimenti videlicet galearum defectus, & inopiam pecuniarum, nam dum ab oratoribus domini Benedicti in Roma esset requisitus ad accessum ad Saonam finaliter respondit, nullo modo velle ire sine galeis. Similem etiam responsionem fecit oratoribus serenissimi Francorum Regis, qui etiam requisiverunt dominos Cardinales, tunc Romæ existentes, ut attenta domini Gregorii indispositione ad unionem, eos declararent an vellent Saonam accedere juxta promissa, eos etiam rogantes, ut si interim dominus Gregorius decederet, non procederent ad electionem futuri præsidentis: qui de mandato domini Gregorii responderunt, quod ipsi facerent debitum eorum. Quo ad secundum quæsitum responderunt etiam de suo mandato, quod ipsi non poterant obligare absentes; sed instarent cum domino Gregorio, ut constitutionem faceret super hoc validam, quam constitutionem facere promisit, prout apparet per instrumentum publicum manu Domini Francisci de Montepolitiano: sed tamen post recusavit, ut impediret; & licet galeæ, quas etiam a gubernatore Januensi in Janua dictus nepos suus requisiverat & capitaneum, videlicet dominum Joannem Ultramarinum sibi exhibitæ & oblatæ fuissent per oratores serenissimi Regis Franciæ, etiam cum juramento capitanei & patronorum, ac etiam obsidum datione de filiis, & nepotibus prædictorum, & alia quacumque securitate: illas tamen recusavit, quamvis galeæ prædictæ oblatæ sibi fuerint armatæ, vel tantum corpora galearum cum fulcimentis omnibus, ut si confidere noluisset de hominibus Januæ, armare potuisset de suis, licet per prius accepta dicta corpora galearum, & similiter ire per terram omnino de recusavit, non obstante quod per consilia jurisperitorum extitit eidem domino Gregorio consultum, quod per terram non tenebatur, si non habebat galeas.* Animadvertit, ut diximus, Gregorius antipapam sibi parare insidias, quare jure mutavit sententiam; *De pecuniis autem, quas multas exegit a clero magnæ partis suæ obedientiæ ratione occasionis unius subsidii charitativi per ipsum impositi, ut iret Saonam causa prosequendi unionem, ut in suis bullis desuper confectis plenius continetur, pro expensis necessariis extitit sufficienter provisum; licet inter nepotes & consanguineos suos, & non in facto unionis, ut in suis bullis narrabat, easdem distribuerit: nec etiam dominus Gregorius voluit constituere procuratorem ad renunciandum, & Saonam transmittere, licet promisisset idem dominus Gregorius per instrumentum publicum in certos casum & eventum, quod si ire non posset, aut nollet ad dictum locum Saonæ idoneum mitteret procuratorem infra dictum terminum cum pleno, & sufficienti mandato, & potestate ad faciendum ea, quæ ipse facturus esset, si personaliter adesset, secundum juramentum, & votum emissum secundum formam contractus facti in conclavi Romæ. Et probatur iste articulus per XVII. testes, quorum quatuor sunt Cardinales, quinque doctores, quatuor scriptores literarum apostolicarum, & quatuor notabiles viri.*

Trireme oblatas noluisse admittere.

Acceptas pro Saonensi profectione a fidelibus pecunias in nepotes tradidisse.

Recusasse mittere procuratorem Saonam.

XIV. Articulus. *Item quod licet dominus Gregorius, maxime ad importunam instantiam dominorum Cardinalium, qui conabantur Saonam appropinquare versus Senas accedere dixisset, tamen dum in civitate Viterbii resideret totis conatibus quæsivit Perusiam se transferre, qua via se elongabat ab accessu Saonæ, nisi domini Cardinales se in hoc sibi efficacius opposuissent, quorum quasi devictus instantia reversus Senas gressus suos direxit: & cum ibidem resideret, & instarent quod iret, dixit per Lombardiam ad terras marchionis Montisferrati velle transire, & ibi morari, & tractare de alio loco, & clare dicebat nolle ire Saonam, quæ via erat totaliter indisposita, & impossibilis videbatur tam propter hyemem, quam propter guerras tunc instantes, & hæc omnia ex mala intentione ad impedimentum prosecutionis & conclusionem sacratissimæ unionis fieri apparebant evidenter: sperabat enim ad aliquem locum declinare per illam viam, in quo se fortiorem reputasset, & dominis Cardinalibus subibuisset, ne amplius non loquerentur de materia unionis sicut in Luca postea fecit.* Structa est hæc calumnia Gregorio ab ejus adversariis, non enim vetuit verba fieri de instauranda ecclesiarum LV.

Saonam declinasse.

Tentasse locum munitum adire ut Cardinales a prosequenda unione averteret.

rum conjunctione, sed conventicula cum adversariis agi, cum ad schisma conflandum spectarent, pravisque opinionibus contra pontificiam auctoritatem imbuerentur. *Sed resistentibus dominis Cardinalibus propter indispositionem prædictam, & quia ipse dominus Gregorius quærebat se divertere ad loca, ubi potentior esset, recedendo taliter a prosecutione unionis prædictæ, ut supra dictum est, eundem pro majori parte sequi recusantes dum eum requirerent, ut eos permitteret ire Saonam, & debitum eorum facere, secundum quod promiserant etiam de suo mandato, negavit expresse.* (Jure negarat Gregorius, cum se insidiis circumventum specie pacis doleret.) *Et replicato per dominos Cardinales, ut vellet se supponere juri, & stare consilio universitatis Bononiensis, Parisiensis, Senensis, vel Romanæ curiæ, an Cardinales tenerentur Saonam accedere etiam eo nolente, recusavit dicens:* Ego sum Papa, nec habeo me alicujus subjicere consilio; immo ego sum super jus, & meæ sententiæ debetis vos conformare in totum; *in hoc dominos Cardinales, ne debitum suum facerent, quantum poterat, prohibendo.* (Iniqua erant hæc postulata, cum Parisienses adversarentur Gregorio, Bononienses vero subornati a Balthasare perduelli Cardinale, nec Pontifex placita academicorum, sed academici placita Pontificis sequi debeant, itaque jure responsum fuit. Debuerunt vero Cardinales ut membra aptare se capiti, ferebatque ægre Gregorius ab iis colloquia suspecta fieri cum schismaticis.) *Tractarunt domini Cardinales, ut ad locum Petræ sanctæ dominii Lucani unus ipsorum, scilicet dominus Gregorius, se transferret; quem locum de Petrasancta per prius per suos oratores obtulerunt domino Benedicto commoranti in Saona videlicet per protonotarium de Urbino, scilicet magistrum Jacobinum physicum abbatem de Prutolia, & dominum Franciscum Justiniano de Venetiis, & dominus Benedictus ad Portumveneris appropinquaret, ex quo de loco Saonæ omnis erat spes penitus sublata, & mutua in civitate possent facilius concordari, & materiam unionis juxta eorum vota & promissa perficere; idem dominus Gregorius tot difficultates posuit, ut pro tunc nullatenus voluit acceptare Petramsanctam, asserens eum locum non sibi securum, licet securissimus sibi esset, ut Lucana civitas, nam ejusdem domini, & dominii erat, videlicet domini Lucani, qui etiam pro securitate sua voluit sibi domino Gregorio dare in obsidem unicum filium suum, & etiam ipse dominus Lucanus homagium se ei præstaturum offerebat, ac etiam roccham Petræsanctæ ponere volebat in manibus magnifici domini Berardi de Camerino vassalli Romanæ ecclesiæ, &*

Controversiæ inter Gregorium & Cardd. caput.

Objectum Gregoriu ipsum nova semper impedimenta inferre ne fieret ecclesiar. conjunctio.

tunc stipendiarii domini Gregorii, de quo permaxime confidebat: quæ omnia denegavit velut ille, qui nullam voluntatem habeat uniendi, non obstante quod Lucam iverit sine aliqua dictarum securitatum, quæ utrobique sibi necessaria non erant, attento illius magnifici domini Lucani probato fidelitate. Et probatur iste XVI. articulus per XVII. testes. (Omnia objecta de colloquio Saonensi disturbato inania sunt, cum ineo Petrus e Luna nollet pseudopontificatu se abdicare, sed opprimere Gregorium vel schisma propagare, ut suo loco a nobis ostensum est.)

XV. Articulus. *Tandem de Petrasancta, ut præmittitur, prius oblato & postea recusato, intercedentibus Venetis & devictus precibus & instantia dominorum Cardinalium, inclinatus est Gregorius ire Lucam, & ut dominis Cardinalibus timorem auferret, ne ipsum ito pro unione sollicitarent,* (falsa est hæc interpretatio, neque enim ponente rum Gregorio pontificatum, ecclesiæ universæ conjungi poterant, cum Hispani, & Scoti non cedenti antipapæ adhærerent,) *voluit promissionem expressam a domino Lucano, ut libere posset in Cardinales animadvertere: qui tantam affectionem ad Lucam habebant, quod mortem non timuerunt, immo tali promissioni consenserunt, quod aliter dominus Lucanus nullomodo facere dispositus erat, quem accessum ipse dominus Gregorius male libenter fecit, adeo quod oportuit dominos Cardinales sibi de eorum propria pecunia mutuare tria millia florenorum, de quibus non est adhuc plenarie satisfactum, licet ipse aliunde haberet pecuniam necessariam pro accessu Lucam, & dominus Benedictus veniret instantibus etiam sibi dominis Cardinalibus ad locum Portusveneris ad finem, quod ipsis existentibus in locis propinquis, convenientius posset concordari de loco mutuæ conventionis pro mutua cessione facienda, & danda pace Ecclesiæ: & licet tunc plures nuncii, & iteratis vicibus missi per dominum Benedictum ad dominum Gregorium fuerint, & e contra, tamen domini Cardinales partis utriusque nunquam scire potuerunt ad quæ prosequenda mittebant; immo semper occulta fuit eis materia: & alterius dominus Benedictus continue in civitate Senorum & Lucana tenuit quosdam suos servitores, & familiares speciales magistrum Simonem Salvatorem decretorum doctorem, fratrem Avinionensem, seu ordinis prædicatorum, & quosdam alios, qui absque conscientia dominorum Cardinalium, de nocte & secretis horis familiaria & secreta colloquia habebant cum domino Gregorio & ejus nepotibus plures & frequenter; & viceversa idem dominus Gregorius tenebat cum domino Benedicto quendam Michaelem de Pisis suum secretarium in Portuvene-*

LVI. De Gregorii accessu in urbem Lucanam.

Obiiciunt Gregorio clandestina consilia cum Petro e Luna iniisse.

Increbuit opinio ipsum colludere cum antipapa.

ris, qui etiam cum domino Benedicto & suis, sua secreta concilia tenebat & habebat; ex quibus, velut ex evidentibus indiciis insurrexit in Luca & Portuveneris fama & communis reputatio, prout hodie per amplius est, quod inter dominum Gregorium & Benedictum erat mutua collusio, & ipsi adinvicem sic difficultarunt hoc negocium electionis locorum & concordiæ, quod nunquam ad mutuam cessionem devenirent. Exitus verum ostenderant Gregorium non collusisse, dum ultro cessit, cum antipapa nondum cessisset, neque unquam cessurus foret: ex quo impositam Gregorio iniquè calumniam constat, neque enim ulla colloquiorum mentio ab *antipapa* nisi ad nectendas fraudes habita est, & Cardinales nimium creduli a schismaticis, qui in Ecclesiam tyrannidem affectabant, subornari se & in verum Christi vicarium commoveri passi sunt. Ex quibus facile colligitur evidentia non fuisse, quæ Cardinales manifesto fuisse jactant. *Et evidentius patebat fere omnibus in dictis locis existentibus ipsorum collusio, quia circa loca adinvicem nominata tantas ipsi duo contendentes de Papatu adhibebant difficultates circa securitates & munitiones castrorum eis tradendas superfluas & adeo difficiles, quod poterant impossibilitate adæquari, & sic difficultarent adinvicem istud negotium electionis locorum, quod nulla inter eos concordia de loco in quo haberent convenire pro mutua cessione facienda.* Falso antipapæ imposturæ affinguntur Gregorio, qui summo animi candore rem gerebat. *Nolentes enim duo contendentes de papatu sequi concilia suorum dominorum Cardinalium, omnia penitus illa voluntarie, & sine causa refutabant, dum Cardinales cum domino Gregorio instarent, ut vellet de loco aliquo concordare, respondit:*

Respondet Gregorius frustra agi de loco, cum adversarius nolit se abdicare.

Frustra fieret talis concordia loci, quia ego scio quod dominus Benedictus nullo modo est dispositus cedere. Unde autem talis notitia venerit, non apparet nisi ex mutua collusione. Non ex collusione, sed ex noto Petri e Luna perfidia, ut exitus demonstravit. *Et probatur iste articulus* XV. *per* XXIII. *testes, quorum sex sunt Cardinales, unus episcopus, quatuor doctores, unus magister in theologia, quinque scriptores apostolici, & sex alii notabiles viri.*

LVII. Obiciunt contendentes se mutuo juvisse ne ob ipsis deficerent populi.

XVI. Articulus. *Praterea, ut evidentius de ipsorum dominorum contendentium de papatu collusione constet, est veritas notoria, quod quando domino Benedicto fiebat mentio, quod si dominus Gregorius non faceret debitum suum juxta vota per ipsum præstita, multi sibi adhærentes subtraherent sibi obedientiam, hoc sibi displicebat, & dissuadebat hoc fieri, nam egregiis & notabilibus viris, dominis Marco de Altovitis militi, & Laurentio de Radulfis decretorum doctore, & Nicolao de Usano civibus & oratoribus Florentinorum ad ipsum dominum Benedictum pro causa unionis profectis in Portuveneris expresse dixit non debere fieri subtractionem domino Gregorio, nec non & certos suos nuncios diu tenuit in civitate Florentia, scilicet Priorem S. Maximi in provincia & Joannem de Burgo, ad finem ut procurarent, prout & fecerunt possetenus, ut per insigne commune Florentiæ nulla fieret subtractio, nec alia novitas domino Gregorio contumaci & omnino indispositio ad pacem Ecclesiæ. Pari modo dum facta extitit mentio domino Gregorio & nunciis suis, quod si dominus Benedictus non faceret debitum suum circa pacem Ecclesiæ, sibi adhærentes subtraherent obedientiam, dominus Gregorius, & nuncii sui hoc dissuadebant fieri, dicentes, quod hoc non bene fieret.* (Hoc propterea ii dicebant, quia defectio a pontifice non principum placito, sed concilii authoritate decernenda est; neque conclusio valet in Gregorii causa, sed antipapæ.) *Et sic fovebant & nutriebant notorie schisma verbo & facto, & impedimenta præstabant paci & unitati Ecclesiæ procurandæ, habentes quidem facies diversas, quia quilibet appetebat & appetit habere papatum insolidum, sed caudas habent adinvicem colligatas, ut de vanitate conveniant, & convenerunt in idipsum,*

Difficultates auxisse ne fastigium ponerent.

videlicet ad difficultandum sic istam materiam voluntarie & sine causa, ut nunquam perveniatur ad mutuam cessionem, nec ad pacem Ecclesiæ, nec schismatis extirpationem. Et ulterius ipsi duo contendentes de papatu pacem noluerunt, & unionem, inhibuerunt dominis Cardinalibus ut de pace Ecclesiæ non tractarent, sed totus tractatus relinqueretur ipsis duobus, quia ipsi adinvicem essent bene concordes, prout & fuerunt & sunt ad impediendum pacem Ecclesiæ & procurandum schismatis prolongationem.

Vetuisse Cardinales ne de pace ecclesiarum agerent.

(Conceperat nimirum Gregorius spem aliquam Petrum antipapam ita honore abiturum, ut ipse non se abdicaret: contra vero Petrus deludere Gregorium vel obruere nitebatur, atque ideo instructam egregie classem tenebat.) *Et probatur iste* XVI. *articulus per* VIII. *testes, quorum duo sunt Cardinales, unus episcopus, duo doctores, unus magister in theologia, unus scriptor, & unus magnificus baro.*

LVIII. Ut agitatum fuerit de Liburno.

XVII. Articulus. *Existentibus autem præfatis dominis Gregorio & Benedicto in Luca, & Portuveneris, post multas oblationes, & recusationes locorum factas hinc inde, ut negotium dilataretur, tandem fuit oblatus locus de Liburnia per oratores domini Benedicti cum omni æqualitate domini & roccharum & oppidi & mutationis pecuniarum, licet finalis unionis destructio fuisset, quod ipsi habuissent totaliter do-*

mi-

minium loci conventionis. Et licet dominus Gregorius omnem illico tractatum rumpere voluisset, tandem devictus instantia dominorum Cardinalium dixit se velle mittere ad videndum locum, & si habilis erat, eum acceptaret, legatosque per hoc elegit, videlicet reverendissimos patres quondam dominum Florentinum & dominum Militensem, & magnificum dominum Malatestam de Malatestis de Pensauro; Paulum Carario ejus nepotem, & Bartholomæum de Sambonis, Cardinalibusque dixit ut invenirent pecuniam pro ejus accessu, petiit enim per organum magnifici domini Malatesta de Pensauro a Cardinalibus pro eundo de Luca Liburniam triginta millia ducatorum, & est una parva dieta; licet Cardinales obtulerint sibi duodecim millia Florena. Videte ergo quomodo suam discoperuit voluntatem. Tamen cum Cardinales modum darent, ut haberet pecunias necessarias pro accessu, finaliter ad videndum noluit mittere dictum locum eum tanquam inhabilem recusavit pro suæ libito voluntatis, quare accusatione sic ut præmittitur facta, apertum & notum fuit per egregios viros & vera unionis amatores nuncios & oratores Venetorum, ex quibus ipse Gregorius traxit originem, ut acceptarentur loca pro ipsis duobus contendentibus & suis de Cararia pro domino Gregorio & de Avenza pro domino Benedicto ad invicem vicina, & consistentia in obedientia domini Gregorii: & licet nuncii domini Benedicti verbo & non in effectu in hoc consentirent, tamen dominus Gregorius illa expresse refutavit sine quacumque rationabili causa, immo nec mittere voluit ad videndum eundem locum de Cararia si habilis erat, sed solum pro libito voluntatis eum recusavit, licet dictus locus de Cararia existeret & existat magis habilis & idoneus quam sit locus de Avenza, & dominus Lucanus omnimodam securitatem, nec non fortalitium in Carraria constitutum, eidem domino Gregorio offerret, & contra illa, quæ ultra obtulerat, cum per prius obtulisset omnia loca obedientiæ suæ, & hoc fecit contra consilium & voluntatem dominorum Cardinalium tunc in Luca existentium, & etiam contra consilium oratorum, principum, & nobilium communitatum tunc ibidem præsentium in magnum sui infamia, quia evidenter cunctis apparebat, quod idem dominus Gregorius nullatenus curabat de pace Ecclesiæ, nec schismatis exstirpatione. Et probatur iste XVII. articulus notorius per XIV. testes, quorum quatuor sunt Cardinales, duo doctores, unus magister in sacra pagina, tres scriptores, & alii quatuor notabiles viri. Verebatur Gregorius ne insidiæ sibi ab adversariis instruerentur: nec quidquam probant objecta, cum antipapa omni arte illum in exitium pellicere niteretur, ac fallaci pacis involucro Roma divulsisset, ut Romam occuparet: tum etiam Cardinales Gallorum schismaticorum blanditiis ac speciosis consiliis se subornari paterentur, ut ex sequenti articulo patet, atque alibi demonstratum est.

Obstinate Gregorio diffugia varia pro eo recusando ipsum quæsivisse.

Et alia loca idonea respuisse.

XVIII. Articulus. Videntes autem domini Cardinales in Portuveneris existentes negotium pacis in rupturam venire, ipsi seu eorum major pars supplicaverunt domino Benedicto & consuluerunt ut non teneret tot galeas, nec gentes armigeras in tanto numero, ne occasione hujusmodi tractatus pacis posset impediri, & quod vellet condescendere ad aliquem locum eligendum in terra consistentem, & aliqualiter a mari remotum, quia dominus Gregorius refutabat loca maritima; ipse tamen dominus Benedictus præmissa nullatenus voluit facere, immo frequenter, & publice respondet quod nullo modo pro hac causa dimitteret loca maritima, & frustra sibi dicebatur, seu consulebatur contrarium, quia ipse volebat unum pedem tenere in aqua & alium in terra, & quod nullo modo dimitteret galeas aut gentes armigeras, immo potius numerum augmentaret & augeret, & pro iis augendis seu tenendis impignoraret, seu alienaret omnia bona & proprietatis Romanæ ecclesiæ, & castra particularia ecclesiæ Avinionensis, ad summum quadraginta millium ducatorum sine causa, & voluntarie per quæ evidenter & notorie ostendebat quod in verbo & non in re & effectu quærebat unionem, & quod nullo modo volebat renunciare; sed manere in illo statu quamdiu viveret in humanis, & sic difficultare negotium, ut numquam via cessionis in verbo concordato posset habere effectum, & de hoc erat communis vox & opinio, famaque publica in Portuveneris, & fere inter omnes curiam ipsius domini Benedicti sequentes. Et probatur iste articulus notorius per quinque testes, &c. quorum tres sunt Cardinales, unus episcopus, & unus licentiatus in decretis. LIX.

Petrus e Luna rogatus sit ut armatas triremes dimitteret.

Preces abnuit in armis jus ponens.

Demonstret velle pontificios apices gerere donec viveret.

XIX. Articulus. Item pari modo dominus Gregorius alienavit multa bona ecclesiæ Romanæ mobilia pretiosa, & mitras pretiosas, libros, & alia nobilia jocalia; necnon terras notabiles, ut Romam, Perusium, Beneventum, & alias in Marchia, & alibi existentes, ac provincias Campaniæ & Maritimæ pro certa pecuniarum summa ad ditandum fratrem & nepotes suos, & alios cognatos suos etiam de patrimonio Jesu Christi, etiam ad procurandum sibi favores in schismate, illos fultum, quibus hæc alienabat. Iste articulus probatur notorius per XII. testes, &c. quorum duo sunt Cardinales, unus doctor, unus magister in theologia, unus clericus cameræ, & tres scriptores, & quatuor alii notabiles. Summa temporum calamitas, cum undique tyranni ditionem ecclesia-

Objectum & Gregorio ipsum alienasse ecclesiæ terras pro ditandis suis.

sticam discerperent, ac necessaria præsidia adversus schismaticorum insidias ac potentiam comparanda Gregorium ad nonnulla alienanda coegerunt: cæterum Roma, Perusium, Beneventum, Campania, ac Picenum a Ladislao occupata fuere dum Gregorius ab antipapa illusus, ostensas spes concordiæ sequebatur.

LX. XX. Articulus. *Item quod idem dominus loquentes sibi vel aliis, ubi ad ejus notitiam veniebat, de suo debita videlicet renunciatione, & aliis fiendis per eum ad unionem Ecclesiæ, odio habuit, illosque carceri mancipavit, & alios fecit multipliciter molestari; & inter alios magistrum Michilinum de Navarra scriptorem litterarum apostolicarum procuratorem ordinis Carmelitarum, qui in quadam sermone dictum dominum Gregorium exhortatus est, ut servaret vota, & juramenta sua in conclave emissa pro unione habenda, & unum familiarem domini Leodiensis Cardinalis,* (fuit hic apertus Gregorii hostis a politicis corruptus, qui ante palatium a Senis clamabat: Ad Savonam ad Savonam.) *Iste articulus notorius probatur per xxv. testes, &c. quorum duo sunt Cardinales, unus episcopus, duo doctores, duo magistri in sacra pagina, quatuor scriptores, & tres alii notabiles viri.* (Jure reprimi insolentia eorum debuit, cum invidiam criminis a schismaticis admissi in Pontificem innocentem derivarent, seditionemque concitaturi viderentur.)

Mancipasse carceri monentes ut ex concepti voti formula cederet.

XXI. Articulus. *Cardinales seu eorum major pars, ut tantum Dei negotium veniret ad rupturam consuluerunt & supplicaverunt domino Benedicto, ut pro loco mutuæ cessionis offerret civitatem Pisanam, alias per eum oblatam cum publico instrumento, & quam dominus Gregorius non poterat recusare, cum alias ipsam obtulisset, & quod vellet ipse dominus Benedictus contentari de communibus & sufficientibus securitatibus, & quod non peteret ita exactas, ut erat solitus petere, cum per hoc causam daret rupturæ. Ipse respondit quod ipsam civitatem Pisanam nullatenus offerret vel oblatam sibi acceptaret reputans valde temerarium hoc sibi consulere. Dixit etiam quod semper intendebat petere securitates alias per ipsum postulatas, & aliis, quæ essent minores, nullo modo contentaretur, quidquid sibi diceretur vel consuleretur: per quæ evidenter colligitur, & tunc omnibus apparebat quod viam cessionis nullatenus intendebat prosequi; sed sic eam difficultare, ut nunquam posset habere locum; & de hoc erat communis vox, fama & reputatio. Iste articulus probatur notorius per III. testes, &c. quorum unus est Cardinalis, unus episcopus, & unus licentiatus in decretis.*

Rogatus Petrus a Luna ut Pisas se conferret.

Difficultatibus rem implicat.

LXI. XXII. Articulus. *Consequenter domini Cardinales in Portuveneris existentes seu eorum major pars, videntes quod inter dominum Gregorium, & Benedictum nulla erat concordia super loco mutuæ conventionis, nec in futurum sperabatur esse quia quod unus offerebat, alter voluntarie recusabat, ut tam necessarium fidei, & animarum saluti negotium in desperationem, & totalem rupturam deveniret, supplicaverunt & consuluerunt domino Benedicto, quatenus afferret se renunciaturum per procuratorem habentem ad hoc speciale & irrevocabile mandatum, domino Gregorio renunciante in propria persona vel per procuratorem habentem consimile mandatum; ostenderuntque ipsi domini Cardinales seu eorum major pars ipsi domino Benedicto, quod hoc tenebatur facere de necessitate salutis, & se morti exponere pro extirpatione schismatis & unione in Dei Ecclesia reducenda: a quo domini Cardinales præfati nullum responsum habere potuerunt, sed perpenderunt satis evidenter indiciis & modis, quod hoc facere nullatenus intendebat, prout & res probavit eventus, & præsens testatur experientia, & in eadem opinione fuit dominus Gregorius, qui cum semel in publico diceret, quod nunquam per procuratorem renunciaret, licet contrarium sibi per dominos Cardinales consuleretur, quibus per antea se obtulerat per procuratorem renunciaturum, ut supradictum est.* Verebatur scilicet, & jure, propagatum iri schisma si se abdicaret, idem non præstante antipapa: neque Hispanis & aliis ad eum deserendum comparatis. *Fuit sua responsio negativa, per archiepiscopum Terraconensem nuncium domini Benedicti, tunc in sua præsentia constitutum, publice laudata & multipliciter commendata. Ex quibus evidenter & notorie constitit, quod nec per se, nec per procuratorem ipsi contendentes renunciare intendebant, sed potius ecclesiam in divisione & schismate tenerent, quamdiu vitam ducerent in humanis. Et in hoc apparet eorum collusio, & concordia, maxime quia idem Archiepiscopus Terraconensis specialis familiaris domini Benedicti multa colloquia secreta habuit de rejectis faciis suis cum domino Gregorio, & ejus nepote tunc camerario, & aliis suis secretariis.*

Rogatur ut procuratorem constituat ad ponenda pontificia insignia.

Nullum ab eo responsum eliciunt.

Gregorius procuratoris opera se abdicare abnuit.

Propagatio schismatis mutuo ambitiosa consensui attributa.

Ex quibus insurrexit vehemens suspicio in Luca & communis fama, quod inter ipsos duos contendentes de papatu erat collusio & damnata concordia, & quod sic difficultarent hoc negotium, ut nunquam in diebus suis ad mutuam cessionem deveniretur. Iste articulus probatur notorius per XI. testes, &c. quorum quinque sunt Cardinales, unus episcopus, unus magister in sacra pagina, tres scriptores apostolici, unus doctor. Nil probant hæc adversus Gregorium qui antipapa honore abeunte, abiturus erat.

XXIII.

LXII. Gregor. Pisarum locum offert pro conventu habendo.

XXIII. Articulus. *Item dominus Gregorius in Luca existens obtulit domino Benedicto locum Pisarum divisum flumine, ita quod unus staret cum suis ab una parte civitatis, alter ab alia, quem locum immensissime commendavit: inter alia dixit quod iste locus a natura omnia necessaria pro tali conventione haberet, adeo ad hoc fabricatus penitus videbatur: & hanc similem oblationem voluit fieri per Cardinales, quod & factum fuit in Portuvenere per organum comitis campaniæ dominorum Cardinalium oratoris: a qua oblatione resiluit,*

Dein resiliit a conventu

dicens ante conclusionem hujus oblationis velle a Florentinis aliqua pacta, & securitates quas, si essent rationabiles, Florentini se obtulerunt facere, dummodo eis declararentur; quam declarationem nullo modo facere voluit, nec etiam tempus infra quod deberet ire Pisas de jure unquam voluit declarare; immo ex post facto venire Pisas penitus recusavit. Iste articulus probatur notorius per XV. testes, &c. quorum quatuor sunt cardinales, tres doctores, duo magistri in theologia, quinque scriptores, unus magnificus baro. Contra conquestus est Gregorius noluisse Florentinos Pisas æquis, ut par erat, legibus permittere.

XXIV. Articulus. *Subsequenter dominus Gregorius in Luca existens nunciis domini Benedicti ibidem existentibus, qui in verbo potius quam in effectu loci concordantiam prosequi videbantur, & nunciis serenissimi Regis Francorum, qui re & effectu unionis materiam promovebant, denegavit salvum conductum prorogare & de novo concedere, denegans eisdem suam præsentiam, & omnem audientiam, unam super via cessionis, immo & super aliis unionem tangentibus recessum indicendo, & mandando*

Obiicitur in Petri errorem ipsum incidisse.

eisdem nunciis a dicta civitate ut recederent Lucana. Dixit etiam idem dominus Gregorius publice, & frequenter, quod via cessionis erat mala & injusta ac diabolica, & quod eam de cætero nullo modo prosequi intendebat, contra juramenta & vota per eum præstita veniendo, in magnum scandalum Ecclesiæ, pertinacia cum contumacia notoria, a quibus diverti non potuit, etiam licet clarioribus rationibus sibi factis, concordans in eisdem cum domino Benedicto, qui eodem cupiditatis instincta, asseruit & publice prædicavit quod, si viam cessionis prosequeretur pro unione habenda, crederet peccare mortaliter, ut in præcedentibus est descriptum. Quæ quantum

Accusatur apud concilium hæreseos.

errores, & fidei oppositi juxta multorum assertionem hæc contineant, decernat & judicet hoc sacrum concilium in Dei nomine aggregatum. Iste articulus probatur notorius per XVII. testes, &c. quorum quinque sunt Cardinales, tres doctores, duo sacræ theologiæ professores, quinque scriptores, & tres alii notabiles viri. (Quod ad abdicationis viam attinet, quam Cardinales queruntur a Gregorio damnatam, ad abolendum, quidem schisma ea præstantissima erat, si ab utroque ex animo fuisset, suscepta: sed licet eam amplexus esset vere, & ex animo Gregorius, noverat tamen antipapam ab ea omnino abhorrere, & illius specie dolos tendere: damnanda etiam jure videbatur, quod schismatici illius prætexta Cardinales subornarent, ac suspicionibus iniquis adversus Pontificem efferarent, atque ita partem catholicam novo schismate discerpere affectarent. Suspecta etiam erat abdicatio, quod eam politici, qui concilium œcumenicum pro cognoscenda schismatis controversia congregandum detrectabant, ne pudore, ut sæpe diximus, ob culpam præteritam suffunderentur, non expiato rite schismatis crimine, Pontificeque e suæ dignitatis gradu deturbato, ecclesiarum conjunctionem instaurari vellent, darent leges Romanæ ecclesiæ, quas accipere debebant; cum pollicerentur falso suum antipapam Pontificia insignia positurum, cum positurus non esset; vellentque verum Christi vicarium ad abdicationem adigere, cum suum antipapam adigere nequirent, & quæ difficillima erant jactarent facillima, facilem vero controversiæ excussionem in œcumenico concilio, ut difficillimam execrarentur, & (quod aperte iniquissimum erat,) inductum a Cardinalibus in pontificatus pacificam possessionem, Urbanum VI. contracta rixa ab iisdem, inaudita causa, deturbari pontificatu, & laniari schismate Ecclesiam licuisse contenderent. Itaque sub abdicationis honestissima specie latebant fraudes, quas insigni hypocrisis pompa miscebat antipapa, ut partem catholicam suspicionibus, rixis, odiis, dissensionibusque confunderet; unde immerito Cardinales Gregorio collusionis cum antipapa crimen intulere, cum non colluderet cum ipso Pontifex, sed ab illius fraudibus vindicare se niteretur, atque ægre ferret colloquii specie ex urbe Romana falsis politicorum pollicitationibus avulsum fuisse, cum tunc pseudopontifex eam occupare ipso absente meditaretur, ut vidimus supra: præterea se ad abdicationem perficiendam non teneri contendebat Gregorius, cum Petrus e Luna detrectaret invaso honore abire: & quamvis illum damnatum iri subjicerent Pisis congregati, non tamen omnes veluti Aragones & Castellani, qui Pisas accedere abnuebant, antipapam ipsum erant damnaturi, adeo ut etiam si Gregorius Pisis pontificatum posuisset, schisma tamen in Hispaniis, Sicilia, Sardinia, & aliis in locis non foret abolendum, cum universalis Ecclesia non esset Pisis congregata. At de his hactenus: jam reliqua prosequamur.)

Cardinales subornati a schismaticis.

Falsis promissis politicorum deceptus Gregorius.

XXV.

LXIII. XXV. Articulus. *De præmissis non contentus dominus Gregorius, ut majora & evidentiora extirpationi schismatis præstaret impedimento, & ut haberet cupiditatis suæ errorum suorum fautores & defensores, contra juramenta & vota præstita & in bullis sive scriptura etiam contra consilium dominorum Cardinalium, & ipsis absentibus quatuor de facto* [*cum de jure non posset*] *jure potuisse censebant alii in hoc casu, cum aliqui Cardinales ipsi suspecti essent, neque ex Innocentii VI. sanctione papalis authoritas illo humano commenta, vel juramento in conclavi nuncupata arctari posset, promovit in Cardinales suæ cupiditatis, & errorum suorum fautores, ac unionis Ecclesiæ notorios impeditores, adhuc tractatu unionis pendente oratoribus scilicet domini Benedicti in Luca existentibus & oratore dominorum Cardinalium de mandato domini Gregorii existente in Portuveneris pro concordia loci, & contradicentibus omnibus Cardinalibus talem promotionem fecit, & ideo contradicebant, quia de jure communi non poterat, cum talis promotio esset notorie destructio unionis Ecclesiæ: & mala malis addens, ac pejora prioribus, ac pacis etiam evidentiora impedimenta, dominis Cardinalibus tunc in Luca existentibus paulo ante prohibuit, & interdixit sub magnis pœnis, privationis videlicet dignitatum, & beneficiorum ac perjurii, quos ipso facto voluit eos incurrere, ut exirent civitatem Lucanam, nec per se, nec per medias personas participarent cum nunciis dicti domini Benedicti, & domini Regis Franciæ, & ne auderent se insimul aggregare* (Timebat ne se a Lunanis subornari sinarent.) *Quæ ultima duo mandata clare contra unionem erant, nam nisi tractaretur cum oratoribus domini Benedicti non poterat unio procurari: & sic contra juramenta sua & Cardinalium: nec etiam unio tractari poterat sine Cardinalium congregatione: & hoc revocare noluit, nec alias extirpationi schismatis intendere, quantumcumque fuerit monitus, & requisitus per dominos Cardinales, & quamplures alios notabiles viros. Et quia domini Cardinales, tunc in Luca existentes, non obstantibus præmissis, laborabant & intendebant, ut finis imponeretur schismati per viam cessionis juratæ, & voto firmatæ etiam per eos, & eorum quemlibet, pro qua prosequenda curarunt nihil omittere de contingentibus utilibus, necessariis, aut quomodolibet opportunis, nec ab his retrahi poterant minis, vel terroribus, dominus Gregorius deliberavit cum suis aliquos ex ipsis dominis Cardinalibus capere, & carceri mancipare, & aliquos tractare durius.* (Negantur hæc a Gregorio (*a*) constantes, affirmante id per calumniam sibi affingi.) *quod & fecisset certa die in domo sua, & palatio adunatis in magno numero armigeris, nisi per dominum Lucanum & ejus providentia fuisset caute, & honeste obviatum. Iste articulus probatur notorius per* XVIII. *testes, quorum quinque sunt Cardinales, tres doctores, duo sacræ paginæ professores, quatuor scriptores, unus magnificus baro, & alii tres notabiles viri.*

Cardinales creati a Greg. erroris fautores.

Vetiti Cardd. de conjunctione ecclesiarum agere.

Obiiciunt Gregorio carceres Cardinalibus ipsum paravisse. Negat ille.

(*a*) *Greg. in apolog. to. 22. de schism. p. 24. & A. C. 1408. n. 15.*

XXVI. Articulus. *Videntes autem domini Cardinales tunc in Luca existentes domini Gregorii pertinaciam continuam, & indispositionem notoriam nedum ad viam cessionis juratæ, voto firmatæ, & in verbo cum domino Benedicto concordatæ, immo & ad omnem aliam viam, per quam venire posset unio;* (immerito conceptam illam ab iis sinistram suspicionem ostendit exitus,) *& quod ipsi domino Gregorio, absque gravi offensa Dei & schismatis perpetuatione, ac futuro multorum fidelium detrimento, ac notorio, & evidenti periculo animarum, & Ecclesiæ desolatione irreparabili, non poterant adhærere, nec juramenta, & vota per ipsos præstita adimplere & observare; ipsi domini Cardinales tunc in Luca existentes, seu eorum, duæ partes, & finaliter omnes, uno duntaxat excepto, ab ipso domino Gregorio recesserunt, & ad civitatem hanc Pisanam velut ad locum tutum se transtulerunt cum firma intentione, & proposito, ut se conjungerent cum dominis Cardinalibus, qui domino Benedicto adhærebant, ad finem ut ipsi simul unitis utilius, & liberius possent extirpationi schismatis intendere, prout vigore instrumenti in conclavi celebrati obligabantur & tenebantur & secundum multorum valentium doctorum consilia per ipsos dominos Cardinales in Senis facta de mandato expresso dicti domini Gregorii expresse tunc dicentis quod contentabatur, quod haberent consilia & secundum consilia procederent; impedimentis, pertinaciis, & indispositionibus notoriis domini Gregorii, & Benedicti non obstantibus, quia evidenter foret notorium, quod si attenderetur ipsorum dominorum Gregorii & Benedicti voluntas, numquam ipsis viventibus extirparetur schisma; sed potius perpetuaretur, & Christi charactere insigniti erroribus involverentur ex eorum factis & damnatis persuasionibus a cunctis Christifidelibus detestandis. Iste articulus probatur notorius per* XI. *testes quorum tres sunt Cardinales, quatuor scriptores, & unus miles.*

LXIV. De Cardinalium recessu.

Suscepta ab iis conjungendarum Ecclesiarum studia.

Ut perierint spes pacis si contendentium spectantur voluntates.

XXVII. Articulus. *Moleste autem gerens dominus Gregorius recessum dominorum Cardinalium, & de statu suo dubitans, per suos armigeros insequi fecit bonæ memoriæ dominum Cardinalem Leodiensem, quamplurimum affectatum ad unionis bonum procurandum*, appellat illum Theodoricus Niemius (*b*) Joannem SS. Cosmæ & Damiani Card. ac natione fuisse Normannum ait,

De satellitibus immissis contra Card. Leodiensem.

(*b*) *Theod. a Niem. l. 3. c. 32.*

ait, & juris civilis peritissimum, indicatque ipsum ob Leodiensis ecclesiæ sacerdotium Leodiensis cognomen traxisse, *data dictis armigeris fuit mandata crudeli, ut ipsum quondam dominum Cardinalem ad dominum Gregorium vivum reducerent, vel incisum per frusta: Ecce mandatum Pontificis adeo crudele, ut videretur impius Menelaus contra Oniam sacerdotem sanctum ab inferis redisse cuncta dissipans & civitatem inficiens bonorum sanguine cruento.*

(a) A. C. 1408. n. 15.

Negantur hæc a Gregorio (a) ac veluti meræ calumniæ confutata sunt. *Sed Altissimus, qui bonis assistit, & malis consiliis obviare consuevit, sic protexit ipsum quondam dominum Cardinalem, ut in sicariorum manus non incideret, sed a Domino protectus, ad locum Librafacta Pisani districtus salvus & incolumis perveniret. Deinde die sequenti, tam ipse bonæ memoriæ Cardinalis Leodiensis, quam alii domini Cardinales, qui de Luca recesserunt, ad hanc civitatem se personaliter contulerunt, exposita tamen domus existit quondam ipsius domini Cardinalis in Luca existens prædæ rapaci, & bona mobilia ibi reperta fuerunt violenter ad domum tunc camerarii & nepotis domini Gregorii apportata, & idem creditur quod fuisset factum de aliis dominis Cardinalibus nisi per dominum Lucanum extitisset obviatum. Iste articulus probatur notorius per* XIV. *testes, quorum quinque sunt Cardinales, quatuor doctores, quatuor scriptores & unus miles.*

Direpta ejus domus.

LXVI. XXVIII. Articulus. *Ex quo vero domini Cardinales in civitate Pisana convenerunt, voluerunt ad hoc laborare, ut dominus Gregorius debitum suum faceret, & veritatem agnosceret, & ad unitatem Ecclesiæ procurandam procederet juxta vota & juramenta per eum præstita; & de his fecerunt ipsum requiri & exhortari primo per eorum literas, secundo per dominum Cardinalem Burdegalensem, tertio per duos notabiles episcopos, videlicet Barinensem & Lubricensem, qui licet exhortationibus piis, humilibus supplicationibus, & rationibus luce clarioribus institerint, ut dominus Gregorius pertinacia deposita, veritatem agnosceret, vota & juramenta servaret,* votum non violavit Gregorius, cum illud esset conditionale, ut ex ipsa formula constat: *Renuntiabit effectualiter juri suo & papatui pure, libere, & simpliciter si & quando antipapa, qui est & qui pro tempore fuerit, consimiliter renuntiabit;* defuit autem semper ea conditio; deerat quoque alia conditio adjecta nimirum: *Quod sequatur justa canonica electio unice Romani Pontificis;* licet enim tum Gregorius se abdicasset, tamen non se abdicante Petro e Luna schisma non tollendum erat, Aragoniis, Trinacris, Castellanis, Scotis, Armeniacensibus illi adhærentibus, & *alterius pacis & unitatis Ecclesiæ, se obicem*

Rogatus Gregorius pluries ut vota compleret.

poneret, in sua animæ detrimentum & ecclesiæ scandalum, afferendo eidem, quod in casu quo præmissa faceret, ipsi domini Cardinales omnem honorificentiam & adhærentiam debitam præstarent & exhiberent requirentes eundem, ut ad civitatem Pisanam veniret, ad quam venire debebat, quia eam obtulit, & in sublimibus commendavit, quam etiam afferri fecit per ipsos dominos Cardinales & promisit, quod ipsam iret, ut supra plenius tactum est, vel si venire nollet, per procuratorem renuntiaret; ipse tamen Gregorius, velut in cor durum datus, acquiescere noluit, omnia contemnens, & in sua solita manens pertinacia, impedimentis, & erroribus antedictis. Iste articulus probatur notorius per XVI. *testes, tres sunt Cardinales, quatuor doctores, quatuor scriptores, & unus bara.* Commendarat ipse Pisas, modo earum imperium per suos teneret: tum vero, cum in Cardinalium, qui ab ipso defecerant, potestate essent, credere se adversariis detrectabat.

Vel accederet vel procuratorem mitteret.

XXIX. Articulus. *Demum quatuor ex dictis dominis Cardinalibus, qui ad Pisas se transtulerunt, tum quatuor ex dominis Cardinalibus, qui domino Benedicto adhærebant, in Liburnio Pisanæ diœcesis de voluntate domini Benedicti, & totius ipsorum collegii convenerunt ad tractandum de unitate Ecclesiæ celeriter procuranda; & quia dominus Benedictus de tribus suis Cardinalibus ad hoc deputatis confidentiam non habebat, juxta suæ considerationis intentum, adjunxit eisdem quatuor suos familiares, videlicet Rothomagensem, quondam Tolosanum, & Tarraconensem archiepiscopos, ac magistrum generalem ordinis Prædicatorum: & his omnibus existentibus in Liburnio, post aliqua colloquia, aperta fuit inter eos via concilii generalis utriusque partis & obedientiæ in uno loco partium Italiæ convocandi & celebrandi ad finem, quod ibidem duo de papatu contendentes renunciarent juxta concordata juramenta, & vota firmata; alias in eorum contumacia provideret concilium & ecclesia congregata, ut foret secundum Deum, divinas, & canonicas sanctiones providendum. Quæ via sic aperta velut necessaria & canonica accepta & grata fuit dominis Cardinalibus utriusque partis ibidem existentibus, & aliis per dominum Benedictum deputatis, qui dominum Benedictum de hac via concilii sic aperta certificaverunt, & expost retulerunt, quod ipse dominus Benedictus erat contentus de via concilii sic aperta, & idem retulit in Liburnio magister Simon Salvator decretorum doctor ipsius domini Benedicti familiaris ad hoc destinatus. Et expost, antequam dominus Benedictus a Portuvenerii recederet, scripsit literas credentiales dominis Penestrino de Turrita & S. Angeli, in Liburnio existentibus per fa-* LXVII.

Ut communi sensu deliberatum fit concilium congregandum.

Petrus a Luna illud laudavit.

sacristam Magalonæ, qui in vim credentiæ ipsis exposuit, quod dominus Benedictus erat recessurus ad partes Cataloniæ, & quod erat contentus ipse dominus Benedictus, quod ipsi domini Cardinales prosequerentur viam motam generalis concilii utriusque partis, & obedientiæ, & quod ipse dominus Benedictus erat dispositus dimittere aliquos de suis ad istam materiam prosequendam una cum ipsis dominis Cardinalibus prædictis, dummodo a gubernatore Januensi posset pro illis salvum conductum habere. Iste articulus probatur notorius per duos testes, quorum unus est Cardinalis, unus magister in theologia.

XXX. Articulus. *Conclusio vero tractatu de via generalis Concilii in Liburnia inter dominos Cardinales prædictos utriusque partis, & alios deputatos per dominum Benedictum, subito dominus Cardinalis de Zelanton, tres archiepiscopi prædicti, & generalis ordinis Prædicatorum a Liburnia recesserunt, & ad Portumveneris accedentes retulerunt domino Benedicto quæ gesta fuerant, & eidem consuluerunt domini Cardinales, tunc in Portuveneris existentes & alii prælati sui consiliarii, & familiares, ut omnino sequeretur, & amplecteretur viam generalis concilii utriusque partis; quorum sprevit consilium, & mutata voluntate deliberavit ad Perpinianum accedere, & volens viam generalis concilii utriusque partis impedire, ibidem publicavit, quod in festo omnium sanctorum in loco Perpiniani teneret concilium suæ obedientiæ: dominus etiam Gregorius in Luca audiens & per Benedictum certificatus, quod domini Cardinales concluserant de via concilii generalis utriusque partis.* Convictos (b) jam vidimus Cardinales falsi & imposturæ; nam Gregorius concilium indixerat antequam Cardinales Pisanum indicerent. *Etiam deliberavit a Luca recedere: & volens pariter concilium generale utriusque partis impedire, ibidem publicavit, quod teneret concilium suæ obedientiæ, & partis in festo Pentecostes futuro in provincia Aquilejensi, vel in archiepiscopatu Ravennate: per quæ concilia sic divisa & in locis adeo remotis, ac diversis terris & si impediri posset pax Ecclesiæ juxta intentionem ipsorum duorum contendentium de papatu, qui una conclusione, & concordia damnata in bane unitatem conveniebant; nullo tamen modo poterat schisma extirpare, sed potius nutriri, & foveri in magnam Ecclesiæ detrimentum, & periculum animarum. Iste articulus probatur notorius per sex testes, quorum quatuor sunt Cardinales, unus episcopus & unus licentiatus.*

Mutata voluntate discedit in Cataloniam.

Perpiniani concilium indicit.

(c) Hoc an. n. 26.

Gregorius pariter aliud indicit.

LXVIII. XXXI. Articulus. *Expost dominus Benedictus de mense junii proxime præteriti recessit a Portuveneris, suos gressus dirigens ad regnum Aragonum, & ad locum Perpiniani applicuit, nullo alio dato ordine ad schismatis extirpationem, immo tractatu pacis rupto, & prosecutione unionis Ecclesiæ omnino deserta, de facto quinque in Cardinales promovit suos familiares opinionum suarum & vitrum ad impedimentum unionis tendentium, sequaces, defensores. Et pari modo ac de eodem mense dominus Gregorius a Luca recedens, & de unione Ecclesiæ nullo modo curans, novem de facto in Cardinales promovit.* Censuit jure creandos, ut supra indicatum est, cum veterani ab ipso deficerent, ut pontificiam majestatem tueretur. *Et hæc per ipsos facta sunt collusione mutua, & concordia damnata, ut evidenter ostendunt eorum dicta, & facta, impedimentum unionis concurrentia & concordantia, per hoc credentes plures habere sequaces & defensores, & facilius viam generalis concilii utriusque partis impedire. Iste articulus probatur per quinque testes, quorum unus Cardinalis, tres episcopi, & unus licentiatus.*

Actio de pace a Petro e Luna sublata.

Novem alii renunciati a Gregorio Cardd.

XXXII. Articulus. *Expost dictus dominus Benedictus, cum fuit in Perpiniano antequam suum inchoaret particulare concilium in impedimentum unionis, & ut suum concilium particulare majoris videretur auctoritatis, tres alios familiares in patriarchas promovit, & tales, qui contra suam voluntatem dicere non auderent: & demum per plures dies tenuit suum particulare concilium, in quo interfuerunt fere XL. prælati, archiepiscopi, episcopi, & abbates, & ibi legi fecit secundum se suæ assumptionis modum, & quæ faceret pro unione habenda; sed non fuerunt ibi descripti, seu recitati sui defectus, impedimenta per eum paci ecclesiæ præstita, nec alia, quæ in præcedentibus sunt veridica narratione descripta. Expost ut fertur dici fecit per concilium suum particulare, quod ipse erat verus Papa, & quod fecerat debitum suum in unione Ecclesiæ prosequenda; & quod ipse semper fuerat catholicus, absque labe hæresis, vel schismatis pravitate. Fecit publice dici & prædicari in Perpiniano, quod concilium in hac civitate Pisana convocatum tenere non poterat, nec convocari sine ipso, & quod ad ipsum in solidum pertinebat convocatio concilii generalis contra veritatem juris, volens per hæc impedire hoc concilium generale utriusque partis; & quod prælati Aragoniæ & Castellæ ad ipsum concilium non venirent. Et si ista ad impedimentum unionis Ecclesiæ, & schismatis nutrimentum pertineant, deliberet & decernat hoc sanctum concilium. Iste articulus probatur per quinque testes, quorum unus Cardinalis, tres episcopi, & unus licentiatus.*

Tres patriarchæ creati a Petro e Luna: conciliabulum ab eo paratum.

Acta illius.

Aragonii & Castellani vetiti accedere ad concilium Pisanum.

XXXIII. Articulus. *Et licet per præmissa, velut ex evidentibus, & certis indiciis ac præsumptionibus violentis, famaque*

quæ communi vulgata apparent notorie de eorum collusione & damnata concordia ad impediendum viam mutuæ cessionis per eos juratæ, & omnem aliam per quam haberi posset unio, & schisma extirpari; tamen altra præmissa in Roma, Senis, & Luca, & Portuvenerii inter curias ipsas sequentes fuit, & est communis fama & opinio, & aliqui notabiles viri dicunt se vidisse literas & cedulas continentes, quod inter dominum Gregorium & Benedictum est, & fuit confœderatio, concordia, & collusio juramento firmata, quod ad hoc, ut ipsi evitare & repellere valeant viam mutuæ cessionis, ipsi per se ipsos & suos dicunt se tractare debere materiam unionis, & non consilio dominorum Cardinalium, principum, & aliorum quorumcumque, qui de suo consilio, seu opinione non essent, quia ad ipsos, ut asserunt, & non ad alios præcise spectat prosequi unionem, nisi in quantum alii essent per eos requisiti, & quod ipsi loca electa pro danda pace Ecclesiæ possunt mutare pro eorum libito voluntatis, & dicere contrarium, esse Ecclesiæ, ut ajunt, contradicere & pacem impedire. Tenent etiam mutua concordia, quod melius est Ecclesiam in divisione stare ut est, quam si ipsi cogerentur ad viam mutuæ cessionis. Tenent etiam & concordes existunt quod, si simul haberent in uno loco convenire, tractarent de reductione unius ad alterum de via compromissi & successionis, ut sic manerent dum viverent, & uno defuncto superstes vivus papa maneret, & ista asseritur plus placere ipsis contendentibus, ut asserunt viri notabiles, qui præmissa audiverunt & aliquas scripturas ipsorum contendentium viderunt & legerunt. Iste articulus probatur notorius per unum testem, episcopum unum, &c.

Objecta a Cardd. utrique contendentium.

LXIX. XXXIV. Articulus. Postquam autem dominus Benedictus recessit a Portuvenerii ad partes Cataloniæ dirigens gressus, & dominus Gregorius disposuit a Luca recedere sic se abinvicem elongare, ut unus ad occidentem, alter ad orientem videretur intuitum dirigere, omnino deserto negotio unionis in desperationem posito, domini Cardinales partis utriusque in majori numero hinc in Liburno convenientes, quia non habebant alium locum accommodum pro conventione, & materia concilii utriusque partis, & obedientiæ ibidem aptam velut necessariam prosequentes, providerunt fore utile & necessarium, ut ipsum concilium generale partis utriusque convocarent, ut prius deliberarant, ad diem vigesimam quintam proxime præteriti mensis martii cum continuatione dierum sequentium in hac civitate Pisana, quæ civitas alias per ambo de papatu contendentes, ad consummandum pacis & unitatis vinculum fuerat electa, oblata, & nominata, & idonea ac conveniens reputata, sic quod per dominos Cardinales, qui domino Gregorio adhæserant in eorum parte convocarentur domini Cardinales absentes, prælati, principes, & alii, qui forent convocandi, & pariter per alios dominos Cardinales in suo parte ad prædictos locum, & diem, quod in factum exiit per ipsorum patentes literas de communi, & concordi consensu in forma canonica & juridica. Actum fuit etiam & conclusum, quod pari modo per ipsorum dominorum Cardinalium literas præmissa omnia intimarentur dominis Benedicto & Gregorio, & requirerentur, ut vocationi ipsius concilii præstarent consensum & opem, & ex superabundanti vocarent ad prædictos locum & diem una cum dominis Cardinalibus sibi obedientes, & quod ipsi contendentes de papatu vocarentur, & provocarentur ad dictum concilium renuntiaturi, ut promissum juratum, voto firmatum, ac concordatum fuerat, per se vel procuratores suos ad hoc sufficiens, speciale, & irrevocabile mandatum habentes, cum intimatione, quod alias in eorum contumaciam, contradictionem, vel recusationem provideret concilium, & etiam congregata eorum vel eorum alterius absentia non obstante, prout foret secundum Deum, divinas & canonicas sanctiones providendum, & alias fuit in Romana ecclesia sancte & virtuosissime observatum: quæ omnia fuerunt per patentes literas dictorum dominorum Cardinalium domino Benedicto intimata in persona sua propria in loco Perpiniani, & solemniter fuit vocatus, & provocatus ad hoc præsens concilium, etiam in causa schismatis, & fidei, ut constat literis ipsius domini Benedicti publicis, & authenticis instrumentis: & nihilominus præfati Cardinales in vim cedulæ in conclavi juratæ de novo ipsum Benedictum requisiverunt per suas literas, ut renunciaret, quia in hoc reputabant & reputant pro bono unionis expedire. Ut autem præmissa omnia notificarentur domino Gregorio, duo domini Cardinales, videlicet domini Aquilejensis & Mediolanensis vulgariter nuncupati, de voluntate, & mandato, ac assensu aliorum dominorum Cardinalium ad civitatem Senarum, in qua residebat dominus Gregorius, accesserunt: & quia ibidem domini Gregorii non potuerunt habere præsentiam, ipso impediente, nec per eum personaliter ad concilium provocare, nec alia facere, quæ ordinata fuere, licet ibidem cum Senensibus sollicitam facerent diligentiam per plures videlicet octo dies, ut præsentiam ipsius domini Gregorii habere possent, literas patentes provocationis ipsius ad concilium in causa fidei, & schismatis & alias præmissa plenarie continentes, publice & patenter sub publico testimonio in præsentia multorum clericorum, & laicorum poni fecerunt, & dimiserunt in principali altari cathedralis ecclesiæ civitatis Senarum, & in val-

Delictæ Pisæ ab utroque collegio.

Vocati ad concilium contendentes ut se abdicent:

Duo Cardinales Senas missi ad Gregorium.

Literæ provocationis ad concilium publice affixæ.

vis ecclesiæ S. Christophori ejusdem civitatis sub testimonio publico & multorum præsentia affixerunt taliter, quod de illis dominus Gregorius non potest ignorantiam allegare, prout isto sacro concilio est per instrumentum facta fides, immo ad ejus notitiam pervenerunt, ut haberi debent de jure, perinde ac si sibi intimata fuissent personaliter. Iste articulus probatur per sex testes, quorum duo sunt Cardinales, tres episcopi, & unus licentiatus.

LXX. XXXV. Articulus. *Expost dominus Gregorius per varios nuncios & de aliis conatus est impedire hoc sanctum concilium in impedimentum unionis Ecclesiæ, procurando & postulando, ut domini Cardinales, qui sibi adhæserunt, mutarent locum & diem ordinatum, & quod venirent cum ipso domino Gregorio in alio loco & termino; & quia evidenter domini Cardinales perpenderunt, quod istud petebatur ad impedimentum unionis ecclesiæ, & ut impediretur hoc sanctum & universale concilium utriusque partis in hac civitate Pisana congregatum, cum in hoc tractatu nulla fieret mentio de domino Benedicto & parte, quæ sibi adhæsit, sine quibus schisma extirpari non potest, nec unio haberi, propterea præfati domini Cardinales in cœptis permanserunt, nec voluerunt, sicut nec debuerunt, tam evidenti malitiæ notoria impedimento unionis aliquatenus consentire, ut etiam evidentibus rationibus dicti domini Cardinales nunciis hoc tractantibus luce clarius ostenderunt. Iste articulus probatur notorius per tres testes, quorum duo sunt Cardinales, & unus licentiatus.*

Cur repudiata mentio tertii loci.

De tertio loco egit Greg. sed non devocanda parte æmula in eum locum.

XXXVI. Articulus. *Et ulterius dominus Gregorius nedum viam concilii generalis, sed omnem prosecutionem unionis impedire volens, notificavit per suas literas, quas ad varias mundi partes direxit, quod dominos Cardinales, qui sibi adhæserant, & qui unionem Ecclesiæ prosequebantur, privaverat dignitatibus, & beneficiis, & contra prælatos, & officiarios sequentes dominos Cardinales, & eis in unione prosequenda adhærentes processit ad privationem dignitatum, officiorum, & beneficiorum nulliter & de facto, cum de jure hoc facere non posset in impedimentum unionis. Et pari modo dominus Benedictus impedire omnem prosecutionem unionis Ecclesiæ fecit de facto certos processus contra dominos Cardinales, prælatos, Reges, & principes, & alios qui se a sua obedientia subtraheRent. Et ut viam generalis concilii impediret, citari fecit coram se in Perpiniano comparituros certos prælatos, universitatem studii Parisiensis, magistros & alios viros literatos responsuros super certis articulis in impedimentum unionis & concilii generalis, cum ipsi constanter prosequentur viam concilii generalis, & schismatis extirpationem; intendentes per hoc præfati domini Gregorius & Benedictus persecutores unionis & concilii generalis utriusque partis, in eorum animæ detrimentum, Ecclesiæ grave & notorium scandalum. Iste articulus probatur notorius per tres testes, quorum duo sunt Cardinales, & unus episcopus.*

De exauctoratis a Greg. Cardd. & aliis.

XXXVII. Articulus *Ultra præmissa verbis & literis præfati domini Gregorius & Benedictus conati sunt impugnare hoc sanctum & universale concilium & ejus convocationem dicendo & asserendo, quod hoc universale concilium non poterat se intromittere, vel recognoscere, seu aliquid deffinire de causa eorum & schismatis extirpatione, & sic per consequens nec de aliis erroribus, quibus ipsi notorie, quantum in eis est, ecclesiam, commaculant. Et hoc est satis evidens & notorium, ac etiam evidens existit, & certum quod ipsi, licet solemniter & ex abundanti cautela requisivit, noluerunt huic sancto concilio assensum ferre & opem, nec ad ipsum venire concilium, ut fuerunt solemniter vocati, & etiam provocati, renunciaturi pro unionis bono & juramento & voto multipliciter sunt astricti, ut manifestum existit & notorium: per quæ evidenter constat de eorum notoria contumacia, hæresim hoc casu importante, & sententiam damnationis secundum canones in eos stante incorrigibilitate, & damnata pertinacia, adeo evidenti & notoria, ut adversus illam admittenda non sit excusatio. Iste articulus probatur notorius per septem testes, quorum quatuor sunt Cardinales, duo episcopi, & unus licentiatus. Quinque ultimi articuli generales probantur notoris per viginti testes, quorum decem sunt Cardinales, unus patriarcha, duo episcopi, & quatuor doctores.*

Impugnatus a contendentibus conventus Pisanus.

Objecta a Cardd. utrique hæresis.

Objectis iis criminibus Gregorio ac Petro e Luna, de ferenda in eos sententia decretoria agitatum est: ac primum controversiam dirimere conati sunt Cardinales adversarum partium, concilium se convocare potuisse, illudque dicendum œcumenicum, quod ex maxima orbis Christiani parte constare contenderent: Pisas locum esse idoneum ad id celebrandum Gregorium & Petrum e Luna rite ut sisterent se judicio fuisse vocatos. Quamvis autem se Cardinales pro redintegranda ecclesiarum conjunctione pio studio moveri præsetulerint, nimia tamen ira & impatientia adversus Gregorium efferri se passi sunt, atque antequam congregatum ut par erat, integrum concilium esset, præcipitem sententiam tulere, & novum schisma conflarunt: licet enim magna præsulum multitudo collecta videri posset, quæ pro alia dirimenda controversia suffecisset, pro hæc tamen decidenda non suffecit, atque hoc decretum (o) iniquum & irritum habitum fuit. LXXI.

Pisani concilii decretum.

(o) Ext. to 22. de schism. p. 158.

Hæc sancta & universalis synodus univer-

versalem Ecclesiam repræsentans, decrevit & declaravit, collegium Cardinalium ex utraque parte congregatum, & per ipsum concilium unitum, ipsum concilium convocare potuisse, & hujusmodi convocationem ad dictum sacrosanctum collegium spectasse & pertinuisse, & spectare & pertinere hac vice in hac causa detestandi & antiquati schismatis & fidei: hic quoque concilium generale, seu sanctam synodum, ipsam universalem Ecclesiam repræsentans pleno jure convocatum, seu convocatam fuisse & esse ipsamque synodum ad diffinitivam sententiam in hac causa procedere posse & debere.

Decretum controversum an fuerit concilium oecumenicum.

Insuper prædicta sacrosancta synodus pronunciavit & declaravit in hac civitate Pisana pro nunc concilium, seu sanctam synodum universalem ecclesiam repræsentans seu repræsentantem in numero sufficienti fuisse & esse congregatum & congregatam.

Item prædicta synodus pronunciavit, decrevit & declaravit civitatem Pisanam fuisse & esse locum idoneum, tutum, aptum, & securum pro præsenti concilio seu sancta synodo celebrando, seu celebranda. Item sacrosancta synodus pronunciavit, decrevit, & declaravit Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corario Gregorium XII. olim appellatos, sufficienter & debite fuisse & esse ad prædictum concilium seu sanctam synodum convocatos, atque citatos.

Hæc sancta synodus, universalem Ecclesiam repræsentans, ambos contendentes citari facit in valvis & portis Ecclesiarum Pisanarum tam pro majori & aliarum diversarum ad audiendum diffinitivam ferri sententiam, quæ sequitur, vel dicendum causam rationabilem quare id fieri minime deberet.

In duodecima sessione vigesima quinta die maii, tum in decima tertia ejusdem mensis vigesima nona Gregorius & Petrus e Luna in judicium sunt vocati, atque in decimaquarta Kal. junii relatum est ad præsules de testium dictis probatisque, ut jactabant, singularum accusationum capitibus. Demum in decima quinta sessione habita quinta junii damnati sunt (a).

Sess. XII. & XIII.

Sess. XIV.

Gregorius & antip. in judicium vocati.

Sess. XV.

(a) Ext. sent. in Actis sess. 14.

Sequitur sententia definitiva & privativa lata contra Petrum de Luna Benedictum XIII. ac Angelum Corario Gregorium XII. olim appellatos, &c.

Christi nomine invocato, sancta & universalis synodus universalem Ecclesiam repræsentans, & ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere Sancti Spiritus gratia in hac majori ecclesia Pisana congregata, ibique pro tribunali sedens, visis & diligenter exceptis omnibus & singulis productis, probatis, & agitatis in præsenti causa unionis ecclesiæ, fidei, & schismatis contra Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corario Gregorium XII. olim appellatos, quæ in præsenti processu hujus causæ plenius continentur, ac quibuscumque aliis ipsam sanctam synodum ad infrascriptam definitivam sententiam moventibus & inducentibus, habita prius inter seipsos, & demum cum copiosa multitudine magistrorum in sacra theologia atque utriusque juris doctorum pluries & pluries diligenti collatione, & tandem deliberatione matura omnesque pariter in hanc sententiam reperiens unanimiter concordare omni modo, via, & jure quibus magis & melius potest in prædictorum contendentium, seu verius colludentium de papatu, & cujuscumque eorum contumaciam, in his scriptis pronunciat, decernit, diffinit, & declarat omnia & singula crimina & excessus & alia cuncta necessaria ad infrascriptam decisionem præsentis causæ deducta per providos viros magistros Henricum de Manteleone, Joannem de Scribanis, & Bertoldum de Vilding promotores, instigatores, & solicitatores seu procuratores deputatos ad prosequendam præsentem causam pro hujus detestandi & inveterati schismatis extirpatione & unione atque reintegratione sanctæ matris Ecclesiæ contra & adversus prælibatos Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corario Gregorium XII. de papatu damnabiliter contendentes, ab aliquibus nuncupatos in petitione coram ipsa sacra & universali synodo præsentata & exhibita fuisse & esse vera atque notoria, ipsosque Angelum Corario & Petrum de Luna de papatu, ut præfertur, contendentes & eorum utrumque fuisse & esse notorios schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, defensores, fautores, & approbatores, & manutentores pertinaces, nec non notorios hæreticos, & a fide devios, notoriisque criminibus enormibus perjurii irretitos, & violatores voti, universalem Ecclesiam sanctam Dei notorie scandalizantes cum incorrigibilitate, contumacia, & pertinacia notoriis, evidentibus, & manifestis, & ex iis & aliis se reddidisse omni honore & dignitate etiam papali indignos, ipsosque & eorum utrumque propter prænissas iniquitates, crimina, & excessus, ne regnent vel imperent, nec præsint, a Deo & sacris canonibus fore ipso facto abjectos & privatos, ac etiam ab Ecclesia præcisos: & nihilominus ipsos Petrum & Angelum & eorum utrumque per hanc diffinitivam sententiam in his scriptis privat, abjicit, & præscindit, inhibendo eisdem, ne eorum aliquis pro summo Pontifice gerere se præsumat, ecclesiamque vacare Romanam; ad cautelam insuper decernentes, & ad electionem Romani Pontificis per eos, ad quos de jure pertinet procedendum: & insuper omnes & quascumque Christicolas, etiamsi imperiali, regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eo-

Decretoria sententia in utrumque lata.

Ambo damnati hæreseos.

Ecclesiæ communione præcisi.

rum & cujuscumque eorum obedientia, non obstante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quovis vinculo, quo illis vel eorum alteri tenentur adstricti, fore perpetuo absolutos; inhibentes eisdem Christifidelibus ac partibus de papatu contendentibus seu eorum alteri quomodolibet obediant, pareant, vel intendant, aut consilium, auxilium, vel favorem ipsis præstent, aut eos recipiant vel receptent, sub pœnis excommunicationis, & aliis a sanctis patribus & sacris canonibus inflictis, promulgatis & ordinatis, quodque si parere contempserint huic ordinationi & sententiæ, ipsos & eorum fautores, defensores, adhærentes, & sequaces etiam per sæculares potestates fore compescendos, & compesci debere juxta præcepta divina & sacrorum canonum dispositiones eadem sancta synodus pronuntiat & diffinit.

Sententia in eorumdem sequaces.

Ac insuper omnes & singulos processus & sententias excommunicationis, inhabilitationis, vel alterius censuræ & pœnæ; privationes quoque ordinum & dignitatum, etiam cardinalatus, beneficiorum & officiorum ac graduum quorumcumque, qualiacumque sint, & quomodocumque nuncupentur seu nominentur contra dominos Cardinales per dictum Petrum de Luna, & Angelum Corario factos, latos, & promulgatos, fuisse & esse nullos, cassos, & irritos, nullas, cassas, & irritas ac nullius roboris & efficaciæ vel momenti, & quatenus de facto processerint, easmus annullandos, cassandos, & irritandos, annullandas, cassandas, & irritandas: sicque & etiam ad cautelam, quatenus expediat, omni modo & jure quo melius potest annullat, cassat, & irritat: & insuper promotiones, immo verius profanationes quorumcumque ad cardinalatum per dictos contendentes de papatu & eorum utrumque attentatas, videlicet per dictum Angelum a die III. maii, & per Petrum antedictum a die XV. junii anni proxime præteriti millesimi quadringentesimi octavi fuisse & esse nullas, cassas, irritas, & inanes, & quatenus de facto processerunt de facto annullandas, cassandas, & irritandas: & sic, & etiam ad cautelam, quatenus expediat, omni modo & jure, quibus melius potest, præfata sancta synodus per hanc diffinitivam sententiam cassat, irritat, & annullat. Lecta & promulgata in ecclesia Pisana anno Domini MCCCCIX. indictione secunda, die vero mercurii quinta mensis junii, hora tertiarum, vel quasi, per reverendissimum Patrem dominum patriarcham Alexandrinum dominis Jerosolymitano & Antiocheno patriarchis eidem assistentibus in eadem ecclesia in dicta sancta synodo ad prædicta deputatis.

Rescissæ promotiones Cardinalium.

Sententiæ in veteres Cardinales latæ abrogatæ.

Instantibus procuratoribus & promotoribus per hanc sanctam synodum deputatis, fertur deffinitiva sententia.

In nomine Christi. amen. Nihil est profecto Christiano populo infelicius, nihilque periculosius, nihilque quod illi magis possit officere, quam quod caput infectum inquinatamque nefario atque detestando infidelitatis errore miserabile patiatur; vulnerato namque pastore juxta verbum sacratissimi canonis, quis curandis ovibus adhibes medicinam? aut quem populum a rationis clypeo tueatur qui jaculis hostium sese feriendum exponit? aut qualem fructum de se producturus est, cujus gravi peste radix infecta est? Major ergo metuenda est illic calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducantur, qui magis in se Dei iracundiam provocent, quam per semetipsos placare debuerunt. Sic e contra nihil est, cui magis atque ferventius (cunctis aliis postergatis) totis mentis viribus, omnis anima invigilare insudare, atque intendere incessanter debeat, quam quod hujusmodi morbo tamquam pestifero remedium condecens apponatur, quod quippe, ne dum in capite, quod omnibus in signum & speculum datum est, verum & in membris nobis cunctis Deus omnipotens manifestat, cum Saram conentiat, & ancillam suam Agar diris affligat verberibus: Cumque Rege Nabuchodonosor, ut decretum tale prodeat: Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrach, Misac, & Abdenago, in interitu erunt & domus eorum in dispersionem.

Sententia in Greg. & Petrum e Luna lata.

Quæ si quidem ab intimis cordis, ac etiam ineffabili mœstoque pectore sacra hæc & universalis synodus diligentissime trutinans, & attendens quo profecto tali, proh dolor! morbo, sancta Dei Ecclesia in personis memoratorum Angeli Corarii Gregorii Papæ XII. & Petri de Luna Benedicti papæ XIII. nuncupatorum, & a nonnullis mirum quippe in modum lacrymabiliter est infecta, illique cupiens congruentem, juxta ipsius, qualitatem & quantitatem, adhibere medicinam, nec ultra dissimulare, clausisque oculis pertransire, volens eorum & cujuslibet eorum notoria crimina, & excessus, quibus jam pene piscatoris est in totum submersa navicula, & ipsorum conversionem expectare sine manifesta & irreparabili cunctorum Christifidelium excidio & ruina, maxime attentis illorum evidenti pertinacia & incorrigibilitate, quæ indubie non minor Pharaonis experientia media, quæ usque in hæc tempora noscitur extitisse. Jure quidem antipapæ pertinaciam cum Pharaonis pertinacia contulere, cum universalem Ecclesiam errare posse, se unum non posse credidit, maluitque æternis ignibus addici, quam insignia pseudopontificia abiicere: at male hæc contumelia jacta est in Gregorium, qui eam votum exequi optaret, paratas ab antipapa ipso insidias declinare nisus est; a suisque prodi-

Utriusque contendentis accusatio.

Calumnia aspersa Gregorio refellitur.

ditus, illo se non abdicante, pacis studio de statu pontificalis dignitatis recessit, quod facere vi voti non tenebatur. Pergunt Pisani præsules.

Ex quibus sic compendiose narratis, & aliis evidenter & notorie in processu hujus causæ comprehensis, & sufficienter probatis, constat evidenter, quod ipsi duo contendentes de papatu in impedimentum pacis & unionis Ecclesiæ & fidei detrimentum gravissima crimina infrascripta, quæ nulla valent tergiversatione celari, commiserunt, & in quibus perseverant, velut dati in sensum reprobum, cor durum, & deducti in profundum malorum.

Multiplex objectum perjurium.

Primo detrectaverunt multoties, & perseverando continue detrectant de præsenti notorie & effectualiter, dum hactenus pertinaciter recusarunt & de præsenti recusant pacem & unitatem Ecclesiæ dare per viam mutuæ cessionis ab ipsis alias approbatam, juramento irrevocabiliter firmatam, & ab ipsorum altero voto etiam roboratam; scandalizantes in hoc enormiter ecclesiam Dei cum contumacia & pertinacia ac incorrigibilitate notoriis, hæresim maxime in hoc casu importantibus, cum per hoc, quantum in eis est, derogetur veritati catholicæ, quæ præcipit unicam ecclesiam esse debere in vinculo charitatis & pacis. Hæc falso objecta Gregorio, cum Galli adversarii inania de futura antipapæ abdicatione promissa jactassent, nec dum tamen Hispani consentirent, ut ille honore dejiceretur.

Schismatis propagatio.

Secundo, quia notorie ex prædictis foverunt, & nutriverunt antiquatum & inveteratum schisma in Dei Ecclesia, & impedimenta evidentissima unitati Ecclesiæ & extirpationi schismatis præstiterunt, & præstant de præsenti; &, quod longe deterius est, fideles a sua communione abjecerunt, & abjiciunt, schisma notorie faciendo, dum inhærendo suis ambitionibus & damnatis opinionibus, potius voluerint pati subtractiones & neutralitates eis fieri, quam per viam mutuæ cessionis sanctam a cunctis Christifidelibus approbatam schismati finem imponi: in quo casu juxta determinationem catholicam sanctorum doctorum ipsi seu eorum alter, etiam qui alias fuisset verus Pontifex, potestatem, & authoritatem amisit, nomenque episcopi habere seu retinere non potest, & juxta oracula divina a summo debet dejici sacerdotio, in quo aliàs juste & canonice institutus fuisset.

Hæresis.

Tertio, quia errores fidei oppositos & hæresim continentes manifeste & notorie ipsi duo contendentes de papatu tenuerunt, pertinaciter, & indurato asseruerunt, prædicaverunt, seu alias publice dogmatizaverunt, & defenderunt, dum dixerunt in suæ ambitionis defensionem, quod via mutuæ cessionis per ipsos jurata tam sancta & justa authoritatibus novi & veteris testamenti conveniens sanctorum dictis pariter & exemplis, & determinationi ecclesiæ, & quæ fomina charitatis, & unitatis existit, continens summum & perfectum bonum, erat mala, iniqua, exosa, perniciosa, diabolica, & contineat peccatum mortale si fieret, seu exequutioni mandaretur pro unione habenda. Quæ assertiones ad derogationem fidei & quantum in eis est, in corruptionem articuli fidei, unam sanctam Ecclesiam, evidenter & inexcusabiliter censentur pertinere: & per hoc censentur & censeri debent a quacumque dignitate, quæ eis posset competere projecti, & damnabiliter ejecti, ac effecti minores, seu inferiores quocumque catholico &c. (Hæc & alia, quæ sequentur, jactata per calumniam adversus Gregorium fuisse indicatum est: probare enim debuere adversarii Gregorium obstrictum fuisse pontificatu abire non se abdicante antipapa, nec deserto ab Hispanis & aliis, qui ipsi parebant.)

Quarto, in prædictis damnatis assertionibus adeo fuerunt, & sunt pertinaces, ut nec temporis cursu, nec charitativis monitis eis factis ac ostensione veritatis, eas revocare voluerint. Et licet aliquando dixerint vel dicant quod sunt parati renunciare, hoc quod verbo dicunt vel alias dixerunt, facto impediverunt & impediunt per difficultates mutuas, diffugia velut ex condicto seu mutua collusione, idque apparet violenter ex evidentibus & notoriis indiciis, taliter ut non pœnitentes in prædictis erroribus, sed potius pertinaces & manifeste hæretici merito sunt censendi.

Quinto evidentius apparet, & in prædictis ipsorum contumacia & damnata pertinacia quia vocati & provocati legitime ad hanc sanctam synodum ut venirent renunciaturi pro bono unionis juxta juramenta & vota per ipsos præstita, cum intimatione quod aliàs Ecclesia congregata provideret & procederet in causa schismatis & fidei, eorum absentia, seu contumacia non obstante, ut foret secundum Deum providendum & canonicas sanctiones, hoc facere contumaciter recusarunt & recusant, nec alias voluerunt, seu volunt in ipso concilio comparere, immo sunt conati, & conantur hanc sanctam & universalem synodum per præcepta, prohibitiones & processus pœnales, nullius tamen efficaciæ vel momenti, impedire, & perturbare ut ne hæc sancta & universalis synodus extirpationi schismatis intenderet, volentes per hoc ipsi duo contendentes in eorum damnationes statibus permanere, & ecclesiam Dei contra omne fas in divisione & antiquato schismate detinere, non curantes de Dei offensa tam gravi periculo fidei, & ecclesiæ, dum tamen valeant in eorum damnatis cathedris permanere.

Contumacia ob spretam vocationem concilii.

In decima sexta sessione x. junii die decre- Sess. xvi.

creando Pontifice actum est præcipiti impetu, eam re ipsa schisma non sublatum, sed auctum esset, nec jure pontificatus Gregorio abdicatus esset. Ac tum Cardinales sacramento se obstrinxere singuli, si ad Pontificalis dignitatis fastigium veherentur, concilium propagaturos, donec de ecclesiastica disciplina restituenda leges conditæ forent. *Nos omnes*, inquiunt, *& singuli, episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. Cardinales insimul congregati in civitate Pisarum pro schismatis extirpatione & unitate in Dei Ecclesia reducenda promittimus in verbo veritatis Deo, sanctæ Romanæ ecclesiæ, & sanctæ synodo hic ad prædictum effectum præsentialiter congregatæ, quod, si quis nostrum in summum Romanum Pontificem eligetur, præsens concilium continuabit nec dissolvet, neque dissolvi permittet, quantum in eo erit, usquequo per ipsum cum consilio ejusdem concilii fit facta debita, rationalis, & sufficiens reformatio universalis Ecclesiæ, & status ejus tam in capite quam in membris. Promittimus etiam quod si aliquis extra nostrum collegium assumi contingat in papatu, pure, veraciter, & bona fide, antequam procedamus ad publicationem electionis ejus, procurabimus toto posse habere ab eo promissionem & honestam sufficientem securitatem, quod servabit & adimplebit omnia & singula supradicta, & cum reliquis dominis Cardinalibus absentibus, qui venient, procurabimus bona fide quod similiter promittant: & ad fidem robur, & testimonium præmissorum nos omnes supradicti singulariter & divisim manibus propriis hic inferius subscripsimus, &c. Ego Guido, &c. Adjectæ sunt singulorum Cardinalium subscriptiones.*

Sacramenti concepti a Cardinalibus formula.

Sess. XVII. Decima septima sessio peracta est decimatertia junii die, atque in ea promulgata sententia, qua sacerdotiorum concessiones a Petro e Luna vel a Gregorio decretæ a die tertio maii, abrogatæ fuerunt.

Sess. XVIII. Auditi in decima octava sessione die XIV. junii fuere Regis Aragonum oratores, qui cum Petrum e Luna Papam dixissent, rejecti sunt cum ingenti dedecore ut hæretici & schismatici hominis internuntii.

Sess. XIX. Decretum in decima nona sessione XV. junii ut Cardinales conclave ingrederentur, sed nimium præcipites in ea re se gessere, cum non sublaturi sed aucturi schisma essent. Cumque conclave ingressi essent, nonnulli egere de Balthassare, totius rei authore præcipuo, Pontifice renuntiando, ut narrat in ejus vita Theodoricus e Niem; (a) sed ipsum non assensisse addit: *Respondit*, inquit, *quod illud non expediret, sed sibi videretur esse magis utile ac conveniens ea vice, quod Petrus de Candia presbyter Cardinalis eligeretur in Papam, quia esset vir apprime literatus & ætate grandævus, ac bonæ famæ, & de Græcia oriundus, ita quod non haberet aliquos sibi carnis identitate conjunctos, per quos Romana ecclesia gravaretur, quem si eligerent, vellet fideliter, omnibusque modis quibus posset dirigere atque juvare, ut orbem & alias terras Ecclesiæ Romanæ provinciæ patrimonii B. Petri in Tuscia & etiam alia temporalia & regalia ipsius ecclesiæ violenter & injuste occupata recuperaret ab illicitis detentoribus eorum. Sicque præfatus dominus Alexander mediantibus persuasionibus & promissionibus hujusmodi, ibidem Pisis per electionem dominorum Cardinalium in Papam fuit assumptus.* Hæc Theodoricus Niemius: qui alia historia tempus electionis consignat, atque Alexandri virtutes ac primitias ita describit (b).

(a) Theod. e Niem. in vit. Jo. XXIII.

De Balthassare creando Papa actum. Consulit ut eligatur Petrus e Candia & cur. Ejusdem Balthassaris promissa.

Gestus mos ejus consilius.

(b) Theod. e Niem. l. 3. c. 52.

Die mercurii mensis junii Cardinales utriusque obedientiæ intrarunt conclave ad eligendum novum summum Pontificem & bonæ memoriæ dominum Petrum tit. XII. Apostolorum presbyterum Cardinalem per Innocentium creatum ordinis fratrum Minorum professorem in Papam concorditer elegerunt. Hic fuit natione Græcus natus in insula Candiæ, quæ per Venetos occupatur: &, ut ipsemet, tunc in agone seu in ultimis constitutus coram suis familiaribus faciendo pulchrum sermonem, dicebat numquam novit patrem, aut matrem, aut aliquem fratrem, seu ei eorum propinquitate conjunctum: sed cum in pueritia mendicantem vidit quidam frater ordinis Minorum Italicus in eadem insula recollegit, atque in latino sermone instruxit, & dum erat aliqualiter major & aptus in domo fratrum Minorum in ipsa insula consistente, ipsum potius & habitu regulari eorumdem fratrum induit: & considerans quod esset bonæ indolis eum secum ad Italiam postea duxit, in qua in primitivis artibus eruditus ad studium Oxoniense in Anglia mittebatur; ubi etiam per plures annos studendo & bene proficiendo demum accessit Parisios, & tandem illic in philosophia, & sacra theologia studuit, quod magnus magister in ipsa theologia factus fuit. Post hæc veniens ad Lombardiam, & notitiam Joannis Galeatii ducis acquireret, & ejus promotione, atque favore primo episcopus Vicentinensis, & postea archiepiscopus Mediolanensis, successive Cardinalis, & demum Papa creatus fuit gradatim ad dignitates & honores hujusmodi ascendendo. Erat autem iste Alexander prius nominatus Petrus de Candia Et infra: *Fuit autem dictus dominus Petrus cum eligebatur in Papam septuagenarius, vel circa.* Nonnullisque interjectis verbis subdit author (c): *Hic dominus Alexander recepit insignia coronationis suæ in Pisis nonis julii anno domini MCCCCIX.*

Primitiæ Alexandri.

(c) Ib. eod. lib. c. 52.

Sessio XX. In sessione vigesima kal. julii Alexander

der Cardinalium actu a tertia mali superioris anni confirmavit, diversaque eorum collegia conjunxit.

Sessio XXI. Sententiæ omnes odio schismatis latæ dissolutæ.

In sessione vigesima prima x. julii gesta in Pisanis conventibus corroboravit (a), ac universas sententias in causis schismatis a Pontificibus, qui schismate superiori flagrante præfuerant, latas dissolvit: quibus de rebus hæc acta, quæ in bibliothecæ Vaticanæ tabulario extant (b).

(a) To. 22. de schism. p. 160. (b) Ibid.

In nomine domini Amen.

Acta Pisani concilii confirmata.

Sanctissimus dominus noster dominus Alexander Papa V. sacro & generali approbante concilio, omnes processus & sententias, nec non omnia & singula gesta, facta, & celebrata per sacrum collegium suorum venerabilium fratrum Cardinalium a die III. maii anni domini MCCCCVIII. concilii congregationem, nec non omnia & singula gesta, & celebrata per ipsam jam dicti concilii congregationem per ipsum sacrum Cardinalium collegium & generale concilium authoritate apostolica approbat & confirmat, ipsaque decernit fuisse & esse valida: & insuper ad cautelam ex nunc ex certa scientia omnem supplet defectum, si quis forsan supervenerit in prædictis, volens & decernens perinde haberi, ac si omnia & singula superscripta specialiter, & nominatim expressa fuissent. Item tolluntur & abolentur omnes sententiæ excommunicationum, &c. latæ & factæ per ambos contendentes, seu colludentes de papatu.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti Amen.

Alexandri decretum.

Nos Alexander divina providentia Papa V. considerantes, quod tam per Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum de Corario Gregorium XII. a nonnullis nominatos, nuper de papatu contendentes, quoniam per duos quondam Bartholomæum archiepiscopum Barensem Urbanum VI. Petrum de Thomasellis Bonifacium IX. Cosmatum Innocentium VII. & Robertum de Gebennis Clementem VII. nominatos dictorum nuper contendentium prædecessorum, durante tempore schismatis & occasione ejusdem, nonnulli processus, sententiæ excommunicationum, privationis, irregularitatis, inhabilitationis, suspensionis, & interdicti, & aliæ censuræ ecclesiasticæ in se continentes in & contra collegia, diversas personas, regna jurisdictiones, communitates, universitates, collegia, loca, districtus, & territoria fuerunt, & sunt hinc inde facti & promulgati, ac propter antiquum dictum schisma; ac etiam quia multi notabiles doctores utriusque juris, & magistri in sacra pagina scripserunt pro & contra, ac publice & solemniter determinaverunt, ita ut in dubium vertatur a multis quis a tempore dicti schismatis fuerit verus Romanus Pontifex, seu quis veri vicarii Jesu Christi fungeretur officio; ad exonerationem conscientiarum utriusque obedientiæ, quæ etiam per Dei gratiam ad unum ovile ovium redactæ sunt, omnes & singulos hujusmodi processus & sententias, qui vel quæ occasione, prætextu schismatis & adhærentiæ utriusque partis, seu viæ neutralitatis assumptæ, vel introductæ hinc inde ut præmittitur, lati, decreti, seu fulminati fuerunt, quos omnes & singulos hic pro expressis haberi volumus, hoc sacro approbante concilio, ex nostra certa scientia tollimus & abolemus, &c.

Hic finxit ambiguum fuisse jus Urbani.

Sessio XXII.

Solutis iis omnibus censuris in vigesima secunda sessione XXVII. julii ab Alexandro confirmati sunt (c) universi in episcopatibus, muneribus, ac sacerdotiis, quæ a Gregorio, Petrove e Luna non studio dissolvendæ ecclesiarum conjunctionis collata fuissent.

(c) Tom. 22. de schism. p. 160.

Ad futuram rei memoriam, &c.

Collationes sacerdotiorum & electiones confirmatæ.

Electiones, postulationes, ipsarum admissiones, confirmationes, præsentationes, institutiones, collationes, & quasvis provisiones, & dispensationes quibusvis personis huic sacro concilio adhærentibus de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis & prælaturis per electores, confirmatores, patronos, ordinarios, & quoscumque provisores temporibus & locis subtractionis & neutralitatis, in quibus hujusmodi contendentibus obedientia non præstabatur factas; ex certa nostra scientia ac motu proprio, hoc sacro approbante concilio, ratas manere volumus atque firmas, ac omnem suscipere roboris firmitatem, reservationibus, inhibitionibus, & decretis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Item omnes & singulas dispensationes factas per contendentes, vel eorum alterum, seu eorum prædecessores super matrimoniis & pluralitatibus beneficiorum, quæ sunt sortita effectum, & aliis casibus, qui forum conscientiæ respiciunt, eorum durante obedientia, ex certa nostra scientia ratificamus & approbamus.

Dispensationes corroboratæ.

Item ut unione & pace, jam in Dei Ecclesia per ipsius gratiam in capite confirmata, pax & tranquillitas subditorum perfectius procuretur, & litium anfractus, quarum dubii sunt eventus, consultius evitentur, hoc sacro approbante concilio, decernimus & declaramus, quod omnes & singuli beneficia ecclesiastica, dignitates, personatus, vel officia curata vel non curata titulo ordinario assecuti, & possessionem pacificam adepti beneficiis suis hujusmodi libere & pacifice gaudeant, nec occasione alicujus provisionis per sedem Apostolicam factæ, vel in posterum ex aliquo prætensa colore fiendæ in juris titulo, vel possessione hujusmodi quomodolibet turbentur, seu graventur, seu etiam si prædicta beneficia præfatæ sedi generaliter, vel specialiter fuerint reservata.

Item hoc sacro approbante concilio statu-

Sanctio episcoporum translationibus.

tuimus, & ordinamus, quod nullus prælatus amodo a sua ecclesia transferatur invitus: sed si forte ab ipsa sua ecclesia amoveri meruerit, causa cognita & juris ordine debite observato, ad amotionem suam procedatur.

Indictum concilium ad proximum triennium.

Indictum etiam fuisse ab Alexandro aliud concilium proximo recurrente triennio celebrandum in actis Pisanis typis cusis refertur hujus sanctionis formula. *Item sacro approbante concilio decernimus & declaramus, nos vel successorem nostrum ex certis magnis & arduis causis, nos & hoc sacrum concilium moventibus iterum generale concilium fore convocandum hinc ad triennium, videlicet anno quod dicetur anno Domini MCCCCXII. in mense aprilis in civitate, seu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus concilii per nos, vel per successorem nostrum.*

Sessio XXIII.

In vigesima tertia sessione, eademque ultima die VII. augusti vetitum est prædia jurave ecclesiarum distrahi: jussi metropolitani ante proximum œcumenicum concilium synodos provinciales cogere: religiosis familiis imperatum, ut ad instaurandam collapsam disciplinam, celebratis comitiis, incumberent: decretum oratores ad Reges principesque legandos, ut sancita in concilio perficienda curarent. Cum vero oratores principum & episcopi ad suas sedes se recipere vellent, cœpta de restituenda ecclesiastica disciplina & immunitate materia ad proximum concilium extracta est: & sic data ab Alexandro amplissima novatum venia, conventus Pisanus solutus fuit.

Restituendæ disciplinæ ratio ad proximum concilium extracta.

LXXIV. Uterque contendens in concilium Pisanum consurgit.

(a) Ext. in bibl. Barb. l. 7. de schism. p. 27.

Repugnavere actis ejusdem conventus Gregorius ac Petrus e Luna, quorum postremus, licet nullo jure pontificatum sibi arrogaret, in fuit tamen judiciariis actis (a) Barcinone editis, in præsules illos declamavit eversam ab ipsis ecclesiasticam Hierarchiam: concilium œcumenicum nonnisi a Pontifice indici posse, neque concilio, utpote inferiori, Pontificem subjicere, jusve illi dicere licuisse, atque ita ex ejus verbis, multo minus Cardinales sibi subjicere Urbanum VI. potuisse constat.

Contendit Petrus e Luna a Cardd. œcumenicum concilium non posse cogi.

Potestatem & authoritatem convocandi generale concilium a tempore sanctorum Apostolorum solis Romanis Pontificibus reservatam temere usurpantes prælatos tam obedientes, quam ab eadem obedientia etiam eorum malitia procurante subtractos ad generale concilium, immo verius conciliabulum, per eos Pisis de facto celebrandum, seu verius profanandum, per diversas mundi provincias per eorum literas de facto citaverant, & fecerant convocari: & infra; *Non considerantes quod inferior superiorem non potest solvere vel ligare jurisdictionem & potestatem judicandi sedem ipsam*, Apostolicam scilicet, *sibi temeritate sacrilega vendicantes per eorum patentes literas ad dictum conciliabulum nos contra fas de facto citare, & ad causam præsumpserant temere provocare, certum nobis terminum statuentes, infra quem per nos vel procuratorem sufficientem comparere deberemus, cum comminatione etiam, quod contra nos procederent, si coram eis recusaremus in præfixo per eos termino comparere*; Et infra: *in nos depositionis sententiam promulgarunt, &c. Dat. & actum Barchinone XII. kal. novembris, pontificatus nostri anno XVI.*

Nonnulli etiam viri docti ad illius partes efferendas commentarios edidere (b), e quibus hæc decerpenda visa sunt, quæ in causa Pontificis ab universo orbe Christiano cultui maxima vi pollent, non pro controverso, nec pro hæretico, neque obsigna externa damnato hæreseos, denique non pro Petro e Luna, cum falso statueret se esse Papam, sed pro Urbano VI. & Gregorio XII. valent.

(b) Ext. to. 22. de schism. p. 214.

Conclusiones Petri e Luna pro papali auctoritate.

Papa, inquiunt, *plenariam potestatem quam habet, solum habet a Domino Jesu Christo. Ad cujus probationem sciendum est, quod ista suppositio unum ponit, & aliud supponit; supponit tamen quod Papa habeat plenariam potestatem, & ponit quod talem potestatem solum habeat a domino Jesu Christo.*

Cyrilli sententia.

Primo ergo probatur quantum ad primum, secundo quantum ad secundum; quod enim Papa plenariam potestatem & jurisdictionem habet, patet ex dicto S. Cyrillo patriarchæ Alexandrini in libro thesaurorum: Sicut Christus, inquit, cœpit a Patre genitus ex Israel egrediens super omnem principatum & potestatem, & super omne quod est, ut ei genua cuncta curventur, plenissimam potestatem, sic & Petro, & ejus successoribus plenissime concessit. Et infra: *Nulli alii quam Petro Christus, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit. Et Joannes Chrysostomus ad consulta Bulgarorum, sic inquit in persona Christi loquentis Petro: Ter te interrogo, an me diligas, quia ter me trepidus & timidus negasti, nunc autem reductus, ne credant fratres te gratiam & clavium auctoritatem amisisse, qui amas me, coram ipsis, tibi jam confirmo, quod meum est plenum. Hoc idem etiam probatur ex authoritate sacra Scripturæ, sicut jam supra allegatum est, Matthæi XVI. ubi Dominus dixit Petro: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris, &c. Confirmatur hoc idem & præcedens suppositio ex verbo Christi dicentis Petro Jo. ult. Pasce oves meas; &: Pasce agnos meos; ubi Christus non discernit istas oves ab agnis, sed omnium Christianorum tam magnorum quam parvorum, tam perfectorum, quam imperfectorum Petro, & in eo omnibus suis successoribus curam committit; unde Chrysostomus*

Argumentum petitum ex sacra scriptura.

mus supra actus Apostolorum: Petrus a Filio supra omnes, qui filii sunt, potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in universo orbe. Secundum, scilicet quod Papa talem potestatem habeat solum a Domino Jesu Christo, probatur rationibus, & exemplis, & authoritatibus sanctorum, & sacra Scripturæ, ratione primo sic, quia cum Papa habeat prædictam potestatem, si non habet eam a solo Christo, ergo habet eam a seipso, vel a communitate Christiana; non est dicendum quod a se ipso, nec etiam a communitate Christiana: ergo a solo Christo. Major patet ex præcedentibus cum sufficienti divisione. Minor etiam patet quoad primam partem, & probatur quoad secundam, scilicet quod Papa talem potestatem non habeat a communitate Christiana, & minus ab aliquo alio de communitate Christiana; quia si communitas Christiana vel aliquis de ea posset instituere, vel conferre talem potestatem, vel hoc posset authoritate sua, vel authoritate superioris sibi committentis. Sed hoc non potest propria authoritate, nec ex authoritate superioris. Igitur, &c. Major patet, quia nulli competit jurisdictionem instituere nisi authoritate propria, vel alterius ab eodem sibi commissa: & probatur minor, primo quoad primam partem, in qua dicitur quod communitas Christiana non potest conferre, nec instituere talem potestatem propria authoritate, nec etiam aliquis alius de eadem communitate, sic. Nulla communitas humana sufficit ad conferendum nec ad instituendum propria authoritate potestatem includentem illud, quod excedit omnem authoritatem humanam. Sed communitas Christiana est communitas humana, & potestas papalis includit multa, quæ excedunt omnem authoritatem humanam, sic quod nulla authoritas humana per se sufficit ad illa sine commissione superioris, sicut est ligare & solvere, in foro conscientia, concedere indulgentias, remittere peccata & pœnam debitam in foro Dei. Constat autem quod ad talia non sufficit aliqua potestas humana propria authoritate, quæ tamen omnia includuntur in potestate Papæ, ut patet ex verbis Christi Matthæi XVI. Quodcumque ligaveris, &c. Unde Chrysostomus super Matthæum, exponens supradictum verbum. Vide etiam, inquit, qualiter Christus reducit Petro ad excelsam de ipso intelligentiam, hæc enim ei se promittit daturum, quæ sunt propria Dei solius, scilicet peccata solvere, & Ecclesiam incommutabilem facere inter tot persecutionum & tribulationum procellas.

Argumentum aliud.

Argumentum quod papalis auctoritas non sit ab auctoritate humana.

LXXV. *Secundo ad idem arguo sic. Ad nullam communitatem pertinet posse instituere, vel conferre jurisdictionem, secundum quam ipsa communitas impendat debitum cultum, & servitium domino præsidenti illi communitati, cujus præsidentis dominium vel regimen in nullo dependet ab ipsa communitate. Sed Christus est talis Dominus respectu communitatis Christianæ, sic quod præsidet eidem & ejus dominium & regimen in nullo dependet a Christianitate. Ergo ad ipsam Christianitatem non pertinet, nec potest pertinere, quod instituat, vel conferat talem potestatem, seu jurisdictionem propria authoritate, secundum quam jurisdictionem impendat debitum cultum Christo, cujusmodi est jurisdictio seu potestas papalis. Ergo &c. Minor patet, nec de ea dubium est alicui catholico. Major etiam patet, quia ad inferiorem non pertinet judicare de iis quæ competunt superiori.*

Tertio ad idem sic per rationem cujusdam valentis doctoris. Nullum inferius potest instituere immediatum vicarium Dei. Sed Papa est immediatus vicarius Dei, ut patet tam per doctores theologos quam per canonistas, & ex authoritatibus sanctorum, doctorum, & decretorum dicentium Papam esse Christi generalem vicarium in terris. Ergo nihil inferius Deo potest instituere nec conferre talem potestatem, & per consequens nec communitas Christiana, nec aliquis de eadem communitate. Aliud.

Quarto sic. Potestas, quæ non potest restringi nec ampliari a communitate Christiana, non potest institui nec conferri ab eadem communitate. Potestas Papæ est hujusmodi. Ergo, &c. Major patet, & minor probatur, quia potestas Papæ non potest restringi quantum ad populum subjectum, cum ex jure divino se extendat ad omne, de ecclesia militante; nec etiam quantum ad casus, cum Papa habeat potestatem plenariam ex jure divino & donatione Christi, ut patet ex præcedentibus. Igitur, &c. Nec valet, si dicatur quod Ecclesia, seu Christianitas possit talem potestatem instituere seu conferre ex commissione alterius, quia si sic. Aut ista commissio esset facta a Christo, aut ab aliquo alio. Sed hoc non potest probari ex authoritate sacræ Scripturæ, nec alicujus sancti doctoris. Item si aliquis alius posset instituere, vel conferre talem potestatem, posset eam restringere vel ampliare. Sed hoc non potest. Igitur &c.

Papalis authoritas nec restringi nec ampliari potest.

LXXVI. Aliud. *Quinto ad idem sic. Si potestas & jurisdictio quam habet Papa, non esset solum a Domino Jesu Christo, cum non legatur, nec reperiatur in aliqua sacra Scriptura authentica, quod Christus commiserit alicui, vel aliquibus institutionem vel collationem talis potestatis, maxime videretur, quod institutio hujusmodi jurisdictionis, seu potestatis esset ex statuto Ecclesiæ, & per consequens Ecclesia posset hujusmodi jurisdictionem, seu potestatem amovere, & etiam Papam deponere. Consequens est falsum. Consequentia ut bona probabitur. Igitur antecedens falsum. Patet consequentia, quia omnem statum & præeminentiam,*

quam Ecclesia per se statuit, Ecclesia potest destruere & amovere, quia statuendo non potest sibi legem imponere, a qua ei non liceat resilire, sicut etiam fecit de corepiscopis, qui successerant Apostolis sicut & episcopi, vel saltem discipulis, sicut presbyteri & curati, qui, quia non erant immediate a Christo, sed ab Ecclesia instituti, ideo de jure potuerunt ab Ecclesia destitui, & de facto fuerunt amoti. Similiter de Templariis olim per Ecclesiam confirmatis, & de omnibus ordinibus Mendicantium post Lateranense concilium institutis, qui omnes fuerunt infirmati & destituti seu amoti, de quibus libro VI. in c. unico de reli. domi. Falsitas consequentiæ probatur, quia Ecclesia non potest facere id, per quod unitas Ecclesiæ destrueretur, quia hoc esset contra statutum Christi, qui voluit Ecclesiam esse unum ovile. Jo. X. hoc autem non esset, nisi Ecclesia haberet unum caput, sicut ipsemet dicit: fiet unum ovile & unus pastor; quasi dicat: aliter non potest esse unum ovile, nisi sit unus pastor. Istum autem pastorem dicimus Papam. Ergo, &c. Confirmatur ista ratio, quia tota Ecclesia militans, in qua sunt multæ ecclesiæ particulares, dicitur una Ecclesia; unitas autem in Ecclesia non potest attendi secundum suam similitudinem, sicut si duo regna dicerentur unum regnum propter similitudinem morum & propter unum modum regendi. Sed talis unitas non facit unam rempublicam vel communitatem unam simpliciter, sed secundum quid, quæ non sufficit ad hoc quod Ecclesia sit una, sicut nec terræ, in quibus sunt duo Reges, vel plures, non dicuntur unum regnum simpliciter, sed secundum quid. Oportet igitur quod in ea reperiatur unitas in habitudine ad unum supremum nostrum principem, scilicet ad Papam, ut jam probatum est. Persuadetur etiam dicta suppositio tali similitudine. Sicut primus homo habuit quædam dona personalia adeo immediate sibi propria & personalia, sicut plenitudinem scientiæ; quædam vero pro sua posteritate in statu innocentiæ, sicut originalem justitiam: sic & Petrus quædam dona habuit a Deo pro sua persona, sicut potestatem faciendi miracula & quod ad ejus umbram sanarentur infirmi: quædam vero pro successoribus suis in Ecclesia; & hæc sunt illa, sine quibus ecclesia non staret, sicut claves ligandi & solvendi & potestas regendi: aliter portæ inferi prævalerent adversus eam. Hanc autem plenitudinem potestatis, per quam Ecclesia resistit mundo & diabolo, Christus contulit Petro pro se & pro suis successoribus: unde Cyrillus ubi supra: Sicut Christus accepit a Patre, &c. & Innocen. de translatione: Potestatem transferendi Pontifices, ita sibi retinuit dominus & magister, quod eam soli Petro vicario suo & per consuccessoribus suis præbuit & concessit. Ad

Distinctio donorum in Petro & personalium pro successoribus.

id facit XXI. di. cap. sancta Romana ecclesia catholica & apostolica nullis constitutionibus, cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, primatum obtinuit. Item eadem di. sacrosancta Romana ecclesia, & apostolica non ab Apostolis, sed ab ipso Domino salvatore nostro primatum obtinuit.

Nec obstat propositio, quod Papa eligitur a Cardinalibus, quibus hoc concessum est a summis Pontificibus Petri successoribus, per hoc enim Papa nullam potestatem a Cardinalibus recipit, sed solum disponitur ad recipiendum potestatem papalem a domino Jesu Christo, sicut clericus præsentatus a patronis laicis non ab ipsis, sed ab episcopo recipit claves & curam animarum: nemo enim dat quod non habet. Tertia suppositio, scilicet quod talis potestatis nullus est capax, nisi Catholicus scilicet habens fidem catholicam, patet quia, sicut sacramentum ordinis præsupponit quod recipiens sit vir; sic etiam ista potestas seu jurisdictio ecclesiastica præsupponit in recipiente fidem, quod manifeste innuitur ex verbis Christi Matthæi XVI. qui numquam ante fidei confessionem, sed mox post fidei confessionem potestatem & plenariam jurisdictionem Petro promisit dicens: Tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris &c. unde Rabanus super dicto verbo: Qui enim Regem cælorum majore præ cæteris fidei devotione confessus est, merito præ cæteris ipse collatis clavibus regni cælestis, donatus est, ut constaret omnibus quia absque ea confessione ac fide, regnum cælorum nullus possit intrare: claves autem Regni cælorum ipsam discretionem, & potentiam nominat; potentiam, quia ligat vel absolvat; discretionem, qua dignos & indignos discernat. Hoc idem S. Thomas super Matthæum, exponens dictum verbum, & Chrysostomus ibidem: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; idest in hac fide & confessione ædificabo Ecclesiam meam. Ex hoc ergo patet, quod nullus infidelis potest esse Papa loquendo de potentia propinqua, & per consequens, si Papa deviet a fide, ita quod efficiatur hæreticus vel judæus, vel saracenus, non retinet potestatem papalem; ipso enim facto est præcisus ab Ecclesia, & per consequens non est membrum Ecclesiæ nec caput; membrum enim abscissum ab aliquo corpore non potest esse membrum illius corporis, quamdiu est abscissum. Sicut ergo in sacramento altaris, quamdiu manent species panis, tamdiu manet corpus Christi sub eisdem speciebus, & corruptis speciebus non manet ibi corpus Christi; sic postquam Papa est Papa, manente in eo fide & consensu in Papatu, sic quod non renuncies libere & voluntarie, non potest desinere esse Papa.

Ut Papa non recipiat potestatem a Cardd.

Non potest Papa amittere papatum nisi vel deficiat a fide vel se abdicet.

Ex istis suppositionibus sequitur ista con- LXXVII.
clu-

clusio manifeste, quod propter nullum crimen Papa potest deponi a Papatu per aliquem purum hominem vel per aliquot alios homines mundi, sive sint Cardinales sive archiepiscopi, sive primates, sive patriarchæ, nec etiam a concilio generali, immo nec a tota Ecclesia universali: patet quia quod instituitur per superiorem, non potest tolli per inferiorem, & maxime ubi potestas superioris in nullo dependet ab inferiori. Sed potestas Papæ, ut probatum est in præcedentibus, est immediate a Deo, cujus potestas in nullo dependet ab inferiori; omnes autem congregationes ecclesiasticæ, immo tota Ecclesia est inferior Deo. Ergo nulla congregatione ecclesiastica, nec etiam tota ecclesia potest Papam deponere, etiam quantumcumque criminosum.

Ecclesia non potest Papam deponere quantumvis sceleratum.

Secundo ad idem sic. Si Papa posset deponi per aliquem hominem vel per aliquam congregationem, vel per concilium generale, tunc sequeretur quod aliquis homo, qui non esset Deus, vel aliqua congregatio vel concilium generale, esset superior Papa, aliter nec aliquis homo, nec aliquod concilium ipsum possent condemnare, cum inferior superiorem condemnare non possit, nec valeat sententia contra aliquem lata a non suo judice, quod patet non solum in jure canonico & civili, sed etiam in jure divino, teste Apostolo ad Rom. XIV. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo aut stat aut cadit. Papa vero Christi est servus, & nullius alterius inferioris in terris, qui habet judicare omnes mortales, & ab eorum nemine judicari. Si papa di. XL. nec etiam potest judicari per concilium generale cum nullum concilium generale vires habeat nec possit habere, nisi auctoritate Papæ, ut patet XVII. di. per to. ergo, &c. Præterea si aliquis homo non Deus, quicumque sit ille, posset deponere Papam quantumcumque criminosum, aut hoc posset auctoritate juris humani, aut juris divini, aut ex commissione specialiter sibi a Deo facta. Sed ex nullo istorum, ut patet discurrendo per singula, non enim ex jure humano, cum hoc ibidem non reperiatur, ut patet cuilibet intuenti, sed potius oppositum ibidem reperitur: nec etiam ex jure divino pari ratione, nisi quis ita insaniat, ut ad hoc inducat verba Salvatoris, Matthæi XVI. & Jo. ultimo scilicet: Quodcumque ligaveris, &c. & Pasce oves meas. Nec potest dici quod hoc liceat alicui ex speciali commissione a Deo sibi facta, quia si sit. Aut hoc haberet ex jure divino, aut ex jure humano, Sed neutro istorum, ut patet, nec aliter quisquam hoc poterit comprobare, nisi sit ita insanæ mentis, ut hoc dicat fore a Deo sibi specialiter revelatum. Igitur, &c.

Papa non potest judicari a concilio.

Dilemma ex quo jure habeat concilium authoritatem exauctorandi Papæ.

LXXVIII. *Pro ista conclusione manifeste faciunt decreta sanctorum patrum IX. q. III. nemo judicabit primam sedem, justitiam temptare desiderans, nec enim ab Augusto, nec ab omni clero, nec a Regibus, nec a populo judex judicabitur. Et c. immediate sequente: Aliorum hominum causas Deus voluit per homines determinari; sed sedis istius præsulem, suo sine quæstione reservavit arbitrio. Vide totum idem c. cum IV. sequentibus, patet etiam ista conclusio cum assumptis ad ejus probationem ex dictis Anacleti Papæ, & ponitur in decretis di. LXXIX. c. ult. ubi dicit sic: Ejectionem summorum Pontificum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus & fidelibus populis. Item Gratianus postquam in eadem di. in multis capitulis determinat quomodo & a quibus Papa sit eligendus, in ultimo §. ejusdem sic concludit, sicut supra monstratum est: Electio summorum sacerdotum a Cardinalibus & a religiosis clericis debet fieri; ejectio vero eorum divino judicio est reservata.*

Confirmatur ista conclusio exemplis multorum præcedentium sanctorum patrum, quæ ponuntur tum in chronicis ecclesiasticis, quam etiam in volumine decretorum, sicut de sancto Marcellino Papa, qui tempore Diocletiani, & Maximiani Imperatorum compulsus est a paganis, ut in templo eorum idolis thurificaret, qui licet eis acquievisset idolis thurificando, & postea propterea esset contra eum congregatum concilium generale multorum episcoporum & prælatorum, nullus tamen eorum, nec omnes simul ausi sunt contra eum proferre sententiam, sed sibi dixerunt: Noli audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam. Item tempore Valentiniani Imperatoris, cum in concilio generali, cui intererat idem Imperator, multa criminosa obiicerentur contra Sixtum Papam, finaliter conclusum fuit in eodem concilio, quod Papa ab eis non habebat judicari. Immo sancti patres in tantum hanc præsumptionem detestati sunt in concilio Chalcedonensi, quod Dioscorum patriarcham Alexandrinum idcirco potissimum tanquam hæreticum, sine ulla restitutione damnaverint, quia contra suum superiorem, scilicet Papam Leonem, dictavit sententiam excommunicationis. Et infra: Ex prædictis ergo manifestum est, quod propter nullum crimen Papa potest deponi per aliquem purum hominem, nec per aliquos homines mundi, sive sint episcopi, sive archiepiscopi, sive primates, sive Cardinales, sive patriarchæ, nec etiam per concilium generale; immo quod plus est, nec per totam ecclesiam universalem, &c. Hæc Petri e Luna sectator, sed ut dixi, falsa erat hypothesis ipsum Papam esse.

Argumentum petitum ab exemplo Marcellini.

Poterat deponi.

Auctoritas concilii.

LXXIX. Si ex his concilium Pisanum pseudopontificem schisma retinendæ dignitatis studio foventem ac pontificalia insignia ponere ex nuncupati voti formula detrectantem exauctorare non potuit, multo minus Cardinales Urbani VI. perduelles,

Argumento Petri e Luna non pro ipso, sed pro Urbani successore concludunt.

& ex professo inimicitias cum eo gerentes & hostes conjurati ad concilii œcumenici judicium provocanti pontificatum abrogare potuerunt. Atque ex ipsis Petri e Luna principiis controversa illius in pontificatum jura collabuntur. Cæterum non modo Petri e Luna studiosi sententiæ pontificiam auctoritatem conciliorum auctoritati præferenti se addixere, aut qui adhæsere Gregorio eandem propugnarant; sed postea etiam multi doctrina & religione conspicui viri de concilii Pisani auctoritate, proindeque de Alexandri pontificatu dubitarunt, eo quod sine Papæ auctoritate convocatum celebratumque fuerit. Respondent ii, qui Pisanum conventum canonicum concilium extitisse contendunt, cum nullus sit certus Pontifex ob ambiguitatem facti contingentis non spectantis ad fidem, habendum perinde ac si nullus esset. Verum cum ostenderimus supra Urbanum VI. rite electum, & perspicuum sit Gregorium ejus legitimum extitisse successorem, ipsum verum fuisse Pontificem, & apud errantes tantum ambiguum fateri debemus. Neque obstare videtur quod de concilio Constantiensi afferunt, si Pisanum canonicum non fuisset, dicendum esse neque illud alicujus extitisse valoris quod auctoritate Joannis XXIII. convocatum est: *Nam concilium Constantiense celebrandum*, inquit S. Antoninus (a), *ipse*, nimirum Gregorius, *approbavit, suos Cardinales misit*, &c. Et sane extant Gregorii literæ, quibus Joanni Dominici tit. S. Xisti presbytero Cardinali concilii Constantiensis suo nomine convocandi provinciam dedit, quod Cardinalis idem in XIV. sessione præstitit hisce verbis (b): *Istud sacrum concilium generale convoco, & omnia per ipsum agenda authorizo & confirmo juxta modum & formam prout in literis domini nostri nunc lectis plenius continetur.* Quibus permotus S. Antoninus nusquam Pisanum ut legitimum agnovit, quod potius conciliabulum dicendum indicat, dum ait (c): *Per Pisanum concilium vel conciliabulum, cum non esset alicujus eorum, qui se gerebant pro Pontifice, authoritate congregatum, non erat ablatum ipsum schisma, sed augmentatum, ex duobus tribusve se pro Papa gerentibus*: in eamdemque sententiam hæc habet, qui scholion sancto authori adjecit (d): *Præterea si hoc Christi Domini nostri verbum verum est, ex fructibus eorum cognoscetis eos; Matth. VII. quis non videt Pisanam congregationem non fuisse legitimum concilium, quæ schisma non sustulit, sed potius auxit, cum tres se postea pro Pontificibus gesserint?* Hactenus ipse, ex quo (e) etiam hæc alia decerpere libet: *Addidit autem D. Antoninus secundum communem opinionem significans ex sua sententia Alexandrum V. legitimum non fuisse Pontificem, sed Gregorium XII. nam cum Joannes Dominici Cardinalis Ragusini sectator fuerit & discipulus, qui semper Gregorii XII. partes est secutus, ipse quoque hunc Gregorium verum ubique & legitimum Pontificem prædicavit. Hinc supra § 2. decretum doctorum theologiæ & utriusque juris tenentiom tam Gregorium XII. quam Benedictum XIII. deponi posse, dilucide refutavit. Hinc etiam supra cap. 3. §. 2. hunc Gregorium verum Papam, etiam tempore concilii Constantiensis & in Italia & aliis in locis habitum fuisse refert, & infra cap. 6. §. 2. hunc Gregorium a multis Deum timentibus & peritis creditum fuisse tempore ejusdem concilii verum Pontificem asserit.* Paucis interjectis addit idem auctor: *Idem etiam in summa hujus tituli, cum de creatione hujus Alexandri egit, hac correctione est usus: Si tamen potuerunt. Sententiam D. Antonini laudat Sanderum lib. 7. de visibili monarchia; nam de tribus Pontificibus tempore Constantiensis comitiis verba faciens, cum de Gregorio loquitur, interjecit: Quem titulum justissimum habuisse putaverim.*

Pisani concilii controversa auctoritas.

Gregorius fuit verus Pontifex.

(a) Id. ib. §. 20.

Dispar ratio Constantiensis comitii.

(b) Apud Joan. XXIII. lib. ult. p. 291. & apud conc. Constant. sess. 14.

(c) S. Anton. supra §. 2.

Pisanum concilium schismo auxit non sustulit.

(d) Matth. c. 7.

(e) Scholion ad §. 3. c. 5. tit. 22. p. 3. S. Antonini.

Gregorius a multis habitus ut verus Pontifex.

LXXX. At, inquiunt ii, qui Alexandri pontificatum tueri stabilireque nituntur, Ecclesiam catholicam, ipsum ut verum Pontificem agnovisse. Verum S. Antoninus, qui tum vivebat, diserte id negat (f), addidit enim, *Secundum communem opinionem*. Et sane non omnes Christiani orbis provincias illi viventi paruisse constat; post ejus autem mortem ac redintegratam in concilio Constantiensi ecclesiarum conjunctionem, Romani Pontifices non simpliciter Pontificem, sed addito in sua obedientia, sicuti alios etiam post Gregorium XI. creatos Pisani præsules appellandos sanxerunt: qui mos postea tenuit. Non tamen inficias imus Alexandrum ejusque successorem sine culpa a pluribus ut veros Pontifices habitos esse, cum præsulum & doctorum pars maxima eos veneraretur. Neque vero illud argumentum magni ponderis esse videtur, gesta ab Alexandro atque ab ejus successore Joanne XXIII. ut legitime apud catholicos haberi; eorumque sanctiones inter alias Romanorum Pontificum in eorum libris reperiri, & Rodericum Borgiam, qui Innocentio VIII. in pontificatu successit Alexandrum VI. appellatum esse: nam Martinus V. ejusque successores illorum sanctionibus, quæ usui publicæ Christianæ rei esse viderant, auctoritatem suam adjecerant: atque ita in bullario ex tribus a Gregorio editis postrema condita est dum Joannes XXIII. sedebat, nimirum anno hujus sæculi XV. Denique argumentum ex Alexandri VI. cognomine petitum facili negotio ab iis diluetur, qui historiam ecclesiasticam percurrerint; Stephanus enim postremus mi-

Universa ecclesia Alexandro non paruit.

(f) S. Anton. 3. par. tit. 22. c. 5. §. 3.

Incertum fuit an veros esset Pontifex.

Ejus & successoris sanctionibus vis adjecta a Martino V.

ta.

(a) Baron. A. C. 897. (b) A. C. 1057. n. 1. (c) Ann. 912. (d) Ann. 931. (e) Ann. 955.

raculis clarus numerato Stephano vii. qui pontificatum tyrannide corripuerat (a) decimi nomen traxit (b). Inter eos etiam, qui Joannis nomen gessere, nonnulli ut decimus, (c) undecimus, (d) decimus sextus (e), quorum duo priores a scortis Romæ imperitantibus, alter corruptis auro Romanis intrusi fuere.

LXXXI. Hæc non contentionis, sed indagandæ veritatis studio attuli: apud nos enim exploratum est Gregorium rite in apostolico solio collocatum, non demonstratur autem ab adversariis ipsum jure dejectum fuisse; immo contrarium in literis (f) encyclicis Alexandri v. quas affert Contelorius, (g) inferri videtur, dum ajunt Petrum e Luna adduci nunquam potuisse, ut in locum conveniret nisi in quo maritimis viribus præstaret, sicque Gregorium ipsius adversarii Alexandri judicio excusari. Quod vero a Pisano conventu in judicium vocatus pontificatu abire recusaverit, vertitur in ea re cardo difficultatis, an illi idonei judices essent. Cæterum nostrum non est controversiam dirimere, atque ideo nec Gregorium Pontificum catalogo expungere, cum illum initi jure pontificatus possessione, donec in Constantiensi concilio gradu cessit, potitum comperiamus. Sequuturos itaque annos sine ullo veritatis detrimento ejusdem Gregorii pontificatus nota consignabo: utque perturbatissimorum temporum distinguam historiam, Alexandri ac successoris Joannis res gestas præfixis ipsorum nominibus recensebo. Cum vero abunde superius actum sit de Pisanis episcoporum conventibus, nunc de synodo a Gregorio in civitate Austriæ patriarchatus Aquilegiensis celebrata, & de pseudosynodo Perpiniani habita differendum est. Ab ea igitur quam indixit Gregorius exordiamur.

(f) Alex. V. lib. 1. gen. 5. p. 54.
(g) Contelor. Elench. Cardd.

Cur Gregorius e Pontificum catalogo non eradatur.

De Aquilegiensi synodo.

LXXXII. Præmisit (h) is Bartholomæum Zambonum ut necessarios ad concilii celebritatem apparatus instrueret, atque universos patriarchatus Aquilegiensis fideles, ut illi opera non deessent, cohortatus est: quæ literæ Arimini iii. die maii sunt exaratæ; ex quibus corrigendus est Theodoricus e Niem (i), dum Gregorium quadragesimali tempore Austriam profectum affirmare videtur: eodem autem mense majo iniit iter, ut ex literis datis Pratæ Concordiensis diœcesis kal. junii colligitur, quibus fidei publicæ syngrapham oratoribus Petri e Luna, quos a Pisana synodo repudiatos vidimus, tradidit, cum pro ecclesiarum conjunctione agitanda se venisse ostentarent. Erant ii Petrus archiepiscopus Tarraconensis, Joannes Seguntinus, Joannes Mendensis, Avinio Senostensis episcopi, Franciscus Carthusiæ majoris prior, Didacus Minoritarum in Hispania præfectus, ac Dominicus Ram prior Cæsaraugustanus; quorum labores non ad schisma tollendum, sed extrahendum spectabant. Celebrata a Gregorio est prima sessio Austriæ recurrente celebritate corporis Dominici post habitas solemnes in ea urbe supplicationes: sed exiguus admodum præsulum numerus eo se contulit quocirca hasce literas concyclicas exaravit (k).

(h) Greg. l. 2. p. 72. Theodor. a Niem. l. 3. c. 36.
(i) Greg. l. 3. p. 89.

In ea oratores Petri e Luna excepti.

Sess. 1.

(k) Eod. lib. 3. p. 2. epist. cur. p. 92.

Gregorius universis Christifidelibus, ad quos præsentes pervenerint salutem.

Cum pro sacro generali concilio, prout indiximus, celebrando huc venerimus cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus & curia nostra ad pacem & unionem sacratissimam inducendam, quam dare pro posse intendimus per viam cessionis & omnem aliam rationabilem, juxta continentiam nostrorum juramenti, promissionis, & voti, & diem sacratissimam pentecostes pro prima die præfati concilii in Dei nomine acceptaverimus, factisque Altissimo laudibus & orationibus processionaliter, prout convenit tantæ rei, primam fecimus sessionem in gloriosissima festo corporis Christi pretiosissimi, secundam indicentes ad vigesimam secundam diem hujus: quas quidem sessiones intendimus protelare, ipsa interim nihilominus cum præsentibus sic substantialia disponentes, quod mox ut fuerit decens prælatorum numerus congregatus, finalis (quantum nostra fuerit) introducatur effectus, universitatem vestram in Domino requirimus, & hortamur, mandantes venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, & quibuscumque aliis ecclesiarum prælatis, debentes ex suis prælaturis vel dignitatibus sacræ synodo interesse, quatenus ad hoc sacrum generale concilium sine mora dispendio studeant personaliter se conferre, & charissimos in Christo filios nostros Reges, ac nobiles viros, duces, principes, ac alios magistratus communitatum, & universitatum affectuose etiam obsecrantes, ut ad idem concilium personaliter, si possunt, accedant; sin autem suos idoneos nuntios debeant destinare, ita quod cunctarum assistente præsidio tractare valeant atque fieri quæ Dei sunt & pacis ac unionis populi Christiani &c. Dat. in civitate Austriæ Aquilejensis diœcesis xiii. kal. julii pontificatus nostri anno iii.

Spreta sunt ab episcopis ejus imperia, cum in magnam adduceretur (l) invidiam concilium ad schismatis propagationem molitum, misitque (m) Nicolaum episcopum Ferentinum & Dominicum designatum episcopum Melitensem Venetias ut objecta anathematis pœna illius provinciæ præsules ad synodum cogerent. Sed Veneti Alexandro ex doctorum sententia, quamvis Gregorius Venetus esset, adhæserunt.

Spreta Gregorii imperia.
(l) Alb. pag. 44. & 45.
(m) Ibid. pag. 114. S. Anton. 3. p. tit. xx. c. 5.

Secundæ sess. acta.

In secunda porro sessione synodus in civitate Austriæ congregata, ubi pluribus de electione Gregorii historiam retexuit adversus Alexandrum, quem Petrum e Candia vocat, ac Petrum e Luna sententiam (a) hanc tulit.

(a) Ext. m. 22. de schism. p. 262.

Sententia lata in concilio generali domini Papæ Gregorii in civitate Austriæ Aquilejensis diœcesis.

Christi nomine invocato sancta & universalis synodus universalem & catholicam ecclesiam repræsentans, ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere, sancti Spiritus gratia in hac collegiata ecclesia S. Mariæ civitatis Austriæ Aquilejensis diœcesis sacri concilii inibi de mandato & auctoritate sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii Papæ XII. ac universalis Ecclesiæ summi Pontificis congregata pro tribunali sedens, visis omnibus & singulis actis actitatis, juribus, & depositionibus testium in hujusmodi causa unionis, & aliis documentis, ipsam sanctam synodum ad infrascriptam definitivam sententiam inducentibus, habita inter ipsos ac etiam cum quampluribus magistris theologiæ ac utriusque juris doctoribus diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omnes pariter in hanc sententiam reperitur unanimiter concordare omnimodo, via, & forma, quibus magis & melius potest de jure, &c. Et infra: pronuntiat, decernit, definit, & declarat electionem, inthronizationem de dicto sanctæ memoriæ Urbano Papa VI. & subsequenter Bonifacio IX. Innocentio VII. Romanis Pontificibus fuisse canonicas, nec non electionem, inthronizationem, coronationem de sanctissimo domino nostro domino Gregorio Papa XII. factas fuisse & esse canonicas, suumque debitum debuisse & debere sortiri effectum, ipsum sanctæ memoriæ Urbanum Papam VI. & suos successores Bonifacium IX. Innocentium VII. fuisse indubitatos, & veros Pontifices universalis catholicæ Ecclesiæ, & nunc Gregorium Papam XII. fuisse verum & indubitatum Papam, ac universalis catholicæ Ecclesiæ summum Pontificem; necnon pronuntiat, decernit, & decrevit & declarat electionem damnatæ memoriæ Roberti Gebennensis antipapæ & deinde Petri de Luna ac Petri de Candia fuisse & esse nullas, temerarias, illicitas, & injustas, & de facto sacrilege præsumptas, ipsisque damnatæ memoriæ Roberto Gebennensi, Petro de Luna, & Petro de Candia in papatu, seu titulo papalis dignitatis nullum jus competiisse neque competere, ipsosque Petrum de Luna & Petrum de Candia fuisse & esse notorios schismaticos & pertinaces, notoriisque perjuriis irretitos, & ecclesiam Dei scindentes notorie, & ob hoc omnino dignitate papali & alia quacumque se reddidisse indignos, & factas per eosdem conjunctim & divisim quascumque ordinationes, promotiones, collationes, & provisiones, immo profanationes & alia quæcumque per eos tanquam summos Pontifices, seu eorum vel alterius eorum auctoritate ordinata, decreta, vel gesta, ac omnia & singula exinde vel ob ea subsequuta, damnat, cassat, & irritat & nullius decernit fuisse & esse roboris vel momenti, oppositionesque spoliationes, perturbationes, vexationes, & impedimenta dictis sanctæ memoriæ Urbano Papæ VI. & deinde Bonifacio IX. Innocentio VII. per dictam damnatæ memoriæ Robertum & postmodum Petrum de Luna factas fuisse & esse nullas, temerarias, & subsequenter dicto domino nostro Gregorio Papæ XII. factas similiter esse temerarios, illicitas, & injuste & de facto præsumptas; ipsumque sanctissimum dominum nostrum Gregorium Papam modernum ad possessionem obedientiæ suæ per universum mundum & sanctam Ecclesiam catholicam, & ad jurisdictionem papalem & liberum exercitium ejusdem, nec non terrarum, civitatum, oppidorum, castrorum, vel quasi omnium & singulorum bonorum S. R. E. quibus de facto spoliatus extitit restituendum fore & restituit: dictisque Petro de Luna & Petro de Candia tam conjunctim quam divisim de & super oppositionibus, spoliationibus, & impedimentis, ac papatu perpetuum silentium imponendum fore & imponit, inhibetque eisdem Petro de Luna & Petro de Candia, ne aliquis eorum se pro summo Pontifice nominare, aut etiam parere præsumat: nec non pronuntiat decernit, & declarat præfatum dominum nostrum dominum Gregorium Papam in prosequendo facta unionis ecclesiæ inquantum in eo fuit fecisse diligentiam hactenus pro extirpatione hujus pestiferi schismatis talem, quod occasione voti & juramenti in conclavi & post factorum, non fuit nec est aliquo crimine perjurii vel transgressionis voti irretitus: diffamationes quoque, detractiones, & alias injurias ac opera sacrilega contra præfatum dominum nostrum dominum Gregorium Papam XII. per præfatos Petrum de Luna & Petrum de Candia & eis adhærentes fuisse & esse temerarias, illicitas, & sacrilegas, & injustas, & de facto præsumptas & præsumpta, ipsisque & eorum cuilibet sub ipsis perpetuum silentium imponendum fore & imponit. Et nihilominus prohibet eisdem, ne de cætero aliquis eorum faciat seu perpetret similia in futurum, nec non decernit & declarat, universos christicolas, etiam si imperiali, regali, aut alia quavis præfulgeant dignitate, ne eisdem Petro de Luna, vel Petro de Candia, vel alteri eorum ratione alicujus juramenti, aut alias quovis modo tanquam summis Pontificibus obediant, ipsaque juramenta & obligationes, si quæ dictis Petro de Luna & Petro de Candia tanquam summis Pontificibus, aut eorum al-

Decernitur Gregorium esse verum & indubitatum papam.

Petrus e Luna & Petrus Cretensis damnati.

Edicitur Gregorium restituendum possessioni papatus in toto orbe.

Excusatur ab injusta perjurii macula.

Vetiti fideles Petro e Luna, vel Petro e Candia parere.

alteri per præfatos Reges & alios quoscumque cujuscumque sint gradus, ordinis, aut conditionis præstitas, nullas fuisse & esse, ipsasque relaxandas fore, & ad cautelam relaxat: & nihilominus super omnibus aliis in hac causa deductis & petitis & declaratis & probatis potestatem pronuntiandi, decernendi & diffiniendi sibi in posterum ad locum & tempus congruum reservat.

Ego Marinus episcopus Aprutinus de mandato & commissione sacræ Synodi sic pronuntiavi & me propria manu subscripsi.

LXXXIII. Meminit Theodoricus e Niem (a) de alia sessione quinta septembris die celebrata, in qua Gregorius pollicitus est se insignia papalia positurum, si Petrus e Candia idemque Alexander V. ac Petrus e Luna fastigio cederent, et communibus dein Cardinalium suffragiis novus renunciaretur Pontifex, Regesque Robertum Romanorum, Sigismundum Hungariæ, Ladislaum Siciliæ designavit, ut de communi loco ad, cogendam synodum œcumenicam cum adversarum partium principibus paciscerentur: quæ ex subjecta formula (b) in synodo promulgari jussit.

Sess. 3. Gregorius decernit cessurum se si æmuli cedant.

(a) Theod. e Niem. l. 3. c. 45. & 46 & S. Anton. 3. par. tit. 22. c. 5. §. 3.

(b) Ext. apud Theod. e Niem. l. 3. c. 46. & ex eo in concil. to. 3. par. 2.

Adjectæ leges.

Sanctissimus dominus noster dominus Gregorius XII. ardentissime ad sanctissimam unionem, illam quærit totis affectibus introducere: verum quia per formam in conclavi conceptam propter profanationes apostatæ Petri de Candia, videtur quod unio fieri non possit per renunciationem ipsius & Petri de Luna, nisi modificatio aliqua fiat; hinc est quod pro celeri & perfecta consecutione unionis præfatæ proponit & acceptat hoc modo: videlicet quod idem sanctissimus dominus noster ex abundanti desiderio cordis sui ad ipsam sanctissimam unionem perficiendam paratus est realiter & cum effectu renunciare papatui, si & quando simul & personaliter ac præsentialiter in eodem loco Petrus de Luna & Petrus de Candia suis prætensis juribus in papatu renunciabunt secundum formam ipsam conceptam in conclavi, adhibita ista modificatione electionis futuri Pontificis quæ habebat fieri a cujuslibet obedientia duabus partibus gerentium se pro Cardinalibus, ita quod in hoc casu ad verum illius papatum requirantur cujuslibet obedientiæ voces duarum partium, & qui sic fuerit electus suo consensu pro verissimo Romano Pontifice habeatur. Item ne ex difficultate loci possit differri pax ecclesiæ, & unio impediri, extunc concedit plenam & liberam potestatem illustribus Regibus Ruperto Romanorum, Ladislao Jerusalem, & Sigismundo Hungariæ Regibus concordandi de loco cum adversariis & ipso eligendo: qua concordia & electione facta paratus est infra terminum per eosdem Reges assignandum ad dictum locum accedere, & ibi debitum suum facere, prout in præcedenti capitulo est expressum.

Item si super præmissis, quod absit, adversarii concordare non vellent, ne differatur factum sacratissimæ unionis, ex nunc concedit plenam & liberam facultatem & potestatem præfatis adversariis super concilio generali ab omnibus partibus convocando, & locum etiam ad illud celebrandum eligendi, qua concordi electione facta, paratus est ad dictum locum accedere, & stare deliberationi in qua cujuscumque obedientiæ major pars convenerit, id est, quod deliberatio illa sit facta a majori parte obedientiæ Petri de Luna, & majori parte Petri de Candia, simul ita quod deliberatio ipsa sit trium obedientiarum; illud idem acceptantibus & facientibus Petro de Luna & Petro de Candia gerentibus se pro Papis: & ut prædicta possent citius & habeant suum consequi effectum, dixit & declarat mentis suæ esse, quod infra annum a die præsenti secuturum præfati Reges habeant potestatem & facultatem liberam & plenariam exequendi prædicta, & si eis tum videbitur expedire, concedit eisdem quod possint dictum terminum annuum usque ad unum alterum annum tunc proximum secundum eorum beneplacitum propagare & non ultra, ipsis regentibus, ipsius domini nostri permanentibus; ad quæ omnia pertractanda placeret præfato sanctissimo domino nostro Papæ, quod dicti Reges, & quando placeret eis, sibi assumerent magnificum Carolum de Malatestis, qui est valde avidus ad sacratissimam unionem. Lecta fuit dicta scriptura in sacra synodo civitatis Austriæ congregata die jovis v. septembris MCCCCVIII. * *Domini nostri anno* III. Ad promulganda hæc decreta confirmandasque suas partes adversus Alexandrum v. & Petrum e Luna, aliosque cum iis sentientes Gregorius plures legatos creavit, nimirum Albertum (c) episcopum Poznaniensem in Polonia, Sbinconem (d) archiepiscopum Pragensem in Bohemia, Nicolaum (e) episcopum Caminensem in Pomerania, Henricum (f) episcopum Winsoniensem in Anglia; in Insubria Bartholomæum (g) episcopum Placentinum, quem etiam ea instruxit authoritate, ut majoris instar pœnitentiarii sacras exomologeses exciperet, præscripsitque formulam ex qua ad ipsius partes rediturus conciliaret.

Instat de tertio loco.

Tres Reges a Gregorio constituti pro conjunctione ecclesiarum.

* MCDIX.

Decreti legati a Gregorio.

(c) Greg. l. 3. pag. 110.

(d) Id. ib. p. 112. & 115.

(e) Ib. p. 118.

(f) Eod. pag. 118.

(g) Ibid. pag. 99. & 100.

Hæc sunt quæ de Gestis Austriæ a Gregorio colligere potuimus: at tantum abest ut partes suas confirmare potuerit, ut brevi ab Italis, Hungaris, Bavaris, deindeque a Siculis desertus sit. In grave autem discrimen ipsum adduxere æmuli, patriarcha enim Aquilejensis ab ipso exauthoratus struxerat ei insidias; ad quas arte fallendas cum vi perrumpere non posset,

Gregorio conatus pro retinenda dignitate insanet.

Dolo fugit insidias.

(a) Theod. e Niem. Pontificia lib. 3. c. 49.

Gregorius in regnum Neapolitanum se recipit.

(b) Alex. reg. 2. pag. 26. LXXXIV.

fet, pontificium ornatum posuit: qui vero papali subornatus cultu incedebat ab hoste est interceptus, direptaque pontificia impedimenta fuere. Gregorius igitur duobus tantum stipatus comitibus, elusis hostibus, ad triremes, quas submiserat Ladislaus Rex Siciliæ, insequentibus frustra hostibus evasit, vectusque (a) in Aprutium, Ortonam primum, deinde Fundos, demum Cajetam (b) a Ladislao Rege deductus est, ut eam ob causam Romam sibi subiiceret, qua de re inferius agetur. Referamus nunc gesta conventus a Petro e Luna Perpinani celebrati.

(c) Theod. e Niem l. 3. cap. 50.

Acta Perpinianensis conciliabuli.

Fascinabat ille suis fraudibus præsules Aragonios, quos Perpiniani extremo superiori anno coegerat: ut enim æmulorum occuparet consilia, antequam ii suas synodos celebrarent, evolvendo breviori temporis intervallo Perpinianense conciliabulum indixerat (c). In eo porro kal. februarii hujus anni præsules fucatis ejus verbis subornati, ac vicissim illi ineptis assentatiunculis lenocinati, gratulati sunt ipsum labores ad tollendum schisma etiamtum strenue impendisse, passumque ab æmulis injuriam; tum addidere preces, ut si Gregorius a suis exauthoraretur, ipse papales apices poneret: sed hæc ea actis ipsis (d) quæ in MS. codice tabularii Vaticani extant, afferre libet.

(d) Ext. tom. 22. schism. pag. 42. atque ex parte apud Theod. e Niem l. 3. cap. 37.

Copia eorum quæ facta sunt in concilio domini Benedicti antipapæ.

Sanctissime ac beatissime pater, hoc sacrum concilium ad id, quod in ultima sessione per vestram sanctitatem primo loco propositum fuit, humiliter & devote respondet, quod consideratis & diligenter attentis iis, quæ pro servitio Dei & unione sanctæ matris Ecclesiæ, ac salute omnium fidelium sanctitas vestra obtulit, acceptavit, atque prosequuta fuit, non parcendo laboribus, periculis, & expensis, consideratis etiam injuriis, appressionibus, turbationibus & impedimentis, quæ vobis aliquorum præsumptione ingesta sunt, nec non vexationibus, cavillationibus, refutationibus ac inconstantia intrusi moderni & suorum prædecessorum, consideratis etiam professionibus, & protestationibus per sanctitatem vestram in hoc sacro concilio & aliis factis, quas reputat sufficientes, quæ omnia aperte liquent ex lectione gestorum a tempore assumptionis S. V. ad apostolatus apicem, usque ad tempus præsens, pro quibus S. V. meritum apud Dominum, & perpetuum apud homines præconium reportare meretur: ipsum sacrum concilium, matura deliberatione super hoc habita, puro corde & sincera intentione credit, tenet, & reputat vos, pater sancte, fidelem Christianum, atque catholicum, & verum Christi vicarium, nec credit, nec reputat vos, pater sancte, esse seu fuisse schismaticum vel hæreticum, nec ma-

Petrus e Luna culpam schismatis reiicit in Gregorium.

Stultæ assentatiunculæ.

cula fautoria schismatis seu hæresis irretitum, & quanto humilius potest hoc sacrum concilium vestræ beatitudini gratias agit pro præmissis, ex cordis intimis se ipsum devote offerens ad V. S. obsequia, Deum suppliciter exorans, ut S. V. in hoc sacro unionis Ecclesiæ negotio dirigere dignetur ad ipsius laudem & gloriam, & totius populi Christiani pacem, & quietem: supradicta cedula fuit oblata ex parte concilii domino Benedicto, & per omnes de concilio subscripta.

Sanctissime ac beatissime pater.

Hoc sacrum & generale concilium supplicat & consulit humiliter & devote S. V. primo quod non obstantibus quibuscumque tribulationibus, persecutionibus, & impedimentis vobis datis, dignemini propter Deum & bonum Christianitatis prosequi efficaciter factum unionis sanctæ matris ecclesiæ per viam renunciationis, omnibus aliis viis præmittendo, nulla alia via tamen exclusa. Item supplicat & consulit præfatum concilium V. S. quatenus obligationem per V. S. factum intruso de renunciatione in casu renunciationis, vel mortis dicti intrusi, dignemini extendere ad casum dejectionis ejusdem, si fiat de jure secundum fidem & obedientiam partis suæ, & etiam effectualiter de facto.

Item supplicat, & consulit præfatum sacrum concilium V. S. quatenus pro celeri & debita conclusione præmissorum obtinenda dignemini certos nuncios, probos viros Deum timentes & ad hoc idoneos, nomine & pro parte V. S. & vestri collegii, & totius sacri concilii mittere ad intrusum & suos anticardinales, cum ipso vel Pisis vel alibi degentes, nec non ad illos dominos Cardinales Pisis existentes, & ad alios qui in hoc facto unionis negotio proficere poterunt, cum plena & libera, ac sufficienti potestate tractandi, concordandi, firmandi, & obligandi omnia & singula necessaria, utilia, seu opportuna ad præmissa, & prout eis videbitur, tempus breve & congruum, & locum idoneum, ac securum, ac de securitatibus tenendo, stando, & redeundo, recipiendi, concordandi, & obligandi, in quo V. S. illa omnia, quæ concordata, & firmata fuerint per ipsos efficaciter exequatur personaliter, vel si personaliter ire noluerit vel infirmitate corporali impeditus non potuerit, per alium seu alios habentes plenariam & liberam potestatem ad omnia quæ S. V. facere posset, usque ad renunciationem inclusive.

Perpinianensis conventus locum tertium securum postulat.

Item supplicat & consulit præfatum sacrum concilium V. S. quatenus dignemini formam procuratorii in prædictis casibus faciendum mandare ordinari, pleniori & meliori modo, quo fieri, seu ordinari poterit.

Consulit Petro a Luna ut oratoris opera se abdicet.

Item supplicat & consulit præfatum sacrum concilium S. V. quatenus dignemini

Ut procuratorem mittat.

tales

tales constitutiones facere, & provisiones adhibere, quod si ante obtentam unionem (quod absit) continget V. S. ab hac vita ad aliam evocari, possit ad unionem debito & canonice procedi, taliter quod post obitum S. V. propter defectum provisionum non differretur seu impediretur unio, aut (quod absit) scandala, seu subschismata sequerentur.

Provideat ne post mortem subschismata sequantur.

Item supplicat & consulit præfatum sacrum concilium V. S. quod in casu in quo aliqui (quod absit) vellent præmissis exceptis scandala seu subschismata suscitare, dignetur S. V. per debitas constitutiones & remedia prohibere & providere, ut ad similia perpetranda procedunt sub pœnis, decretis & prohibitionibus ad hoc necessariis & opportunis. Suprascripta capitula fuerunt oblata domino Benedicto per concilium suum, & per eum acceptata fuere per instrumentum publicum subscriptum per dominum Benedictum, & omnes de suo concilio ut supra.

Dominus Benedictus proposuit in dicto suo concilio hæc: videlicet primo ut provideretur super infamiis sibi datis. Secunda super facto unionis. Tertio super schismatibus, quæ oriri possent. Quarta super reformationibus ecclesiæ, & dictum concilium respondit sibi per suprascripta capitula & ordinationes. Reliqua Perpinianensis pseudosynodi gesta, quæve in ita decreta fuerint, e subjectis monumentis patebunt.

Gesta in Concilio domini Benedicti vel domini Petri de Luna.

Aliud monumentum Perpinianensis synodi.

Universis & singulis per hoc instrumentum publicum innotescat, quod cum per sanctissimum in Christo patrem ac dominum nostrum dominum Benedictum, divina Dei providentia Papam XIII. præsidentem in sacrosancto concilio generali convocato per eum Perpiniani Elnensis diœcesis ac in ecclesia, quæ vulgariter dicitur de Regali, præsentibus infrascriptis die quinta decembris anno Domini MCCCCVIII. fuisset propositum in effectu quod si quamplurimis turbationibus, persecutionibus, & afflictionum turbinibus quateretur, illud tamen potissimum affligebat, quod cedebat universæ christianitatis discrimine tetrum schisma, & paulo minus, quod nonnulli, qui ad tollendum tam immanem scissuram de vestimento domini videbantur astricti, ipsam scissuram inconsutilem nedum perpetuare, sed etiam multiplicare tentabant, attonitus mirabatur, quod licet priscis temporibus circa ea, quæ ad pacem sunt Jerusalem, totis viribus insudarit, & possibilem operam dederit, ut unionem ecclesia consequeretur optatam, seque exposuerit quamplurimis laboribus, expensis, periculis, & ærumnis, ut schismatis expiaret opprobrium, quod indiscissam Domini tunicam, proh dolor! turpiter maculabatur; Tamen satore zizaniæ, ut videbatur, pestifero procurante, nedum in-

Putida & fallax adulatio.

constantem & varium, sed induratum reperit Angelum, dictum Corario, qui se fecit Gregorium in parte schismaticum nominari, quamvis se monstrasset a principio pro tam felici unionis negotio liberalem, in tantum quod ipse dominus noster apud eum proficere non potuit; propter quod ipsum non sine aculeo doloris oportuit retrocedere sine fructu. Nec solum hoc unionis impedimentum evenit; per nonnullos enim, de quibus vix credebatur, tot, & tanta, ut dicebat, fuerunt (prout erat per nonnullos de dominis Cardinalibus Pisis degentibus, & alios advisatus) pericula machinata, quod nec in Italiæ partibus, ad quas se contulerat pro unione sanctæ matris Ecclesiæ, potuit cum suis personaliter remanere; sed nec pro nunciis seu procuratoribus, quos cum plena potestate dispasuerat ibi dimittere, salvum conductum obtinere potuit quoquomodo. Falsum omnino est Petrum e Luna conjunctionis redintegrandæ causa se in Italiam contulisse, sed ut specie colloquii armatus inermem opprimeret, & classe Gallica Romam, dum ab ea abesset Gregorius, inita cum nonnullis, quos subornarat, conjuratione intercipere; quamquam resistente illi cœlo consiliorum compos fieri non potuit, ut alias ostensum est.

Culpa impudenter rejecta in Gregorium.

Cur Petrus e Luna in Italiam se contulerit.

Aliis igitur imminentibus periculis, de consilio reverendissimorum in Christo patrum dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium volens idem dominus noster in loco tuto reponere se & suos, sed nolens dimittere unionis ecclesiæ negotium sic turbatum, ut provideretur extirpationi schismatis, & nonnullis aliis imminentibus scandalis, quæ videbantur in Dei ecclesia machinari, ad generalis convocationem hic faciendam concilii ad festum omnium sanctorum lapsum proxime se convertit. Concilio igitur hic, Sancto assistante Spiritu, convocato, ipsum benevolis exhortationibus inter cætera requisivit, quatenus advisarent, & consulerent quod foret ulterius faciendum pro consequenda ecclesiæ unione, ipsos exhortans quatenus super iis sibi darent auxilium, consilium, & favorem: asserebant enim se cum consilio dicti generalis concilii processurum efficaciter in præmissis, & expositurum personam, statum, & vitam pro debita unione sanctæ matris Ecclesiæ consequenda. Et quia nonnulli diversimode impedire tam sacrum propositum sub palliatis coloribus satagebant, advisarent, & consulerent qualiter erat providendum scandalis, erroribus, & schismatibus, quæ, proh dolor! disponebantur in Ecclesia sancta Dei. Ad respondendum autem his duobus articulis, diem tunc sequentem mercurii, quæ fuit XII. dicti mensis, præfixit concilio, ut interim super his duobus articulis possent deliberare mature: sed quia propter arduitatem materiæ non potuit tantum negotium sic faciliter ex-

Inanes Petri e Luna propositiones.

pediri, fuit per aliquas dilationes usque ad diem hanc infrascriptam præsentis sessionis celebratio prorogata. Ceterum succedente quoad hoc finaliter ordinata ad hanc diem veneris, prout jam dictum est, sessione, præfatum sacrosanctum concilium per medium reverendissimi in Christo patris domini Alfonsi patriarchæ Constantinopolitani præfato domino Papæ supplicandum duxit ac etiam consulendum, prout in quadam cedula per ipsum dominum Constantinopolitanum pro parte totius præfatis ibidem generalis concilii præsentata, & tandem per me Guigonem Flandrini sacræ sedis Apostolicæ protonotarium lecta continetur latius, cujus tenor sequitur sub his verbis.

Sanctissime ac beatissime pater. Hoc sacrum & generale concilium supplicat & consulit humiliter & devote sanctitati vestræ, &c. Reperitur hic supplex libellus superius allatus subditurque: *Acta sunt hæc apud Perpinianum Elnensis diœcesis in ecclesia, quæ vulgariter dicitur de Regali, &c.* Et infra: *die prima mensis februarii, indictione secunda, anno Domini MCCCCIX. pontificatus præfati domini nostri anno XV.*

Accepto præsulum Aragoniorum libello supplici Petrus e Luna XXII. februarii die recurrente in sessione publica respondit multis verborum fucis se omnia, quæ ad schisma abolendum spectarent, acturum ac insignes oratores rerum gerendarum peritos missurum, qui redintegrationem ecclesiarum promoverent. Ad id vero, in quo rei cardo vertebatur, ut Gregorio pontificatu se abdicante, vel a suis exauthorato ipse insignia papalia exueret, non respondit utpote qui etiam cessuro Gregorio, ut in concilio Constantiensi evenit, numquam universæ Ecclesiæ votis ea in re morem gerere decrevisset. Delusi vero illius verbis Aragonii præsules tanquam quid magnum sponderet, positis mitris & flexis genibus, veluti in umbratili scena gratias ei egere, uti ex actis (a) patet.

Captata a Petro e Luna diffugia.

(a) Ext. to. 28. de schism. p. 43.

Succedente, inquiunt, *ista die dominus noster respondit, quod licet vix caute posset contra perversorum malitias provideri, tamen quia toto mentis effectu desiderabat quantum erat in ipso, dare pacem & unionem Ecclesiæ sacrosanctæ; nam unionem hactenus prosecutus fuerat cum expensis, laboribus, atque periculis manifestis, attendens etiam, ut dicebat, zelum quem prædictum concilium habere ad unionem Ecclesiæ cognoscebat, & sperans in divinæ protectionis auxilio, quod ipsorum orationibus & ipsius sanctæ matris Ecclesiæ meritis, ipse Deus omnipotens inclinatus dignabitur reprimere omnes malitias perversorum, propter Dei servitium & pacem, & unionem Ecclesiæ, ac salutem populi Christiani, supplicationem & consilium præfati sacri concilii acceptans paratus erat quanta celerius posset, illa executioni debita demandare. Unde pro celeri & debita executione præmissorum deliberaverat certos prælatos & alias certas personas nobiles mittere, quos non de una sola natione, sed de nationibus volebat assumere, de quibus convenerant in hoc sacro concilio generali, quod tales ut credebat existerent, quod essent potentes opere & sermone ad tantum negotium prosequendum, & quibus, ut sperabat, Deus infunderet gratiam, & ipse daret talem potestatem & confidentiam, & plenam fidei credentiam, taliter quod hoc tam sanctum opus feliciter per eos deduceretur ad unitatis conclusionem optatam. Sane percepto ejusdem domini nostri responso tam utili, tam grato, & tam acceptabili toti mundo, præfatus dominus patriarcha pro parte totius concilii singulis tandem annuentibus ac capitibus inclinatis mithris depositis, & flexis genibus, primo Deo, demum domino nostro præfatas actiones reddiderunt multiplices gratiarum. Quibus sic solemniter expeditis, magister capellæ dicti domini nostri Papæ cum cantoribus Te Deum laudamus cantico decantato, pro illa die fuit concilium separatum. Acta fuerunt hæc apud Perpinianum Elnensis diœcesis in ecclesia prædicta, quæ dicitur de Regali, præfato domino nostro Papa suum generale concilium celebrante, præsentibus archiepiscopis, episcopis, ordinum generalibus, abbatibus, ambassiatoribus, nobis protonotariis, & aliis infrascriptis februarii XXII. mensis indictione secunda pontificatus præfati domini nostri Papæ anno XV.*

Vana spes data.

Acta grates de fallacibus promissis.

Cæterum vera actorum in Perpinianensi conventu narratio ex judiciariæ in Petrum e Luna actionis tabulis propositis in sessione XXXII. Constantiensis concilii (b) elici debet. Objectum itaque fuit a concilii causarum actoribus in illa synodo, cum a Petro consuleretur quid pro ecclesiarum conjunctione redintegranda gerendum videretur, ad quam incumbere se fingebat, designatos fuisse viginti octo præsules, qui ea de re agitarent, ac deinde ad sexdecim redactos. Ut vero ii consuluerint legandos Pisas ab ipso nuntios, qui ejus nomine gradu cederent, perspicue refertur his verbis: *Ex sexdecim deputatis quindecim deliberaverunt, & concluserunt inter se, quod pro unione Ecclesiæ dictus D. Petrus vocatus, ut prædicitur, Benedictus, iret vel mitteret procuratores irrevocabiles cum plena potestate Pisas, ubi aliud concilium congregabatur pro unione Ecclesiæ ad renunciandum papatui pure, libere, domino vocato in sua obedientia Gregorio cedente, mortuo, vel ejecto, aut illius dicti Gregorii successoribus mortuis vel ejectis, & de hoc fecerunt unam cedulam, & scripturam præmissa continentem, & eidem domino Benedicto porrigendam, & in concilio publi-*

(b) Acta MS. sess. 32. p. 82.

Vera Perpinianensis synodi acta.

cae-

candam: in qua cedula quindecim concordarunt, & sextus decimus noluit consentire. Item quod dicta cedula continens deliberationem prædictam fuit eidem domino Petro dicto, ut præfertur, Benedicto præsentata & contenta in illa exposita: ipse autem respondit quod contenta in dicta cedula, & deliberationem in dicta cedula non faceret, & quod bene sciebat quod illi deputati sexdecim non erant concordes: & cum diceretur sibi quod omnes in hoc erant concordes præter unum, dixit quod ille melius dicebat & sentiebat, quam ceteri: & similiter nullo modo voluit illi deliberationi consentire. Item quod post præmissa cum idem dominus Benedictus scivisset quod reverendissimus in Christo pater dominus Cardinalis de Chalanco fuisset unus de illis quindecim, & timeret quod illa deliberatio publicaretur in concilio, prohibuit sibi in virtute obedientiæ, ne in concilio loqueretur præsertim de illa materia. Dixit insuper eidem domino Cardinali: Vos vultis me scandalizare. Cumque idem dominus Cardinalis responderet: Non volo vos scandalizare, sed dico quæ mihi videntur in concilio, replicavit idem dominus Petrus dictus Benedictus: Ego faciam vos poni in tali loco, quod non videbitis solem forte de vita vestra. Et hoc fuit, & est verum & notorium, & super hoc fuit, & est publica vox & fama.

Unus solus favit pertinaciæ Petri a Luna.

Tyrannis antipapæ in consultores fideles.

Coegisse itaque illos præsulum cœtus Petrum e Luna ea tantum de causa, ut suis illuderet, perspicue constat. Qui etiam misit nuntios suos (de quibus nos supra egimus) una cum Regis Aragonum oratoribus ad Pisanum conventum, ut preces Perpinianensis concilii admisisse videretur: quibus tamen potestatem abdicandæ ipsius nomine dignitatis, dejecto a suis Gregorio, uti ab Aragoniis præsulibus summa contentione flagitatum diximus, authoritatem non contulit; quocirca ii cum Pisas accessissent, ut hæretici & schismatici a concilio rejecti fuere: quæ de iis pluribus acta (a) typis cusa agunt: isque Perpinianensis conventus schismatici exitus fructusque extitit. Hactenus de triplici concilio, a tribus, qui papalia gerebant insignia, habito actum est: nunc nonnulla Alexandri post dimissam synodum gesta percurrenda remanent.

Missi ab eo Pisas nuntii.

(a) *Tom. 3. concil. par. 2. in concil. Pisa. sess. 18.*

ALEXANDER V.

LXXXV. Acceptis, ut dictum est, in Pisanis conventibus papalibus insigniis, ac summa veneratione a maxima Christiani orbis parte cultus ad ditionis ecclesiasticæ imperium, cujus plures urbes arcesque Ladislaus Rex Siciliæ occuparat, recuperandum animum convertit: ipsique præsto fuit Ludovicus Andegavensis, ut conjunctis viribus eundem Ladislaum æmulum suum ex ditione ecclesiastica, ac Neapolitano regno depelleret, ut refert Theodoricus e Niem (b): *Infra pauca tempora,* inquit, *venit Pisas dominus Ludovicus dux Andegavensis, quem nos Regem Siciliæ appellamus, filius quondam Ludovici ducis Andegavensis, qui tempore suprascripti Regis Caroli in regno Siciliæ decessit, & hunc filium venientem ipse dominus Alexander Papa præcipue, nec non summi Cardinales de Francia multum honorifice receperunt: quo & dictus dominus Joannes Papa tunc legatus, ut præfertur, ad provinciam patrimonii B. Petri in Tuscia cum competenti exercitu circa medium mensis septembris proxime præteriti transitum fecerunt, ubi pariter omnes civitates, & etiam omnia castella, quæ sunt juris & proprietatis S. R. E. repererunt: & tandem ad burgum S. Petri in Roma auxilio Pauli de Ursinis pervenerunt, & ibi castellanum prædicti S. Angeli eis etiam invenerunt in omnibus consentire; sed illic parum ea vice profecerunt; unde postquam ibi per aliquot dies mansissent, inde recedentes aliqua castella rebellium eidem urbi propinqua expugnantes finaliter obtinuerunt, &c.* In illum veluti in tyrannum, Ecclesiæque hostem Alexander animadvertere constituit, propositoque publico edicto (c), in quo recensita sunt ejus facinora, diem illi dixit. Crimini præcipue datum est ipsi quod, captata turbulentorum Ecclesiæ temporum occasione, Romam, ac plures urbes alias oppressisset; rogatus ab Odone Cardinale Columna, ut præsules Pisas mitteret ad pristinæ integritati restituendam Ecclesiam adduci non potuisset, affectasset Romanum imperium, & nonnullas ecclesiasticæ ditionis terras invasisset; deducendum in Aprutium curasset Gregorium, jactasset illum se in urbem seducturum, ut ex eodem edicto patebit: in eo vero quod Gregorium carpit, quod pontificium nomen sibi afferat, ipse Alexander potiori jure arguendus est, ut ex iis, quæ suo loco dicta sunt, enitescit.

Ludovicus Andegav. Pisas accedit.

(b) *Theod. e Niem. lib. 3. c. 52.*

Ejus expeditio cum Balthass. Cossa Card. legato Alexandri.

In Ladislaum Alexander judicia agit.

(c) *Alex. regest. 2. pag. 26.*

Tentasse iterum Balthasarem Card. Cossum urbis imperium recuperare extremo anno, narrat Theodoricus a Niem (d) in ejus vita, atque ingentem pecuniarum vim ea de causa Paolo Ursino numerasse; tum addit: *Expulsis igitur officialibus dicti Regis Ladislai ab urbe prædicta per eundem Paulum violenter urbem ipsam dictus Paulus ejusdem Alexandri Papæ ditioni subjecit.* Nuntium vero recuperatæ urbis in profesto circumcisionis Domini Pistorium, ubi agebat Alexander perlatum addit. Accuratiorem autem rei gestæ narrationem ex S. Antonino (e) repetemus: *Dominus Malatesta dux exercitus Florentinorum una cum Paulo Ursino, qui remanserant circa Romam, decreverunt*

Paulus Ursinus auro conductus a Balthasare.

(d) *Theod. e Niem. in vita Jo. XXIII.*

(e) *S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 7.*

runt urbem ipsam capere pro Alexandro Pontifice, & ad hoc efficiendum habuerunt secretum tractatum cum quodam ex primoribus civitatis Lelio nomine, qui habebat magnam sequelam in urbe, & cum plura ad hoc ordinasset, quibus obviabatur propter diligentem custodiam, quam comes Troja procuraverat, una dierum Malatesta capitaneus se cum copiis suis per duodecim milliaria elongaverat ab urbe: quod intelligens comes Trojanus, existimans se posse in conflictu Paulum Ursinum cum suis prosternere absentibus copiis Florentinorum, cum suo capitaneo insultum fecit transtyberim pergens contra gentes Pauli Ursini: sed fraudatus est spe sua, nam in eo bello congressu Paulus Ursinus viriliter dimicans superavit comitem Trojanum multis occisis, & aliis captivatis; sicque gentibus comitis profligatis, & hinc inde dispersis, Lelius hoc audiens cum suis clientelis excitavit tumultum in civitate: Paulus Ursinus in adjutorium eorum misit ex equitibus suis; unde factum est, ut Paulus cum Romanis se Regi rebellantibus Romam caperet pro Alexandro Pontifice. Comes autem Trojanus, & barones, qui eum juvabant, impetum Romani populi non valentes ferre, ex urbe fugam arripuerunt: Paulus Ursinus ad domos eorum antiquas in monte Jordano resedit: Romani, urbe dedita, devotioni & obedientiæ Alexandri, officia solita instituerunt ad gubernationem urbis. Ceterum in Ladislaum Alexander comminatoriam hanc sententiam tulit (a).

Parta victoria a Paulo Ursino.

Roma ad Alexandri V. obsequium redacta.

(a) *Alex. regest. p. 26.*

Alexander, &c. ad futuram rei memoriam.

Sententia in Ladislaum lata.

Cum prospexisset jam pridem de cælo misericordis Dei justitia oculis suæ ineffabilis pietatis ærumnas, calamitates, & angustias innumeras gregis fidelium, quas per triginta & ultra annorum curricula lugubre ac pestiferum schisma in scissuram inconsutilis tunicæ omnium Redemptoris miserabiliter, atque lacrymabiliter perduxerit in spiritualium & temporalium donorum, atque bonorum confusionem, præcipitium, & ruinam; excitasset igne Sancti Spiritus mentes & corda fidelium ad eradicandum de vinea Domini sabaoth fomitem perhorrendi schismatis antedicti, & ad reformandam ejus militantem ecclesiam, dirigendamque salubriter Petri naviculam procellosis turbinibus agitatam diutius, ut per ministerium desiderabilis unionis & pacis tandem expresse horribili tempestate in perniciem, nisi pietas omnium Salvatoris misericorditer obstitisset, cuncta trahente, ad portum tranquillitatis, atque salutis eadem reduci posset navicula sub regimine unici piscatoris & remigis ipsius, venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, unitis animis, illo divinitus inspirante, qui Petrum, ne mergeretur in fluctibus, ambulantem ad portum salutis eduxit, de diversis mundi partibus confluentes, relictis duobus monstruosis capitibus perditionis alumnis, videlicet Petro de Luna Benedictum XIII. & Angelo Corario Gregorium XII. se præsumentibus ausu temerario damnabiliter nominare, quorum intererat conventionibus, voto, & etiam juramentis, ut ad hoc exequendum reddebantur obnoxii, schisma tollere, pacem & unitatem præfatæ Ecclesiæ saluberrimas exhibere, cum eorum mentes & opera a tam sancto atque catholico proposito protinus retraxisse, ac eos colludere nefandissime de papatu conspiceret in civitatis Pisana, in qua cum nostra curia nunc præsentialiter residemus, in Altissimi, cujus res gerebatur, ut geritur, nomine convenerunt, ac per universam fere Christianitatem in partem sollicitudinis ad Reges, principes, prælatos, & universitates quamplurimas, nonnullos ex eis & quosdam alios legatos, ministros, & nuncios, ut in omnem terram exiret sonus eorum, super congregatione generalis concilii, universalem repræsentantis Ecclesiam, in cujus auctoritate in benedictione principaliter, & de jure dignoscebatur existere posse modis omnibus providere; ac debere circa præmissa & eorum executionem opportunam & votivam cunctis Christicolis pacem amantibus & quærentibus publicam exhibere, transmittere cum omni diligentia curaverunt. Et inter alios ad quos transmiserunt ad Ladislaum de Duracbio, qui se Regem Siciliæ appellare præsumit, ab annis teneris per Bonifacium IX. in sua obedientia nuncupatum lacte, uberibus, ac tam Romanæ, quam aliarum ecclesiarum multifariam substantiis innumeris enutritum, regni diademate, sceptro, ac titulis, ac regno illustratum, contra quem (nam viam justitiæ, veritatis ac vitæ rationisque tramites dereliquerat, & ob ipsius nefaria detestandaque scelera dudum Innocentius VII. in ejus obedientia nuncupatus processerat, & deinde ad gratiam, & absolutionem receperat, ut ad vias præfatas reduceret salutares) sed tandem beneficiorum & gratiarum immemorem ad vomitumque reversum, & in malorum sentinam præcipitabiliter collapsum, putantes ut attenta magnitudine atque fructu saluberrimæ unionis hujusmodi ad cor rediret, dilectum filium nostrum, tuncque confratrem Odonem S. Georgii ad velum aureum præfatæ ecclesiæ Cardinalem eorum legatum Neapolim, & ad exquirendum, rogandum instantissime, ac per viscera misericordiæ Jesu Christi obsecrandum pro conclusione saluberrima tanti boni, ut idem Ladislaus ad præfatum concilium celebrandum operarios vires & manus impendere, cum vassallus esset ecclesiæ, & circa ea quæ ad pacem, salutem, ac statum prosperum, & tranquillum ipsius ec-

Acerbius in Gregorium maledictum.

Ut Ladislaus rogatus sit ut mitteret Pisas oratores.

Præsules decernerent ad concilium.

ecclesiæ dignoscerentur existere, ex fidelitate & vassallagii debito & jurejurando tenebatur astrictus, ac prælatos omnes regni præfati ac terræ citra pharum & alios in civitatibus, terris, & locis, quæ regebat seu detinebat, ad veniendum seu dirigendum ad hujusmodi concilium vellet inducere ac deberet, & ad nonnulla alia circa votivum effectum ac executionem plenariam eorundem & dependentium, sicut est mundo notorium, transmisitoque, vati, ut præfertur, eundem ad cor & conventorum memoriam ob hanc tam salutarem toti gregi fidelium causam redituram, ac ipsorum & reliquorum hujusmodi pacem amantium desideria suadendo jurisjurandi religionem & promissa qualibet impleturum.

Ut maximis beneficiis ecclesiæ obstrictus foret.

Nam idem Ladislaus, [ut de multis, ad quorum observantiam obligatus dignoscebatur existere, pauca retexamus] vigore concessionis & infeudationis regni Siciliæ ac terræ citra Pharum prædictorum per Bonifacium præfatum in nobile feudum pro se & suis hæredibus concessorum inter cætera juramento medio promiserat solemniter, & convenerat, quod tam ipse Ladislaus, quam etiam sui in dicto regno Siciliæ heredes nullas unquam conspirationes, colligationes, vel conjurationes, cum quibuscumque Regibus, principibus, seu magnatibus, communitatibus, universitatibus, seu personis aliis fidelibus aut infidelibus contra ipsum Bonifacium, vel Romanos Pontifices, aut Romanam ecclesiam in eorum damnum fieri faceret, seu fieri consentiret, &c.

Sacramenta ab eo nuncupata.

(Addit nonnulla alia a Ladislao sacramento promissa cum beneficio & authoritate Bonifacii IX. regnum accepit, quæ illum postea infregisse contendit, ut numquam hæreticis studium impensurum, vel cum ipsis sentientem fore; Imperium vel Insubriæ, aut majoris partis Etruriæ principatum non affectaturum, octo millia unciarum auri recurrente annis singulis Apostolorum Petri & Pauli festo die Ecclesiæ ærario illaturum, Beneventanæ urbis, circumjectique agri ditionem non invasurum, Campaniam, Maritimam, ducatum Spoletanum, Patrimonium Petri, Picenum, vel Romam, Perusium, Bononiam, Tifernum, Avenionem, aliasve ecclesiæ terras nunquam in suam potestatem redacturum, nullas leges ad libertatem ecclesiasticam infringendam laturum, ecclesiarum & monasteriorum defensurum jura, atque privilegia, quibus Guillelmo II. Siculum sceptrum moderante donata erant, nunquam violaturum, ac si perjurio unquam se devinciret, intentatis a Bonifacio pœnis anathematis, interdicti, privationis regni, se subjecisse; quibus diffusa oratione expositis subjicit quem exitum habuerit legatio Odonis Cardinalis.)

LXXXVI. *Tandem idem Odo Cardinalis ad Ladislaum ipsum, ut præmittitur, destinatus, post multa colloquia secum habita, ut ipsum a proposito non recto revocaret, & ad executionem tractatus pacis & unionis hujusmodi reduceret, circa illorum effectum daturum operam, atque vires eundem pro parte ipsorum Cardinalium cordialissime ac instantissime erga prosecutionem tractatus hujusmodi requisivit. Qui Ladislaus in reprobum sensum datus, nec intelligens, quod non solum ecclesia præfata, quia etiam suam potissime salutem undelibet concernebant; sed vilipendens illa efficere damnabili malignitate contempsit, nec permisit, immo potenter contradixit, vocationem ad præfatum concilium prælatorum regni ac terræ præfatorum & aliarum partium, quas tenebat, seu verius detinebat, circa quorum vocationem idem Cardinalis instabat; sed, ut mala malis accumulando detestabiliora scelera patrarentur contra unam sanctam catholicam & apostolicam Ecclesiam, adsque etiam, de filio benedictionis conversus in hostem truculentissimum & inimicum, pacis æmulum & unionis hujusmodi turbatorem continuum, schismatis nutritorem, & scandalizatorem tranquillitatis ejusdem Ecclesiæ, ejus, & cunctorum matris fidelium, adversum nos & ipsam Ecclesiam variis injuriarum, contumeliarum, & jacturarum innumerabilium generibus ac speciebus insurgere, ac subditos nostros lacessere, ac propulsare modis omnibus non cessavit, nec cessat assidue, ac adhærere, favereque præfato iniquitatis alumno Angelo Corario schismatico & antiquati schismatis nutritori, defensori, fautori, approbatori, manutentori, pertinaci ac notorio hæretico, & a fide devio notoriisque criminibus & enormibus perjurii ac violationis voti irretito,* sunt hæc falsa crimina Gregorio illata: non enim voto se adstrinxerat, ut sæpe diximus, pontificatu se abdicaturum, non se abdicante Petro e Luna, sed cedente illo vel decedente, *ipsamque Ecclesiam cum incorrigibili, notoria, & pertinaci contumacia scandalizanti, præcisoque ab Ecclesia per ipsum concilium Pisanum ipsius Angeli exigentibus demeritis, ac justa Dei judicia sententialiter condemnato, in perturbationem publicam, atque notoriam effectae unionis & exstirpationis schismatis præfatorum, in æternæ salutis suæ dispendium, & exemplum detestabile plurimorum. Et iis sceleribus non contentus, ac per annos plures ob inobservantiam superius contentorum, quæ adimplere tenebatur & exequi, per formam dictæ concessionis in excommunicationis sententiis ipsum in præcipitium æternæ salutis trahentibus sorduisse damnabiliter, prout foret etiam de præsenti, almamque urbem nostram filiam prædilectam, in qua divinitas esse voluit suæ militantis Ecclesiæ fundamenta, nec non provincias nostras Cam-*

Porrectæ illi ab Odone Card. preces.

Objectum illi schisma aluisse.

Crimina Gregorio imposita.

da-

Provinciæ & urbes occupatæ a Ladislao.

pania atque Maritima, Beneventanam, Asculanam, Reatinam, Interamnensem, Tudertinam, Perusinam & nonnullas alias civitates, terras, & loca ad nos & præfatam Ecclesiam spectantia pleno jure occupasse, ac de facto detinuisse & detinere videbatur occupata, illorumque curam, regimina, officia, administrationes etiam usurpasse, censum, arreragia militaria, servitia, & reliqua dictæ Ecclesiæ, apostolicæque cameræ vigore concessionis & infeudationis regni ac terræ præfatorum debita non solvisse. (Subdit Alexander ecclesias illum oppressisse, omnes ordines regni Siculi suis prærogativis exuisse, conjurationes adversus ipsum, suique studiosos fecisse, provincias ecclesiæ invasisse, plures traxisse ad defectionem; tum magno vertit crimini ad alendum schisma in Pisani concilii patres vexilla Angeli Corarii insignibus depicta extulisse. Pergit idem Alexander.

Susceptum bellum in Pisanos Patres.

Ut multos errorum tenebris propensius posset involvere, ipsum demum usi convertatur & vivat, in æternæ suæ salutis interitum perducturus, in confusionem effectam salutarium præmissorum vexilla præfati, ac Angeli insignia erecta cum suis portari faciens terra marique hostilia sumpsit arma in persecutionem & exterminium congregationis dicti concilii, universa perturbans ac flagellis affligens variis quoslibet suis jussionibus non parentes, Pisas impeditans, congregationem hujusmodi, nisi dextera Dei, & potentia dilectorum filiorum Baldassaris S. Eustachii diaconi Cardinalis A. S. L. nec non Florentinorum atque Senensium restitisset, proculdubio discussurus, mare sua classe infestans hostiliter, & ad ipsum concilium venientes spoliari, atque capi faciens, etiam navigia mercibus, utensilibus, rebus, & bonis aliis onerata. Et infra: *Et ut facilior etiam posset occasionis materia in confusionem dicti concilii suo nefario pervenire proposito & profano, peti fecit inter cætera ab ipsis Florentinis atque Senensibus, cum intra eorum territoria igne, ferro, agrorum & ædificiorum depopulationibus, demolitionibus, terras & castra plurima expugnari in partibus illis in sui præsentia*

In Senensem & Aretinum agros excurrit.

faciendo, & quibusvis hostilitatibus cuncta vastando, profligans, ac expetens, Senarum & Aretinæ civitatum, earumque comitatuum, territoriorum, atque districtuum dominia, & gubernacula, ut deinde illis potitus, sicut gesta manifeste monstrabant, reliquas Tusciæ civitates & terras reprobis affectionibus, & testantibus hoc ipsum luce clarius conjecturis, Romani imperii monarchiam modis quibuslibet invadendi, ac etiam occupandi facilior præstaretur occasio, almaque urbs, quam damnabiliter occupat, ut præfertur, & reliqua detenta, & Cortonensis civitas intra Tusciæ vicecra conspiratione seducta perhibent argumenta: inimica & prorsus infesta tenere castra; ut si cupiebant, quod ab eorum offensione desisteret, præfatum concilium in Pisana civitate vel alibi intra eorum territoria non sinerent quomodolibet congregari: Sed ipsos fratres nostros ac reliquos, qui hujus rei causa convenerint, de præfata Pisana civitate, & eorum quibusvis territoriis ex toto depellerent.

Ejusdem molitiones ad disturbandum concilium.

Et ad hoc, ut mentes & opera venerabilis fratris nostri Antonii, tunc Penestrini, nunc Portuensis episcopi, ac præfati Baldassaris ab hujusmodi unionis celebri proposito retraheret, dilectum filium nobilem virum Christophorum militem Gajetanum ejusdem Ladislai perantea marescallum, & de quo quammaxime confidebat, dicti Antonii Portuensis episcopi germanum capi fecit, & terris, castris, fortalitiis, & locis, ad ipsum Antonium Cardinalem ac genitorem suum, nec non Christophorum, germanos alios, & eorum nepotes pertinentes spoliavit, ac Petrillum & Marium milites Neapolitanos & Joannem & Mariam dilecti filii nobilis viri Gasparis Cossæ etiam militis Neapolitani hospitii nostri magistri natos, & puerum & puellam ipsius Baldassaris Cardinalis etiam germanos ac nepotes capi & detineri præcepit, & detinet captivatos: Ecclesias, monasteria, personas, res, jura, ac bona ecclesiastica intra metas regni & partium, quas idem Ladislaus de facto occupavit & occupat, de præsenti diripi mandavit, ac sacrilegia committendo permisit & ut graviora patrarentur ad explendum & prosequendum suæ profanæ mentis intentum, ab effectu pacis & unionis ipsius Ecclesiæ ex toto semotum, prout notorietas patratorum scelerum cunctis recte intuentibus indubitabilia testimonia perhibet & ostendit; cum multiplicato erroris & rebellionis spiritu præfatum Angelum Corario sic, ut præmittitur, hæreticum & condemnatum manifestissime didicisset, replantando ac renutriendo, hujusmodi schisma, ipsum Angelum pro vero Papa summoque Pontifice, publice tenuit atque tenet, sibique adhæsit & favit, prout adhæret & favet etiam de præsenti modis possibilibus quibuscumque, injungendo suis licet de facto subditis sub gravissimarum comminatione pœnarum, ne quis nos Alexandrum

Graſſationes in eccleſias.

V. Romanum Pontificem nominare, aut nobis credere, assistere, seu favere quoquo modo præsumeret; ac etiam per suos nuntios ad præfatum Angelum sæpissime destinatos, ut in damnabili proposito intrepidus permaneret, schisma hujusmodi nutriens, ac perturbans, & impeditans unionem, persuasit assidue, etiam per exhibitionem pecuniarum & munerum amplissimorum sibi ac suis sacrilegis consultoribus, & pestiferis fautoribus, nec non oblationes permaximas præ-

Studium in Gregorium.

fidio-

stidiorum & favorum quorumlibet ipsius. Dixerit etiam, ut immaculatam & sincerissimam devotionem ac fidem, qua erga statum & pacem præfatæ Ecclesiæ dilecti filii nobiles viri dux & ducale dominium ac universitas Venetiarum claruere perpetua, posset suis vaferrimis suggestionibus inquinare, oratores ejusdem summa cum instantia, sed incassum, ut Altissimo placuit, quod præfato Angelo tanquam vero & unico Pontifici eorumque coneivi crederent, assisterent, & faverent: & cum preces suas, ut debitum exposcebat, exauditionis fructu caruisse conspiceret, ratus aliis erroribus universos concutere, mentesque coinquinare fidelium, ut præfata universis sequeretur integritas, non prospiciens omnipotentiam Salvatoris impiorum dissipare consilium, novissime ad civitatem Austriæ provinciæ Aquilejensis sua direxit navigia, ut præfatum Angelum cum suis sequacibus, complicibus, & adhærentibus hæreticis atque schismaticis ad regni prædicti partes, quæ per eumdem Ladislaum detinentur injuste, perduceret, Romam deinde, ut publice nuntiabat, tanquam Pontificem reducturum: ipsumque Angelum cum parte hujusmodi sequacium & fautorum ad partes Aprutinas per classem ipsam ad terram Ortonensem, & deinde ad civitatem Fundanam, ut nefarium suum explere posset propositum, quantum in eo esset, perduci fecit, mox [si dabitur; quod tamen ex divina pietatis miseratione confidimus, in quam nostros jactavimus cogitatus, suo carebit effectu] Romam, ut illam occupet & inficiat, ut præmittitur, reducturum. Et sentiens interim devotam, catholicam, & fidelem deliberationem erga statum honoremque nostrum & ipsius Ecclesiæ pro integratione ipsorum Venetorum pridem factam; rursum ad perturbandam fidele ac laudabile eorum propositum, quantum in ipsius hæretica dispositione ac reproba existeret, frustra tamen suos oratores remittere procuravit, ut ad suæ damnabilis voluntatis intentionem explendam nil relinqueret intentatum, &c. Subdit se Petro tit. S. Susannæ presbytero & Antonio S. Mariæ in via lata diacono Cardinalibus ad secundam judiciorum formam partesque commisisse, ut de iis Ladislai facinoribus manifestis, & conspicuis inquirerent; quæ cum esse explorata retulissent, ex Cardinalium consilio Ladislao Jerusalem & Siciliæ Regi, diem dixisse, ut ipsius tribunali se sisteret, sententiam accepturus, qua regno Siculo Romanæ ecclesiæ fiduciario, aliisque bonis & juribus ob violatum jusjurandum, occupatas ecclesiæ terras contra Joannis XXII. & Clementis VI. sanctiones, factasque in Pisani concilii præsules conjurationes sit mulctandus: ac ne ad declinandum judicium pericula itinerum obtendat, syngrapham, qua securior transeat, ei tribuit: præterea diploma a se editum vel in ecclesiæ Pistoriensis foribus, cum Pisis eo iter intendat, vel in Bononiensi palatio affigarat. *Dat. Pisis Kal. novembris pontificatus nostri anno 1.*

Venetos frustra sollicitavit ut Gregorio illuderent.

Gregorium exceptum in regno restituere urbi est meditatus.

In jus vocatur.

Proximo etiam anno Kal. martii in eumdem sententiam tulit (a) Alexander, cujus edicta retundere armis parabat Ladislaus, arctiorique nexu se Gregorio ac Ludovico Melioratis, Malatestis, & Camertibus toparchis se conjunxit, extantque ejusdem literæ (b) ad Gregorium de Piceni vectigalibus cum iisdem pro sustentandis bellicis sumptibus partiendis hæ literæ octobri extremo exaratæ.

Alexandri sententiam parat armis retundere.

(a) Alex. reg. 1. p. 65.

(b) Ext. inter capitula Greg. pag. 101.

Sanctissimo in Christo patri & clementissimo domino meo domino Gregorio divina providentia Papæ XII. ac sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ dignissimo summo Pontifici.

Beatissime pater & clementissime domine mi, post humilem recommendationem & pedum oscula beatorum. Ut conductio & negotium viri magnifici Ludovici de Melioratis, & cætera quæ sanctitati vestræ & meo statui sunt accommoda, atque frugi conclusionem recipiant debitam & perfectam; contentor contentusque remaneo, atque mihi placet, quod taleæ marchiæ Anconitanæ mihi debitæ vigore vestræ concessionis mihi factæ concedantur, atque dentur per eamdem sanctitatem vestram præfato Ludovico pro præsenti anno, & deinde in antea annis singulis, donec idem Ludovicus ad nostra obsequia & stipendia fuerit pro statu vestro sanctæque Romanæ ecclesiæ, atque meo, exceptis tamen ab iis taliis terrarum magnificorum dominorum magni comestabuli regni Siciliæ, dominorum de Camerino, & dominorum de Malatestis, contentusque ero, nec minus sum, quod pro eisdem temporibus civitas Firmana, ejusque comitatus & districtus, quæ per ipsum Ludovicum tenentur in Marchia ab eisdem taliis sint exceptæ, super quibus & nonnullis aliis, quæ reverendo patri episcopo Theanensi consiliario meo commisi per eum vestræ beatitudini mei parte oretenus referenda, dignemini, sicut personæ meæ propriæ indubiam dare fidem, & eum votive & celeriter expedire: sanctitatem vestram trinus & unus Deus conservare dignetur in Ecclesia sua sancta votive ac feliciter & longævæ. Scripta Suessæ sub proprio sigillo meo die XXIX. octobris XV. indictione.

Ladislai ad Greg. litera.

Humilis. & reverens filius Ladislaus Rex Hungariæ, Jerusalem, & Siciliæ.

Ladislaus Rex manu propria.

Tum bellicos apparatus non modo in Alexandrum, sed adversus etiam Ludovicum Andegaviæ & Provinciæ comitem æmulum, Siculi regni titulos gerentem, quem Pisano concilio interfuisse, atque ab Alexandro adiutum, ingentem terra marique expeditionem ad Neapolitanum re-

Ludovici Andegav. expeditio disturbata.

(a) *Monstrelet. vol. 1. c. 59.*
Bucicaldus Genua pulsus.
(b) *Id. ib. c. 62.*

regnum occupandum confecisse, refert Monstreletus (*a*): cujus consilia adversis successibus disturbata sunt; nam hoc anno Genua Gallorum jugum excussit, cum Bucicaldus illius præfectus (*b*), qui antea Petrum e Luna antipapam in Romanæ urbis solio collocare meditatus fuerat, Mediolanum abscessisset, excitus a Joanne Maria duce civilibus turbis implicito, ut illius partes adversus Facinum Canem Scaligerum Veronæ regulum, qui Alexandriam subegerat, aliosque illius æmulos confirmaret; sed dum Mediolani administrationem suscipit, mox non obscuram de affectato a se imperio suspicionem injecit, exclususque arcis aditu est: ac simul de Genuensium defectione edoctus, compulsusque ad reditum, cum Genuenses urbis illius imperium Theodoro Montisferrati regulo detulisse comperisset, summaque constantia illum tueri, de humanarum rerum vicissitudine querens, in Taurinorum regionem se recepit.

(c) *Anton. Vimercat. Cori. hist. Medio. p. 4.*
Jo. Mariæ Vicecom. crudelitas. Divino miraculo ad clementiam non est flexus.

Quod ad Joannem Mariam Mediolani ducem attinet; divina bonitas insigni miraculo hoc anno edito illius immanitatem ferinam confundere voluit (*c*): nam cum duodennis puer filius Joannis Pusterlæ, quem oderat, ipsi datus esset, jussi illum a canibus, quos humana sagina pascere consueverat, laniari: cumque in puerum jacentem humi principis misericordiam implorantem ferocissimos canes huic carnificinæ assuetos immisisset, illi puerum blande subodorati nullam ipsi noxam intulerunt. Efferatus eo miraculo tyrannus, quamvis infans puer misericordiam cum lachrymis deprecaretur, suspendium canum magistro interminatus est, ni canes puerum discerperent. Ille igitur canem feminam truculentissimam laxavit in puerum: cœlesti tamen prodigio ab illa innocens non est læsus. Tum Joannes Maria rabie inflammatus jussit canum magistro, ut puero gulam ferro incideret. Paruit scelestus illo carnifex tyranni imperio: sed canes utroque carnifice humaniores, sanguinem jugulati pueri degustare detrectarunt, quantumvis hanc lanienam exercere soliti essent. Scribit Bernardinus Corius (*d*) plura crudelitatis truculentissimi illius principis exempla, nam cum imbellis & inops senum ac fœminarum turba belli malis attrita, pacem ab eo posceret, ducentos & eo amplius ex ipsis satellitio immisso interfecit; sacerdotes preces inter sacra pro pace apud Deum fundere vetuit, præcepitque ut pro verbo pacis, verbum tranquillitatis substitueretur; idemque parochum, qui cadaver hominis condere sepulchro detrectabat, nisi consuetum stipendium reciperet, postquam celebrasset pro defuncto divina, vivum terræ infodi cum cadavere jussit. Ipse vero post aliquot annos trucidatus ex insidiis, & pariter

Vincitur humanitate a canibus rabidis.
(d) *Id. ib.*
Crudelia alia ejus facinora.

Ultore Deo postea perit.

sævitiæ administer est, qui canes ad humanam carnificinam alebat, a plebe Mediolanensi discerptus raptatusque fuit (*e*).

(e) *A. C. 1412. n. 7.*

LXXXVIII. Accensum inter Cruciferos & Polonos bellum.
(f) *Monstr. vol. 1. c. 60. Michov. l. 4. c. 43.*
(g) *Cromer. l. 16.*

Eodem anno atrox inter Cruciferos & Polonos bellum ex legatorum, qui illud sopire debuerant, præcipiti iracundia accensum, quo Polonia a Cruciferis & Prussia a Polonis, & Lituanis, & Tartaris Zavolhensibus evastatæ (*f*) fuerunt. Clades singulas describit accurate Martinus Cromerus (*g*).

Pragenses doctores damnant iterum Wicleffum.
(h) *Ext. apud Cocl. hist. Huss. l. 1.*

Hoc etiam anno, vel superiori, ex Joanne Przibram a Thaboritarum secta ad catholicam fidem converso refert Cochlæus (*h*) Pragæ habitum tertium conventum doctorum nationis Bohemicæ in collegio, cui Nigræ rosæ nomen est, in eaque Wicleffi hæreses, præsente, neque hiscere audente Joanne Hus, damnatas fuisse hisce literis: *Notum sit omnibus, quod omnes doctores & magistri hic congregati unanimiter, nullo penitus contradicente, articulos quadraginta quinque Wiclephi reprobaverunt, refutaverunt, & prohibuerunt in sensibus eorum hæreticis, aut erroneis, aut scandalosis, mandantes omnibus & singulis ejusdem nationis suppositis, quatenus nemo hujusmodi articulos audeat tenere, defendere, vel docere publice vel occulte; & hoc sub pœna graviori*, inquit Cochlæus, *quam tunc poterant infligere scilicet exclusionis a prædicta natione. Prohibuerunt insuper ne aliquis infra magistrum libros ipsius Wiclephi præcipue libros de Eucharistia, dialogum & trialogum audeat legere, ne in errorum voragines dignoscatur præcipites declinare.*

Jo. Hus palam obsistere non ausus.

Sed cum ita Germanorum doctorum cœtui Joannes Hus palam obsistere non auderet, clam Wiclephi venena spargere non destitit, ac dolo aggressus est Germanos depellere. Constabat Pragensis academia quatuor nationibus, nimirum Bohema, Saxone, Bavara, & Polona, quæ pontificia imperialique munificentia æquali dignitate immunitateque pollebant. Joannes autem Hus a Wenceslao multis lenociniis obtinuit, ut sola Bohema natio cæteris tribus simul junctis in honoribus, sacerdotiis, atque emolumentis Parisiensis academiæ instar potiundis æquaretur. At Germani licet conquererentur ex novatis rebus discrimen imminere, ne Wiclephi hæresis Bohemiam inficeret, multis lacessiti contumeliis, communi concilio in alias migrare sedes constituerunt, ac Langraviis Thuringiæ iisdemque Misniæ marchionibus assentientibus Lipsiensem academiam hoc anno condiderunt: inde vero Pragensis academia penitus defloruit, atque adeo hæresis a Joanne Hus liberius disseminari cœpit, ejectis nimirum doctoribus, qui sceleri obstiterant, subditque Cochlæus: *Hanc ruinam universitatis mox sequuta est longe gravior catholicæ religionis*

Doctores Germanos astu Praga depellit.

Discedentibus catholicis doctoribus religio corruere cœpit.

nis

nis & fidei ruina, per quam fane mala universa in florentissimum regnum illud acervatim irruerunt, hæreses, schismata, blasphemiæ, dissensiones, odia, detractiones, disputationes ventosæ, profana colloquia, temeraria judicia, rixæ, seditiones, cædes, bella, pugnæ, direptiones, prædæ iniquæ, nefanda sacrilegia, immanissimæ strages, & quid non? & duraverunt ea mala in continuo fervore & motu supra quinquaginta annos, nempe ab anno Domini MCCCLCIX. usque in annum MCCCCLX. & ultra in eo regno. Addit author Joannem Hus sceleri fræna laxasse, atque in templo, cui Bethlehem nomen est, perniciosis concionibus suis populum infecisse, Wicleffique libros quatuor trialogi in linguam Bohemicam traduxisse, atque ita complures Joannis Hus venena avidissime hausisse, adeo ut Andreas Broda theologus præstantissimus Sbinkonem archiepiscopum sollicitarit (a), ut pastoralem diligentiam ad hæreticorum impietatem ingravescentem coercendam intenderet.

Plebs ab Jo. Hus corrupta.

Sbinko archiepiscopus monitus de imminente periculo.

(a) Cocl. l. 1.

LXXXIX. His excitatus Sbinko archiepiscopus convocatis doctoribus omnes Wicleffi libros ad se perferri jussit (b), ac supra ducentos bullis aureis tegumentisque pretiosis ornatos flammis tradidit, Joannemque Hus concionibus interdixit (c), unde is in urbem, e qua originem & cognomen trahebat, abiit, nec populos sua hæresi imbuere favente loci domino destitit, conflare (d) etiam apud Pragenses invidiam archiepiscopo sategit, ac pellifices, sartores, aliosque artium mechanicarum viros subornare, ut de rebus sacris cum sacerdotibus disceptarent, hæresique contaminati hæreticas conciones passim haberent. Eo etiam prorupit hæretica impudentia, ut feminæ divina interpretari oracula ac docere auderent. Horum vero malorum authorem Joannem Hus postulatum fuisse apud Alexandrum a Sbinkone archiepiscopo, refert Coclæus: ad quæ illustranda ipsæ Alexandri literæ ex ejus regesto (e) afferendæ visæ sunt.

Libri Wicleffi flammis injecti.

(b) Æn. Syl. hist. Bohem. c. 35. Cocl. l. 1.

(c) Æn. Silv. eod. c. 35.

(d) Cocl. sup. lib.

Mulierculæ divina oracula interpretari aggressæ.

(e) Alex. reg. 2. ep. cur. p. 18. & apud Mart. V. to. 8. divers. ep. cur. pag. 224.

Alexander, &c. venerabili fratri Sbinconi archiepiscopo Pragensi salutem, &c.

Sedis Apostolicæ diligentia circumspecta contra hæreticæ pravitatis labe respersos, quorum nequitia serpit ut cancer, ne in aliorum perniciem sua venena diffundat, remedium libenter adhibet opportunum; & ut negotium fidei jugi profectu, elisis omnino & eradicatis erroribus prosperetur, ac fides catholica fortius invalescat, suæ sollicitudinis partes interponit. Nuper siquidem ad audientiam nostram quamplurium fide dignorum relatione deducto, quod olim a quibusdam proxime lapsis temporibus, humani generis inimico procurante, in civitate Pragensi & regni Bohemiæ, ac marchionatu Moraviæ, & quibusdam aliis provinciis, nonnulli articuli erronei, qui hæresim, seu scissuram in fide catholica sapiunt, præsertim circa sacramentum Eucharistiæ, per damnatum hæresiarcham quondam Joannem Wicleff concepti, & in libris ejus dogmatizati damnabiliter pullularunt, & multorum corda adeo infecerunt, quod quamvis postmodum per Ecclesiam justo judicio reprobati fuissent, expedit tamen propter magnam multitudinem eorum, qui hujusmodi perversis articulis, & dogmatibus sunt infecti, ut remedium emendationis, & correctionis, ne ulterius pullulent, & gregem dominicum per amplius inficiant, celeriter adhibeatur, quodque ad hoc necessarium sit prohiberi, ne per aliquos, etiamsi sint super hoc apostolico vel alio quovis indulto muniti, prædicationes aut sermones ad populum fiant nisi in cathedralibus, collegiatis, parochialibus, aut monasteriorum ecclesiis, seu earum cimiteriis, prout olim juxta juris ordinem fieri consuevit, & ne etiam aliquis cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existat, hujusmodi articulos audeat publice vel occulte astruere seu asserere, vel dogmatizare, aut defendere quoquomodo.

Queritur Bohemiam Moraviamque infici Wicleffismo.

Adhibenda cura ne conciones hæreticæ fiant.

Nos igitur, prout ad hoc ex debito pastoralis obligamur officii, super iis quantum nobis ex alto permittitur, providere cupientes, ac omnes & singulas tam appellationum, quam alias causas occasione præmissorum ex commissionibus apostolicis seu aliis in Romana curia vel alibi in quocumque etiam statu pendentes, ad nos advocantes, fraternitati tuæ, de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, & cum etiam tu, sicut accepimus, circa extirpationem errorum hujusmodi retroactis temporibus sollicitam feceris prout facis, diligentiam, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus assumptis per te ad hoc quatuor in theologia magistris & duobus decretorum doctoribus, quos ad id duxeris eligendos, de ipsorum magistrorum & doctorum consilio super præmissis auctoritate nostra procedens, eadem auctoritate prohibeas, ne quis in ecclesiis sive scholis, aut quibusvis aliis locis, prædictos articulos doceat, defendat, vel approbet, ita quod, si quis contrarium fecerit, velut hæreticus censeatur & ab omnibus habeatur. Et ne etiam aliquis de cætero quovis quæsito colore in privatis locis civitatis prædictæ, sed in illis dumtaxat ecclesiis & monasteriis, ubi de jure fieri debet & consuevit, ad populum prædicare præsumat; illos vero, qui hujusmodi articulos & errores astruere, asserere, seu dogmatizare, vel tenere præsumpserint, si ecclesiastica persona fuerint, ac eorum receptores vel defensores, ipsasque in dictis erroribus foventes aut credentes eis-

Constituendi theologi graves pro asserenda fide.

dem, etiamsi in theologia magistri, seu sacerdotes, vel alii clerici fuerint, aut alia quacumque præfulgeant dignitate, nisi super iis auctoritate præsentium moniti dictos articulos solemniter & publice revocaverint, ac perpetuo abjuraverint, libros quoque ac tractatus, seu quaternos præfati Joannis Vuicleff hæresiarchæ, hujusmodi articulos in se continentes, si quos habeant exhibuerint, & tibi, ut a fidelium oculis amoveri valeant, præsentaverint; ac etiam testes celantes veritatem, aut impedientes executionem fieri in præmissis; per captivationem personarum suarum ac etiam alias, prout culpa ipsorum exegerit, nec non per privationem beneficiorum ecclesiasticorum, quæ tunc obtinebunt, & inhabilitationem ad illa, & quæcumque alia beneficia ecclesiastica in posterum obtinenda compellas, & alias in præmissis omnibus, & singulis opportunum juris remedium apponas. Contradictores eadem auctoritate, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus quibuscumque appellationibus præmissorum occasione ad sedem prædictam forsan interpositis, & aliis contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim a sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Pistorii XIII. kal. januarii anno 2.

Servandus in hæreseos studiosos ordo judiciarius.

Obstrepero (a) hisce Alexandri literis ausus est Joannes Hus, ac mandatum hoc, quo hæresis Wicleffi coercebatur, vocare in odium, quasi Christi & Apostolorum in omnibus locis prædicantium factis adversaretur, atque ab Alexandro ad ipsummet de re factum certiorem provocavit. Quo quid impudentius & nequius fingi potest? qua tandem anim ratione scelestissimus hæresiarcha passim venena disseminans cum Christo & Apostolis evangelica fide populos erudientibus conferri posse, ut ipsi passim liceat errorem docere, ut Christi & Apostoli quibusvis in locis obviis veritatem docuerant? Superiores porro Alexandri literæ postea a Martino V. (b) confirmatæ fuerunt. At Sbinko Pragensis archiepiscopus cum Alexandri jussa haberi ludibrio a Joanne Hus ejusque sectatoribus vidisset, nec vecordissimum Wenceslaum regia authoritate ac potentia illa perficere, neque hæreticos comprimi curare, ad Sigismundum Wenceslai fratrem Regem Hungariæ iter intendit, ut ipsum ad opem periclitanti in Bohemia religioni ferendam accenderet: sed in eo itinere, ut divinæ providentiæ arcanis consiliis visum est, extremum diem obiit: ex cujus morte elatus superbia & insolentia Joannes Hus, majori furore est debacchatus.

(a) *Cocl. hist. Huss.* Jo. Hus subdola provocatio.

(b) *Mart. V. ubi sup.* Wenceslai inertis hæreticorum fovit audaciam.

Sbinkonis obitus.

(c) *Æn. Sylv. hist. Bohem. c.* 35.

Per eadem tempora Burginus hæresiarcha in Constantiensi agro diabolicis præstigiis delusus simulata sanctitate nonnullos simplices in errorem traxit, de quo hæc refert Nider (d): *Sunt pauci anni transacti, quod circa tempora Pisani concilii, me vivente in ordine in diœcesi Constantiensi, Beghardus fuit seu Fraticellus more sæcularis Burginus nomine: hic eremum ibidem intravit in eodem victu & vestitu sibi austerus valde extitit, orationi & contemplationi multum, ut videbatur, incubuit, & in his revelationes, sed heu illusorias a maligno spiritu sub similitudine angeli lucis habere cœpit, quibus quod pejus erat etiam nimium credidit. Nam ex visionibus istis regulam quandam & novam religionem cudit, & eandem discipulos exinde, velut B. Antonius esset aut Pachomius, docere cœpit: tam rigidam & austeram vitam in dicta regula scripsit, & in se & in suis servavit, ut nisi pertinacia & inobedientia accessisset, veri & boni angeli instinctus intercessisse videretur; nam una cum suis discipulis novæ religionis cultor & author captus per episcopum Constantiensem & examinatus repertus est tam cæcam & protervam habere mentem, ut etiam si dominus apostolicus & Dei Ecclesia regulam quam reperit condemnaret, non se, sed errare tales omnino crederet; in qua pertinacia perseverans per inquisitorem judicio sæculari traditus ab eodem incineratus est rector cum regula.* Vixisse paulo ante refert Nider (e) in Basileensi tractu Beghardum alium, qui religioso cultu indutus multa cœlestia visa sibi objici affirmabat, addebatque impudenter, ut ait author, *quod Christus in eo esset actu, & ipse in Christo.* At demum cum a fide in multis aberraret, nec revocari ad veritatis tramitem posset, demum Viennæ flammis crematus est. Hujus erroris vel authorem vel propagatorem fuisse impium Ekardum hæresiarcham antea vidimus (f), quem a Joanna Rusbrochio in tertia parte de ornatu spiritualium nuptiarum insertum tradit Joannes Gerson (g) in epistola ad Bartholomæum Carthusiensem: *Ponit*, inquit, *tertia pars libri præfati, quod anima perfecte contemplans Deum, non solum videt eum per claritatem, quæ est divina essentia, sed est ipsamet claritas divina: imaginatur enim, sicut Scriptura sonat, quod anima tunc desinit esse in illa existentia, quam prius habuit in proprio genere, & convertitur seu transformatur & absorbetur in esse divinum, & illud esse ideale defluit, quod habuit ab æterno in essentia divina, de quo esse dicit Joannes in evangelio: Quod factum est, in ipso vita erat.* Addit alios Rusbrochii textus, quibus ille animas converti in Deum per identitatem temere, prout sonant verba, significavit. Suscepit vero XC.

(d) *Nider. form. l. 3. c. 2.* Burginus hæresiarcha.

Illusus a dæmone.

Novæ religionis auctor.

Detrectans parere Ecclesiæ flammis exustus.

(e) *Eod. c. 2.* Beghardus se in Christum conversum esse ait.

Flammis traditur.

(f) *Annal. to. xv. an. 1329. nu. 71.*

(g) *Jo. Gers. in ep. de ornatu spir. nupt.* Jo. Rusbrochius ob phrasium audaciam Beghardismi suspectus. Ancipites & dubiæ ejus sententiæ pium, & impium sensum passæ.

Rus-

(a) Apud Jo. Gers. ib.

(b) Jo. 10. Corinth. 5.

Rusbrochii patrocinium Joannes e Schoenadia, (a) edito libello, in quo contendit, Rusbrochium non locutum de conjunctione, quæ est per identitatem realis existentiæ, de qua dicit Christus (b): *Ego & Pater unum sumus*; sed locutum de conjunctione, quæ est per amorem liquefactivum, de qua dixit Paulus: *Qui adhaeret Deo unus spiritus est cum eo*. Porro sanctitatis specie parrata a nonnullis infanda flagitia, & dæmonem in angelum lucis transformatum plerisque illusisse, describit idem Joannes Gerson, ac subtilitatis & excellentis dogmatis specie fœdissimos errores libris aspersos fuisse ita conqueritur (c): *Fuit error de lege & spiritu libertatis, sub qua Begardi & Begardæ nefanda & abominabilia perpetrarunt facinora, ponit error iste, quod anima perfecta reducta in Deum perdit suum velle, ita quod nihil habet velle vel nolle, nisi velle divinum, quale habuit ab aeterno in esse ideali divino: quo adjecto dicunt se consequenter posse agere quidquid carnalis affectio deposcit sine peccato vel crimine cum non habeant velle & nolle. Diversificatur autem modus iste, quoniam sufficit aliquibus, ut sub Deo suum totaliter vel taliter abnegent voluntatem, in qua abnegatione dicunt summam consistere perfectionem. Sunt alii rudiores idiotæ & simplices qui seducti per astutos faciunt hanc subnegationem propriæ voluntatis per modum professionis & obedientiæ in manibus suis; qua facta promittunt astuti tales & perversi, quod amplius peccare nequeunt: sub quo prætextu perpetrant innumerabiles nec referendas abominationes. Fuit alter error, quod homo perfectus nullam curam debet habere de rebus humanis, quomodocumque vadant, immo nec de se ipso si damnetur vel salvetur: sed in omnibus & singulis divinam expectare voluntatem debet, & in illa complacere sive salvet sive damnet, quia etiam quidquid velit voluntas Dei fiet. Habet error iste ramos plurimos pullulantes ex dictis Apostoli, Augustini, & similium male intellectis super prædestinatione Dei & sua providentia infallibili firmitate, de quibus non est scribendum per singula, &c.*

(c) Jo. Gers. in admon. ad legend. l. 73.

Abnegandæ voluntatis modus ab hæreticis inventus.

Ex eo arguunt se impeccabiles.

Pietatis specie neglecta salus animæ.

Idem author in libello de distinctione verarum visionum a falsis plurimum miserorum a dæmone illusorum narrat historias (d): *Illusiones*, inquit, *plurimas nostro tempore cognovi contigisse, & etiam in hoc senio sæculi, in hac hora novissima in præcursione antichristi mundus tamquam senex delirus phantasias plures & illusiones somniis similes pati habet, & multi dicent: Ego sum Christus, & recedentes a veritate conversi ad fabulas seducent multos, &c.*

(d) Libell. de distinct. verar. vision. a falsis col. 578.

I.

Roberti Regis obitus.

INsignis fuit magnorum principum funeribus annus salutis quadringentesimus decimus supra millesimum indictione tertia; Robertus enim Romanorum Rex apud Oppenhal Bojorum oppidum obiit, excurrente exigui temporis intervallo postquam Joannes XXIII. pontificia corona xxv. maii redimitus est, ut testatur Gobelinus (a) his verbis: *Post coronationem ejus statim dominus Rex Rupertus defunctus est.* Emicuit laude pietatis in Deum, observantiæ in Gregorium, clementiæ in populos: at non ita bellicis studiis floruit, cum pars magna imperii Wenceslao ejusque fratri Sigismundo regiæ Germaniæ procuratori adhæsisset. Spreto autem Wenceslao inerte electores principes, habitis de novo creando Rege comitiis, xx. septembris die Jodocum marchionem Moraviæ nonagenarium circiter Wenceslai patruelem ad solium extulere discordibus suffragiis, cum alii Sigismundum Regem Hungariæ ad imperiales apices vocarent, de quorum dissidio gestisque ait Gobelinus: *Eodem mense, nimirum septembris, principes electores convenerunt apud Franchfurdiam pro Rege eligendo & archiepiscopus Trevirensis, Ludovicus dux Heidelbergensis palatinus Rheni & Burggravius Nurbergensis tunc procurator marchionis Brandeburgensis quantum ad eligendum elegerunt dominum Sigismundum Regem Hungariæ fratrem Regis Bohemiæ ad quem tunc spectabat marchia Brandeburgensis in Regem Romanorum archiepiscopis Coloniensi & Maguntinensi adhuc in deliberatione persistentibus; sed Rex Bohemiæ & dux Saxoniæ ad electionem non venerunt, & hæc electio facta fuit xx. die dicti mensis, & statim archiepiscopus Maguntinus mandavit ecclesias oppidi Francford non operiri, ne illi qui elegerant electionis suæ publicationem & solemnizationem consuetas perficiendi haberent facultatem, unde illis venientibus ad fores ecclesiæ nec ingressum habere valentibus electionis illius publicatio retro chorum ipsius ecclesiæ facta est per eosdem & postea Maguntinensi & Coloniensi archiepiscopis iterum convenientibus Jodocus marchio Moraviæ vir grandævus per ipsos in Regem est electus.* At exiguo tempore honori, in titulum sepulchri usui futuro superstes fuit, addit enim idem Gobelinus: *Post hæc,* nimirum imperiale conscensum fastigium, *eodem anno* excurrente scilicet imperii, *seu enim mensibus circiter regium nomen sustinuisse, neque cæsarea corona redimitum ferunt, defunctus est, & deinde prædicti archiepiscopi Maguntinensis & Coloniensis in Regem Hungariæ supradictum cum aliis consenserunt.* De Jodoci electione dictis consentit Theodoricus e Niem his verbis (b): *In primo anno pontificatus dicti Balthasaris Jodocus marchio Moraviæ fratruelis domini Sigismundi moderni Regis Romanorum in Romanorum Regem pauco elapso tempore prius electus & eius loco consentiente D. Wenceslao Rege Bohemiæ & fratre dicti Sigismundi per dominos principes electores imperii in Francofordia dictus D. Sigismundus tunc & nunc etiam Rex Hungariæ in Regem Romanorum fuit electus.*

(a) Gob. æt. 6. cap. 90. Paul. Lang. in chron. Citiz. Cuspinian. in Rob. Nider. Fornic. & alii.

Jodocus marchio Moraviæ creatus Rex Roman. discordibus suffragiis. Electus ab aliis Sigismundus.

Jodoci Cæsaris mors.

Iterum delectus Sigismundus.

(b) Theod. e Niem in vit. Joan. XXIII.

Constat igitur Sigismundum geminis comitiis Regem Romanorum renuntiatum: a primis vero imperii annos in consignandis diplomatibus ipsum auspicatum esse colligitur. Non desunt tamen qui secundos conventus in quibus consentientibus omnibus suffragiis cæsaream dignitatem adeptus fuit, proximo anno celebratos dicant (c) [1].

(c) Cuspin. de Cæsar. in Jodoco

II.

Martini Regis Aragonum mors.

Eodem anno Martinus Rex Aragonum, dum inito novo conjugio sopitum ob infirmam valetudinem vigorem medicami-

NOTÆ [1] AGendum hic suscipit annalista de Roberti regis decessu, ac Sigismundi substitutione; cujus quidem Roberti exitum cum præsenti anno recte illigat. De mense & die obitus dissidium est anceps, cum scriptores æquales eorum temporum secum ipsi minime conveniant. Gobelinus qui tunc Romæ agebat, statim postquam Joannes XXIII. novus pontifex sacram coronam assumpsisset de quo nos in nota sequenti, ex hac luce subtractum Robertum offert. Cum vero Joannes die XXV. maii pontificiam coronam acceperit; ideo ipsæ junii Kalendas emortuales Roberto plures assignant. Trithemius, qui sæculo hoc inclinante florebat, die XVIII. maii decessisse maluit, cui & Priminus Gassarus in annalibus Augustoburgensibus, inter scriptores rer. German. Menken. to. I. suffragatur. Verum Andreas Ratisponensis, qui sub Sigismundo chronicon suum, vulgatum ab Eccardo inter script. medii Ævi scribebat, testatur die XVI. maii hujus anni Roberti regis cadaver sepulturæ mandatum fuisse Heidelbergæ; ex quo fit ut obitus ejus die XV. maii collocandus sit. Huic sententiæ, utpote scriptoris omnium antiquissimi, & Germani, acquiescendum censeo; quandoquidem Gobelini, qui tunc in Italia agebat, testimonio Germanicorum scriptorum turba adversatur. Hanc pariter confirmat Sanutus junior, qui Ducum Venetorum gesta hoc exeunte sæculo ex optimis patriæ suæ monumentis scribebat; narrat enim ille die XVII. maii nuncium de Roberti obitu Venetiis receptum fuisse; ex quo de obitu ejusdem principis die XIV. vel XV. consignanda sententia confirmatur.

Successor interim regi Romanorum defuncto providendus erat ab electoribus; quare Franc-

for-

Accersita calidis medicamentis. Ferdinandus illi succedit.

(a) Sur. in l.3. tot. ann. l.11. c.1. Marian. l.19. c.2.

(b) Id. Sur. ibid.

Insignis ejusdem victoria.

(c) Sur. l. 12. c.9. Marian. l.20. c.3. & 4.

nibus calidioribus excitabat, viralibus adustis vitam sibi eripuit (a): cujus obitu regnum ad Ferdinandum ex sorore nepotem Joannis Castellæ Regis patruum, principem egregium & laudatissimum est delatum (b); qui eodem etiam anno virtutum regiarum insigne specimen explicuerat ad Antequeram, quæ veteribus Singleia fuit, Maurorum urbem, quam cum obsidione cinxisset, barbaros ad eam solvendam instructis agminibus irrumpentes insigni victoria fregit prostravitque (c), desideratis tantum in prælio centum & viginti Christianis; cæsorum vero Maurorum numero universas fidelium copias excedente atque ad quindecim millia ascendente. Prospere etiam ab eodem ad Archidonem concursum (d) est cum infidelibus tumultuaria pugna, quos pari successu atteruit, ad demum Antequeram in suam redegit potestatem.

III.

(d) Sur. sup. Marian. l.19. c.26.

Miserandum prælium inter Polonos, & Cruciferos.

(e) Gobel. in Cosmo. at.6. c. 92. Michou. l.4. c.43. 44. & 45. Cromer. l.16. & 17. Monstr. vol.1. c.3. & alii.

In Prussia maximus fidelium numerus miserando certamine inter Cruciferos equites, ac Polonos initio periit: qui si adversus fidei hostes concordibus animis vertissent arma, Christianum propagare imperium potuissent. Tristem cladem hisce verbis narrat Gobelinus (e): *Hoc anno Rex Poloniæ & Vitoldus dux Litoviæ cum maxima multitudine armatorum præsertim paganorum intrabant Prussiam, & per milites crucesignatos ordinis domus Theutonicorum instauratum est bellum contra eos XV. die mensis septembris, & Rex Poloniæ triumphavit, & ceciderant homines utriusque partis XCIV. millia, de quibus ex parte militum prædictorum ad sex millia ceciderant, de quibus crucesignati milites sexcenti fuerunt.* Visum est divinum Numen superbiam Cruciferorum eo prælio contundi voluisse, quorum magister Conradus e Juningen positis ex adverso castris duos enses alterum Regi Polono, alterum Vitoldo duci Lituano misit, ut eos provocaret ad pugnam, additis etiam superbis hisce verbis repetitis ab ejus oratoribus: *Dixerunt*, inquit Miechovias (f): *Illustrissime Rex, magister Prussiæ Conradus tibi & fratri tuo Vitoudo duos gladios in suffragium pugnæ misit, quatenus minus cunctantor & magis audaci, quam præfers animo cum eo congrediaris, sique arctum campum habere existimas, ad certamen te alliciendo de planitie campi quantum voles tibi cedit. En superbum responsum*, subdit auctor, *& in eo puncto retrocessionem Prutbenicus exercitus haud exiguam fecit. Rex autem Vladislaus acceptatis gladiis, qui in hunc diem in thesauro castri Cracoviensis servantur, non in bilem, sed lacrymas resolutus ait: Quamvis sufficientes gladios habeam, pro majore tamen suffragio etiam hos duos gladios accipio; causam vero electionem propitiationi divinæ committo.* Tradit idem auctor Wladislaum Regem non in armorum apparatu, sed in divina ope spem victoriæ posuisse, nec prius eum voluisse prælio decertare, quam rei divinæ a duobus sacerdotibus bis peractæ interfuisset.

(f) Mich. sup. c.43.

Cruciferorum fastus nimius.

Memorabile Regis Pol. responsum.

Divinam opem implorat.

Accusat Theodoricus Niemius negligentiæ Joannem XXIII. de quo inferius dicetur, qui pacis interpretem inter Polonum & Cruciferos non egerit, atque immanem eam cladem eorumdem Cruciferorum superbiæ pariter ascribit (g): *Qua*, inquit, *dictus Balthasar se non interposuit pro hujusmodi concordia tempestive inter easdem partes, tunc insimul disceptantes, contigit eodem anno die decimoquinto mensis julii, scilicet divisione Apostolorum, quod Rex Poloniæ prædictus prope terras ipsorum magistri & fratrum castrametatus cum valde potenti exercitu ipsum*

(g) Theod. e Niem. in vit. Jo. XXIII.

Alia ejusdem belli narratio ex Niemio.

NOTÆ fordiam condixerunt circa festum S. Bartholomæi, ut narrat Eberhardus Windeckius, qui Sigismundo Imperatori suppar & charus, de eodem Imperatore historiam scripsit. Eo igitur ad præscriptum venerunt archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, comes Palatinus Reni absente Saxoniæ duce, qui a Saracenis ditionem suam infestantibus impeditus Electorum conventum differri poscebat, Brandeburgensis Marchionis, & electoris jura Jodocus Moraviæ comes, & Sigismundus Ungariæ rex opposito studio sibi vindicabant; quare uterque concurrendum eo censuit, Jodocus nempe & Sigismundus, cujus vices gerebat Fridericus Burggravius Nurimbergensis. In hac partium contentione archiepiscopus Trevirensis, comes Palatinus Reni, quin & ipse pariter Wenceslaus Bohemiæ Rex tamquam unus ex Electoribus die 20. septembris in Romanorum regem elegerunt Sigismundum ejusdem Wenceslai; qui & ipse pariter regis Romanorum titulum gerebat, fratrem. Vicissim electores reliqui, nempe Joannes Moguntinus, Fridericus Coloniensis & Jodocus Moraviæ marchio in eumdem Jodocum convenientes Romanorum regem illum proclamerunt die prima mensis octobris, statimque literas ea de re ad Germanos scripserunt electionis suæ apologeticas quas legas apud Schannat Vindem. liter. to. II. pag. 150. Scriptum illud alio apposito refutarunt assertores Sigismundi, idemque pariter ibidem vulgatur. His dissidiis totus præsens annus distractus est, siquidem vera scribit Gassarus Priminus in annalibus Augustoburgensibus, ubi Jodoci obitum anno sequenti die XIII. Kal. aprilis consignat. Scriptores enim omnes ea æque conveniunt nonnisi post obitum Jodoci res compositas fuisse in novo electorum conventu, in quo communi assensu Sigismundus electus fuit, *hac adjecta conditione*, ait Andreas Ratisponensis, quod ob illa concordi electione, & non a prima Regem se scribere deberet. *Quod ipse quidem*, addit idem Scriptor, *sic promisit, sed tamen eum non tenuit*. Ex his omnibus statuenda est Sigismundi quidem electio die 20. septembris: Jodoci vero die prima mensis octobris, quod ob Eruditis huc usque ignoratum fuit. MANSI

ipsam Prussiam ad comprimendam, si posset, violenter ipsorum magistri & fratrum audaciam, vellet intrare: cui occurrentes illic prædicti magistri & fratres etiam valido stipati exercitu circa horam tertiam ipsa die præliari fortiter cœperunt, ubi fortis impegit in fortem: sed prædicti magister & fratres prædicti infelici omine pugnantes subito devicti fuerunt, fugientibus ab ipsis multis militibus de ipsorum exercitu memorato: ubi prædictus magister, & multi alii ex fratribus prædictis in bello hujusmodi mortui ceciderunt, quod contigit eorum causante superbia. Misit enim eadem die de mane præfatus magister, in grandi multitudine dicti sui exercitus confisus & quasi de victoria certus, mittendo sibi duos enses coruscantes, in signum quod utique secum pugnare vellet: quos Rex ipse animose recepit plus ad bellandum cum ipsis fratribus accensus, ubi tunc & infra paucos post dies postea, ut fama erat, propter hujusmodi guerram ultra sexaginta millia hominum ceciderunt. Sed quot castra, oppida, villæ campestres per ipsos victores Polonos in eadem Prussia illa tempestate durante ignis incendio & alias devastatæ fuere, & quot alia terribilia mala ex illis guerris tunc temporis prodierunt, esset longum seu tædiosum calamo exarare. Subdit deinde sedatum bellum, atque inducias opera Herbipolensis episcopi pactas fuisse.

Sexaginta hominum millia in eo periere.

Conciliatæ induciæ.

IV. Greg. sententia fert in Balth.

Dum ita res Christiana ex Polonorum & Cruciferorum certaminibus labefactabatur, non minus contrariis Gregorii Pontificis atque æmulorum contentionibus agitata fluctuabat: retinere enim quisque insceptos apices & adversarios dejicere nitebatur, gravesque a Gregorio (*a*) in Alexandrum (*b*) ac Petrum e Luna latæ sententiæ, & plures legationes ad partes augendas missæ: Gregorius quidem Joannem (*c*) Rigensem archiepiscopum ad regna septentrionalia transmisit, ut ea in obsequio suo confirmaret, tum alios in Trinacriam (*d*) internuntios: in Picenum vero Angelum (*e*) tit. S. Stephani in Cœlio monte Cardinalem legatum decrevit. Tum Ludovicum e Melioratis Firmana toparchia ornatum (*f*) ecclesiastico exercitui cum Ladislai copiis conjungendo præfecit (*g*), datis Gajetæ xiv. kal. decembris literis. Ad infringendas etiam adversariorum vires decumas sacerdotibus, qui sibi non parerent, persolvi vetuit (*h*).

Plures legationes decernit.

(*a*) *Alex. lib.* 1. *p.* 54. & 76.
(*b*) *Greg. l.* 3. *p.* 129. & 232.
(*c*) *Lib.* 3. *p.* 152. *ad* 159.
(*d*) *Ib. p.* 225. *ad* 247.
(*e*) *Ib. p.* 192.
(*f*) *Ib. p.* 186.
(*g*) *Ibid. p.* 192.
(*h*) *Ibid. p.* 180.

Gregorius, &c. universis & singulis catholicis inter schismaticos solo corpore constitutis in Italia degentibus salutem.

Quorumdam vestrum duxit devotio a nobis humiliter requirendum, quibus reddere teneamini decimas debitas, cum forte contigerit episcopos, prælatos, & reliquos clericos, proh dolor! schismatis labe teneri, quibus alios dictæ decimæ deberentur de jure: nos autem, sicut ex debito pastoralis officii vestrorum cunctorum vitatorum salutem optantes, præsentium tenore duximus respondendum & indulgendum; cum enim ex institutione Dei pro ampliatione cultus ejusdem clericis vocabulum sonat de sorte Domini, quo jurisdictione præpollent super laicis debentibus eisdem spiritualia seminare, quibusque cura de egenis subæret, sint decimæ deputatæ, liquidum est effectos schismaticos esse decimarum jure privatos, etenim cessante causa cessat effectus; si enim nedum amplificant cultum divinum, sed quantum in eis est, enervant pariter & profanant: victimæ quidem impiorum abominabiles, & a Domino sunt projecti, assistentes adversus eum & adversus Christum ejus, de quibus veritas ait: Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit: *hoc est qui Christi non est, antichristi est: horum nempe conversatio polluta est & Deo odibilis, qui nec unitatem neque sinum Ecclesiæ tenent doctrinam de quorum quolibet ait Salvatoris dilectus:* Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, neque ave ei dixeritis: qui enim dixerit illi ave, communicat ejus operibus malis. *Hæc Joannes de schismaticis seu hæreticis evitandis, & quæ docuit verbis, factis exhibuit. Hi sunt, qui inter se ad instar populorum sutoris calcosi in discissam Domini tunicam & desuper textam minutatim per frusta decerpunt, & Christi vineam exterminant: vulpes intra lacus contritos, qui non habent aquam, satagentes, ne ubi fons signatus & hortus ille conclusus sit, possit intelligi. Ideo ad salutem vestram, & non sine eorum præconio, qui postulantes cathedram Petri, & fidem, apostolicam sedem confuerunt confulendam. Quare vobis & cuilibet vestrum præsenti indulgemus tenore, ut portiones decimarum, quæ ex constitutione sacrorum canonum illic laudabili consuetudine approbata debentur episcopis, prælatis, curatis, & reliquis clericis cujuscumque dignitatis, gradus, vel status existant pro eorum usu si forent catholici, & præsentis schismatis scelere sunt infecti, in alia opera pia converti facere, aut convertere valeatis; reliquas portiones, divino cultui, fabricis ecclesiarum, seu pauperum opibus ex debito erogandas eidem cultui, fabricis & pauperibus integraliter persolvendo. Nulli ergo &c. Dat. Gajetæ* iii. *non. octobris anno* iv. Damnabat idem Gregorius (*i*) adversatores sibi suasque & aliorum animas in exitium adducere querebatur, ac præsertim de iis, qui Pisana decreta sequebantur: *Conantes*, inquit, *una secum universos populos in barathrum æternæ damnationis immergere, turbare pacem, fœdera violare naturæ, & quantum*

Ingens in Italia ex schismate perturbatio.

Gregorii in adhærentes Pisano concilio sententia.

Vectigalia iis denegari jubet.

(*i*) *Id. ib. p.* 156.

Gregorii querelæ in conventum Pisan.

in

in eis est sub nomine unionis, & pacis inconsutilem Dei tunicam separare, ortusta schismati aliud perniciosius addiderunt. In eosdem etiam velut schismaticos severitatem animadversionis adhiberi jussit (a).

(a) Ibid. p. 129.

V. Alexander Bononiam se confert.

Alexander vero in Pisanis conventibus creatus tam Pontificem, quam Balthasaris Cossæ, cujus opera nomen ac insigne pontificium acceperat, mancipium agebat; nam cum Pistorio Romam proficisci vellet, illius consiliis Bononiam abductus est, ut narrat Theodoricus e Niem (b); de Roma enim e Ladislai tyrannide ad Alexandri obsequium extremo superiori anno a Paulo Ursino traducta locutus, subdit: *Cum nova de hoc ad civitatem Pistoriensem, in qua tunc dictus Alexander cum sua curia residebat in profesto circumcisionis Domini delata fuissent, dictus Balthasar etiam existens in eadem civitate voluit, immo penitus dissensit, quod idem Alexander Papa dictam curiam ad urbem ipsam ea vice transferret, illucque accederet, prout communiter fieri consulebant, quodque sic fieret similiter Romani sperabant, asserens dictus Balthasar, quod pro recuperatione ejusdem urbis, & quarumdam aliarum terrarum in eadem provincia patrimonii B. Petri in Tuscia magnos sustinuisset labores, & pecunias non modicas exposuisset, adjiciens etiam quod ipse recedens de Bononia causa veniendi ad dictum concilium Pisanum Bononiensibus promisisset, quod absque Papa illuc non rediret, nisi illum secum reduceret; & si contrarium fieret, timebat quod prædicti Bononienses ipsum inopie trucidarent, persuadendo eidem Alexandro, quod ageret consultius eundo ad civitatem Bononiensem, ubi posset tuta manere, & pro voto consequi ea, quæ desideraret habere. Ipseque Balthasar promisit dicto domino Alexandro Papæ & dominis Cardinalibus, quod etiam in augmentum expensarum se vellet ipsis reddere liberalem: sed qua intentione hoc fecit incertum est,; veruntamen plerique autumant, se illud dolo fecisse, ut per qualiacumque media perveniret ad papatum, sicut exitus acta probavit: sicque prædicti Alexander Papa & domini Cardinales, qui cum eo erant in eadem civitate Pistoriensi persuasionibus, & promissis hujusmodi prædicti Balthasaris inducti in illa indispositio, & frigido tempore hyemali per asperos montes & vias terribiles inter Pistorium & Bononiam tunc repletas glaciebus & nivibus de ipsa civitate Pistoriensi ad Bononiam accesserunt.* Addit author Balthasarem Alexandro cubicularios & alios domesticos adjunxisse, quos licet gratos non haberet Alexander, repellere tamen non fit ausus, ne Balthasaris, a quo pendebat, iras asperaret, sed non diu fabula ducta est, nam quod domesticorum corruptorum opera Alexandrum sustulerit, Balthasarem accusatum suo loco videbimus.

(b) Theod. e Niem. in vit. Jo. xxiii.

Cur Romam non adierit.

Consiliis Balthasaris regitur.

Morem illi gerere cogitur Alexander V.

VI. Gregorium edictis insectatur.

Pellicere autem ad suum obsequium populos, pontificioque fastigio deturbare Gregorium omni contentione enitebatur Alexander in Pisanis episcoporum conventibus creatus: illum enim ac Petrum e Luna veluti schismatis propagatores confectis pridie kal. februarii judiciariis actis una cum sectatoribus pari afficiendos pœna pronuntiavit (c). Verum ea ipsa, quæ de Petro recenset, a Gregorio culpam amovent, ut superiori anno ostendi. Quæ autem in Gregorium congerit, quam a veritate aberrent ante suis locis a nobis allata satis superque demonstrant: nam in primis quo jure Gregorius cum antipapa comparari possit, cum ille simul cum aliis Cardinalibus se ab Urbano VI. sine concilio œcumenico divulsisset; conflasseque schisma, deinde promulgasset etiam de statu dignitatis recedente Pontifice, nunquam se abdicaturum: immo post Innocentii obitum proponentibus Cardinalibus, ut si ille pontificalia insignia posuisset, communi consensu utriusque collegii Pontifex crearetur, ut tolleretur schisma, id facere detrectasset, Gregorioque abdicationem suam paranti insidias struxisset? Cum autem Gregorius votum nuncupasset de pontificio gradu relinquendo si antipapa ad papales apices abjecisset, ut optata ecclesiarum conjunctio fieri posset, is casus nondum contigerat, cum Petrus e Luna in pertinacia de iis retinendis persisteret; neque abdicante a se Gregorio pontificiam dignitatem, ecclesiastica conjunctio posset redintegrari, quandoquidem plures adhuc Reges nimirum Castellæ, Aragoniæ, & Scotiæ Petro e Luna adhærebant. Itaque de perjurii culpa Gregorius jure argui non potest, maximo cum etiam non abdicante se antipapa vellet ipse id præstare, modo ille a concilio damnaretur, quod in tertio loco celebraretur; neque enim pontificium primatum subjiciendum censebat schismaticis & Cardinalibus, qui adversus ipsum rebellarant, & Gallorum ab Urbano recedentium exemplum erant imitati. Nec jure indignati sunt adversus Gregorium Cardinales, quod Saonam nollet se conferre, cum pactis non starent ejus adversarii, nec Saonenses, Genuenses tum darent obsides, neque antipapa arma poneret; consiliumque eorum insidum omnino erat, ut se hostium suorum & antipapæ fidei crederet: in quo casu cum sibi adversantes Cardinales experiretur, se voto de non creandis novis Cardinalibus non obstringi interpretari potuit ex suorum consilio, cum ad Pontificem jus illud interpretandi spectaret. Pariter se subjicere Pisanis conventibus, cum maxima ex parte ex schismaticis constaret, non poterat, neque illi servarent promissa, siquidem polliciti erant

(c) Alex. reg. t. 2. p. 54. & 61. & apud conc. Pisan. p. 155.

Inique Gregor. cum Petro e Luna comparatus.

Casus in quo se obstrinxit ad abdicationem contigit tantum tempore Constantiensis concilii.

Æquissima Gregorii postulata.

An jure Cardd. in Greg. sint indignati.

Falsis promissis Gregor. illusus est.

erant Petrum e Luna invaso gradu cessurum, eaque fallaci spe Gregorium adduxerant, ut desereret Romam, ditionemque ecclesiasticam adversariorum grassationibus objiceret. Nun constat etiam, quo jure Cardinales edicere potuerint universis archiepiscopis & episcopis, ut a Gregorio deficerent; præsertim cum iidem Cardinales a Balthasare Cossa auro subornati fuissent, aut alios falsis susurris in suas partes traxissent: quæ pro Gregorii causa indicanda visa sunt. Porro Alexandri diploma plura falsa in Gregorium ipsum congerens ac vera supprimens his verbis conceptum (a) fuit quo gesta Pisani concilii confirmata fuere, ac licet purpuræ jus Cardinalibus Gregorii abrogavit, Constantiense tamen concilium illud ratum firmumque esse jussit.

(a) *Alex. reg. 2. p. 34. & 61.*

Alexander, &c. ad perpetuam rei memoriam.

VII. Alexandri diploma.

Rerum omnium summi, ac providi ordinatoris Domini nostri Jesu Christi vices, quamquam insufficientibus meritis, gerentes in terris, exemplo ejus invitamur, ut de suprema apostolicæ dignitatis specula ad singulas orbis partes nostræ considerationis aciem extendentes ad ea potissima, per quæ fides catholica roboretur, ac hæreses & schismata procul ab Ecclesia depellantur: ac illa, quæ ad hoc provide & solemniter gesta sunt, & pro salute Christifidelium executioni debitæ demandantur opem atque operam, prout nostrum requirit officium, impendamus. Sane dudum, videlicet anno dominicæ incarnationis millesimo trecentesimo septuagesimo octavo in Romana ecclesia, hoste humani generis procurante, gravis & pestilens nimium exorta scissura magna populo Christiano infra breve tempus attulit detrimenta, tota ipsius Ecclesiæ fabrica per illam in duas partes divisa, quarum uni quondam Urbanus VI. in sua, & alteri quondam Clemens VII. in ejus obedientiis nuncupati eodem tempore ut Romani Pontifices præsidebant; Urbanus quidem in Italia, Clemens autem præfatus in Gallia sibi sedem adhærentium auxilio vendicabant. Deinde ipsis duobus contendentibus ab hac luce subtractis, quondam Bonifacius IX. Urbano, & iniquitatis alumnus Petrus de Luna olim Benedictus XIII. in eorum obedientiis nuncupati Clementi prædictis, ac etiam postea Bonifacio prædicto vita functo, quondam Innocentius, qui VII. ac demum etiam ipsi Innocentio infra pauca tempora sublato de medio perditionis filius Angelus Corario, qui olim Gregorius XII. nominabatur, in hujusmodi obedientiis successerunt: sed cum dicto Clemente vita functo ageretur, ne alter in locum ejus subrogaretur, Cardinales de obedientia ipsius Clementis, de quorum numero tunc erat Petrus de Luna prædictus, ad extirpanda discrimina generalis incommodi, quæ ex schismate hujusmodi continue pullulabant, ad invicem promiserunt, & juramento firmarunt, ut si quis eorum in successorem dicti Clementis eligeretur, prosequeretur extirpationem schismatis & unitatis vinculum in Dei Ecclesia etiam usque ad renunciationem sui papatus inclusive, si majori parti Cardinalium eorumdem pro bono unionis expediens videretur, ut in quadam cedula super præmissis facta, & subscripta manibus ipsorum Cardinalium plenius continetur.

VIII. De voto a Petro e Luna nuncupato.

Hæc autem ipse Petrus non solum una cum cæteris unanimiter promisit, & juravit, verum etiam in verbis suis affectionem, ac solicitudinem erga unionem per hanc viam habendam ardentissimam ostendebat, ex cujus assertione, & verbis Cardinales prædicti, qui tunc pro electione celebranda convenerant potissime invitati dicuntur ad electionem de persona ejus faciendam, credentes procul dubio quod ea, quæ ore & labiis prædicabat, etiam corde & opere cum sinceritate exequeretur. Sed præfatus Petrus, dicto Clementi surrogatus, licet statim rebus adhuc recentibus iterata promiserit & juraverit illa observare, & per varias mundi partes verbo notificaverit, & scriptura se pro bono unionis esse omnino paratum renunciare, adversario suo pariter renunciante; tamen paulo post honores fastigio, & dominandi cupiditate allectus, ac retrorsum conversus primo paulatim tergiversari, deinde aperte contradicere, & sine ullo velamine impugnare viam cessionis incepit, omnesque exosos habere, qui de hoc audebant sibi facere mentionem. Angebantur miserabiliter Cardinales præfati se, & commodum Christianitatis contra spem suam ludificari, atque decipi conspicientes: sed tantus erat imminentis periculi terror, qui in actibus atque verbis tam ipsius Petri, quam aliorum quorumdam intrinsecorum ejus proferebatur, ut alii ex eisdem Cardinalibus ori suo silentium imponere, alii qui liberius de hoc locuti fuerunt, comminationum metu interdum a consiliis, & ab ipsis missarum solemniis non petita licentia, nec expectato fine recedere, alii ex nostra civitate Avenionensi, in qua idem Petrus tunc degebat, subito abire ob timorem captivitatis, & carceris cogerentur. Nec solum Cardinales ipsos contempsit, verum etiam principes & dominos temporales, qui ad hanc viam ipsum exhortabantur, inter quos charissimus in Christo filius noster Carolus Rex Francorum illustris, quo majori auctoritate ipsum Petrum ad ea, quæ promiserat, observanda induceret, dilectum filium nobilem virum Joannem Bituricensem, & quondam Philippum Burgundiæ patruos, ac Ludovicum Aurelianensem germanum duces cum notabili comitiva, prælatorum, ac ma-

Fraudes ejusdem.

Tyrannis in suos sectatores.

magistrorum in theologia, & juris doctorum, & aliorum insignium virorum oratores ad eum transmisit: qui cum ad unionem Christianorum ex parte ejusdem Regis ipsum Petrum hortarentur, & viam cessionis tamquam breviorem, & necessariam præferrent, & non solum promissiones & juramenta ab eodem Petro nuper super hoc facta, sed etiam verba ipsius allegarent, qui legatus existens in Francia, quibusdam ex præfatis ducibus, & aliis notabilibus viris dixerat, fore necessarium & expediens, ut per viam mutuæ cessionis finis schismati imponeretur: ac etiam ipsi Cardinales tunc simul ob præsentiam ducum congregati hanc viam cessionis expedire pro bono unionis asserèrent, & de hoc sibi supplicarent. Et quia supplicationibus, & rationibus nihil proficere posse videbant in vim promissionis, & juramenti, eumdem Petrum solemniter requirerent, ut per viam cessionis pacem Ecclesiæ prosequi vellet, præfatus Petrus calcato pudore, & dominandi cupidine obcæcatus expresse facere denegavit.

Dira emotio.

IX. *Denique ne singula [quod nimis prolixum foret] consectemur, hanc viam cessionis per varios Regum & principum oratores sibi propositam per se improbavit, & per alios ejus intrinsecos fecit publice impugnari: ac tandem, ut omnibus spem de illa præcideret, per suum confessorem in ecclesia fratrum ordinis prædicatorum Avenione fecit publice prædicari, quod ipse potius pateretur mortem, quam hujusmodi viam quomodolibet acceptaret. Quin etiam Cardinalibus præfatis aliquando in sua præsentia constitutis idem Petrus affirmavit, frustra sibi de hoc mentionem fieri, quia ipse numquam illam viam prosequeretur, etiamsi adversarius renunciare vellet, & quod numquam sederet inter Cardinales in eodem scamno, per hoc evidenter ostendens, se de statu suo, non de unione, & pace Christianorum, prout facere promiserat, & juraverat cogitare. Ob hæc igitur perjuria, perversitates, & errores eidem Petro obedientia in regno Franciæ subtracta, cum per aliqua temporum curricula hujusmodi subtractio duravisset, ipse tandem suos defectus aliqualiter recognoscens per instrumentum publicum, quod fere ad omnes Reges & principes suæ partis direxit, viam obtulit mutuæ cessionis adversario cedente, mortuo vel ejecto, promisit etiam dictus Petrus in eodem instrumenta quod ad congregationem, synodum, vel concilium, quod inde teneri, vel celebrari contingeret pro unione Ecclesiæ, ipse accederet, & per hujusmodi oblationem, & alias quasdam considerationes fuit tunc eidem Petro obedientia restituta. Credebatur enim quod illa quæ verbo obtulerat, facto adimpleret: sed exinde continuata perjuriorum serie non magis postrema, quam priora ejus promissa servavit. Cumque postmodum ad Bonifacium præfatum suos dictus Petrus misisset oratores [quibus tamen, quid daret in mandatis, quidve illic facere aut tractare deberent Cardinalibus præfatis, tenuit occultum] atque ipse Bonifacius intra paucos dies, postquam dicti oratores ad eum venerant, decessisset, Cardinales, qui eidem Bonifacio adhæserant, dictos oratores tunc etiam Romæ existentes requiri fecerunt, & requisiverunt, quod si a dicto Petro mandatum sive potestatem haberent de via cessionis offerenda, hoc eis notificarent, quia ipsi Cardinales dispositi erant in eo casu ab electione cessare, & si de hoc mandatum non habebant, quod mitterent super hoc ad ipsum Petrum, & quod ipsi intendebant in electione supersedere, & expectare responsum; præfati oratores se nullum habere mandatum de cessionis via offerenda, & quod pro hoc mittere nolebant ad Dominum suum responderunt, quoniam dicta via cessionis bona non erat, ex quo non solum evidens, verum etiam palpatum fuit, ipsum Petrum ad ostentationem dumtaxat, non ad aliquem unionis effectum oratores prædictos in Italiam transmisisse.*

Promulgatum a Petro a Luna se non cessurum etiam cedente Pontifice.

Dicta revocat & vana ejus pollicito.

Post mortem Bonifacii oblatum ipsi si abdicaret communi omnium consensu Pontificem creatum iri.

Damnata & ostentata ab eodem abdicatio.

X. *Post hæc igitur dictorum oratorum responsa, quæ tergiversationem dicti Petri maxime detexerunt, Cardinales præfati Romæ existentes quibusdam, quæ ad unionem habendam utilia credebant præordinatis, ad electionem processerunt. Et quia paulo post per experientiam manifestum fuit quod illa, quæ tunc dicti Cardinales circa unionem consequendam ordinaverunt, non satis adversus malitiam & cupiditatem hominum valida fuerant, propterea ipso quoque Innocentio, qui dicto Bonifacio surrogatus fuerat infra breve tempus vita functo, iidem Cardinales, antequam ad electionem procedere vellent, magno zelo unionis inducti disposuerunt ad fortiora remedia pro pace & reintegratione Christianorum manus apponere. Itaque præfati Cardinales, inter quos etiam dictus Angelus Corario erat, in palatio Papali Romæ apud S. Petrum ad eligendum successorem tunc insimul congregati, universaliter singuli, & singulariter universi unanimiter & concorditer promiserunt, jurarunt adinvicem, ac Deo, beatæ Virgini, sanctisque Apostolis Petro & Paulo & toti cælestis curiæ voverunt, quod si quis eorum in successorem dicti Innocentii foret assumptus, pro integratione Christianorum, renunciaret effectualiter juri suo & papatui si & quatenus dictus Petrus aut ejus successor, qui esset pro tempore similiter renunciaret ac cederet juri suo, sive decederet, dummodo ipsius Petri Cardinales cum ipsis Cardinalibus ipsius Angeli vellent taliter convenire, & concordare, quod ex ipsis bene inde sequeretur canonica electio unici Romani Pontificis, quodque*

Creatus Innocentius ob pertinaciam antipapæ.

Quid in conclavi a Greg. promissum.

Conditiones voti Gregorii.

ad creationem novorum Cardinalium non praecederet, ac etiam alia multa tunc expresse promiserunt se facturas & curaturos in hac parte, omni dolo & fraude atque mala interpretatione cessantibus; & si quillbet ipsorum juravit corporaliter manu tactis sacrosanctis Evangeliis coram se praesentialiter praesentatis servare, adimplere ac exequi; quodque a dictis promissione, voto, & obligatione, ac juramenti praestatione, & ejus observatione, ac omnibus & singulis supradictis nullas eorum absolutionem peteret seu impetraret per se vel alios, nec impetratis aut impetrandis uteretur, & sibi forte concessam nullatenus acceptaret, nec data potestate per ipsum alterius faceret se absolvi, seu etiam cum aliquo secum dispensari, sed vellet dicto vinculo remanere perpetuo obligatus; quodque ad majorem certitudinem, & firmitatem praemissorum quilibet eorum teneretur se subscribere manu propria omnibus & singulis instrumentis exinde conficiendis, quorum quidem instrumentorum quilibet eorumdem Cardinalium unum, vel plura habere valerent, pro ejus arbitrio voluntatis.

XI. *Quibus quidem promissionibus, juramentis, votis, ut praefertur, emissis idem Angelus tunc dicto Innocentio surrogatus promissiones, juramenta, & vota hujusmodi, etiam post eamdem surrogationem immediate, ac deinde in ejus consistorio generali ratificavit & renovavit, alios increpando, qui tum pacem, & unionem potuissent Christianitati praestare, neglexerant; ac literas suas, uti juxta tenorem ejusdem instrumenti tenebatur, ac eumdem Petrum direxit per quas praedicta a se promissa, jurata, & vota firmata notificavit viam cessionis offerendo, ac ipsum Petrum requirendo & invitando, ut pro pace & unione Christianorum iis oblatis annuere vellet: quod tandem ipse Petrus post longam instantiam suorum Cardinalium super hoc a quodam nuncio ejusdem Angeli requisitus tamquam vulpes astuta verbo tenus effecit, & deinde per suas literas ad praefatum Angelum transmissas versa vice invitavit eumdem ad prosecutionem unionis, ac se paratum cedere verbis obtulit, licet ex circumstantiis evidentibus comprehendebatur, quod dictus Petrus cessioni praedictae non cum effectu, sed verbis & ostentatione dumtaxat assentiebat, ut ante, & post in progressu hujus tractatus semper extitit manifestum.*

Instaurata eadem vota.

Jure Petrus e Luna cum vulpe astuta comparatur.

Deinde Angelus praefatus ad eumdem Petrum ad firmandum locum, in quo convenire deberet, suos misit oratores: qui cum Petro & ejus Cardinalibus antedictis tunc Massiliae residentibus, nomine dicti Angeli & pro eo concluserunt, quod ex tunc in proximo instante festo S. Michaelis Archangeli de mense septembris, vel ex causa supervenientis impedimenti legitimi in sequenti ex tunc immediate celebritate omnium sanctorum, Angelus, & Petrus praedicti cum eorum collegiis Cardinalium Savonae convenire deberent ad faciendum ibidem unionem antedictam, quae omnia dictus Angelus etiam postea ratificavit & approbavit, dicendo tunc frequentius, nihil adeo sibi charum existere, sicut quod eamdem facere posset cum Petro & ejus Cardinalibus unionem, & quod si galeas non haberet, in una barcha, vel pedes cum baculo ad dictam civitatem Savonae intendebat infallibiliter proficisci: quod tamen postea non curavit. Putabat nimirum ipse candido & pio animo ab aemulo rem gerendam: sed postea se proditum, atque in insidias adduci animadvertit: numquid enim debuit naviculam conscendere, cum antipapa sex triremes armatas teneret? Pergit Alexander. *Quomvis praedicti Cardinales, qui eum elegerant cum majori parte illorum, qui tunc eamdem curiam sequebantur omnibus viis & modis honestissimis gravibus, & maturis cum eodem Angelo intendentibus ipsum ut dictam unionem ad salubrem, & votivum exitum ducere vellet, interpellare assidue non cessarent, qui tamen apud eum per longa temporum intervalla proficere nullatenus potuerint, nonnumquam enim ipse per verba respondendo ambigua dicebat, quod si dictam unionem per ejus cessionem fieri contingeret, profecto timeret, quod per hoc magis schisma in eadem Ecclesia suscitaret. Quandoque vero per quosdam diversorum mendicantium ordinum fratres, pluresque alios, quos sibi sub spe promotionum attraxerat etiam in ecclesiis, & aliis locis publicis, coram multitudine populi copiosa praedicare fecerat, quod si papatui cederet, etiam si ex hoc praedicta unio sequeretur, animam suam in inferno damnaret, & multa etiam alia iis similia fabulosa, seu figmenta reperiens conabatur semper novas edere formas, quae per tempus redeuns Romae, ac in Viterbiensi & Senensi civitatibus, donec dicti termini ad conveniendum Saonae, ut praedicitur praeterirent.*

Syncera Gregorii mens.

Quid illi objiciatur.

Ut diceret se timere schisma.

Quid illi affictum sit.

Quippe Cardinalibus praefatis, qui cum ipso erant Saonam accedere volentibus sub gravibus poenis inhibuit, ne illuc accederent, ac omnes pro dicta unione laborantes habebat exosos. Et successive, cum post haec magnis difficultatibus protracti praefati Angelus Lucam, & Petrus ad Portumveneris accessissent, ac de uno medio loco, in quo simul convenirent, tractaretur, miris cavillationibus & fallaciis vota Christi, fidelium patrum, & unionem affectantium deluserint, tum ipsi duo contendentes, immo verius colludentes per eorum intrinsecos, & iniquitatum suarum conscios homines, quos utriusque ipsorum sub spe promotionum, & praemiorum sibi asciverant, XII.

se-

secretos inter se haberent tractatus & interdum nocturna, & clandestina inter Angelum prædictum & nuncium quendam ejusdem Petri, & viceversa prædictum Petrum cum secreto nuncio dicti Angeli trahebantur colloquia, ac velut ex composito ad vexationem, & scandalum Christianitatis invicem conspirantes, sic se habebant, ut quod unus offerret, alter ex opposito denegaret, nec ullo modo poterant annitentibus tam ipsis Cardinalibus, quam prælatis & oratoribus, Regum, principum, & communitatum, qui tunc ista de causa illic convenerant, ad concordiam deduci: Petrus quidem, quoniam galeas tamquam ad bellum armatas habebat, nusquam a litore discedere, nec locum acceptare volebat, nisi maritimum, & cujus dominium in suis manibus traderetur: Angelus alios scrupulos cum mirabili inconstantia quæritabat; unde oriebatur apud homines justissima quædam & intolerabilis indignatio cernentes duos nequissimos, & in capita sua detestabiliter mentitos senes terreni honoris cupiditate corruptos, & in reprobum sensum datos cum paucis nequitiarum fautoribus contra desiderium & zelum totius populi Christiani, qui pacem & reintegrationem sui mirabiliter affectabat, schisma perniciosum detestabileque nutrire, ac perpetrare velle, & ob hoc juramenta, promissiones, & vota, postposito Dei timore, & hominum verecundia, flagitiosissime conculcare. Ob hæc homines Deum timentes, & unionis zelatores plurimum torquebantur, & piis precibus, ac sanis exhortationibus apud eosdem contendentes non desistebant instare, ut pacem, cujus debitores esse dignoscebantur, Christianitati reddere vellent: frustra vero multis precibus per aliquos menses apud surdas eorumdem contendentium aures consumptis.

Paratæ Gregorio insidiæ ab antipapa.

Cardinalium indignatio sequuta.

XIII. Tandem præfatus Angelus dolum, quem de non faciendo dictam unionem diu ante conceperat, intra se ulterius retinere non volens, contra promissiones, vota, & juramenta sua prædicta, & in fomentum schismatis memorati, etiam devotis supplicationibus Cardinalium, qui eum elegerant, & efficacibus rationibus aure surda penitus obauditis, ac præter & contra voluntatem eorumdem Cardinalium & promissiones, juramenta, ac vota sua ad creationem quatuor, prout ipse dicebat, Cardinalium de facto processit, ac etiam quorumdam pravorum, ac nefandorum consiliis seductus eosdem Cardinales, qui eum elegerant, Dei timore, hominumque verecundia postpositis, pro eo, quod pro hujusmodi tunc facienda unione apud ipsum vehementius laborabant, & in creatione dictorum novorum Cardinalium contra promissiones, juramenta, ac vota sua de facto, ut præmittitur, factorum consentire nolebant, (quod nefas est dicere) eos incarcerare, ac vita privare, ut apparebat manifestis indiciis, conabatur: sed auxiliante Domino prædicti Cardinales a facie arcus jam tensi, ut læderet, evaserunt; nec propterea idem Angelus a præconceptis nequiter odio & rancore per ipsum contra eosdem Cardinales, qui eum elegere desistens, sub privationis & aliis gravibus eis mandavit pœnis, ne aliquis eorum de præfata civitate Lucana exiret, nec ipsi Cardinales congregarentur ad invicem, aut per se vel interpositam personam cum oratoribus domini Petri, & illis, qui ex parte ipsius Regis Francorum, & dilectorum filiorum universitatis studii Parisiensis pro tractanda unitate hujusmodi ad eamdem civitatem Lucanam venerant, loquerentur: quæ quidem mandata omnem spem & tractatum unionis hujusmodi totaliter sustulerunt. Quadam etiam die in publico consistorio Lucæ adhuc existens publice asseruit, quod ad faciendum unionem prædictam, viam cessionis, ut perniciosissimam ac diabolicam sequi nollet.

Objectum Gregorio perjurium in creatione novorum Card.

Sævitia in Cardinales.

Mandata data ad pacis spem tollendam.

XIV. Cum igitur tam dicti Cardinales, quam ambasciatores, prælati, & fere omnes Christifideles unionem Ecclesiæ affectantes de hujusmodi unione consequenda ex facto ipsius Angeli omnimodo desperarent, Cardinales ipsi cogitantes, quod melius esset eis incidere in manus hominum quam derelinquere legem Dei, & fieri transgressores promissorum, juramentorum, & votorum prædictorum, etiam si proinde exilium, paupertatem, & omnia mala eos pati oporteret, versus civitatem Pisanam, quam etiam per prius dictus Angelus pro facienda unione prædicta in eadem, & ad hoc valde idoneam, & ut ejus verbis utamur, quasi ad hoc fabricatam eidem Petro tunc recusanti, licet prius in Massilia civitatem obtulisset eamdem ambasciatoribus dicti Angeli tunc etiam recusantibus obtulerat, accesserunt, & dum ibi prædicti Cardinales, forent insimul congregati, adhuc cum omni humilitate dictum Angelum per intermedios nuncios eorum aliquoties sollicitarunt, ut ei placeret ad eamdem civitatem Pisanam accedere, atque una cum eis, quod ad perfectionem dictæ unionis, sicut expediret efficaciter pertractare, & in hoc etiam ipsius Angeli induratum animum immutare minime potuerunt. Prædictusque Petrus interim ab eodem loco Portusveneris recedens, tractatumque unionis totaliter derelinquens, ad Cataloniam declinavit, ubi plures in Cardinales contra promissiones suas, & in præjudicium unionis Ecclesiæ profanavit, omnibusque pene suis Cardinalibus, qui bonum unionis hujusmodi expectabant in diversis castris sive locis eodem loco Portusveneris propinquis remanentibus, ac de facto unione per dictum Petrum perficienda etiam penitus desperantibus: qui posteaquam ite-

Ut rogatum fuit ut Pisas accederet.

vatis vicibus & diversis nunciis eumdem Petrum ad dictam civitatem Pisanam accedere pro unione Ecclesiæ, & suo debito exequendo monuerunt, cum dictis Cardinalibus, qui dictum Angelum elegerant in Loco Liburnii Pisanensis diœcesis convenientes, super prosecutione reali ipsius unionis inter se diversa colloquia, & tractatus longo tempore habuerunt, & demum per viam concilii generalis tamquam viam rationabilem, & juridicam, ad hujusmodi schisma tollendum, procedendum fore decreverunt, & concilium ipsum, prout ad eos hoc casu pertinebat, ad civitatem Pisanam, quæ ab utroque contendente, licet diversis temporibus, approbata & oblata fuerat, & quæ ad id per omnes reputabatur idonea, & secura convocarunt ad eamdem civitatem, pro horum executione personaliter accedentes, interim prædicto Angelo ab eadem civitate Lucana ad dictam civitatem Senensem, unde illuc venerat, recedente: ubi etiam mala malis accumulando, plures alios in Cardinales contra sua promissa juramenta, & vota profanavit. Convocato igitur per eosdem rite hujusmodi generali concilio ad civitatem Pisanam, & convocatione ipsius universis Christianitatis partibus, regnis ac provinciis debito tempore solemniter publicata, ac successive etiam Angelo & Petro præfatis, nec non illis, qui eis adhærebant, & se pro Cardinalibus tenebant congrue tempore nunciata, citatisque eis, & vocatis peremptorie, ut per se vel alios eorum nominibus, & pro ipsorum interesse ad dictum generale concilium in eadem civitate Pisarum celebrandum, & ad causam schismatis & hæresis contra ipsos instituendam etiam convenirent, ac comparerent, ac præstita, & oblata eis plena securitate illic conveniendi, nec non ibidem morandi, & recedendi juxta eorum beneplacitum voluntatis.

Ut moniti Petrus a Luna ut accederet.

Intentatum Papæ & antipapæ schismatis & hæreseos judicium.

XV. Tandem adveniente præfinito termino, quo dictum generale concilium in eadem civitate Pisana fuerat celebrandum, & illic postea de partibus, regnis, & provinciis prædictis, ac per mare & per terram, quasi innumera multitudine prælatorum, videlicet patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & etiam ambasciatorum, & procuratorum Regum & principum, & prælatorum, & aliorum, qui illuc personaliter accedere non potuerunt, ac etiam multorum insignium locorum nunciis, & ambasciatoribus, necnon magistrorum in theologia, & jurisdoctorum, mira multitudine illic continuo concurrentibus, eisdem Cardinalibus & prælatis, qui ad hujusmodi concilium convenerant ad formandum processum pro unione Ecclesiæ necessarium contra eosdem Angelum & Petrum, ipsorumque sequaces pluries insimul convenientibus, ipsis Petro & Angelo illic non comparentibus per se vel alios; & propterea contumacibus, prout erant merito reputatis, servatis etiam servandis post multorum temporum intervalla, & nonnullis sessionibus, nec non aliis solemnibus actibus, prout ordo juris & tanti negotii qualitas exigebat, per eosdem Cardinales, per patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & abbates, qui locum in eodem concilio habebant, etiam publice, & solemniter factis; tandem hujusmodi generale concilium dictorum Angeli & Petri, & suorum sequacium absentia seu contumacia non obstante, pronunciavit, decrevit, & definivit, & declaravit (prout hæc omnia in dicto processu deducta, petita & probata fuerunt) Angelum & Petrum præfatos fuisse, & esse notorios schismaticos, & ejusdem schismatis nutritores, defensores, fautores, approbatores, incorrigibiles, & pertinaces, nec non notorios hæreticos, & a catholica fide devios, atque promissionum, votorum, & juramentorum suorum hujusmodi transgressores, & eamdem Ecclesiam notorie scandalizantes, & propterea omni honore & dignitate etiam papali se reddidisse indignos, ipsosque etiam per sacros canones ab eadem Ecclesia fore abjectos, privatos, & præcisos, ac privavit, abjecit, & præcidit; inhibendo quoque eisdem Angelo & Petro, ne quis eorum se pro Romano Pontifice gereret, aut nominare præsumeret, decrevitque dictam Romanam ecclesiam vacare, & per illos, ad quos hoc pertineret ad summi Romani Pontificis electionem procedendum fore, ac omnes, & singulos etiam si imperiali, regali, aut alia quavis dignitate fulgerent, juramento & obedientia quibus forte eis tenerentur astricti, penitus absolutos; inhibendo etiam Christi fidelibus antedictis, ne alicui ipsorum Angeli, & Petri parerent, obedirent, & intenderent, aut præstarent auxilium, consilium, vel favorem sub excommunicationis, & aliis censuris sive pœnis in tales a canonibus promulgatis: illos etiam, qui forsan hujusmodi sententiæ prædicti concilii parere contemnerent, ac fautores, defensores & sequaces Angeli & Petri prædictorum eisque adhærentes etiam per seculares potestates compescendos fore, & compesci debere: & insuper processus, ac excommunicationis, inhabilitationis, seu alias sententias, & censuras, nec non privationes ordinum quorumcumque ac dignitatum, etiam cardinalatus, beneficiorum, & officiorum, ac graduum quorumlibet contra eosdem Cardinales, qui hujusmodi concilio adhæserunt & interfuerunt, nec non promotiones quorumcumque ad cardinalatus honorem per Angelum a die tertia mensis maii, ac Petrum prædictos a die quintadecima junii anni domini millesimi quadringentesimi octavi factas fuisse, & esse nullas, irritas, atque cassas, illasque quatenus de facto processerant, cassavit, irritavit, & etiam annul-

Contumaciæ sententia in utrumque lata.

Damnati ut schismatis propagatores.

Cardinalatus jus abrogatum Cardinalibus a Greg. creatis.

mulctavit, prout hæc omnia in prædicta sententia plenius continentur.

Nos itaque, qui postea fuimus, divina favente clementia, ad apicem apostolatus assumpti, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium prædictam sententiam, & omnia alia & singula, quæ per concilium hujusmodi, pro tollendo schismate prædicto, & reintegratione memorata facta fuerunt, utpote provide, & tantorum venerandorum patrum, immo universalis Ecclesiæ authoritate & concordia facta, rata habentes & grata, ea authoritate apostolica ex certa scientia approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, decernentes non minoris existere vigoris, & firmitatis hujusmodi sententiam, nec non omnia, & singula acta, & acticata in eodem generali concilio in hac parte, quam fuerunt, & sunt alia concilia in diversis arduis negotiis ipsius Ecclesiæ celebrata; volentes insuper & eadem authoritate decernentes, quod eidem sententiæ in judicio, & extra, stetur firmiter, & omnino pareatur. Et quia turpis est pars, quæ suo non congruit universo, volumus etiam & authoritate prædicta decernimus, quod si quis contra eamdem sententiam forsan verbo, vel facto [quod absit] temere facere, aut venire præsumpserit, tamquam schismaticus, & hæreticus, & hæreticorum fautor, nec non ut universalis Ecclesiæ turbator & scandalizator ab omnibus fidelibus habeatur, ac etiam evitetur, donec ab errore hujusmodi resipiscens ad gremium ipsius Ecclesiæ præmissis satisfactione debita cum humilitate & reverentia revertatur. Nulli ergo &c. Datum Bononiæ 11. kal. februarii anno 1.

Acta in eos a Pisano conventu confirmata.

XVI. Similem sententiam in utrumque eorumque studiosos die cœnæ dominico sacro tulit (a). Pronæ vero in ejus venerationem fuere fidelium voluntates: inter quos Romani, qui extremo superiori anno excusserant Ladislai Regis Neapolitani jugum, atque ad pontificium obsequium procubuerant, portarum urbis claves cæteraque imperii urbani insignia Alexandro Bononiæ agenti detulere, quorum oratoribus magnifice exceptis, mutui amoris ac studii signa hisce verbis explicuit (b).

(a) Alex. reg. 2. p. 76.

(b) Ib. p. 66.

Exhibitio reverentiæ filialis, recognitio domini nostræ præclarissimæ almæ urbis, clavium portarum: sigillorum ac vexilli Romani populi urbisque præfatæ nobis in celeberrima multitudine exultantis exinde præsentia facta per ipsos oratores, prohibent argumenta clarissima scrupulo cujuslibet hæsitationis carentia, quæ calami aut vivæ vocis referare ministerio non possemus: nil enim menti nostræ jucundius aut pretiosius contingere potuisset; nam quod in injuria perditionis alumni Angeli Corario, Gregorium XII. se nominare ausu temerario præsumentis, perierat, & cunctis superatis laboribus, discriminibus, atque a rumulis jugo miserabilis ac lugendæ servitutis, quo premebamini, vestris agentibus potissime studiis ereptum recuperatumque conspeximus. Addit Romanorum ipsum in urbem evocantium pium desiderium gratissimum sibi accidere, ac jubileum annum ob eorum preces indicere: *Vestris, inquit, in hac parte supplicationibus inclinati annum ipsius jubilei futurum anno a nativitate dominica MCCCCXIII. proxime secuturo, de fratrum nostrorum consilio hac vice dumtaxat duximus indicendum, ac indicimus per præsentes, &c. Dat. Bononiæ id. martii anno 1.* Accepto ita urbis imperio, Alexander Petro tit. S. Praxedis presbytero Cardinali illius administrationem demandavit (c), instruxitque (d) authoritate, ut sacramenta jam ante Gregorio ac Ladislao Regi Neapolitano præstita solveret. Affectasse Ladislaum Romanum imperium capta urbe, refert subjectis verbis Theodoricus e Niem (e): *Ladislaus Rex Siciliæ fortiter instare videtur, quod fiat e vestigio Rex Romanus: Romani vero, sed forte nunc ficte aut simulate, respondent: Cæsarem habemus, super nos nolumus te regnare;* idque alibi confirmat, sic inquiens (f): *Ladislaus ut hostis imperii terras illius, quas potest destruit, seu capit & sibi subjicit violenter, & jamdiu est quod concepit in mente sibi velle ipsum imperium quomodolibet usurpare; unde proverbium jamdudum fuit in quadam ejus veste, quam tunc gestabat, consutum videlicet, aut Cæsar aut nihil.* Compressere Ladislai consilia conatusque Florentini, qua de re magnis laudibus commendati sunt ab Alexandro (g), liberatique ecclesiasticis fuere pœnis, quibus eos Gregorius ob non persolutam Apostolicæ sedi pactam ex fœdere pecuniæ vim mulctaverat, omniaque oppida, quæ de hostibus pepererant, attribuit. Ascripta est ejusmodi literis dies decima kal. maii. Nicolao etiam marchioni Atestino Ferrariæ vicario recepto in gratiam vectigalia ad xxvi. junii anni proxime evoluti non soluta remisit (h).

Romani decretis oratoribus illi se subiiciunt.

Petrus Card. S. Praxed. creatus urbis legatus.

(c) Alex. reg. 2. pag. 78. & 82.

(d) Ib. p. 78.

(e) Theod. a Niem. tract. 6. c. 31. & l. 3. cap. 48.

(f) Lib. 3. c. 48.

Ladislaus Italiæ regnum affectat.

Ejus conatus fracti a Florentinis.

(g) Alex. regest. 2. p. 96.

(h) Ibid. p. 52.

XVII. Constabilire ita pontificium solium adnitebatur, ditionisque ecclesiasticæ proceres sibi devincire Alexander, cum tertia maii hujus anni die, ut refert Gobelinus (i), mors illius consilia in medio secundo cursu confregit, quem in extremo vitæ actu ferunt (k) vocatis Cardinalibus professum, singula in Pisanis conventibus pio divinæ gloriæ ardore gesta a se fuisse. Tenuit is pontificatum controversum menses, decem, ac dies octo, ut ex antiquis monumentis (l) Joannis XXIII. tabulario insertis constat, quæ producenda visa sunt.

Alexandri V. mors.

(i) Gobel. in Cosm. at. 6. c. 9.

(k) Plat. in ejus vit.

(l) Ext. apud Jo. XXIII. l. 1. p. 3.

Est

[1] *Est sciendum, quod felicis recordationis dominus Alexander Papa V. qui Pisis post concilii generalis celebrationem contra Petrum de Luna & Angelum Corario de papatu contendentes, seu potius colludentes celebrati, & ex ipsius concilii auctoritate dominis Cardinalibus attributa electus fuit die* XXVI. *mensis junii anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo nono post diem sabbati tertia mensis maii anni millesimi quadringentesimi decimi in palatio apostolico, Bononiensi videlicet, post quintam horam noctis sequentis diei dominicæ, qua computata fuit quarta maii, incipienda dictas horas die sabbati ab occasu solis, diem suum clausit extremum. Quo tempore erant in collegio reverendissimorum patrum & dominorum, dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium* XXIII. *domini Cardinales scilicet domini Guido Penestrinus Pictavensis, Henricus Sabinensis Neapolitanus. N. Albanensis, Joannes Ostiensis Vivariensis, Antonius Portuensis Aquilejensis, & Petrus Tusculanus Anicienfis episcopi, Petrus tit. S. Susannæ de Thureye, Angelus tit. S. Potentianæ Laudensis, Petrus tit. S. Praxedis Hispaniæ, Conradus tit. S. Crisogoni Melitensis, Franciscus tit. SS. Quatuor coronatorum Burdegalensis, Jordanus tit. S. Laurentii in Damaso de Ursinis, Joannes tit. S. Crucis in Jerusalem Ravennatensis, Antonius tit. S. Martini, Ludovicus tit. SS. XII. Apostolorum de Barro presbyteri; Amedeus S. Mariæ novæ, Baldassar S. Eustachii Bononiensis, Raynaldus S. Viti in Macello de Brancaciis, Ludovicus S. Adriani de Flisco, Landulphus S. Nicolai in carcere tulliano Barensis, Odo S. Georgii ad velum aureum de Columna, Petrus S. Angeli, & Antonius S. Mariæ in via lata de Challant vulgariter nuncupati, diaconi sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales. Die autem lunæ quinta maii corpus sive cadaver dicti domini Alexandri post XXIV. horam portatum fuit cum intorciis honorifice ad ecclesiam fratrum minorum, in qua sepulturam suam elegerat: & in crastinum, qua fuit martis* VI. *dicti mensis maii, fuit incepta novena & successivis diebus continuata, & fecit dicta die officium dictus dominus Henricus Sabinensis episcopus, & magister generalis fratrum prædicatorum sermonem. Die vero mercurii* XIV. *dicti mensis maii fuit prædicta novena completa: & ipsius novena missa ultima per præfatum dominum Melitensem dicta, immediate*

Cardinalium Bononiæ consistentium nomina.

NOTÆ [1] ANno isto Alexander V. brevem quidem, sed pro temporum malignitate felicem pontificatum absolvit, die, anno & mense ab annalista indicatis. An sacerdotium legitimum gesserit in tanta rerum ambiguitate temere definiendum non judico; quemquam maximam Christiani orbis partem illi favisse nemo sincerus negaverit. Inter optimos pontifices, siquidem pontificem appellare illum licet, accensendus est, cum scientiam apprime calluerit; eloquentia pro eo tempore fuerit admirabili, prudentia quanta ferebat ætas illa vere senili præstiterit. Est tamen quod in viro reprehendit sincerus alioqui & æqualis eorum temporum scriptor Andreas Billius Mediolanensis Eremitarum S. Augustini, professor in eleganti historia, quam libris novem digestam e MSS. codicibus primus vulgavit Muratorius Rer. Ital. to. XIX. Hæc igitur ille de Alexandro: *Nihil vitiorum habuisse diceres, si non tanta cura invigilasset ventri, ut sæpe inhærens mensæ juberet ex mercato, quod forte in mentem venisset, emi, & concoqui; Ita sane dimidium temporis conviviis trahebatur: levitatis id modo notatum, plus quadringentis vernaculæ uno vestitu insignes in domo versabantur. Verum hæc imputanda Græciæ, ex qua oriundus dicebatur. Cæteris enim rebus professam religionem in usque ultimum diem summa pietate coluit; etiam ingemuisse dicitur, quo die factus pontifex togam mutavit. Hunc hodie quoque fratres sui Bononiæ sanctum colunt.* Obiit vero non absque veneni suspicione, quod illi clam ministratum fraude Balthasaris Cossæ, & tunc quidem in aures obmurmurabatur, & in concilio Constantiensi palam ab accusatoribus illi objectum fuit, quin & adductis documentis demonstratum, si vera scribit Anonymus ille Carthusianus, qui tunc aderat Constantiæ, & epistolam a Martene Anecdot. to. II. col. 1634. vulgatam ad Amicum de rebus ibidem gestis scripsit: *Timeo quod probata sit simonia*, (Johanni seu Balthasari Cossæ objecta) *homicidia & intoxicatio Alexandri*.

Post ejus obitum Carolus Malatesta, Ariminensis Princeps per destinatum Bononiam nuncium diu multumque egit apud cardinales, illum præsertim qui plus reliquis omnibus præstare auctoritate videbatur, Balthasarem Cossam, ut a novi pontificis electione abstinerent, pollicitus Gregorii spontaneam dimissionem, ac Benedicti coactam. Sed consiliis ejus spretis cardinales eumdem Balthasarem Cossam, sub nomine Joannis XXIII. pontificem renunciarunt. Hunc statim conveniens Carolus precibus, suasionibus, consiliis rogavit, ut concilium indiceret, in quo ipso pariter cum Gregorio sponte cedentibus, ac dejecto Benedicto, luctuoso schismati finis imponeretur. Primo quidem assensum rogenti præbere Joannes visus est; sed ut incautos falleret propofuit primo, concilium a se indicendum fore, secundo, nolebat ne Gregorius ibi adesset, tamquam in sua obedientia pontifex; cum ipse interim præsidere consessui tamquam legitimus pontifex vellet. Id quidem nec res ipsa poscebat, nec a Gregorio impetrari potuisset; quare non inepte princeps Malatesta assensum illum de indicendo concilio a pontifice ideo præstitum arbitratus est, ut incautos falleret, neque sinistram de se opinionem Fidelibus statim in exordio sui sacerdotii præberet, cum interim nihil magis abhorreret, quam concilium, in quo insignia principatus sui deponenda sibi esse norat. Hæc omnia discere licet ex variis literis, quas ejusdem Malatestæ orator apud Bonifacium ad Dominum suum dedit, certiorem illum de rebus a se cum pontifice gestis facturus, quas literas protulit Martene vet. monum. to. VII. MANSI

to missa sancti Spiritus fuit in prædicta ecclesia Minorum incepta & celebrata per prælibatum dominum Ostiensem, & sermo factus extitit per magistrum sacræ theologiæ, & ordinis fratrum Minorum professorem; & ipsa die mercurii de sero, videlicet post XXII. horam, præfati domini Cardinales inceperunt intrare conclave, & intraverunt omnes eadem nocte, dominis Penestrino, de Thureyo, de Barro de Saluciis ultramontes, de Flisco in terra sua, & Aquilejensi Bononiæ infirmo existentibus dumtaxat exceptis quinque.

JOANNES XXIII.

XVIII. Creatio Balthasaris Cossæ.

Peractis ita funebribus honoribus Alexandro V. Cardinales de subrogando novo Pontifice agitaturi consilia conclave sunt ingressi ac Balthassarem Cossam S. Eustachii diaconum Cardinalem, qui legati apostolici munere Bononiæ fungebatur, Pontificem renuntiarunt; de quo hæc Theodoricus e Niem in ejus vita refert (a): *Postquam dictus Alexander Papa infra pauca tempora, scilicet in principio mensis maii Bononiæ decessisset, dictus Balthasar simulans seu fingens se non curare quod eligeretur in Papam [& si ex industria, & qua intentione hoc processit, etiam incertum est] unde rogabat plerosque ex eisdem dominis Cardinalibus, quod Romæ dominum Conradum tit. S. Chrysogoni presbyterum Cardinalem Melitensem vulgariter nominatum natione Neopolitanum in Papam eligerent: qui licet esset in se bonus, erat tamen quasi omnino illiteratus, nec non valde grossus & indispositus ad papatum. Et quia tunc dominus Ludovicus Rex Siciliæ nominatus magnam paravit classem per mare, causa regnum Siciliæ antedictum, quod tunc præfatus Rex Ladislaus tenuit, acquirendi, quam per mare de Marsilia per ripariam Januensem tunc temporis destinabat, percipiens quod dictus Alexander Papa obierat & successores electio instanter imminebat, quemdam ambaxiatorem ad Bononiam destinavit, recommendando dictum Balthasarem præfatis dominis Cardinalibus, & præsertim de Gallia oriundis, & rogando quod illum Papam eligerent, quia sperabat se in acquisitione dicti regni cum adminiculo ipsius Balthasaris, si efficeretur Papa, indubie prosperari. Sicque dictus Balthasar postquam præfati Cardinales ad eligendum novum summum Pontificem conclave more solito intraverunt, paucis discursis diebus tantum, pro se & aliis multis infeliciter electus fuit in Papam, & ipso festo S. Urbani Papæ insignibus papalibus decoratus, seu coronatus per Bononiam publice incessit, per vicos & plateas equitando, prout moris est summorum Pontificum in die coronationis eorumdem.*

(a) Theod. e Niem. in vita Joann. XXIII.

Balthasaris simulatio. Ludovici Andegavensis opera utitur ut Galli Cardd. sibi faveant.

Regni Siciliæ possessionem Ludovico spondet.

Die S. Urbani coronatur.

XIX. Eadem reperit de Ludovici Regis precibus ac Balthasaris ambitu Theodericus in calce libri tertii historiarum sui temporis; tum addit: *Et sic finis hujus operis completi Bononiæ per me Theodoricum de Niem anno Domini MCCCCX. in festo S. Urbani, in quo prædictus Joannes Papa suæ coronationis insignia recepit Bononiæ. Sit laus & gloria Christo. Amen.* Sunt qui affirmant non prorsus liberam ejusmodi electionem fuisse, cum Balthasar A. S. L. Bononiæ armatum militem teneret, ut si precibus pontificatum consequi non posset, minis tandem, armisque extorqueret: *Vir quidem*, ait S. Antoninus (b), *in temporalibus magnus, in spiritualibus nullus omnino, atque ineptus, ut scribit Leonardus* (c). Consentanea iis scribit Gobelinus (d): *Anno*, inquit, *Domini MCCCCX. mensis maii die III. Alexander nuper in Papam electus in civitate Bononiensi, ad quam se cum curia transtulerat, decessit. Et post ejus obitum dominus Balthasar de Cossa natione Neapolitanus Cardinalis Bononiensis vulgariter nuncupatus electus in Papam VIII. kal. junii coronatus Joannes XXIII. est appellatus: in cujus electione multi scandalizati sunt, quia ut tyrannus rexisse Bononiam, & vitæ mundanæ deditus dicebatur.* Contaminatissimum vitiis fuisse illi objectum est in Constantiensi concilio; quare Cardinales arguendi, qui abjecto Gregorio viro pio hunc delegerint. (e)

Humanarum rerum peritus, at divinarum ignarus fuit.

(b) S. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 6. in pr.

(c) Leon. Aretin. in hist. rer. Italic.

(d) Gobel. in Cosm. æt. 6. c. 90.

Joannis laxiores mores.

(e) Ext. in mr. act. Const. Conc. ses. 13.

XX. Ut vero sacris sacerdotalibus ac pontificalibus initiatus fuerit, describunt Petri Tillii monumenta: *Sic igitur domini Cardinales numero XVII. fuerunt in dicto conclavi usque ad diem sabbati inde sequentis videlicet XVII. mensis maii. Qua adveniente, inter & X. & XI horas, præfatus reverendissimus in Christo pater & dominus dominus Baldassar S. Eustachii sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus Cardinalis legatus & vicarius generalis Bononiensis in dicto conclavi & de numero dictorum XVII. existens in summum Pontificem concorditer extitit electus, sicut ipsi domini Cardinales toti orbi nunciare verbo & scriptis curaverunt, & in ecclesia Bononiensi more solito statim per eos inthronizatus, qui Joannes XXIII. voluit nominari. Et in crastinum coram eo dominis Cardinalibus, qui in conclavi fuerunt, præstantibus, prædictus dominus Ostiensis missam in pontificalibus solemniter celebravit, ipso in capella magna dicti palatii apostolici Bononiensis in cathedra, in statu & habitu papalibus existente. Deinde sequenti die sabbati, qua fuit XXIV. dicti mensis maii, in presbyterum per dictum dominum Ostiensem ordinatus extitit, & die dominica sequenti XXV. ejusdem mensis fuit per eundem dominum Ostiensem consecratus in ecclesia S. Petronii Bononiensis, & demum, ante & extra dictam ecclesiam*

Sacris pontificalibus initiatur.

in

in Scadafalco ligneo alto & eminenti, missa prius post dictam consecrationem per eum dicta sive celebrata, per dictum dominum de Brancatiis primum diaconum Cardinalem, absente prædicto domino de Salutiis, publice & solemniter coronatus extitit. Post quam quidem coronationem in statu, & habitu papalibus, comitantibus ipsum dictis dominis Cardinalibus, multis prælatis, nobilibus, & civibus Bononiensibus & aliis sine numero, honorifice & solemniter per civitatem Bononiensem more solito equitavit, & demum ad palatium rediit Bononiense.

XI. Susceptis pontificiis insignibus Joannes universos præsules encyclicis literis de sua electione certiores factos ad sui venerationem adducere studuit; quo argumento datæ sunt ad Fridericum Coloniensem (a), Wernerum Treverensem (b), Joannem Moguntinum, ac Fredericum Coloniensem archiepiscopos: idemque exemplo Alexandri V disceptans Urbanum VI. & successores fuisse ambiguos Pontifices, censuras ab illis ac pseudopontificibus inflictas rescidit: quæ ab iisdem collata erant sacerdotia possessoribus instauravit; aliaque a prædecessore gesta confirmavit.

(a) Jo. l. 1. p. 159.
(b) Ib. p. 160.

Joannes, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit & convenit honestati, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu literæ apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem Angelo Corario, qui in sua Gregorius XII. & Petro de Luna qui in ejus obedientiis Benedictus XIII nominabantur, & qui tunc de papatu invicem contendebant, in generali concilio Pisis celebrato notoriis, schismaticis & pertinacibus hæreticis sententialiter declaratis, felicis recordationis Alexander Papa V. prædecessor noster ad apicem summi apostolatus assumptus ad pacem & redintegrationem, nec non veram unionem in universali Ecclesia tam in capite quam in membris, & ad reductionem Christifidelium quorumlibet ad ejusdem Ecclesiæ gremium ferventer intendens; & in hujusmodi apostolatus primordiis provide considerans, quod tam Petrum & Angelum prædictos, quam per quondam Bartholomæum archiepiscopum Barensem Urbanum VI. Petrinum Thomacellum Bonifacium IX. Cosmatum Innocentium VII. & Robertum de Gebennis Clementem VII. nuncupatos, ipsorumque Petri & Angeli prædecessores durante tunc dicto schismate & occasione ejusdem nonnulli processus, sententias excommunicationis, privationis, irregularitatis, inhabilitatis, suspensionis, & interdicti ac alias censuras in se continentes in & contra diversas personas, regna, jurisdictiones, communitates, universitates, collegia, loca, districtus, & territoria fuissent & essent hinc inde facti & promulgati; ac propter antiquationem dicti schismatis, & etiam quia multi notabiles doctores utriusque juris & magistri in sacra pagina scripsissent pro & contra, ac publice & solemniter determinassent, in dubium verteretur a multis quis a tempore schismatis foret verus Romanus Pontifex, seu quis veri vicarii Jesu Christi fungeretur officio, ad exonerationem conscientiarum utriusque obedientiæ, quæ nunc per Dei gratiam ad unum ovile omnium reductæ fuerunt, omnes & singulos hujusmodi processus & sententias, qui vel quæ occasione & prætextu schismatis atque adhærentiæ utriusque partis, seu via neutralitatis assumptæ vel introductæ hinc inde, ut præmittitur, lati decreti seu fulminati fuissent: quos omnes & singulos idem prædecessor in hujusmodi ordinationibus pro expressis haberi voluit, eodem approbante concilio ex certa scientia sustulit & abolevit, ac pro sublatis & abolitis in perpetuum haberi voluit neminem præfatis sententiis ac processibus esse ligatum vel involutum declarando; & nihilominus ex abundanti quoscumque subdictis processibus comprehensos ab eisdem sententiis & censuris absolvit, & pro absolutis haberi decrevit, & declaravit, si & quatenus indigerent; etiam super irregularitatibus si quas propter præmissa vel occasione præmissorum contraxissent, dispensando: & etiam dictus prædecessor omnes & singulas dispensationes factas per eosdem contendentes tunc de papatu, vel eorum alterum, seu eorum prædecessores super matrimoniis & aliis casibus, qui forum conscientiæ inspicerent ipsorum durante obedientia, in partibus neutralibus vel subtractis ex simili scientia ratificavit & approbavit.

Contendit fuisse dubium Urbani & successorum jus.

Censuræ latæ a contendentibus abolitæ.

Et insuper, eodem approbante concilio, idem prædecessor pro pace & redintegratione ac perfecta unione universalis Ecclesiæ in capite & in membris electiones, postulationes, ipsarum admissiones, confirmationes, mutationes, consecrationes clericorum, ordinationes, præsentationes, institutiones, collationes, permutationes, privationes, & quasvis provisiones & dispensationes quibusvis personis eidem concilio & ejus determinationi adhærentibus de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis & prælaturis per electores, confirmatores, per patrones ordinarios, & quoscumque provisores ad hoc potestatem & auctoritatem habentes, canonice factas temporibus & locis subtractionis & neutralitatis, in quibus hujusmodi contendentibus obedientia non præstabatur, etiam eodem approbante concilio ratificavit & approbavit, & ratas habere & manere voluit atque firmas, atque omnem suscipere roboris firmitatem, reservationibus non obstantibus quibuscumque.

Præterea omnes dispensationes factas per episcopos diœcesanos in partibus neutralibus

super

Induita instaurata.

super defectu ætatis patientibus causa assequendi & obtinendi beneficia, dignitates, aut prælaturas, ac omnes absolutiones & rehabilitationes in foro pœnitentiali tam per contendentes, quam per dictos ordinarios pendente schismate factas super casibus sedi Apostolicæ reservatis simili scientia, eodem approbante concilio, ratificavit & approbavit. Et ut litium anfractus quarum dubii erant & sunt eventus, consultius evitarentur, dictus prædecessor, etiam approbante concilio, decrevit & declaravit quod omnes & singuli beneficia ecclesiastica, dignitates, personatus, vel officia curata, vel non curata titulo ordinario assecuti, & possessionem pacificam jam adepti, dum tamen canonice, & alias quam per privationem adhærentium concilio prædicto, & ejus determinationi beneficia, dignitates, personatus, vel officia hujusmodi fuissent assecuti, beneficiis hujusmodi libere & pacifice gauderent, nec in jure, titulo, vel possessione suis quomodolibet inquietarentur, turbarentur, seu gravarentur, etiam beneficia ipsa specialiter, vel generaliter sedi prædictæ essent reservata.

Asserta possessoribus sacerdotia.

XXII. *Postea vero ad supplicationem dilecti filii nobilis viri Guillelmi ducis Bavariæ & comitis Hannoniæ, asserentis quod quamplurimis viris notabilibus multumque litteratis, multisque Regibus ac regionibus in ipsius schismatis principio super duabus electionibus, videlicet Urbani & Clementis prædictorum, ut etiam superius tactum est, varia & diversa hinc inde sentientibus, & easdem electionis prima cum suis circumstantiis tam verbo quam scripto aliter & aliter contrarie narrantibus & asserentibus, quodque in suo comitatu Hannoniæ, qui tunc sub temporali dominio quondam Alberti ejus genitoris erat, inter provectiores & accepta auctoritatis viros, quorum consiliis & deliberationibus ipse genitor in ea parte tunc inhæsit, super dictis electionibus de Urbani & Clementis prædictorum personis [ut prætendebatur] factis, quæ videlicet earum subsistentibus hinc inde persuasionibus & monitis ac circumstantiis plurimis canonica censeri debuit opiniones, nec non altercationes & controversiæ pullulabant; per genitorem prædictum, nec non universos ecclesiasticos prælatos ac clerum & nobiles, communitates, comitatus ejusdem matura super hoc deliberatione præhabita, coram Deo tamen & sanctis ejus beatisque Petro & Paulo Apostolis protestatione prævia, quod ab unitate sanctæ matris Ecclesiæ ac fidei orthodoxæ propterea recedere, & sanctorum patrum sanctionibus ac institutionibus canonicis alias obviare nullatenus intendebant, via neutralitatis fuerat introducta, præfatus prædecessor videlicet IV. kalend. maii pontificatus sui anno primo ex præmissis & certis aliis rationalibus causis, etiam alias ei expositis, voluit, & concessit, quod sublationes, abolitiones, ac declarationes præfatæ ab eisdem processibus, sententiis, & censuris, nec non approbationes & ratificationes prædictæ, ac alia ordinationes & constitutiones quæcumque in eodem concilio edita a tempore editionis illarum usque ad septimam diem mensis februarii de anno Domini MCCCCX. ad ea similiter, quæ interim in eodem comitatu per ordinarios facta fuerant, se extenderent & locum haberent, eaque sic facta eaque gesta, & quæcumque inde secuta rata & firma perpetuo remanerent, ac valida & efficacia censeri & reputari deberent, eisque in judicio & extra ubicumque exhibita forent vel ostensa staretur, & fides plenaria adhiberetur in omnibus & per omnia, ac si idem prædecessor illa omnia & singula ex certa scientia duxisset, eodem approbante concilio, etiam auctoritate apostolica confirmanda, & quæ nihilominus idem prædecessor die prædicta, videlicet IV. kal. maii eadem auctoritate confirmavit, ratificavit, & etiam approbavit.* Interjectisque nonnullis, quibus superioribus contraria decreta ab Alexandro rescissa sunt, subdit.

Neutralitas ab aliquibus donec certius constaret de facto suscepta.

Decreta Alexandri a Jo. confirmata.

Graves de jure papatus controversiæ disceptatæ.

Ne autem de voluntate & concessione ac ultimis confirmatione, ratificatione, & approbatione prædictis pro eo, quod super illis dicti prædecessoris, ejus superveniente obitu, literæ confectæ non fuerunt, valeat inposterum quomodolibet hæsitari, volumus & eadem auctoritate decernimus, quod voluntas dicti prædecessoris & ejus concessio, nec non ultima confirmatio, ratificatio, ac approbatio præfatæ provide a dicta die videlicet IV. kal. maii, valeant, plenumque sortiantur effectum, ac si super eis dicti prædecessoris literæ sub ipsius diei data confectæ fuissent, prout superius enarratur, quodque præsentes literæ ad probandum plene voluntatem prædecessoris ejusdem, nec non concessionem & ultimas confirmationem, ratificationem, & approbationem prædictas ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo, &c. Dat. Bononiæ VIII. kal. junii pontificatus nostri anno I.

XXIII. Substitisse Joannem Bononiæ integro fere anno indeque Romam petiisse, scribit S. Antoninus (a), de cujus adventu nos proximo anno agemus. Interea ipse nihil prætermisit, quod ad asserendum sibi pontificatum conferre posse existimavit: Judiciariis vero actis Gregorium & Petrum e Luna est insectatus, utque ab ipsis & fideles divelleret latas in eorum studiosos sententias ad semestre viribus carere jussit, quo nimirum ea clementiæ specie, ipsos ad se pelliceret.

Omnes ad suum obsequium traducere nititur.

(a) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 6. in princ.

Joannes, &c. ad futuram rei memoriam.

Pia mater Ecclesia sicut paterna pietatis singulos fovens Christi fideles nonnunquam ab ejus obedientia oberrantes castigat filios, ut sic salutare bonum ipsorum recognoscere, atque redire ad viam justitiæ compellantur, cæterique eorum exemplo perterriti, ad devia non declinent. Rursus quandoque offensas benigne remittit, beneficiis allicit, & blanditiis fovet errantes, ut dum maternam clementiam gratiarum ubertatibus sibi sentiunt fore propitiam, ad eam reversi studeant eo firmius & constantius diligere ac venerari ipsam matrem & dominam, opere cognoscentes quod qui extra illam seminant non colligunt, sed dispergunt: Sane dudum sacro generali concilio in civitate Pisana, de & super unione & redintegratione universi gregis fidelium congregato, per idem concilium justo Dei judicio ex tunc inter cætera pronunciatum, decretum, definitum & declaratum fuit, Angelum Corario, qui Gregorius XII. in sua, & Petrum de Luna qui Benedictus XIII in ejus obedientiis olim nominabantur, fuisse, & esse notorios schismaticos, & ejusdem schismatis nutritores, defensores, fautores, & approbatores incorrigibiles & pertinaces, necnon notorios hæreticos & a catholica fide devios, atque promissionum, votorum, & juramentorum suorum transgressores, & eamdem Ecclesiam notorie scandalizantes, & propterea omni honore & dignitate etiam papali se reddidisse indignos, ipsosque etiam per sacros canones ab eadem Ecclesia fore abjectos, privatos, & præcisos, ipsumque sacrum concilium eos privavit, abjecit, & præscidit inhibens quoque ipsis Angelo, & Petro, ne quis eorum se pro Romano Pontifice gerere aut nominare præsumeret, decrevitque dictam Romanam Ecclesiam vacare, & per illos, ad quos pertinet, ad summi Romani Pontificis electionem procedendum fore, ac omnes & singulos etiamsi imperiali, regali, aut quavis alia dignitate fulgerent, juramento, & obedientia, quibus forte eis tenerentur astricti, penitus absolutos; inhibendo etiam fidelibus antedictis, ne alicui ipsorum Angelo & Petro parerent, obedirent, & intenderent, aut præstarent consilium, auxilium, & favorem sub excommunicationis & aliis censuris, sive pœnis in tales a canonibus promulgatis: illos etiam si hujusmodi forsan sententiæ prædicti concilii parere contemnerent, ac fautores, defensores, & sequaces Angeli, & Petri prædictorum, eisque adhærentium, etiam per sæculares potestates compescendos fore, atque compesci debere; & insuper processus ac excommunicationis & inhibitionis, seu alias sententias & censuras, nec non privationis ordinum quorumcumque ac dignitatum, etiam Cardinalatus, beneficiorum, & officiorum ac graduum quorumlibet contra venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, & qui hujusmodi concilio adhæserant & interfuerant; nec non promotiones quorumcumque ad cardinalatus honorem per Angelum a die IX. mensis maii, & Petrum prædictos a die XV. junii anno Domini MCCCCVIII. factas, fuisse & esse nullas, irritas, atque cassas, illasque quamvis de facto processerant etiam hujusmodi sacrum generale concilium cassavit, irritavit, & annullavit.

Gregorium ac Petrum e Luna persequitur ut schismaticos.

Pisani concilii censuras renovat.

Post hæc autem felicis recordationis Alexander Papa V. prædecessor noster ad apicem summi apostolatus assumptus, videlicet kal. februarii pontificatus sui anno primo de ipsorum fratrum suorum consilio, prædictam sententiam, & omnia & singula per hujusmodi concilium pro tollendo schismate in Ecclesia prædicta, ac redintegratione Ecclesiæ memorata facta utpote provide, atque tantorum venerandorum patrum insimul in eodem concilio congregatorum, immo ejusdem universalis Ecclesiæ auctoritate & concordia facta grata habens & recta, ea auctoritate apostolica ex certa scientia approbavit, & quarumdam literarum suarum patrocinio communivit, decernens non minoris vigoris & firmitatis facta, dictam sententiam, ut non omnia & singula actu & acticata in eodem generali concilio in ea parte, quam fuerant alia concilia in diversis arduis negociis ipsius Ecclesiæ antea celebrata: Volens insuper, & eadem auctoritate decernens dictus prædecessor, quod sententia prædicta in judicio & extra starctoe firmiter & obediretur omnino, statuens etiam quod si quis contra eorumdem sententiam verbo vel facto temere facere aut venire præsumeret, tanquam schismaticus & hæreticus & hæreticorum fautor, nec non & ipsius universalis Ecclesiæ turbator, & scandalizator a cunctis ipsis fidelibus haberetur, & tamdiu evitaretur, donec ab errore hujusmodi resipiscens, ad gremium ejusdem matris Ecclesiæ, præmissa satisfactione debita, cum humilitate & reverentia converteretur. Et volens etiam dictus prædecessor eamdem sententiam executioni debitæ demandare, per alias suas literas venerabilibus fratribus nostris universis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, nec non aliis ecclesiarum & monasteriorum prælatis ad quos ipsæ aliæ suæ literæ pervenirent, mandavit, ut easdem primas literas suas in eorum cathedralibus & parochialibus ecclesiis suarum civitatum & diœcesum dum populus inibi conveniret ad divina, nec non aliis locis publicis, ubi foret expediens, aut quomodolibet opportunum, auctoritate sua publicari facerent, ita & taliter quod ad omnium in- dubi-

dubitatam notitiam possent verisimiliter pervenire, & nemo quod sententiam ipsam ignoraret, prætendere posset, aut etiam allegare: nec non illos etiam, qui forsan pœnas & censuras in eisdem primis literis comprehensas adhærendo, seu faciendo post eandem sententiam Angelo, vel Petro prædictis, seu sequacibus, aut complicibus alterius eorundem incurrerent, schismaticos & hæreticos, ac hæreticorum fautores & defensores excommunicatos, nec non ejusdem universalis Ecclesiæ turbatores & scandalizatores esse nunciarent, & contra eos per pœnas in tales a jure alias promulgatas procederent, & illos damnabiliter irretitos fore denunciarent atque denunciari, nec non ab omnibus evitari arctius procurarent, prout in sententia & literis prædictis continetur.

XXIV. *Postmodum vero dicto prædecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio, nos divina favente clementia ad hujusmodi apicem evocati, salutem quærentes singulorum, de ipsorum fratrum nostrorum consilio, & apostolica plenitudine potestatis, omnes & singulos patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, & electos, nec non abbates, priores, præpositos cathedralium & collegiatarum ecclesiarum, nec non capitula, monasteria, & aliorum locorum conventus, & omnes alios & singulos clericos & ecclesiasticas personas, nec non etiam omnes Reges, duces, marchiones, Lantgraviores, & alios sæculares principes, comites, barones, proceres, & magnates, & generaliter spirituales & sæculares potestates, quacumque etiam præfulgeant dignitate ac statu, gradu, vel ordine, atque utriusque sexus homines, cujuscumque conditionis fuerint, obsecramus in visceribus charitatis, & exhortamur in Domino, ut ab adhærentia & fautoria ipsorum Angeli & Petri, eisque adhærentium & faventium omnino desistant, ac ad ipsam matrem Ecclesiam, extra quam non est salus, reverenter & devote, prout tenentur redeant, unitatem ejusdem firmiter inhærendo, nos enim fulti auctoritate, quam Christus corporaliter existens in terris dedit beato Petro Apostolo, cujus vices, quamvis insufficientibus meritis, gerimus ac inquiens:* Pasce oves meas; *subjunxit:* Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis; *omnes illos, qui ut in Domino, cujus res agitur in hac parte, confidimus, infra sex menses a data præsentium computandos, relictis erroribus, quibus præsertim post sententiam & literas antedictas, eisdem Angelo vel Petro quomodolibet adhærendo ipsis, de præstando auxilio, consilio, vel favores per se vel alios, publice vel occulte, aut ob eorum altera dignitates ecclesiasticas vel sæculares seu præeminentias sive gratias aut beneficia vel officia ecclesiastica regularia, seu sæcularia impetrando, atque hujusmodi dignitates, beneficia, & officia consequendo, aut retinendo involuti sunt, ad Ecclesiam eandem redierint puro corde sub nostra & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium obedientia & reverentia, ex tunc perpetuo remansuri, & de hoc coram suorum ordinariis, aut metropolitanis si nobis & Ecclesiæ prædictæ fideles & obedientes fuerint, alioquin coram proximioribus locorum diœcesanis aut metropolitanis vel ipsorum commissariis ad hoc specialiter deputatis, nobis & eidem Ecclesiæ fidelibus, & adhærentibus, infra dictum terminum, de præmissis humiliter veniam petierint ac satisfecerint competenter, dictosque Angelum & Petrum, ac eorum sequelam & adhærentiam, præstita super hoc per eos ad sancta Dei evangelia corporaliter juramento, expresse abnegaverint, confectis super hoc publicis instrumentis ab omnibus & singulis excommunicationum sententiis, nec non aliis pœnis & censuris spiritualibus & temporalibus tam ab homine quam a jure, ac etiam per generale concilium, & literas hujusmodi prædecessoris ejusdem quomodolibet promulgatis auctoritate apostolica, ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc absolvimus plenarie per præsentes, remittens eis de benignitate apostolica, etiam omnium offensam prædecessore, & Ecclesiæ prædictis, atque nobis per ipsos & eorum quemlibet propterea irrogatam, & nihilominus ex uberiori dono gratiæ, ipsos ad ejusdem Ecclesiæ gremium interim revertentes, nec non in nostra, & eorundem successorum nostrorum reverentia & obedientia persistentes firmiter, ut præfertur, paterna clementia, ad plenitudinem gratiæ nostræ recipiemus, ipsos charitative, & benignius confovendo, &c. Dat. Bononiæ XII. kal. augusti anno I.*

Eodam augendarum partium suarum studio adductus Joannes Landulphum S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem in Hispanias legatum misit (a), ut tum Castellanos, Legionenses, & Aragonios ad se traduceret, tum Petrum (b) e Luna pertentaret num insignia ponere vellet, dequa ea se cum ipso pacisceretur: daret quoque operam (c), ut Granatæ Rex & Mauri abjecta Mahometana superstitione Christianam fidem ac religionem complecterentur. Ad continendos vero in sui obsequio Ecclesiæ clientes præfecit (d) comitatui Venusino Petrum tit. S. Susannæ presbyterum Cardinalem, ac sacrum bellum in Catalanos illum occupantes, qui a Petro e Luna arcium præsidiarii relicti erant, dato militi crucis symbulo promovere jussit, quo vita functo Franciscum archiepiscopum Narbunensem in illius locum subrogavit (e), ac Pe- XXV.

Landulphus Card. decretus legatus in Hispanias.

(a) Ib. l. 1. p. 204. 206. ad 230.
(b) Ib. p. 227.
(c) Sup. p. 204.
(d) Lib. 3. p. 46.
(e) Ib. p. 119.

(a) Lib. 1. p. 124. 126. (b) Lib. 1. p. 123.

trum (a) tit. S. Praxedis presbyterum Cardinalem urbis & Campaniæ, Maritimæ, ac Sabinæ provinciarum legatione donatum ab Alexandro confirmavit (b) in eo munere, Vitucioque Vitelleſcho nobili Cornetano præfecto Hadrianæ molis imperavit, ut legatum octo domeſticis ſtipatum ingredi in arcem permitteret. Eundem præterea legatum ſumma authoritate in citeriore Sicilia inſtruxit (c), ut Ludovicum nimirum Andegavenſem adverſus Ladiſlaum Gregorii ſectatorem in regnum induceret. Quam etiam ob cauſam Joannes Ludovico Regi Marenæ arcis præfecturam demandavit (d), ut facilius copias, quas terra marique comparaſſe refert Monſtreletus (e), in eo loco conglobatas in Neapolitanum regnum effunderet. Commendavit etiam Ludovicum eundem Joannes univerſis præſulibus, principibus, urbiumque magiſtratibus, ut omnibus illum officiis proſequerentur (f): *Ad ſtatum*, inquit, *proſperum & tranquillum chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Regis Siciliæ illuſtris votivis ſtudiis intendentes, & cupientes ut idem Rex ubique civitatum, terrarum, & locorum, portuum etiam maritimorum, cum omnibus ſuis comitiva gentibus armigeris, equitibus, peditibus, atque navigiis, rebus & bonis omnibus ad omnem ipſius Regis & ſuorum tempore & prout & ſicut ab toties quoties requiri contigerit, honorifice & cum omni reverentia & tractatione gratuita recipietur, ac etiam pertractetur, univerſitatem veſtram & veſtrum ſingulos præſentium tenore requirimus*, & infra, *juxta vires de gentium armigerarum veſtrarum & aliis præſidiis ad ejus regium mandatum effectualiter eum eundem Regem ſtatumque ſuum in charitatis noſtræ geramus viſceribus effectualiter providere curetis, aperiendo de die & nocte civitates, terras, caſtra, & loca quæque, & in ipſis eundem Regem & comitivam ſuam recipiendo. Dat. Bononiæ VIII. kal. junii anno I.*

(c) Lib. 3. p. 22. Ludovicum Andegavenſem inducere nititur in regnum Neap.
(d) Pag. 102.
(e) Monſtr. vol. 1. c. 62.
(f) Lib. 5. p. 157.

XXVI.

(g) Niem. in vit. Joan. XXIII.

Ludovici Andegavenſis claſſis profligata a Ladiſlao.

Non reſpondere Joannis ac Ludovici Andegavenſis conſiliis ſperati ſucceſſus. Tradit enim Theodoricus Niemius (g) claſſem ipſius Ludovici a Ladiſlai & fœderatorum Genuenſium claſſe fuiſſe profligatam: *Infra paucos dies*, inquit, *poſtea ingrata nova recepit idem Balthaſar, qualiter galeæ & naves dicti Regis Ludovici, quas verſus ipſum regnum Siciliæ deſtinavit, cum hominibus tunc exiſtentibus in eiſdem uſque ad numerum octo millium vel circiter in prædicta riparia prope portum Veneris, ſeu illa plaga maris, per nautas & auxiliatores dicti Ladiſlai expugnatæ, & quædam ad Januam, reliquæ vero ad Neapolim abductæ fuiſſent: & etiam illa tempeſtate civitates Faventiæ & Foroliivienſis, & quædam alia loca inſignia & fortia quæ in Romandiola uſque tunc dictus Balthaſar occupabat, per quoſdam hoſtes & æmulos ſuos recenter & violenter occupata fuerunt, in hoc domino Carolo de Malateſta cooperante, propter quod dictus Balthaſar valde dolebat.*

Imola & Forumlivium ad Gregor. partes revocantur.

XXVII.

Sigiſmundus Rex ad Joannis partes ſe confert.

Cæterum hoc anno Joannis partes amplificatæ admodum & confirmatæ fuerunt, Sigiſmundo Rege Hungariæ, qui antea Gregorio adhæſerat, ad Joannis partes traducto. Defecerat is primum a Bonifacio IX. cum illum ſibi adverſantem expertus eſſet, dum ad Hungariæ regnum Ladiſlaum, ut diximus, evehere nitebatur: venientem vero ad ſe, decretaque Piſanæ ſynodi amplectentem Joannes maximis eſt officiis complexus, vulgavitque literis (h) illum a ſe ob continua cum barbaris bella, ut fidei ſtrenuum defenſorem ejuſque poſteros & ſucceſſores, ut amantiſſimos filios complexurum, tum etiam de iis qui Sigiſmundum ipſum læſiſſent, pœnas ſumendas decrevit. Pluribuſque interjectis addit Niemius, ut idem Joannes XXIII. Carolum e Malateſtis, qui partes Gregorii defendendas ſuſceperat, ad ſuas traducere niſus ſit; atque illum Carolus de abdicandis pontificiis inſignibus poſtularit, ad quæ deponenda paratus erat Gregorius, quo priſtina eccleſiarum conjunctio redintegraretur: ad quæ Joannes inconſtantem ſe præbuerit, ac modo illi ſe poſiturum pollicitus ſit, modo recuſarit: *Quæſivit*, inquit, *idem Balthaſar ſummopere, qualiter dominum Carolum de Malateſtis ſibi attrahere poſſet, promittendo eidem quod ſi ipſum Balthaſarem pro Papa tenere ſibique fideliter adhærere vellet, ipſe ei ſuiſque miranda faceret. Ad quod dictus dominus Carolus flecti non potuit, aſſerens quod licet ipſum Balthaſarem in minoribus conſtitutum, ſcilicet dum eſſet cubicularius domini Bonifacii & legatus Bononiæ, dilexiſſet eum, etiam tunc juvando pro poſſe, verumtamen ipſum pro Papa non teneret, nec ſalva conſcientia pro tali tenere poſſet, ſciens ipſum omnino fuiſſe & eſſe indiſpoſitum ad papatum, nihilominus rogando ipſum Balthaſarem frequentius per intermedios nuntios, quod ejus tali quali papatu cederet, cum poſſet, ad hoc quod vera unio in ipſa univerſali Eccleſia (ſi datum eſſet deſuper) ipſo Balthaſare mediante ſequeretur aſſerens, ſi dictus Balthaſar hoc faceret cum effectu, ex hoc ſibi gloria & honores magni accreſcerent: & tunc etiam dictus dominus Carolus cum favore, quo poſſet, ipſum proſequi & juvare contra quoſlibet æmulos ejus vellet, quod aliquando idem Balthaſar ſe facturum affirmavit, & quandoque negavit diverſis ſcriptis ſuis quæ legebam.* Cum ſubornare Carolum Malateſtam non potuiſſet, conatus ſuos adverſus Ladiſlaum qui eum armis juvabat, Gregoriumque tuebatur convertit: qua de re dicetur inferius.

(h) Ib. p. 29.

Carolum Malateſtam ad ſe traducere nititur.

Poſtulatus de ceſſione ad redintegrandam eccleſiarum conjunctionem.

Varium & inconſtantem ſe præbet.

Jo-

Joannes, &c. ad futuram rei memoriam.

Petitio pro parte charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Hungariæ illustris, per dilectum filium nobilem virum Piponem comitem Themisiensem oratorem commissarium ac procuratorem suum nobis nuper exhibita, continebat quod, cum idem Rex retrolapsis temporibus a nonnullis, qui pro Romanis Pontificibus se gesserunt, conspexerit serenitatem domumque suas inclytas, non ea, qua decebat, benignitate paterna juxta suæ sereinitatis indesinum indebite pertractatus; & quod his praesertim temporibus, quibus tamquam pugil & athleta invictissimus orthodoxæ fidei adversum barbaras infidelium nationes & hostes truculentissimos & immanes Redemptoris omnium ut catholicum decebat principem, cunctis superatis laboribus, periculis etiam personalibus discriminibus suis, ac suorum regnorum quorumlibet, fervide ac intrepide militasset, nonnulli Christicolæ ipsum Regem, civitates, castra, villas, territoria, seu regna sua regiæ ditioni supposita, subditosque suos, res, & bona impetere, invadere, molestare, turbare, ac damnificare multipliciter, et damnabiliter in gravissimum sui status, subditorum, ac regnorum hujusmodi detrimentum, & animarum offendentium periculum & gravamen, inhumaniter præsumpserunt; quare pro parte dicti Regis, qui ut idem Pipo orator asserit in nostra, & Ecclesiæ, ac successorum nostrorum canonice intrantium Romanorum Pontificum fidelitate, devotione, ac obedientia permanere, ac illa semper per se ac successores & descendentes suos, regali integritate intendit efficere, per qua status honorque noster, ac successorum nostrorum hujusmodi, & hostium nominis Crucifixi confusio & orthodoxæ exaltatio fidei subsequentur, nec se subtrahere quomodolibet in futurum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis, ne ea vel similia contingant de cætero, statuique suo, regnorum, & subditorum, ac descendentium & successorum suorum de domo sua providere de benignitate apostolica dignaremur.

Queritur de iis qui in illum arma sumpserant.

Poscit sibi ac posteris regnum Hungaricum confirmari.

XXVIII. *Nos igitur attendentes præclaram fidem ipsius, & opera catholico Rege dignissima, quæ idem Rex & claræ memoriæ progenitores sui Reges domusque sua illustris pro statu & honore, defensione & confusione hujusmodi laudabiliter atque regaliter peregerunt, ac laude dignissima impenderunt hactenus, & quæ jugi, regali, & catholica perseverantia, tamquam basis invictæ fortitudinis impendere eadem sua serenitas non desistit,* & infra, *hujusmodi supplicationibus inclinati, tenore præsentium declaramus nostræ intentionis fuisse & esse, præfatum Sigismundum Regem, & omnes & singulos descendentes ac successores suos de præfata ejus domo benigne ac paternaliter, tamquam benemeritos ac nostros, & ejusdem ecclesiæ charissimos filios & Christianæ fidei zelatores ardentissimos pertractare, & pro talibus pro nobis, ac successoribus nostris hujusmodi descendentes & successores præfatos habere, recipere, & in perpetuum tenere pariter & reputare, ac eamdem regiam serenitatem potissime, quam tamquam scutum atque murum inexpugnabilem, nostræque & Christianæ fidei, fortitudinis brachium, suis recensitis gloriosissimis studiis, descendentes, & successores de domo sua præfata non immerito reputare, & ex nunc pro talibus habemus, recipimus ac reputamus, ac eosdem tenere volumus pro constanti, quod ipsius Regis, descendentium, & successorum, & domus hujusmodi securitatem pariter & honorem, atque domus exaltationem, quantum cum Deo & honestate poterimus, nos & successores nostri paternis affectibus prosequemur, &c. Dat. Bononiæ III. non. augusti anno I.* Cum vero inter præteritos eos tumultus Sigismundus Rex plures ecclesiarum opes ad regium ærarium derivasset (a), tum nonnulli præsules variis in eum coitionibus se implicuissent, & ipsi graviorum bellorum moles in barbaros finitimos incubuisset, jamque facti pœnitens, misso Pipone oratore, inter cætera spopondit a se ecclesiarum jura restitutum iri, atque ad expiandam culpam templum constituto in eo sacerdotum collegio excitandum; precesque addidit ut nuntius apostolicus eo mitteretur, qui ipsum susceptæ religionis nexibus exsolveret: demandata (b) ea provincia est Brandæ episcopo Placentino cum amplissima potestate decernendi de sacerdotiis ac litibus componendis quæ subortæ erant, dum Sigismundus conferendorum sacerdotiorum jus sibi arrogaret; tum etiam instruxit (c) authoritate ut ecclesiam Hungaricam ad pristinum religionis nitorem revocaret.

Asserit illi Hungaricum sceptrum Joannes

Poscit veniam Sigismundus ob divexatas ecclesias.

(a) Jo. l. 3. pag. 31.

(b) Ib. pag. 78.

(c) Ib. pag. 80.

XXIX. Pium etiam Sigismundus academiæ in Hungaria excitandæ conceperat desiderium, ut rem literariam instauraret, quare Joannes internuntio suo ad eum misso injunxit (d), ut de loco ad illam commodo & agro cognosceret, daretque operam, ut immunitatibus consentaneis ornaretur: tum etiam fœdos abusus, ex quibus in discrimen adducebatur religio, excindere est jussus (e): proceres enim ecclesiis administrandis minus idoneos sacerdotes adhibere, ac dein submovere administratione ad suam libidinem consueverant, ea quo religionis splendor obsolescebat, cum præcipue ex schismaticorum infideliumve propinquitate ac societate non levibus maculis aspergerentur Hungari. Ad imbuendos vero Christiana religione Cumanos, Philisthæos, ac ta-

Instituendæ in Pannonia academiæ potestas data.

(d) Ib. pag. 87.

(e) Ib. pag. 179.

taros, qui ad verum Dei cultum fuerant traducti, internuntio jus contulit (a), ut ecclesias statueret parochiales, in quibus perciperent sacra.

(a) Ib. pag. 86.

Jo. &c. venerabili fratri Brandæ episcopo Placentino referendario nostro, ac in Hungaria & aliis regnis & partibus charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Hungariæ illustri subjectis, pro nobis & Romana ecclesia reformatori salutem, &c.

Ut in exequutione reformationis, quam in regno Hungariæ & nonnullis aliis partibus charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Hungariæ illustri subjectis tuæ commisimus fraternitati expressioribus auctoritatis tuæ & patrociniis fulciatis; & sicut accepimus, in certis partibus infra, & circa limites dicti regni sint Cumani, Philistæi, & Tartari noviter ad fidem Christianam conversi, quorum curam animarum, fratres ordinis Minorum ex ordinationibus, ut dicitur, apostolicis, hactenus gesserunt, prout gerunt, & qui modernis temporibus non modicum multiplicati sunt, & insimul commorantur, sintque in eisdem partibus certæ ecclesiæ, ab olim per Tartaros, & alios infideles destructæ & dirutæ, ac charissimus in Christo filius noster Sigismundus Rex Hungariæ illustris desideret hujusmodi ecclesias in ecclesias parochiales erigi, & ipsos conversos & in antea, annuente Domino, convertendos ad fidem prædictam, in parochianos assignari; tibi easdem ecclesias in parochiales ecclesias erigendi, & eis de rectoribus idoneis providendi, ipsasque archidiacono seu archidiaconis locorum vel aliis, prout tibi videbitur subiiciendi, ac omnia & singula alia circa erectionem & parochiales ecclesias hujusmodi necessaria & requisita faciendi, & ordinandi plenam & liberam auctoritate apostolica, concedimus tenore præsentium facultatem. Dat. Bononiæ XV. kal. septembris anno 1.

Plures barbari a Minoritis traducti ad Christum.

Condendarum parochialium ecclesiarum facultas concessa.

XXX. Pandi cœptus evangelio aditus ad barbaros

Hoc anno Henricus Lusitana stirpe regia satus, ac militiæ Jesu Christi magister dignum immortali laude opus aggressus est cœlesti instinctu afflatus, propagandoque ad efferas gentes dæmonum laqueis irretitas evangelio viam munire cœpit (b). Detectas præterito sæculo Fortunatas insulas ac Ludovicum Castellana stirpe regia oriundum earum Regem a Clemente VI. creatum vidimus (c): prætermissam tamen immatura illius morte expeditionem & Gallos deregendi novi orbis laudi defuisse. Intermissa inde pluribus annis in meridiem navigatio, donec aliqui Britanni & Galli mercatores viventorum ultra Atlanticum promontorium abrepti ad ignotas terras, quas dæmonum cultui mancipati barbari incolebant, applicuere, deinde feliciter secundis auris revecti Olisiponem. Plura de ignotis terris, quas contigerant enarrarunt, quæ Henrici principis animum, jam ante lustrandi Africæ littoris & quærendarum novarum gentium desiderio accensum, ad proferendam latius religionem inflammarunt, ut classem ad explorandas gentes & terras incognitas instrueret. Ut vero nautæ Syrtium Atlanticarum metu, cum alto mari se credere non auderent, nondum astrolabio nec pixide nautica instructi, leucas tantum sexaginta ultra radices Atlantis progressi redierint, describit ex vetustis monumentis Lusitanæ regiæ Maffejus societatis Jesu sacerdos, qui Indicarum rerum historiam accurate, eleganter, ac summa fide conscripsit, cum res ex veteribus & publicis tabulariis, aut probatissimis auctoribus, vel iis qui rebus gerendis interfuerint, acceperit; quorum copiam ut expeditiorem haberet, Olisiponem, unde Indicarum expeditionum consilia manarunt, contendit. Sulcatum dein fuisse majori audacia mare, atque Hesperides Insulas inventas visuri sumus.

(b) Maffejus hist. Indic. l. 1.
(c) Annal. tom. XVI. An. Christi 1344. nu. 37.

Mercatores Galli in ignotas terras delati.

Atlanticum intus navigari cœptum.

XXXI.

Hoc anno divina pietas puerum extinctum in aquis cum in puteum præceps decidisset, implorata Virginis ope ad vitam revocavit: *Anno* MCCCCX. inquit Justus Lipsius (d), *Bruxellæ in suburbio, qua Hallas itur [Obbrusselsam vocant] rusticula mater erat, quæ puerum sexennem in viridarium secum duxit herbas & gramina jumentis resectura. Comitatur & alter aliquis e vicinia puer, & mater opus suum facit, suum pueri, idest ludunt: sed puteus ibi profundior erat, e quo aquas hauriebant, in orbem lapidibus substructus, ut solet. In hunc filius fœminæ [Lilia illi nomen] improvide decidit, puero altero adstante, & suppetias clamante. Lilia venit, puerum non videt, pileum ejus superfluitantem aquis videt, ipso gravi casu ad fundum demerso. Tollit clamores, viciniam concitat: e quibus unus denique cum harpagone accurrit, quo in aquam demisso puerum extrahunt: sed palam mortuum & colore mortis: nam vel atrior carbone erat, quod solemne suffocatis. Jacet ibi, & misera parens affligitur, una aliæ mulierculæ: & tandem una aliqua præeunte votum D. Hallensi concipitur, quod ab ea auditur, statimque vitam & vires puer recipit, surgit, domum abit, triduo post cum matre & vicinis Hallas veniunt, factum narrant, grates laudesque dicunt.*

(d) Lipsius in D. Virg. Hall. c. 16.

Puer mersus aquis vitæ restitutus.

Per hæc tempora, ut rem consignat Albertus Krantzius, graviter animadversum est in Judæos in Misnia & Thuringia, cum in puerum odio Christi insitam & intolerabilem sævitiam adhibere decrevissent. Rem gestam narrat subjectis verbis Albertus Crantzius (e): *Fridericus & Vuillelmus marchiones Misnæ, & Balthasar Lantgravius Turingiæ infelices Judæos per omnem suam ditionem insecuti ejecerant quod*

(e) Albert. Krantz. Wandal. l.10. c.18.

Chri-

Judæorum immanitas in puerum Christianum.

Christianum puerum emercati in contumeliam Salvatoris morti destinarunt. Sed innotuit res principibus, qui nefandum facinus praeoccuparunt: rusticum pueri venditorem (incertum an & parentem) fractis per rotas membris quadripartiri jusserunt, Judaeis exterminatis, & rebus eorum, quas non paucas habuere, confiscatis. Compertum idem saepe nefas infamavit perfidam gentem, quod Christiano sanguine abutantur ad restinguendum cruorem, qui perpetuo illis fluat, quorum patres clamavere: Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Ferunt alii solum Salvatoris in ea re ab eis quaeri contumeliam, quod & ipsum creberrimo usu compertum multis se praeferunt habere indiciis. Hoc circiter anno Wicleffistas ex gravibus erroribus in graviores alios lapsos Deiparæ Virginitatem negasse refert Thomas Waldensis (a): *Occasione doctrinae ejus*, scilicet Wiclephi, *haereticae, quaedam discipula ejus, circiter annum Domini MCCCCX. doctrix & lectrix illius perversitatis famosa in civitate Londinensi defendit & docuit B. Virginem Mariam, virginem non mansisse post partum, quia scilicet non est in scripturis expressum.* Ex quo falso principio non modo nefaria hæc hæresis, sed alii errores putidissimi emergunt; non enim assumptam Virginem in cœlom conjuncta corpori anima sanctissima referunt scripturæ, sed traditione vetusta sanctorum ad nos dimanavit: immo de celebrando sabbato crebra Scripturarum testimonia recurrunt, cum de dominico die colendo non careant expresse, quem tamen ex apostolica traditione celebrandum constat; Aetii etiam & aliorum, qui in conciliis œcumenicis damnati sunt, hæreses repullularent, hujus tamen erroris specimine illusi plures, novatorum laqueis se irretiri passi sunt.

Virginitas Deiparæ negata a Wicleffistis.

(a) *Thom. Wald. l. 2. ar. 2. c. 23.*

Fluctua-

I.

Gregorius secum non sentientes edictis defigit.

Fluctuavit Christi Ecclesia gravioribus plurium sibi pontificatum vendicantium motibus anno millesimo quadringentesimo undecimo indictione quarta, quo Gregorius Ladislai Regis Siciliæ patrocinio tectus Cajetæ recurrente cœnæ dominicæ die judiciaria acta ritu solemni de more Romanæ ecclesiæ edidit adversus hæreticos cæterosque cum ipso non sentientes, quos infamia schismaticæ labis notavit proposito hoc edicto (a).

(a) Lib. 3. p. 2.

Gregorius episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Sententiæ formula in die cœnæ Domini lata.

Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, authoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra omnes hæreticos Gazaros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, & Passaginos, & omnes alios hæreticos quocumque nomine censeantur, & omnes fautores, receptatores, & defensores eorum. Item excommunicamus & anathematizamus omnes piratas, cursarios & latrunculos marinos & omnes fautores, receptatores, & defensores eorum. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina, vel alia prohibita deferunt Saracenis, quibus Christianos impugnant. Item excommunicamus & anathematizamus omnes falsarios bullæ seu literarum nostrarum, & supplicationum gratiam vel justitiam concernentium. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui ad sedem apostolicam venientes vel recedentes ab ea, nec non illos, qui jurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes in eadem curia morantes temeritate propria capiunt, spoliant, percutiunt, mutilant, & detinere præsumunt, & qui talia fieri faciunt, seu mandant. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios quascumque personas ecclesiasticas vel sæculares ad Romanam curiam super eorum causis & negotiis impedientes, seu invadentes, victualia pro usu Romanæ ecclesiæ deferentes.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios quascumque personas ecclesiasticas vel sæculares ad Romanam curiam super eorum causis & negotiis recurrentes, illaque in eadem curia prosequentes & procuratores, gestores, advocatos, vel promotores eorum, vel etiam auditores, seu judices qui super causis & negotiis deputantur occasione causarum vel negotiorum hujusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status fuerint prædicta vel eorum aliqua committentes.

Anathemate devincit ditionis ecclesiasticæ invasores.

Item excommunicamus & anathematizamus occupantes, invadentes, & detinentes civitatem nostram Romanam, & occupantes, detinentes, & invadentes in toto vel in parte patrimonium B. Petri in Tuscia, ducatumque Spoletanum occupantes, detinentes, & invadentes in parte marchiam Anconitanam, & in parte Romandiolam, Campaniam, Maritimam, civitates quoque nostras Bononiensem, Tudertinam, Urbevetanam, Civitatem castelli, Avenionem, regnum Sardiniæ, & omnes defensores eorum.

Et Petrum a Luna.

Et Ludovicum Andegavensem.

Balthasarem Cossam.

Item excommunicamus & anathematizamus iniquitatis alumnum Petrum olim S. Mariæ in Cosmedin vulgariter dictum de Luna diaconum Cardinalem, nunc antipapam, qui Benedictum XIII. se ausu temerario nominare præsumit, Ludovicum olim ducem Andegavensem, & omnes adhærentes & sequaces eorum. Item excommunicamus, & anathematizamus Henricum Tusculanum Neapolitanum, Antonium Penestrinum Aquilejensem, Antonium Sabinensem Tudertinum olim episcopos, Angelum olim tit. S. Potentianæ Laudensem, Franciscum tit. SS. quatuor Coronatorum de Burdea, Jordanum tit. S. Martini in Montibus de Ursinis presbyteros, Raynaldum S. Viti in Macello de Brancaciis, Landulphum S. Nicolai in carcere Tulliano Barensem, Baldassarem tit. S. Eustachii apostaticum, qui iniqua temeritate se Joannem XXIII. nominare præsumit, Odonem S. Georgii ad velum aureum de Columna, Petrum S. Angeli vulgariter nuncupatum diaconos olim sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & sequaces eorum, non obstantibus quibuscumque privilegiis, & indulgentiis eis vel eorum alicui, vel aliquibus a prædicta sede sub quavis forma vel tenore concessis, quod excommunicari non possint, quæ contra hujusmodi nostras sententias & processus, quominus includantur in eis per ea valeant se tueri, quo ad hoc prorsus tollimus & revocamus omnino: a quibus quidem sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, possit nisi in mortis dumtaxat articulo constitutus absolvi, nec etiam tunc, nisi stando mandatis ecclesiæ satisfactione vel sufficienti cautione præmissa. Eos vero cujuscumque fuerint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status qui contra tenorem præsentium talibus vel eorum alicui absolutionis beneficium de facto impendere præsumpserint, excommunicationis & anathematis sententia innodamus, eisque interdicimus prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum, & audiendi confessiones officium, prædicentes aperte transgressoribus, & contemptoribus præmissis, nos gravius contra

Omni munere ecclesiastico exauctorat.

eos spiritualiter, & temporaliter prout expedire viderimus, processuros. Dat. Gajetæ in palatio nostræ residentiæ in die cœnæ Domini pontificatus nostri anno v.

Quod ad hæreticos attinet; quamvis Wicleffi Hussique sectatores, qui tum grassari in Bohemia cœperant, iis nominibus non exprimat Gregorius, universali tamen voce complectitur, dum addit: *Et omnes alios hæreticos quocumque nomine censeantur.* Repetita etiam ab eo sententia (a) est xvi. kal. septembris in pontificiæ dignitatis æmulum Joannem XXIII. ejusque Cardinales, quos censuris ecclesiasticis perculit; atque ad frangendos armis quoque adversarios Carolum Malatestam Æmiliæ præfecit (b), amplissimamque noxarum veniam ejus signa secuturis tribuit.

(a) *Ib. p.* 256.

Carol. Malatesta in Æmiliam immissus.

(b) *Lib.* 3. *ep. cur. p.* 232.

Ad futuram rei memoriam.

Jussus bellum gerere adversus Joannem XXIII.

Decens censemus & debitum, ut ii qui pro defensione fidei Christianæ, ac statu & honore S. R. E. laborant fideliter & devote, spiritualium charismatum dona exinde propensius assequantur. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Carolus de Malatestis domicellus Ariminensis pro nobis & dicta ecclesia nimirum Romana, in provincia nostra Romandiolæ rector in temporalibus generalis tamquam verus fidei propugnator contra iniquitatis filium Baldassarem Cossa olim S. Eustachii diaconum Cardinalem, qui se Joannem XXIII. ausu sacrilego nominare præsumit, & nonnullos alios sequaces suos, hostes & rebelles dictæ ecclesiæ, & in ea inauditi ac horribilis schismatis introductores, & vetustos etiam nutritores per processus apostolicos digno Dei judicio condemnatos, juste disposuerit se de mandato nostro movere, & pro defensione catholicæ fidei, ac honore & statu, atque vera unione ac pace universalis Ecclesiæ more boni Christicolæ, quantum Deus sibi ex alto concesserit, exercere; nos volentes quod illi, qui ad hujusmodi pium & laudabile opus dabunt opem & operam efficacem, eo libentius in hujusmodi Dei ac Ecclesiæ matris omnium & magistræ servitia vereliter se accingant, quo exinde majus spirituale præmium se speraverint adipisci, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus & singulis vere pœnitentibus & confessis, qui signo vivificæ crucis assumpto cum eodem Carolo vel de ipsius ordinatione seu mandato contra præfatum Baldassarem, sequaces, complices, & fautores ipsius se accinxerint, vel manus porrexerint adjutrices, cum firmo proposito & vera intentione in hujusmodi laudabilis negotii prosecutione possibili persistendi, plenam suorum omnium concedimus auctoritate apostolica veniam peccatorum. Nulli ergo, &c. Dat. Gajetæ xii. kal. maii pontificatus nostri anno v. Ereptas fuisse a Carolo Malatesta Joanni aliquas urbes in Æmilia, dicetur inferius.

Promissa noxarum venia ejus signa sequuturis.

Hic addimus datam Antonio episcopo Tirasonensi provinciam (c), ut in Trinacria Gregorii causam tuendam susciperet.

(c) *Ib. ep. cur. p.* 250.

Gregor. in Trinacriam internuntium mittit.

Venerabili fratri Antonio episcopo Tirasonensi salutem, &c.

Attendentes mente anxia, & non sine cordis amaritudine recensentes, quot & quanta animarum pericula, personarum scandala, & schismata atque mala produxerunt in orbe iniquitatum filii olim Cardinales nostri ab anticardinalibus Gallicis pro sua labe primi schismatis tergeada seducti, cum eis sub colore unionis, quam ore clamabant, & opere destruxerunt, Deum præ oculis non habentes & damnabiliter ac iniquè detrahentes nobis, & veritati nostræ, qui ad nil aliud intendebamus, quam ad prosequendum perfectum unionem & pacem, pro qua ab alma urbe & sede propria discessimus, aliena loca peregrinavimus, mare & terram circuivimus, & ut omnia pericula verbo unico exprimamus personam propriam cunctis discriminibus posuimus, & ponere intendimus incessanter, quousque Ille pacem induxerit, qui pax vera est, & suas nobis, licet indignis, vices commisit in terris, nosque salvavit, suaque misericordia salvabit, ut confidimus, in futurum. Et ista cupientes particulariter & plenarie ad communem notitiam Christifidelium devenire, ut ipsi Christifideles a prædictorum perversorum, qui alios ad præcipitium secum trahere moliuntur, malignitatibus & astutiis præserventur, & alii, qui ab eis in cæcitatis barathrum sunt deducti, trahantur ad viam salutis & una nobiscum studeant prout debent ad ipsam sacratissimam unionem intendere; fraternitati tuæ, de qua specialem in Domino fiduciam obtinemus, cum de prædictis fotis te asseras informatum, & in regnum Trinacriæ velle transire, committimus & mandamus, quatenus fidei loricam induens, & galeam spiritus, quod est verbum Dei, assumens contra præfatos schismaticos & rebelles, ac Dei & ejus sanctæ Ecclesiæ inimicos & adhærentes & faventes eisdem, adversusque alios omnes, qui famam nostram denigrare, vel eorum falsis latratibus contra statum & honorem nostrum vel dictæ Ecclesiæ aliqua dicere aut facere præsumpserunt temerarie vel præsumunt, vel sacrilege resistere canonicæ unioni, quam quærimus & optamus, tu tamquam verus dictæ fidei pugil insurgas per te & alios catholicos & fideles tam in publicis, quam in privatis sermonibus & prædicationibus nostram & prædictam Ecclesiæ causam & veritatem omnimode defensurus, & promptam mentem nostram ad unionem ipsam sanctissimam plenarie osten-

Queritur Cardinales a pseudocardinalibus Gallis in errorem segerent seductos.

Fideles monet ut ab iis caveant.

Suæ causæ æquitatem promulgari jubet.

furus fideles exhortando, & alios ad rectitudinis tramitem deducendo; omnibus tamen injungeat districtius, authoritate nostra, ut contra prædictos damnatos & alios eisdem credentes & adhærentes, seu faventes & receptatores ac defensores eorundem, & contra eos, qui prælaturas & beneficia ecclesiastica aut gratias impetraverunt ab eisdem, exequantur fideliter canonicas sanctiones & processus per nos & sanctæ memoriæ Urbanum VI. & alios summos Pontifices prædecessores nostros contra eos & alios talia perpetrantes recte & juste factos & publice promulgatos, nos enim tibi hæc debite faciendi plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Dat. Gajetæ VI. id. augusti anno V. Contulerat (a) jam ante idibus februarii hujus anni eandem authoritatem Joanni Muluerch ordinis Prædicatorum Apostolicæ sedis internuntio in Germania concepto iisdem pene verbis diplomate, quo jusserat ipsum e sacro suggesto detractiones Pontifici a malevolis aspersas refellere in Coloniensi, Maguntina, Constantiensi, Basileensi, Augustensi, Argentinensi, & Eistetensi diœcesibus, atque illius conjunctionis perficiendæ desiderium improbo nonnullorum ardore vel invidia discussum divulgare, atque in id omni opera, studio, & cogitatione incumbere: tum fidelibus potestatem fecit (b), ut sacerdotem quem vellent ad sacras exomologeses adhiberent, donec schismate Ecclesia vexaretur. Ascripta est hujusmodi litteris quinta id. decembris dies.

(a) Ib. p. 213.

Concionatores decreti a Greg. pro ejus gestis excusandis.

(b) Ib. p. 217.

Gregorius episcopus servus servorum Dei universis & singulis Christifidelibus & catholicæ civitatis & diœcesis Coloniensis salutem, & apostolicam benedictionem.

Dum paterna consideratione prospicimus vestræ devotionis affectum, quo nos & Romanam ecclesiam sponsam nostram colatis, & colitis incessanter inter & contra sacrilegas turbas schismaticorum ipsam Dei ecclesiam cunctorum dominam & magistram perniciosis conatibus & damnabili proposito impugnantium, & orthodoxam fidem ac catholicam veritatem in perfidam & mendosam perversis dogmatibus ducere satagentium, movemur ex debito vobis, quantum cum Deo possumus, subvenire in iis præcipue quæ conscientiis vestris pacem afferant, & salutem conferant animarum. Hinc est quod vobis & vestrum cuilibet auctoritate apostolica indulgemus, ut durantibus hic malignis schismatum temporibus unusquisque vestrum qui proprio careat sacerdote catholico quemcumque maluerit idoneum & discretum presbyterum religiosum seu etiam sæcularem, dum tamen catholicum & fidelem ac suum possit toties quoties voluerit eligere confessorem, qui confessione eligentis diligenter audita pro commissis etiam in casibus episcopalibus debitam juxta ecclesiæ formam ipsi absolutionem impendat, & injungat pœnitentiam salutarem, ac quæcumque ministret & conferat canonice ecclesiæ sacramenta: volumus insuper quod a quocumque catholico episcopo possit recipere quæ ad pontificalem ordinem spectant, constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, &c. Dat. Gajetæ V. idus decembris pontificatus nostri anno V.

Populis pieculorii sacerdotis deligendi concessa facultas.

Eodemque argumento, ac die consignatas alias (c) ad illos misit, qui in Veneta ditione in fide constantes perstiterant, dum reipublicæ proceres aliique ad schismaticos, ut ait, defecerant. Promulgato etiam edicto (d) populos eorum principum, qui ipsi non parerent, imperio solutos ac liberos pronuntiavit. Postremo imposuit (e) munus Angelo tit. S. Stephani in Cœlio monte ut in episcopum Æsculanum inquireret, qui cum Ludovico e Melioratis ad Joannem XXIII. quem Balthasarem Cossam vocat, transfugerat: quem ex adverso in gratiam recepit (f) Joannes, cujus gesta percurrenda remanent.

Et principum cum Gregorio non sententium excutiendi imperii.

(c) Ibid.

(d) Ib. p. 261.

(e) Ib. p. 247.

(f) Jo. l. 3. p. 269.

JOANNES XXIII.

Adducta erat in grave periculum Roma a Ladislao Siciliæ Rege, qui instantare in ea tyrannidem ambiebat: ad quam tuendam, retundendamque hostem Joannes Ludovico Andegavensi & Cardinalibus comitantibus se conferre constituit (g). Antequam vero abscederet Bononia, Henrico episcopo Cardinali Sabinensi illius urbis & Æmiliæ administrationem tradidit (h) adjecta legati dignitate: atque Odonem Columnam S. Gregorii ad velum aureum diaconum Cardinalem, qui Martini nomen ex pontificatu traxit, Perusio, Tuderto, Urbeveteri, Interamnæ, Ameliæ, ducatui Spoletano, aliisque locis præfecit (i): tum Brandam (k) episcopum Placentinum in Poloniam misit, ut pacem inter Regem Wladislaum, & Cruciferos equites, quibus bellum erat, conciliaret: quos quidem fœdus hoc anno pepigisse, refert Michovias (l) iis legibus, ut captæ a Polono in Prussia arces restituerentur Cruciferis, vincti equites libertatem acciperent: Samagitiam vero Lituano duci Witoldo, donec in humanis ageret, permitterent, certamque pecuniæ vim penderent. Sed ad Joannem redeamus, qui XV. non. februarii Lunaticis & Erroricianis, quo nomine Petri e Luna & Gregorii studiosi perstricti sunt a recensi scriptore, facultatem redeundi cum ipso in gratiam ad aprilem extraxit (m), quo tempore concilii locum designaturus erat.

Romam Ladislaus affectat.

(g) Ib. lib. 1. pag. 236. diar. Bart. e Turcia arch. bibl. Vat. sign. nu. 911. & MS. Ven.

Odo Columna præfectus pluribus provinciis.

Branda episcopus Placent. in Poloniam missus.

(h) Lib. 4. pag. 209. & 211.

(i) Ib. pag. 269.

(k) Ib. pag. 177.

q. Jo. l. 4. pag. 146.

(l) Michov. l. 4. c. 45.

Pacis leges inter Polonum & cruciferos.

(m) Jo. l. 4. pag. 146.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum, post assumptionem nostram ad apicem summi apostolatus, videlicet XII. kal. augusti pontificatus nostri anno primo,

ad

ad hoc, ut salutaris sequeretur effectus revocationis ad nostras & Romanæ ecclesiæ fidelitatem, devotionem & obedientiam quorumlibet oberrantium ac etiam deviorum, omnes & singulos, qui fermento seducti, & coinquinati malitia hæreticæ atque schismaticæ pravitatis iniquitatis alumnorum ac etiam hæresiarcharum Petri de Luna Benedictum XIII. & Angeli Corario Gregorium XII. se præsumentium ausu nominare sacrilego, per generale Pisanum concilium, eorum culpis & demeritis exigentibus, ac justo Dei judicio hæreticorum & schismaticorum sententialiter damnatorum, ipsis Petro & Angelo adhærebant vel eorum alteri, seu favebant, aut præstabant per se vel alios auxilia, consilia, vel favores, publice vel occulte, seu ab eorum altero dignitates ecclesiasticas vel sæculares, seu præeminentias sive gratias, aut beneficia vel officia ecclesiastica, regularia, seu sæcularia impetrando, atque hujusmodi dignitates, officia, beneficia consequendo & retinendo involuti censuris; ac pœnis spiritualibus & temporalibus contra tales inflicta dignoscebantur existere, ut infra sex menses tunc proxime venturos ad eandem ecclesiam puro corde, & sub nostra & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium obedientia, & reverentia ex tunc perpetuo remansuri, redirent: & de hoc coram suis metropolitanis, aut ordinariis, si nobis & prædictæ ecclesiæ obedientes, & fideles forent; alioquin coram proximioribus locorum diœcesanis, aut metropolitanis, vel ipsorum commissariis ad hoc specialiter deputatis, nobis & eidem ecclesiæ fidelibus & adhærentibus infra dictum terminum de præmissis humiliter veniam peterent, aut satisfacerent competenter; dictosque Angelum & Petrum, & eorum sequelam, & adhærentes, præstito super hoc per eos ad sancta Dei evangelia corporaliter juramento, expresse abnegarent, confectis super hoc publicis instrumentis; commonentes fuimus exhortati, illosque fore redemptos ab omnibus & singulis excommunicationum sententiis, nec non aliis pœnis & censuris spiritualibus, & temporalibus, & literas felicis recordationis Alexandri Papæ V. immediati prædecessoris nostri quomodolibet promulgatis, auctoritate apostolica ex tunc plenarie absolvimus, sentientes eis de benignitate pastoralis officii, etiam offensam prædecessori, & ecclesiæ prædictis, atque nobis per ipsos, & eorum quemlibet propterea irrogatam; & nihilominus, quod eos de uberioris dono gratiæ ad ejusdem ecclesiæ gremium interim revertentes, nec non in nostra & eorundem successorum nostrorum reverentia & obedientia persistentes firmiter, ut præfertur, paterna clementia, ad plenitudinem gratiæ nostræ reciperemus charitative, ac benignius confovendo: contra pertinaces vero & rebelles, cujuscumque status, gradus, præeminentiæ, vel conditionis spiritualis, vel temporalis existerent, qui post dictum terminum, in sua malitia & rebellione perseverarent, præfatisque Angelo & Petro vel eorum alteri, seu eorum vel alterius ipsorum sequacibus & adhærentibus adhærere & favere pertinaciter præsumerent, ad graviores spirituales & temporales pœnas, juxta canonicas sanctiones, auctore Domino, procederemus, prout ordo rationis exigeret, & tunc videremus etiam expedire, prout in nostris super inde confectis literis, quarum tenores hic haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur.

Cum autem nostræ intentionis existat, cum illius vices geramus in terris, qui cunctos quærit salvos facere, & neminem vult perire, de uberioris dono gratiæ erga errabundos & devios hujusmodi, ut convertantur, & vivant, Apostolicæ sedis clementiam atque nostram etiam extendere denuo, & in desideriis cordis nostri gesserimus & geramus, pro salutari & votiva reformatione tranquillitatis, salutis, & pacis, ac status militantis Ecclesiæ supradictæ, cujus regimini authore Domino præsidemus; de mense aprilis proxime futuri, juxta decretum præfati Pisani concilii, novum ac futurum generale concilium indictum, & divina favente clementia in loco ad id congruo, quem intendimus in dicto termino declarare, ad plenam notitiam quorumcumque celebrare solemniter, dictum terminum sex mensium circa reditum dictorum oberrantium, & deviorum ad nostrum, & præfatæ sedis gremium, per nos, ut præmittitur, & per alias nostras literas sic præfixum usque ad & per totum dictum mensem aprilis proxime secuturi, eadem auctoritate, cum & sub modis, & conditionibus in prædictis aliis nostris literis denotatis, de fratrum nostrorum consilio extendimus per præsentes & denuo etiam assignamus, volentes & decernentes, quod qui usque & per totum dictum mensem aprilis, ad fidelitatem, devotionem, & obedientiam nostram, & dictæ Ecclesiæ puro corde redierint, & in illis permanserint, fidemque fecerint, ut præfertur; illis privilegiis, indulgentiis & remissionibus gaudeant & potiantur, quibus gaudere, & potiri poterant per formam hujusmodi aliarum literarum nostrarum, qui infra dictum semestralem terminum rediissent juxta exigentiam præmissorum: illi autem, qui animo indurato in obstinata perfidia immorari damnabiliter præsumpserint, animadversione debita percellentur, juxta sacrorum canonum instituta, & prout putabimus convenire. Nulli ergo, &c. Dat. Bononiæ IV. non. februarii pontificatus nostri anno primo. Pari augendarum partium suarum studio Joannes

Joannes Gregorium & Petrum e Lune ut hæresiarchas insectatur.

Obstentata reditu eis ad obsequium clementia.

Objecta pertinacibus severitas.

nes Sigismundo Hungariæ Regi facultatem concessit (a), ut cum præsulibus ac principibus a Gregorio discessuris de retinanda priori dignitate pacisceretur.

(a) Ib. pag. 146.

III. Ladisl. Siciliæ Rex Gregorio adhæret. Joannes concitat in eum Andegavensem.

Sustinebat Gregorii causam unicus Ladislaus Siciliæ Rex, qui ex Romanæ ecclesiæ tumultibus propagare imperium affectabat: ad quem evertendum, utpote jam Alexandri sententia exauctoratum Joannes sacrum bellum decrevit; ac Ludovicum Andegavensem in Siculi regni possessionem inducere annisus est. Imperavit itaque ad comparanda quæ ad bellum gerendum opus forent in Francorum regno (b), Cameracensi & Tullensi diœcesibus, Provincia (c), Delphinatu, Sabaudia, Lusitania (d), Algarbio, Achaja (e), Macedonia, insulisque Ægæi maris subsidiarias decumas ex sacerdotiorum censibus cogendas; quæ literæ Bononiæ VI. & IV. kal. aprilis exaratæ fuere. Lapsoque exiguo temporis intervallo ad iter in urbem agendam se comparavit, Senis enim pridie non. aprilis Alamandum archiepiscopum Pisanum & Petrum episcopum Albiensem ad Carolum Francorum Regem legavit (f) auxilia oraturos ad Ladislaum ecclesiarum conjunctionem dissolventem, invadentemque ditionem ecclesiasticam propulsandum, eosque illi significare jussit, se una cum Ludovico Andagavensi ad urbem, quam idem Ladislaus terra marique bello premebat, liberandam proficisci (g); de cujus itinere hæc narrat S. Antoninus (h): *Post creationem suam Bononiæ fere per annum conversatus cum curia Romam tandem petere constituit: fuerat enim illa prius aliquantulum de Ladislai Regis manibus extorta, ut patuit supra. Iter ejus per agrum Florentinum & Senensem, inde ad urbem fuit* [t]. Confirmati sunt illius adventu Romani, qui ægre sustinebant Ladislai impetus, ac tum confecta in eumdem est expeditio, sollicitatique proceres, ut a Ladislao deficerent; ac præsertim datæ ad Petrum Ursinum Nolanum comitem literæ (i), quibus Joannes Ladislaum ob violatas accepti jure beneficiario regni pactiones exauthoratum significavit, utque in eum arma caperet, hortatus est.

(b) Ib. p. 192.
(c) Ib. p. 267.
(d) Ibid. p. 199.
(e) Ibid. p. 206.
(f) Ib. p. 192.

Conquisita e Gallus auxilia. Joannis in Urbem adventus.

(g) Steph. Infess. in suo diar. ext. in Vat. arch. sign. n. 111. p. p. 127. & in Vallic. bib. & Diar. venet. MS.

(h) S. Ant. 3. p. tit. 22. c. 6. in prin. & Leonard. Aret. in hist. rer. Italic.
(i) Lib. 3. ep. cur. p. 229.

Dilecto filio nobili viro Petro de Ursinis comiti Nolano salutem, &c.

Joannis adversus Ladislaum querelæ.

Cum, sicut est mundo notorium, Ladizlaus de Diracbio, se Regem Siciliæ ausu temeraria nominare præsumens, iniquitatis alumnus, ut antiqua & detestanda scelera adversus præfatam ecclesiam, (videlicet Romanam) *per eumdem patrata diutius contra jusjurandum & contenta in concessione ac infeudatione præfati regni, ac terra citra pharum, quæ a præfata ecclesia dudum in feudum habuit, in occupandis provinciis, civitatibus, terris, & locis ad nos & ipsam ecclesiam spectantibus, præsertim alma urbe, provinciis Campaniæ atque Maritima, Reatina, Interamnensi, Tadertina, Perusina, Esculana, & nonnullis aliis civitatibus, terris, & locis nostris, necnon in conspirationibus, incursione status nostri, & ipsius ecclesiæ tam variis & diversis damnis, universitatibus, & singularibus personis tacite & formatis [ut reliqua innumerabilia commissa & perpetrata per eum silentio transeamus] perditionis alumno Angelo Corario Gregorium XII. se præsumente ausu nominare sacrilego, hæretico, atque schismatico, per generale Pisanum concilium, suis culpis & demeritis exigentibus, ac justo Dei ju-*

Objicit eum Pisano concilio adversatum.

NOTÆ [t] HOc anno Joannes papa venit in urbem, quæ præcedenti anno in ejus potestatem transiverat. Diem ingressus, quem ex conjectura tantummodo indagare nititur annalista, definit, qui tunc Romæ agebat, Antonius Petri in Diario Romano rer. Ital. to. XXIV. Ingressus est enim, eodem teste, die XI. aprilis, in ipso Resurrectionis Dominicæ pervigilio. Quare cum totam illam majorem hebdomadam profectione sua ad urbem occupatam habuisset Joannes; ideo die Cœnæ Domini censuras pro veteri more Romanorum pontificum, quem æmuli pariter pontifices hoc ipso anno servarunt, in hæreticos adversariosque sibi reges & pontifices ferre nullas potuit. Una cum pontifice venit, & Ludovicus Andegavensis, qui dein die XXVIII. aprilis in expeditionem adversus Ladislaum profectus est. Die XIX. maii prospere dimicatum, sed non diu post Ladislaus viribus resumptis Ludovicum honore victoriæ privavit coegitque, ut pene inglorius rediret in urbem. Antonius enim Petri in Diario, ad diem XII. julii reditum quidem Ludovici commemorat, sed lætitiæ significamenta nulla ea occasione a Romanis exhibita notat; cum præsertim ea sedulus exponat, quæ ad receptum de priori victoria nuncium Romani præstiterunt. Sed vicissim hanc secundam expeditionem neque Ladislao magnopere successisse ex eo arguo, quod author Ephemeridum Neapolitanarum vulgatus Rer. ital. to. XXI. sinistram Ladislai pugnam hoc anno narrans de prælio altero prospero nihil habet.

Demum scriptor idem Diarii Romani, gesta Joannis papæ prosequens, narrat die V. junii adlegatos ab illo fuisse in cœtum cardinalium patres XIII. quos singulos recensens in nonnullis Ciaconii catalogum emendat. Nam in Ciaconio promotio ista die una serius nempe VI. junii consignatur. Dein Ciaconius cardinales enumerat XIV. hic vero XIII. omisso Gregorio episcopo Tridentino, & Joanne archiepiscopo Ulisiponensi, qui apud Ciaconium occurrunt; nisi forte alterutrius unus est, *Ulibanensis de Hungaria*, quem author Diarii substituit. Emendant hæc annales num. 9.

Ex eodem pariter Diario notare licet sphalma Raynaldi, qui Ladislaum regem decretoria sententia damnatum fuisse a Joanne narrat die IX. decembris, id enim nona septembris die judicium a pontifice latum scribit. MANSI

judicio sententialiter condemnato, faverit & adhaeserit, ut praefertur, ac faveat & adhaereat etiam de praesenti, receptando eumdem, suosque sequaces etiam haereticos per ipsum concilium denotatos, & propter praemissa, & innumerabilia alia, excessus & crimina, ut supra praemittitur, damnabiliter per ipsum commissa, regno ac terra praefatis, honoreque, ac titulo regio, & omnibus dignitatibus, bonis, juribus, feudis, & retrofeudis, privilegiis, exemptionibus, & gratiis, quae a praefata Romana seu aliis ecclesiis, imperio, regibus, principibus, universitatibus, aut aliis quibuscumque singularibus personis quomodolibet obtinebat, & in quibus, & ad quae eidem jus quomodolibet competebat, seu competere poterat, reddiderit protinus se indignum, illisque ex ipso etiam per formam infeudationis, & concessionis regni, terraeque praefatorum privatus fuerit & existat;

Plura in ipsum proposita edicta.

omnesque & singuli vasalli ejusdem, qui debito fidelitatis, vasallagii, ligii, homagii, seu alterius cujuscumque servitutis aut debiti eidem tenebantur obnoxii, seu quomodolibet obligati, a quibusvis juramentis etiam fidelitatis, vasallagii, ligii, & homagii praefatorum, seu aliae ipso jure absolvuntur, ac nobis & praefatae ecclesiae contra eumdem Ladislaum, adhaerentes, & sequaces ejusdem favere & assistere tenentur & debent, & nonnulla alia exequi, prout in concessione, & infeudatione praedictis, quorum omnium tenores & formas hic alias haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur.

Nos itaque intendentes, prout debitum rationis exposcit, & obstinata ipsius perversitas, & nequitia exigunt, & ut nervus ecclesiasticae disciplinae nulla ratione lentescat, & punitio sceleris transeat in exemplum; praefatum Ladislaum rebellem & hostem, ac nutritorem schismatis, & persecutorem Ecclesiae manifestum, condigna animadversione corrigere, & de tua nobilitatis fide, strenuitate, sinceritatis ardore,

Petrus Ursinus illum bello jussus lacessere.

quos ad instar progenitorum tuorum, erga praefatam ecclesiam tuam & matrem pariter & magistram fidelium gessisse hactenus, & gerere comprobaris, sumentes in Altissimo fiduciam singularem, quod monitis nostris pariter, & mandatis, tanquam pugil & athleta fidei, intrepidis mente & corde pariter exequeris; nobilitatem eandem, paternis affectibus requirimus & hortamur in Domino, eidem nihilominus per apostolica scripta praesentium tenore, ac sub excommunicationis poena, in quam, si contemptor hujusmodi mandatorum extiterit, te incurrere volumus eo ipso, & a qua, praeterquam in mortis articulo, nisi dumtaxat a Romano Pontifice absolvi nequeat; necnon privationis bonorum, dignitatum, honorum, etiam feudalium, a Romana, seu aliis ecclesiis, imperio, Regibus, aut aliis ex superius comprehensis concessorum, seu quomodolibet indultorum hactenus, & inhabilitationis ad illa, & quaecumque alia imposterum obtinenda, teneris & habeas, cum omnibus & singulis gentibus, vasallis & subditis, colligatis, adhaerentibus, & sequacibus tuis, contra praefatum Ladislaum ejusque adhaerentes, complices, & sequaces in nostrum, & ipsius ecclesiae subsidium & juvamen insurgere, ac modis omnibus hostilibus te, ac alios supradictos exercere, ut praefati Ladislai scelerosa nequitia prosternatur, ac fidelium defensetur tranquillitas, ut cupimus & speramus, &c. Dat. Romae apud S. Petrum id. aprilis pontificatus nostri anno primo. Descivisse a Ladislao Petrum ipsum, ac secutum Joannis imperia, partesque Ludovici, e Summonsio colligitur, dum tradit (a) Ladislaum, confirmatis jam rebus suis, Nolano comitatu Ursinos, admoto exercitu, exuisse. At haec postea contigere: nunc expeditionis illius in Ladislaum susceptae successus conjungamus.

(a) Summon. l. 4. c. 2.

Ursini Nolano comitatu exuti.

IV. Ludovici Andeg. expeditio in Neapolit. regnum.

Sacratia die S. Georgii Romanae ecclesiae, Lodovici Andegavensis, populi Romani, ac Pauli Ursini vexillis, Ludovicus, cui Joannes Petrum Stephanescum Annibaldum S. Angeli diaconum Cardinalem legationis honore auctum adjecit, exercitum duxit (b), insignibus militari virtute ducibus Francisco Sfortia, Paulo Ursino, & Gentili Monterano stipatus, irrupitque in Neapolitani regni confinia superato ad Ceperanum vado. Commissum est die decima nona maii ad Roccamsiccam praelium ancipiti inito eventu, fractaeque demum Ladislai copiae; quam rem gestam fusius describit Theodoricus Niemius his verbis (c): *Cum ibi per aliquos dies tempore vernali dicti exercitus unus ab isto & alius ab alio latere dicti fluminis permansissent; capitanei exercitus Balthasaris & Ludovici Regis quadam die mensis maii circa vesperam improvisis hostibus praedictum flumen transiverunt, ipsos hostes, dum coenare vellent, alacriter invadendo; & resistentes eis hostes hujusmodi quosdam vi repulerunt, seu fugarunt pedestres & equestres in magna copia, inter quos erant aliqui magni capitanei, & etiam quamplures comites & barones, nec non aliqui alii proceres, ad ipsum Balthasarem captivi postea deducti. Et dum haec agerentur praedictus Ladislaus Rex, videns suos in illo conflictu deficere, abinde, consulendo sibi ipsi ad castrum Roccasicca nominatum consistens in quodam rupe altissimo, & non multum distante ab eodem loco conflictus, cum paucis de ipso ejus exercitu aufugit, timens quod dictus exercitus eorum Balthasaris & Regis Ludovici eum continue sequerentur, nec non quocumque deveniret obsiderent.*

(b) Diar. MS. vat. Juven. Ursin. in Car. VI. hoc anno

Fractae tumultuario praelio Ladislai copiae.

(c) Theod. a Niem. in vit. Jo. XXIII.

Ladislai fuga.

Dicti autem capitanei & eorum socii de prae-

prædicta exercitu eorundem Balthasaris & Regis Ludovici, videntes in dicto loco conflictus quamplura vasa aurea & argentea posita in mensis, ubi Rex ipse Ladislaus cœnare debebat, ne illa prædicta amitterent, præfatum Regem Ladislaum & alios de exercitu suo fugientes tunc ulterius prosequi non curabat: sed vasa ipsa aurea, banderia dicti Regis Ladislai, & ejusdem legati dicti domini Angeli, tunc Gregorii, existentis cum eodem Rege Ladislao in illo conflictu, nec non plures equos & devictorum hostium arma ceperunt, inter se hujusmodi spolia dividendo; sicque dictus Ladislaus nemine ipsum ulterius persequente illud grande imminens sibi periculum tunc evasit. Et interim, quod illa fiebant, Rex Ludovicus præfatus & dominus Cardinalis S. Angeli natione Romanus, qui erat legatus ejusdem Balthasaris in eodem loco, ubi prius dictus exercitus præfatorum Balthasaris & Regis Ludovici ab alio latere dicti fluminis collocatus extiterat, ut præfertur, permanserunt; sed nescio quare, nisi forsan de consequenda victoria contra eorum hostes hujusmodi dubitabant: tamen finaliter ipsa victoria contra eundem Ladislaum Regem ipsis Balthasari & Ludovico Regi parata erat, si eorundem Balthasaris & Ludovici Regis capitanei & exercitus præfatos adversarios acriter percussissent, & non ad prædandum ita repente avidi & intenti fuissent, nec habet ibi locum, quom bene pugnatur, & quom bene sternitur hostis. Ladislaus nimirum, qui capi a victore poterat tenebris fuga evasit, ac deinde dissipati exercitus reliquias magna solertia collegit ad victorum progressus abrumpendos; qua de re hæc tradit S. Antoninus (a).

Victores prædæ amore victum Ladislaum non persecuntur.

Ludovici inertia, qui primam & secundam occiam sequi prætermisit.

Fructum victoriæ amittit.

Redintegrat exercitum Ladislaus.

(a) S. Anton. sup. c. 6.

Duces militiæ erant Paulus Ursinus & Sfortia: aderat quoque Ludovicus Andegavensis, cui possessio regni quærebatur jam pridem ab Alexandro Rex appellatus. Ab his, commisso in finibus regni prælio, Ladislaus profligatur: quod si duces militiæ, qui erant pro Parte Pontificis & ducis Andegavensis, & alii sequi voluissent, aut scivissent uti victoria, actum fuisset de regno: sed immorando ac tempus terendo, recipiendi sese et reparandi vires facultatem victo Regi dederunt. Vox postea fuit Ladislai, qua die profligatus est, & sui corporis & totius regni potestatem in manibus hostium fuisse: secunda vero die corporis sui potestatem amisisse, regni tamen adhuc dominos esse potuisse si prosecuti victoriam fuissent: tertia vero die nec jam sui corporis, nec regni capiendi habuisse potestatem, quoniam adversus illorum vim jam remedia comparasset. Eadem pluribus refert Pandulphus Collenutius (b), qui Luduvicum Andegavensem non modo imprudentiæ redarguit in victoria non proferenda latius, quam magno labore pepererat, verum in dimittandis quos in acie ceperat, ii enim ad Ladislaum, qui ad oppidum, cui S. Germani nomen est, profugerat, se contulere, maximoque ad instaurandas lapsas res, ac muniendos regni aditus præsidio adjumentoque fuere; quamobrem Ludovicus penetrare regni interiora non potuit.

Memoranda Ladislai sententia. Victoriam persequi nescit Ludovicus.

(b) Collenut. hist. Neap. l. 5. Summont. l. 4. c. 2. & alii.

Interea Joannes, qui capta in acie hostium signa a victoribus ad se transmissa acceperat, cum sibi animo fingeret omnia ad victorem prona futura, ac regnum Neapolitanum sibi subiiciendum, pulso vel capto æmulo Gregorio, maxime cum plures arcanas coitiones cum nonnullis Neapolitanis fecisset, inanem triumphalem pompam magno fastu Romæ duxit raptatis insolenter per lutum Gregorii & Ladislai vexillis, ut narrat (c) Theodericus e Niem, sic inquiens: *Banderia in signum victoriæ ad Romam transmissa fuerunt, quæ ipsa Balthasar de turri basilicæ Principis Apostolorum de urbe prædicta in altum publice poni fecerat, ut ab omnibus dictam basilicam intrantibus & exeuntibus viderentur, & demum processione solemni facta in ipsa urbe per eumdem Balthasarem cum dominis Cardinalibus & aliis prælatis multis idem Balthasar ad majorem confusionem Regis Ladislai & domini Angeli tunc Gregorii præfatorum ipsa banderia in luto in contemptum retro dictam processionem publice trahi fecit; quod tamen displicuit multis curialibus & aliis magis mature res illas fortuitas videntibus, & asserentibus quod tales despectus nil facerent ad propositum, nisi quod eorumdem Ladislai Regis suorumque auxiliatorum animos ad resistendum adversarii magis viriliter & ad offendendum eos vehementius provocarent.* Delusæ paulo post Joannis spes fuere, nam dum subactæ Neapolis nuntium expectat, nunciavit fama abruptos fuisse a Ladislao regni aditus ac Ludovicum reducentem in urbem exercitum, quem sustentare ex præda hostili non poterat, vidit (d).

Inanis pompa a Joanne agitata.

(c) Theodericus e Niem in vit. Jo. XXIII.

Insignis illius in Greg. injuria.

Propulsatus regni aditu Ludovicus.

(d) Thead. e Niem ubi sup. MS. arch. vat.

Joannis in Ladislaum edicta.

V.

At quamvis in provinciam inglorius redierit Ludovicus, Joannes majoribus in Ladislaum, ut eum everteret, insurgens studiis, primum die undecima augusti in Cardinalium senatu ipsum censuris ecclesiasticis devinctum vulgavit: diem etiam nonam decembris indixit, qua decretoriam sententiam ferret: non comparentem perculit anathemate, & regnorum Hierosolymitani & Neapolitani jure privavit, edixitque Siculos citeriores sacramenti ipsi præstiti religione solutos esse. Deinde sacrum in eum bellum in Galliis (e) Anglia (f), Italia (g), Germania, Bohemia, Hungaria (h), Dania (i), Suecia, Norvvegia, Prussia (k), Polonia (l), Lituania, Cypro (m), & oriente (n) promul-

(e) Ib. pag. 188. & 141.

(f) Lib. 4. pag. 143. & 144.

(g) Ib. pa. 178.

(h) Pag. 165. & 166.

(i) Pag. 168.

(k) Pag. 195.

(l) Pag. 208.

(m) Pag. 212.

(n) Pag. 273.

Hussitæ Romanum Pontificem ob bellum adversariis illatum traducunt.

mulgari jussit: quare cum Pragæ de hujusmodi in Ladislaum bello gerendo pro concione ageretur, Hussitæ ad omnes calumniis carpendæ Ecclesiæ occasiones intenti exclamarunt (*a*), Christianos ad Christianam fundendam sanguinem Injuste a Pontifice instigati, eaque de causa aliqui populares motus excitati.

(*a*) *Pag.* 178.
(*b*) *Æn. Sylv. hist. Bohem. c.* 35. & *Cocl. hist. Huss. l.* 1.
(*c*) *Æn. hist. Bohem. c.* 35. *Dubr. l.* 22. *Cocl. ubi sup.*

Ob blasphemas voces affecti supplicio.

Favebat (*b*) Ludovico Andegavensi Wenceslaus Bohemiæ Rex, cum sanguine illi conjunctus esset, atque adeo tum observantiæ in Joannem, tum amotis in consanguineum ergo, ejusdem Joannis diploma, quo stipem erogaturis, vel religiosam militiam, in Ladislaum professuris noxarum venia proponebatur, promulgari, novarorésque indulgentiis obloquentes comprimi jussit: sed cum sacerdos (*c*) o sacro suggestu coram populo de indulgentiis peroraret, tres sordidi artifices a Joanne Hus subornati, illi obstrepere ausi sunt, atque Hussitica improbitate appellare Papam antichristum, qui contra Christianos Neapolitanos sævam militiam decerneret, comprehensi a magistratu seditionis causam præbuere: nam populus ab hæreticis in arma concitatos eos in libertatem vindicare annisus est: verum prudentum virorum oratione delinitus, discessit: cumque blasphemi illi & pontificem & sacras indulgentias maledictis proscindere non cessarent, capitali supplicio impietatis pœnas luerunt. Tum vero Joannes Hus, qui mala doctrina in extremam calamitatem imperitos hosce homines traxerat, at popularium animos religionis specie commoveret, novam exorsus est tragœdiam; suis enim sectatoribus, quos fascinarat, stipatus interemptorum blasphemorum corpora rapuit, aureoque panno circumvoluta veluti martyrum, qui pro Christo, non pro dæmonis & Joannis Hus causa, sanguinem fudissent, & per urbis plateas & ecclesias circumtulit, concinentibus impiis nefandæ sectæ sacerdotibus: *Isti sunt sancti qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt*; deinde Joannes in sacrario ædis, cui Bethleem nomen erat, aromatibus condiit, ratus seditiosorum sanguine novam illam suam ecclesiam consecrasse, deque miserorum infelici sorte triumphavit, conscripto libro, in quo Danielis de martyribus oraculum iis scelere cæsis accommodavit; tum suos, ut pro tuenda ipsius amentia vitam profunderent, his verbis permulsit: *Contradicentes antichristi discipulis mendacibus in gladio corruerunt, alii autem exponentes cervices suas pro veritate martyrizati sunt, captivati, carcerati, & trucidati; & tamen veritatem Christi non negaverunt tam sacerdotes, quam laici, & mulieres. Benedictus sit ergo Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, qui abscondit viam veritatis a sapientibus, & prudentibus, & revelavit eam laicis simplicibus, & parvulis sacerdotibus qui eligunt magis Deo, quam hominibus obedire, &c.* Hac ille hypocrisis pompa plebeculam pellexit in exitium. Ejus vero eloquentiam fallacem retudit contrariis scriptis Stephanus Paletz (*d*) theologus insignis, atque impudentiam hominis in luce collocavit, qui præsulum excusso jugo novam superstitionem conderet, & blasphemiarum reos ob scelus jure necatos consecraret ut martyres, ac tetra cadavera, ut reliquias sacras populorum venerationi exponeret: veterum autem sanctorum, quos pro Christo martyrio affectos universa testatur Ecclesia, ut vilissima cadaverum putentium ossa conculcaret.

Veluti martyrum circumdate eorum cadavera.

Joannis Hussi impietas.

(*d*) *Steph. Pal. apud Cocl. Hist. Hussit. l.* 1.

Jacentium, inquit, *rebellium corpora sub medioscrno sustulisti, & cum ea, qua tibi videbatur, summa reverentia ad cathedram tuæ superbiæ capellam dictam Bethleem detulisti, tui ipsius & scholarium tuæ societatis sanctæ obedientiæ contrariis, clamorosis & altissimis vocibus usque ad inferna novissima concrepantibus: Isti sunt sancti; quibus sic inductis per te in capellam illam, tantum fecisti popularis tui favoris concursum, ut non solum illorum sic juste decollatorum sanguinem linteis, maxime Reginæ tuæ & quidem alii extergerent, sed quasi præ illorum sanctitate & potius pertusa fatuitate lamberent, ita ut se largiente & te donante locus ille tuæ cathedræ summus non tam Bethleem, sed ad tres sanctos per te & tuos complices vocaretur. Quousque, Deus improperabit inimicus? irritat his adversarius nomen tuum in finem? ecce qualis & quam manifesta sanctitatis illorum rebellium indicia sancta invenit mater Ecclesia, ut Husca magister ille audeat tam miserabili præsumptione sancta & occulta tua judicia decernere, & homines, utique temporali (& si æterna tu nosti domine pœna dignos) sua vertiginis assertione in populis sanctificare: Revertere Husca magister, qui sic in altis volitas, ut intueamur te. Ecce tua & tuorum prædicatia venerationem sanctorum ossium juxta ritum Ecclesiæ sanctæ cum tuis reprobas dicens quod sanctus Wenceslaus modico, idest fratricidio regnum promeruit martyrii, & hic cum sanctis aliis, quos sacerdotes & monachi prædicant, habent unius sancti multa capita, multa brachia & diversa ossa, quæ ubique non sanctorum sed vilium cadaverum esse potius reputantur; cujus exemplum accipe magister: quid factum fuerit publice in ecclesia fratrum Carmelitarum, quæ vocatur in arena in Pragensi civitate: ibidem enim sedente aliquo fratre cum reliquiis & quibusdam monstrantiis, & ad fabricam ecclesiæ mendicante, accessit quidam tuæ fortis discipulus, & cum sedenti diceret. Quid hic agit*

Blasphemi ob eo culti ut martyres.

Martyres Christi ab eodem contempti.

gis frater; quo respondente: Cum sanctorum reliquiis expecto beneficium eleemosynarum; at ille per superbiam; Mentiris, inquit, essi sanctorum reliquiat: ossa mortuorum cadaverum hic retinec, & Christianos decipis, cupide mendicando; qua dicto tanquam equus insiliens pede repedans evertit mensam ad terram cum reliquiis. Quo viro per fratres eosdem comprehensa & de tanta nequitia tento, venerunt tuæ fortis armeti plurimi, & excusso fratrum habitacule maxima fit strages, & confusio, & scandalum manifestissimum est factum, ut etiam prior illorum fratrum cum suis plurimis comprehensi non solum verbis turpibus, sed etiam verberibus inhonestissime tractarentur. Jam vide quomodo contra sanctæ Ecclesiæ ritum latrones recenter sanctificat, & ritum sanctæ matris Ecclesiæ honorabiliter & rite a priscis temporibus servatum hactenus vilificat, quæ in toto terrarum orbe sanctorum reliquiæ hinc inde perlatæ & creditæ salva fide catholica honorabiliter venerantur. De aliis Joannis Hus actis inferius dicetur: nunc ad Ludovicum Andegavensem, ad cujus partes efferendas sacra militia promulgata fuerat, revertamur.

Sacræ reliquiæ ab Hussitis conculcatæ.

VI. Distinuere Genuenses Ludovicum, ne impetus in Siciliam converteret, ad quos in pristinam concordiam reducendos Joannes internuntio suo incumbere jussit (a): initas vero proximo ineunte anno illos inter inducias tradit Genuensis historia (b); Genuenses etiam cum Florentinis (c) conciliare studuit idem Joannes hoc anno. At ipse tristem cladem accepit eo tempore, quo superiorem inutilem victoriam reportavit, amissa nimirum Æmiliæ parte (d), quam Carolus Malatesta Gregorii dux intercepit. Nec solam bello cum Gregorio erat implicitus Joannes in Italia, verum in comitatum Avenionensem ad deturbandos pontificia regia Catalanos curas traduxit, advexitque vet. kal. maii in ejus belli sumptus decumani, auri Gallici partem. Indicta, deinde kal. julii fuit religiosa militia, dato crucis symbolo, indulgentiisque propositis ad arcem Avenionensem expugnandam, belloque præfectus Franciscus archiepiscopus Narbonensis, cui jam ante sublato, ut dixi, e vivis Petro tit. S. Susannæ presbytero Cardinale administrationem Venusini comitatus contulerat. (e)

(a) Ibid. pag. 108.
(b) Foliet. l. 9.
(c) Jo. l. 4. pag. 109.
Joannes Æmiliæ partem amittit.
(d) MS. Diar. urn. Theodoric. e Niem in vit. Joan. XXIII. Pomp. ura. hist. Bon. l. 6.
(e) Id. l. 3. pag. 119.

VII. *Interea Joannes Papa*, inquit Gobelinus (f), *concilium generale in urbe celebrare decrevit, quod Alexander prædecessor ejus in tertia anno post concilium Pisanum supradictum decreverat celebrandum.* Extant ea de re publicæ a Joanne ipso tcc. kal. maii exaratæ literæ (g), quibus concilium generale Kal. aprilis anni proximi Romæ indixit, quarum potissima pars delibanda visa est.

Concilium a Joanne indictum.
(f) Gobel. in Cosmodr. ӕt. 6. c. 90.
(g) Jo. l. 10. p. 236.

Ad futuram rei memoriam.

In nostræ considerationis speculam adducentes almam urbem communem omnibus nationibus, primam cunctarum urbium regionum, & dominam, in qua, ut redemptionis nostræ gratia per totum mundum effunderetur effectus, sacrum imperium providentia divina constituit; quodque per sacratissimum Petri sedem caput ipsius orbis effecta cælestia pariter & terrena superna religione complectitur, & ubi orthodoxæ fidei principium & cunctorum justorum glorificatur est exitus, ibi fidei cultus & justitiæ vigeat principatus, & in ea divina omnipotentia majestatis sedem suæ militantis Ecclesiæ fore constituit sanctorum sanguine rubricatum, divinarum humanarumque legum opificem, & ad quam omnes ferme fidelium nationes pro suorum remissione peccaminum & indulgentiæ consequendis, quibus præ ceteris urbibus toto orbe diffusis exuberat & excellit, confluere aviditate & ferventiae consueverunt, & pro cujus urbis defensione & manutensione, ne a Ladislao de Durachio, se Regem nominare Siciliæ damnabiliter præsumente, hoste notorio ac rebelle, nefarie ipsius Ecclesiæ occupatore dudum contra præfatam Ecclesiam ipsius urbis ad id totis viribus conitente, sub umbra atque perniciosi voluminis obtentu perditionis alumni Angeli Corario se Gregorium XII. ausu temerario, nominantis, haretici atque schismatici & scandalizatoris ejusdem Ecclesiæ, per ipsum Pisanum concilium, suæ culpæ & demeritis exigentibus, ac justo Dei judicio, ac deinde per processus apostolicos sententialiter condemnati, suisque sequacibus sub potentissimo formidabili extentoque brachio; cum ad diripiendam occupandamque eandem in fomentum schismatis ac pravitatis hæreticæ terra marique modis omnibus nitebantur, ut seditionibus atque guerris occupari valeret; cum periculo foret, ac evidenti ruinæ contermina, relicta nostra prædilectissima filia civitate Bononiensi, a partibus illis cum nostra curia nuper pacis angelo comitante pervenimus, illamque urbem divina favente clementia tutati sumus, & de hostilibus faucibus nostri adventus celeritate retraximus, quæ erat [sic arctabatur angustiis undecumque] proculdubio peritura, in nostri ac præfatæ Ecclesiæ ac subditorum status periculum inextimabile & jacturam. Locum itaque fertilem, capacissimum, & accommodum, habilem, & decentem esse hujusmodi futuro concilio post deliberationem & consultationem, quam cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem Ecclesiæ Cardinalibus, super hoc habuimus diligenter, de eorundem fratrum consilio auctoritate apostolica & ex certa scientia locum congregationis & conventionis præfati futuri & generalis concilii ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, B. Mariæ sem-

Roma ad celebrandum concilium designata.

Ut Gregorius & Ladislaus urbem subiicere sint annisi.

Joannis ad illam accedentis tempus indicatur.

semper Virginis, SS. Petri & Pauli Apostolorum, & totius cælestis curiæ, reformationem status saluberrimi præfatæ Ecclesiæ, ac totius gregis fidelium, divinitatis ac orthodoxæ fidei cultum in virtute Altissimi, qui indirecta dirigit, & convertit aspera in vias planas, & in qua nostros jactavimus cogitatus in anchoram nostræ spei præfatam Romanam urbem declaramus, indicimus, atque decernimus, assignamus, ac statuimus per præsentes exhortantes, ac etiam requirentes & præsertim, qui tenentur ad hujusmodi venire concilium fideles hujusmodi, etiam in quibusvis dignitatibus spiritualibus & temporalibus, tam regalibus, quam pontificalibus constitutos, ac ipsis in remissionem peccaminum suadentes, subditis quoque videlicet patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, abbatibus, capitulis, & conventibus ecclesiarum & monasteriorum omnium districte in virtute sanctæ obedientiæ injungentes, quatenus pro felici statu præfatæ Romanæ ac catholicæ Ecclesiæ, ac ejus reformatione saluberrima, tranquillitate subditorum, pace & salute cunctorum, velint & debeant per se aut procuratores, vel nuncios idoneos, si impedimento fuerint legitimo præpediti, opportuno & debito tempore, videlicet ante kal. proxime futuri mensis aprilis in ipsa urbe personaliter convenire, ut illa decerni, provideri, statui, & ad executionem deduci valeant, quæ secundum Deum, sanctorum decreta patrum, & canonum instituta super præmissis emergentibus, dependentibus, vel connexis præfato concilio & ejus determinationi salutaria videbuntur: quibus omnibus, & eorum cuilibet venientibus, stantibus, & recedentibus prædictarum literarum serie in habere, ac personis in veniendo, stando, & recedendo culpis, excessibus & delictis cujuscumque qualitatis commiserint, etiamsi hæresis vel læsæ majestatis crimina saperent, necnon diffidationibus, reprehensaliis, processibus, & bannis, condemnationibus ac sententiis, & censuris realibus, personalibus, spiritualibus & temporalibus contra eos factis, latis, inflictis, seu promulgatis conjunctim vel divisim, & aliis contrariis nequaquam obstantibus plenæ securitatis licentiam, salvum liberumque conductum usque & post absolutionem dicti futuri concilii per tres menses immediate sequentes valiturum tenore præsentium, impertimur, mandantes ab omnibus inviolabiliter observari, & nihilominus pro itinerantium securitate inhibere, ac personis omnem pastoralis officii diligentiam impendemus totis affectibus, ac provisionibus ad præmissa. Et licet venientes ad Romanam curiam, morantes in ea, & ab illa recedentes plena debeant securitate gaudere, ac in spoliantes, capientes, & detinentes eosdem excommunicationis ac anathematis sententiæ sint per processus apostolicos promulgatæ; ne tamen venire volentes aut nuncii seu procuratores eorum ad præfatum concilium aut ipsam curiam communem omnibus propriam, locum sibi minus tutum, & propter inimicitias vel ex causis aliis imminere sibi nunciis aut procuratoribus ipsis periculum in itinere veniendi ad ipsum concilium seu curiam forsan allegent; universos & singulos Reges, patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, & quoslibet ecclesiarum ac monasteriorum prælatos, clericos, ac personas ecclesiasticas; nec non duces, marchiones, barones, principes, comites, potestates, capitaneos, & quoslibet alios officiales ac eorum locatenentes; necnon communia, universitates ac singulares quascumque personas, civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum, villarum & aliorum locorum tenore præsentium requirimus & hortamur in eo, qui est omnium vera salus, ipsisque patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, prælatis aliis, cæterisque subditis nostris etiam armigerarum gentium capitaneis districte mandamus, quatenus præfatos venientes nuncios aut procuratores ipsos, ac ipsorum quemlibet & comitivas eorundem in veniendo ad dictum concilium seu curiam, morando in ea, & ab ipso recedendo in personis vel bonis aut rebus eorum vel comitiva nullam inferant injuriam, molestiam vel offensam, seu ab aliis quantum in eis fuerit permittant inferri. Subdit, ut res in omnium notitiam veniat, publicum de indicto concilio diploma in palatii apostolici & basilicæ S. Petri foribus se affigi jussisse. *Dat. Romæ apud S. Petrum III. kal. maii pontificatus nostri anno I.*

Præsules solicitati ut veniant ad concil.

Tempus celebrandi concilii.

Fides publica omnibus data.

Militarem viri inferre damnum vimque prohibiti.

VIII.

Aurelianenses bellum indicunt Burgundo.

In Galliis hoc anno exitiale & calamitosum accensum est bellum a principibus Aurelianensibus, qui cum frustra leges implorassent ad vindicandam trucidati ex insidiis parentis necem ob Joannis Burgundiæ ducis immensas opes, inque regia administranda summam authoritatem, illi demum, inito cum aliis principibus fœdere, bellum indixere, (a), publicasque literas (b) ad creandam ipsi invidiam divulgarunt, quasi Rege Carolo Delphinoque in servitutem redactis regia potestate pro libidine abuteretur. Nisus est exorientem flammam restinguere Carolus Rex, ac populos sive pro Aurelianensi sive pro Burgundo arma sumere vetuit (c); at obsoleverat ejus authoritas, quare ii magno irarum æstu inter se concurrere (d). Occupatum est oppidum, cui nomen est S. Dionysii, ab Aurelianensibus, animumque Regis, qui agebat Parisiis, tantus terror invasit, ut regiis literis XIV. octobris exaratis Aurelianenses læsæ majestatis crimine damnarit (e), quasi de alio creando Rege conjurassent; ita enim ipsa suffuratum ipsi est ab administris Joannis Burgundi; qui mox provolavit Parisios cum exer-

(a) Juvenal. Ursin. hoc ann. in Car. VI. & Monstr. vol. 1. c. 71. 72.
(b) Ext. eod. c. 71.
(c) Ib. c. 73.
(d) Cap. 77.
Galli intestino dissidio afflicti.
(e) Eod. cap.
Burgundus crudelissime sævit in adversarios.

exercitu, Aurelianenses ex eodem S. Dionysii oppido depulit; tum in eorum studiosos tanta immanitate & impietate usus est (a), ut non modo carcerum squallore, fame, frigore, ferro eos necaret, verum ipsos etiam Ecclesiæ sacramentis procurari vetaret, corpora canibus, avibus, ac feris lanianda exponeret, nequa ecclesiasticæ sepulturæ mandari permitteret: tum eo proruplt nequitia hominis immanissimi in Gallicæ gentis exitium nati, ut adversariorum, quos peremerat filios, sacro baptismo lustrari prohiberet, ut publicis literis Carolus Rex planxit (b). Eodemque impio furore inflammari, ut ait Juvenalis Ursinus (c), nonnulli sacerdotes, dum sacrosanctum missæ sacrificium peragebant, non rectam crucem formabant manu, sed quasi a Christo ad Burgundum defecissent, decussatam crucis effigiem fingebant, quod Burgundus crucem S. Andreæ præferret.

(a) Id. ib.

(b) Ext. ib. c. 116.

Ex partium studio in impietatem lapsi.

(c) Juven. Ursin. in Carol. VI. hoc ann.

In Hispania Granatenses instructo præpotenti exercitu in Castellæ fines irrupere (d), ac ferina rabie in Christianos sævierunt. Ex quorum excursionibus occasionem cepit Joannes, ut in Castellam & Aragoniam Jordanum tit. S. Laurentii presbyterum Cardinalem legatum amplissima instructum potestate decerneret, ut sacræ militiæ adversus Granatenses ipsius auspiciis educendæ specie Hispanos ad partes suas perduceret.

(d) Ext. de eo Jo. lit. apud Eug. IV. l. 12. p. 25. & l. 15. p. 212.

Dilecto filio Jordano tituli S. Laurentii in Damaso presbytero Cardinali, in Castellæ, Legionis, &c. regnis & partibus immediate subjectis, Regibus regnorum ipsorum, nec non in provinciis, civitatibus, diœcesibus, & locis aliis quibuscumque, per quæ per Reges regni Aragoniæ, qui fuerunt pro tempore regi & gubernari hactenus quomodolibet consueverunt, sedis Apostolicæ legato, salutem.

Nuper non sine magna mentis nostræ amaritudine intellecto, Saracenos, Agarenos prædictos & alios infideles manu potenti & brachio extento, in Christianum populum, immanitate terribili ac efferitate nequissima versus partes regnorum Castellæ & Legionis & alias finitimas in multitudine maxima & horribili insultasse, ut orthodoxæ fidei cultores prosternant & Redemptoris nostri gloriam undequaque confundant, si eorum nefando proposito possibilitas responderet; attendentes, quantum ex hoc pestifero impetu Christiano populo discrimen immineat, & quod jam crebris ut ita loquamur, infidelium congressibus & armorum impulsibus fidei catholicæ fundamenta pulsantur; quodque nisi præsidia inveniantur, Christianorum religio illis in partibus excidio videtur esse contermina, in propter nos tantum imminentibus, & diversis incommodis in confusionem fidei prælibatæ pio ac paterno compatientes affecta, illoque volentes, non quo cupimus, sed quo possumus, auxilio paternaliter subvenire charissimo in Christo filio nostro Joanni Regi Castellæ & Legionis illustri, necnon dilecto filio nobili viro infanti Ferdinando gubernatori regnorum Castellæ & Legionis præfatorum, quos cum nonnullis principibus, ducibus, magnatibus, aliisque incolis regnorum & partium circumadjacentium, illo, qui ubi vult spirat, misericorditer inspirante, vexillo vivificæ crucis in subsidium ipsorum regnorum, & partium oppressorum assumpto, animas suas ad vindicanda hujusmodi opprobria salubriter pro eo, qui eas pro se repositas in vitam custodit æternam, ponere decrevisse fidedigna relatione percepimus; & infra, *nos prædicationi crucis in regnis & partibus prædictis per te, de cujus zelo adeo quæ Dei sunt, & præcipue ad succurrendum regnis & partibus non ignota nobis tua conscientiæ puritas, virtutis constantia, & ipsa continua experientia nos informant, decrevimus insistendum. Ideoque tibi, quem ad Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Navarræ, ac Granatæ regna, & partes immediate subjectas Regibus regnorum ipsorum, nec non provincias & loca alia quæcumque, quæ per Reges dicti regni Aragoniæ qui fuerunt pro tempore regi, & gubernare hactenus quomodolibet consueverunt, legatum apostolicæ sedis providimus destinandum, &c.* Dat illi provinciam, ut sacram expeditionem promulget in Mauros, cum ad pelliciendos Christi fideles sacra indulgentiarum præmia ac privilegia, quæ concedi Asiaticam expeditionem suscipientibus consuevere, impertitur, ac sacerdotes authoritate instruit, ut criminum nexibus eos exolvant, vel qui arma capessiverint, aut malis artibus parias opes contulerint. *Dat. Romæ, &c.*

Granatenses Castellam excursionibus infestant.

Ferdinandus regiæ procurator sacrum in in eos bellum suscipit.

Sacra expeditio adversus infideles promulgari jussa.

Non successere e sententia Joannis consilia, nam Petrus e Luna Hispanos in sua servitute continebat. Et quidem in Aragonia cum post mortem Regis Martini sine prole defuncti interregnum esset, post gravissimas concertationes, Ferdinandus Castellanæ regiæ, Joanne Rege annis minore, procurator ad Aragonium sceptrum proximo anno vocatus (e) est, qui bello Maurico confecto, induciisque mensium septemdecim pactis, Castellæ vires ad æmulos obterendos terrendosve in Aragoniam converteit: deinde a Petro e Luna pseudopontifice facto Dertusæ colloquio IX.
Siciliæ ac Sardiniæ beneficiarium imperium accepit (f).

(e) Jo. Mar. l. 20. c. 1. 2. & 3.

(f) Id. ib. c. 5.

Hoc anno Joannes, ut se armis ac scientia communiret, inquit Niemius (g), quatuordecim Cardinales eruditionis laude præstantes creavit (h), inter quos doctrina excelluere Petrus de Aliaco episcopus Cameracensis tit. S. Chrisogoni presbyter, & Franciscus Zabarella Florentinus episco-

(g) Theod. a Niem. in vit. Jo. XXIII.

Cardinales creati a Joanne.

(h) Contel. in elen. Card.

scopus designatus SS. Cosmæ & Damiani diaconus. Cæteros duodecim ex Vaticanis monumentis recenset Felix Contelorius (a), nimirum Franciscum Landum patriarcham Constantinopolitanum tit. S. Crucis in Jerusalem, Antonium Pancerinum e Portugruario patriarcham Aquilejensem tit. S. Susannæ, Alamannum Adimarium archiepiscopum Pisanum tit. S. Eusebii, Joannem archiepiscopum Olisiponensem tit. S. Petri ad vincula, Georgium e Liechtenstain episcopum Tudertinum tit... Thomam Brancatium episcopum Tricaricensem tit. SS. Joannis & Pauli, Brandam e Castellione episcopum Placentinum tit. S. Clementis, Thomam Langlei episcopum Dunelmensem tit... Robertum e Luna episcopum Sarisberiensem tit.... Ægidium de Campis episcopum Constantiensem tit. ... Guillelmum Philasterii decanum Rhemensem tit. S. Marci, presbyteros & Lucidum e Comitibus protonotarium apostolicum Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinales.

(a) Contel. in elen. Cardd. Eorum nomina.

X. Eodem anno Evangelista filius S. Franciscæ viduæ Romanæ novennis puer, sed prudentia canus, & prophetiæ dono clarus, ad cœlestem immortalitatem migravit (b). Is duos monachos mendicantes præ domus paternæ foribus conspicatus alterum increpuit, quod pretiosiores vestes induere exambiret, ipsique imminentem calamitatem prædixit. Contempsit ille atque episcopatum iniqua arte adeptus, turpem vitam miserabili fine conclusit. Alias pugionem e paterno latere vaginaque ereptum dorso patris admovit, vaticinatus ita pugionem in ejus dorsum adactum iri: probavit rem exitus, nam cum ob pulsum Bonifacium IX. coorta esset seditio, Laurentius Pontianus Franciscæ vir pontificii nominis vindex ab hoste Ladislai Regis studioso pugione in dorsi designata parte confixus est, ut pene examinatus concideret, nec sine magnis laboribus ac piis potissimum uxoris precibus convaluerit. Dum vero epidemia in urbe grassabatur, Evangelista, qui matri referebat se non mundo sed coelo idoneum fore, pulcherrima morte occubuit: quo temporis momento puella, quæ in vicinia morbo oppressa pluribus diebus vocis usum amiserat, exclamavit intueri se Evangelistam e Pontianis clarissima luce circumfusum a duobus Angelis in cœlum deferri: quinimmo ipsemet, antequam spiritum efflaret, hortatus matrem ad Christianam constantiam professus erat, sanctos Antonium & Onuphrium, ac plures Angelos ad ipsum sociandum sibi astitisse. Postea evoluto anno cœlesti circumfusus luce se videndum matri objecit, atque unius horæ flexu ab albescente aurora ad exortum solem de cœlitum felicitate disseruit; quinetiam Archangelum custodem adduxit, cujus aspectu ipsa potiretur (c). Is si quapiam in re aliquando Francisca peccabat, ex ejus oculis evanescebat, seque videndum præbebat, cum illa culpam planxisset: si vero quispiam præsente sancta muliere peccasset, mox Archangelus quasi suffusus pudore vultum tegebat: si illa vexabatur a dæmonibus, opem laboranti afferebat. Tanta vero luce fulgebat, ut noctu ad comarum illius fulgorem Francisca divina officia perlegeret. Antequam vero hunc Archangelum formæ elegantia insignem manusque in crucis formam decussatas gerentem acciperet, ab Angelo custode percuti consueverat (d), si quando leviter peccaret, etiamsi neminem intueretur, adeo ut cum socrus Cæcilia & Vannozza glos de rebus caducis inter se colloquerentur, neque ipsa mero quodam humano capta sermonem abrumperet, alapam acceperit, quamvis nemo compareret: cumque Antonello, qui ipsi a confessionibus erat, internos mentis sinus panderet, nec tamen omnia munera divinitus illi concessa præ ignava demissione referret, ictum adeo gravem humeris excepit, ut in terram projecta sit, stupente sacerdote, cui mox errorem aperuit: cum vero post sacram sumptam Eucharistiam in ecstasim rapta esset, corripi se ab Angelo didicit. Eo quoque divino munere ornata (e) est, ut fœtorem peccatorum persentiret, ac faciem ab iis, qui impudicitiæ labe inquinati erant, averteret & si prope lupanaria iret haberet, tanto fœtore afflata angebatur, ut pene exanimata corrueret.

(b) Vit. S. Francisc. Rom. l. 1. c. 9. Filius S. Franciscæ prophetiæ dono clarus.

Felix illius mors.

Ab Angelis in cœlum delatus.

Archangelus custos datus S. Franciscæ.

(c) Ib. c. 13.

Percuti solita ab Angelo custode si quando peccaret (d) Cap. 12.

(e) Cap. 11. Fœtorem peccati sentit.

XI. Erupit (f) hoc anno latens hæresis [1], quæ excellentis doctrinæ specie fœdissimos errores, & divini amoris nomine carnales amores commendabat; & vocitata est ho-

XI. Ægidius hæresiarcha.

(f) MS. collegii Navarrici Parisiis apud Spondan.

NOTÆ [1] HÆresis intelligentiæ, quam describendam hic suscipit annalista, ante duodecim saltem annos cœpit, cum Frater Guillelmus juridice hoc anno interrogatus prodiderit, se ante duodecim fere annos audivisse Ægidium cantorem dogma quoddam ea iis, quæ hæretici illi tuebantur spargentem. Assertores ejus & principes Ægidium cantorem & Guillelmum pseudo-carmelitam hoc anno ejurare hæresim suam coram fidei censore monacho Dominicano ea fide Spondani affert annalista. Porro Spondanus historiam hanc desumpsit ex publicis tabulis tunc signatis, servatisque in pluteis collegii Navarrici Parisiensis, quas demum tabulas Baluzius Miscellan. to. II. pag. 277. integras produxit, signanturque anno 1411. indictione IV. mensis vero junii die XII. pontificatus Joannis anno II. Sed neque ea his tabulis, neque ea Spondano adstruitur, quod annalistæ incauto excidit, ea nempe occasione, utrumque hæresis principem palinodiam recinuisse.

Id

hominum intelligantiæ secta, quod illi se intelligentia præditos dicerent, reliquos vero veluti mantis expertes contemnerent. Hujus auctor hæreseos Ægidius Cantor laicus illusus a dæmone socium habebat Guillelmum de Hildarmissen pseudocarmelitam, & una cum eo a sacræ fidei censore ordinis Prædicatorum Quintini in Picardia ad damnandum errorem addoctus est. Porro Ægidius se mundi salvatorem esse effutiebat, dæmones hominesque salutem demum consecuturos, jejunia, orationes, corporis macerationes, Ecclesiæ ritus & sanctiones despiciebant, sacram exomologesim profanabant, gravissima delicta subticendo, & leviores culpas ad hypocrisis pompam detegendo, appellitabant carnalem copulam Mahometis exemplo paradisi delicias, actumque mere naturalem esse, atque ideo sine crimine exerceri, & omnes actus, etiam nefarios, ad divinam voluntatem beneplaciti referebant: legis novæ ferendæ a Spiritu Sancto tempus imminare, ac tum veritates catholicæ religioni contrarias contra tria religiosarum familiarum vota prædicatum iri: quæcumque deliramentra concepta animo Spiritus Sancti arcanos instinctus putabant: de purgatorio & inferno contraria orthodoxæ fidei sentiebant. Addebat Guillelmus, de quo paulo ante memoravi, nulla esse merita vel demerita, Christum enim profusa meritorum affluentia omnes redemisse: non inquinari animam corporum maculis: Eucharistiam despiciebat, quod Deus ubique locorum versetur; resurrectionem mortuorum negabat, quod omnes jam in Christo resurrexisse effutiret. Ejusmodi autem Hydræ plura succisa capita iterum eduxere novatores, nam Georgium Majorem se salvatorem esse ementitum, Lutherum merita & demerita sustulisse, seque Spiritus Sancti organum esse jactasse, Calvinum Eucharistiam despexisse, omnesque castitatis hostes fuisse infensissimos suis locis dicetur.

Impura hominum intelligentiæ hæresis.

Guillelmi pseudocarmel. hæreses.

Instauratæ a novatorib.

Disseminati fuerant hi errores maxime Bruxellis & Cameraci, atque adeo in his urbibus a Guillelmo prædicto publice revocari (a) & damnati fuere; narrat vero Joannes Gerson (b) in libro de distinctione visionum verarum a falsis, irrepsisse hoc tempore apud nonnullos, qui pietatem profitebantur, obscœnam hæresim Begardismi propaginem, quæ amores carnis divini amoris fucata dulcedine obvolutos instillabat.

Carnalis amor divini amoris specie fucatus.

(a) *MS. colleg. Navar.*

(b) *Gerson. vir. de dist. verar. vis. a fals.*

Anno

NOTÆ Id enim ab uno Guillelmo, qui unus in judicio adstitit, præstitum est, judice non quidem censore fidei Dominicano: sed illo præsente, Petro de Alliaco, qui ante dies VII. cardinalis a Joanne renunciatus absens, nondum cardinalem, sed Cameracensem episcopum adhuc agebat. Quædam insuper Ægidio, seu Guillelmo tribuuntur hic in annalibus, quæ ex tabulis illis a feminis quibusdam ejusdem sectæ jactata fuisse discimus, ut illud de fornicatione, quam fœmina ejus sectæ licere prædicabat. Denique Guillelmus in sua palinodia multas ex ipsis hæresibus, eam præsertim quæ fœdum aliquod & turpe continebat, nec a se traditas nec umquam admissas professus est. MANSI

I. Gregorius plures legatos creat.

ANno a Virgineo partu duodecimo supra mille quadringentos indictione quinta Gregorius, ut labentes in dies res suas instauraret, plures legatos, præcipua in Germania creavit, nimirum Rabanum episcopum Spirensem (a), Wernerum Treverensem archiepiscopum (b) & Corradum Susatum S. Cyriaci Wormatiensis præpositum (c), cui etiam in ditione Ludovici palatini Rheni ac fratrum donec a Joanne discederent dicendi ecclesiastici & prophani juris potestatem contulit (d). Tum plura diplomata adversus Joannis studiosos edidit (e), in illosque potissimum (f) qui Hermannum Lantgravium Hassiæ ipsi adhærentem molestia aliqua afficerent; utque religioni eorum, qui illi parebant, vel erant parituri prospiceret, sanxit (g) ut populus a quovis sacerdote sacramentis procurari, & clerici a quocumque episcopo catholico sacris ordinibus initiari possent: tum formulam sacramenti, qua ad ipsum reversuri expiandi forent, proposuit.

(a) Greg. l. 4. p. 24. (b) Ib. pag. 28. (c) Pag. 37. (d) Pag. 54. (e) Pag. 4. & 9. (f) Pag. 26. (g) Pag. 32.

Encyclicæ ejus literæ.

Universis Christifidelibus & catholicis ubicumque existentibus salutem, &c.

Quoniam jugi urgemur meditatione, curisque assiduis sollicitamur, ac mens nostra officio pastorali nobis credito semper invigilat, ut vobis inter sacrilegas schismaticorum caterva constitutis, catholicam veritatem vestramque constantiam & fidem continuo destruere, ac evellere satagentes, subsidia salubria, quorum provisione levius ipsorum machinationes vitare, conscientiarumque vestrarum salutis felicius antidota habere poteritis afferamus. Et quamquam nuper pia consideratione decrevimus in quadam concessione nostra, quæ incipit: Dum paterna consideratione prospicimus nonnullas gratias spirituales vestris devotionibus indulgere, ut unusquisque vestrum durantibus his malignis schismatum temporibus, qui propriis caruerit episcopo & sacerdote catholicis, quemcumque maluerit idoneum & discretum presbyterum sæcularem sive religiosum, etiam si de ordine mendicantium fuerit, dum tamen catholicum & fidelem in suum possit, quoties voluerit, confessorem eligere, qui confessione eligentis diligenter audita, pro commissis etiam in casibus episcopalibus debitam juxta Ecclesiæ formam ipsi absolutionem impendat, & injungat pœnitentiam salutarem, ac quæcumque ministret & conferat canonice Ecclesiæ sacramenta: insuper quod a quocumque catholico episcopo, si proprio catholico careat, possit recipere quæ ad pontificalem ordinem spectant; *quia tamen malitia temporis non patitur ex iis vestris stimulis esse plene provisum, uberiore indulgentia rationabili inducti permoti vestram devotionem pro inducimus prosequi, ex qua non modo vestræ commoditati, sed etiam schismaticorum saluti consuli arbitramur: nam juxta Apostolicam sententiam vir infidelis salvatur per mulierem fidelem. Si igitur provisione gratiosa catholici schismaticis participatione rationabiliter adjungi permittantur, ope fidelis catholicæque doctrina a schismatica labe poterunt revocari.*

Quid concesserit clericis.

Hinc est quod per dictum tempus, quo sancta mater Ecclesia sponsa nostra schismatis opprobriis fatigatur, indulgemus ut unusquisque vestrum utriusque sexus proprio carens catholico episcopo a propria sacerdote catholico, quo si caruerit, tunc a quolibet sacerdote catholico idoneo sæculari seu religioso possit in vestris commutationem, & a censuris absolutionem recipere episcopo reservatas, quodque decimas, primitias, oblationes, ac alia ecclesiastica jura schismaticis, si catholici forent, debita solvere, dividere, & dispensare possit secundum quod sibi fideliter melius videbitur convenire. Volumus insuper ut præmisso ordine episcopi & sacerdotum non mutato, quilibet vestrum censuris per processus apostolicos, sive in jure a casibus Papæ reservatis irretitus, qui propter schisma præsentiam nostram nostrive commissarii ad hoc habentis potestatem sine periculo, seu ex aliis legitimis impedimentis habere nequit, possit absolvi & super irregularitatibus occasione præmissarum censurarum contractis in forma canonica consueta quoties opus fuerit, dispensari.

Ut populus a quocunque sacerdote partium Gregorii possit absolvi.

Præterea, ut miserabili schismaticorum, cui ex corde compatimur, succurri possit cæcitati, indulgemus ut quilibet schismaticus utriusque sexus apostolicis sententiis ob hoc irretitus, cujusvis status aut conditionis fuerit, ab errore schismatis ad unitatem Ecclesiæ convertendus, ordine superiori de episcopo & sacerdotibus reservato juxta formam juramenti præsentibus insertam, patrum decretis conformem, possit absolvi & reddi Ecclesiæ unitati, ac super irregularitatibus occasione hujusmodi schismatis & sententiarum inde contractis libere dispensari. Forma igitur juramenti de qua præmisimus, infrascripto modo fiat: nam illis, qui a fide & unitate nostra non recesserunt, sed fecerunt aliquem actum schismaticum, sequens juramentum detur.

Secum non sentientes vocat schismaticos.

Ego N. confiteor me fecisse talem actum schismaticum, non tamen corde, & cum schismaticis participasse etiam in crimine & divinis ad evitandum scandalum

Poscendæ veniæ formulas proponit.

sum, damnum, vel periculum, propter quod ultra alias pœnas juste illatas a jure vel ab homine sententiam excommunicationis damnabiliter incurrisse; sed nunc præfatum schisma penitus abjuro, & dominum Gregorium fateor corde & ore fuisse & esse verum Romanum Pontificem, præter quem nullum alium, cujus domini Gregorii Papæ XII. & successorum suorum canonice intrantium promitto & sanctis evangeliis corporaliter tactis juro stare mandatis, & ab ista fide nunquam recedere, nec deinceps aliquem actum schismaticum efficere. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia. *Ceteris vero qui a fide & unitate nostra simul seu ab unitate tantum & non credulitate recesserunt, secundum quod culpabiles reperti fuerint, utrumque simul alterumve tantum exprimendo detur juramentum infrascriptum.*

Ego N. laqueo schismatis olim detentus separatus videlicet a credulitate summi Pontificis domini nostri domini Gregorii Papæ XII. & ipsius obedientia, quia adhæsi, malitia depravatus seu errore deceptus, antipapæ seu antipapis, impugnanti seu impugnantibus verum apostolatum ejusdem domini Papæ Gregorii, nec non fautoribus ejusdem antipapæ seu eorumdem antipaparum, per divinam gratiam ad cor reversus, sicut corde & ore peccavi, sic corde & ore abjuro ipsum schisma, quo fui detentus & omnem hæresim, quam fortassis ob præmissa incurrissem, & ipsum dominum Gregorium fateor esse unicum, & verum Romanum Pontificem & successores suos canonice intrantes; & rebelles contra papatum ejusdem & successorum suorum canonice intrantium fateor esse perniciosos schismaticos, a cujus fide & obedientia & successorum suorum canonice intrantium juro, sanctis evangeliis corporaliter tactis, me de cætero non recessurum, nec non me non daturum auxilium, consilium, vel favorem verbo vel facto rebellibus eidem Romano præsuli domino Gregorio Papæ XII. & successoribus suis canonice intrantibus, sed stabo mandatis ejusdem veri Romani Pontificis & successorum suorum canonice intrantium. Sic me Deus adjuvet & ista sancta Dei evangelia.

Insuper propter mixtionem catholicorum & schismaticorum ex utraque parte multorum misericorditer dispensamus, quod catholici de suis dominiis loca & personas schismaticorum minime teneantur evitare, non tamen ex hoc concedimus quod ad dominia schismaticorum accedant. Si vero catholicos a schismaticis ab executione suorum officiorum in suis locis & ecclesiis contigerit prohiberi, ex tunc, & non aliter, ne divinis & sacramentis defraudentur, ut in locis habilibus, prout reverentur possint, super quo eorumdem conscientias oneramus, in altaribus portatilibus coram quibuscumque catholicis etiam ante diem celebrare, gratiose indulgemus. Concedimus etiam, ut quælibet ecclesiasticarum personarum catholicarum, quæ propter schisma in locis monasteriorum seu beneficiorum suorum absque contumelia Creatoris stare minime valet, in & cum iis locis ac personis etiam sæcularibus se recipere, quibus naufragium effugere felicisque vitæ portum queat reperire; & tunc horas canonicas secundum quodcumque ordinarium aut ordinem ab Ecclesia approbatum dicere ut se suis facere, cum quibus conversatur, de iis dicendis conformet; quodque hujusmodi personæ ab Ecclesia in dictis jejuniis omnino servatis, devotis catholicis, apud quos eos morari contigerit, temporibus cæteris scandalis semper quantum possibilitas permittat proximorum vitatis, in esu facere se conformet, ne dispari comedendi usu catholici eorumdem receptores molestiem onerantur, exceptis Carthusiensibus in esu carnium, licite possint. Et ne circa præmissa ambigendi materia relinquatur, per idoneum sacerdotem hunc intelligi debere, qui discretionis qualitate talis merito reputare possit, declaramus constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, &c. Dat. Gajetæ ix. kal. septembris pontificatus nostri anno IV. Labente bimestri Gajeta pulsum Gregorium, adductumque in extremum discrimen postea videbimus, cum a Ladislao Neapolitano Rege contra spes omnes desertus fuerit. Interea cum Pontifex intellexisset (a) ineunte anno Anconitanos ad pangendam cum eodem Rege societatem, antequam is ad Joannem se converteret, postea vero fama increbesceret Ladislaum ipsum fidem mutare, servireque tempori, eosdem Anconitanos ab ea suspicione visus (b) est amovere: sed contrarii demum successus obscura consilia mox prodidere.

Indictum fuerat superiori anno a Joanne bellum adversus eundem Regem, qui Gregorii causam tuebatur, atque ex finitimis regnis copias, ex remotioribus vero indulgentiarum effusione subsidiarium aurum contrahebat, quam ob causam Henricum episcopum Gravinensem aliosque internuntios in Navarram & Fuxensem comitatum misit (c), ac religiosam militiam indixit (d). Acceptæ itaque superiori anno cladis perterritus Ladislaus, futurosque Ludovici Andegavensis & sociorum impetus timens, delinitusque amplissimis promissis, posthabita quam Gregorio dederat fide, accommodare se tempori, neque ab aliis Regibus & principibus, qui (Aragonensi excepto) Pisanorum conventuum decreta erant amplexi, dissentire decrevit. Coacto itaque

epi-

Vetat adiri terras non sentientium secum.

Religiosis migrandi in monasteria loca que alia facultatem permittit.

Gregorius in periculum adductus.

(a) Ib. p. 11.

(b) Ib. p. 31.

II. Anconitanos ut in fidei constantis perstent hortatur.

Sacra militia in Ladislaum a Jo. promulgata.

(c) Ib. l. c. pag. 56.

(d) Ib. pag. 67.

Pisani concil. decretis obtemperat Ladislaus.

episcoporum & doctorum coetu, cum illi disceptarent pluribus argumentis Gregorium rite exauctoratum fuisse, Raynaldo S. Viti in macello diacono Cardinali Joannis legato se suaque omnia addixit, professus Joannem esse Pontificem atque illius imperiis obsequentem se futurum pollicitus, mox regias literas (a), quibus Joanni fidem obstringebat, subjectis conceptas verbis dedit.

(a) Ext. apud Jo. l. 5. pag. 106.

Sanctissimo in Christo patri & beatissimo domino domino Joanni summa Dei providentia Papa XXIII. sacrosanctæ Romanæ & totius universalis Ecclesiæ dignissimo summo Pontifici devotissimus sanctitatis vestræ filius Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Jerusalem, Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, Provinciæ & Forcalquerii ac Pedimontis comes post humillimam & devotissimam recommendationem ad pedum oscula beatorum.

Ejus literæ supplices ad Jo.

Cum in cunctis actionibus præsertimque, quæ in mortalium mentibus possent alicujus dubitationis scrupulum generare, ut quæat purissima veritas eliei in iis præsertim, quæ respicere dignoscuntur catholicæ fidei, extra quam salus esse non potest, quomodolibet veritatem, & integritatem, desiderabilis unionis in Dei Ecclesia causare, ut elisis extirpatisque ex agro dominico vepribus grex fidelium erga cultum fidei orthodoxæ unitatem mentium vigilantia devotius semper incumbat, sit summopere intendendum, usque aliquandiu negotiorum mole tam juris, quam facti pensata hæsitaverimus de hac super veritate atque justitia assumptionis ad apicem summi apostolatus vestræ beatitudinis, & super dependentibus, incidentibus, ac emergentibus ab eadem, tandem viis & modis omnibus exquisitis, sicut Patri luminum placuit, & habitis super præmissis & infrascriptis maturis consiliis tam prælatorum, procerum, magistrorum in sacra pagina, doctorum, ac virorum notabilium & insignium virtibus expetitis plenaria veritate comperta; ac attendentes aliorum Regum & principum, ac communitatum catholicæ fidei subjectorum in hac materia processus & modos, & quomodo eidem beatitudini vestræ reverenter obediunt ad laudem omnipotentis Dei & totius cœlestis curiæ, nec non statum præfatæ Romanæ ecclesiæ, ac sanctitatis vestræ, & successorum ejusdem Romanorum Pontificum canonice intrantium, pacem & tranquillitatem regni, status, & dominiorum nostrorum & omnium subditorum, invocata Sancti Spiritus gratia, eidem vestræ beatitudini tenore præsentium nunciamus, quod nunc firmiter credimus & tenemus & indubitanter profitemur præfatam assumptionem vestram ad regimen Romanæ & universalis Ecclesiæ inspiratione divina fuisse canonice celebratam.

Aliorum Regum exempla sequi decernit.

Et ut subditi nostri in via veritatis de cætera ambulent, & hæc & alia in cunctorum notitiam deducantur, pro persona nostra, ac universitatibus & singularibus personis eorumdem tam ecclesiasticis, quam laicalibus, etiam in dignitatibus pontificalibus constitutis, & pro omnibus & singulis aliis nostris subditis, ac terris, & locis, quæ quocumque titulo detinemus, reverendissimo domino Raynaldo S. Viti in macello diacono S. R. E. Cardinali commissario dictæ vestræ sanctitatis, & pro eadem vestra sanctitate nec non Romanæ ecclesiæ utriusque successoribus canonice intrantibus recipienti reverentiam & obedientiam debitas dedimus & exhibuimus, vosque Joannem divina providentia XXIII. in verum & unicum Romanum Pontificem & in terris Jesu Christi vicarium, Petrique Apostolorum principis successorem cognovimus & cognoscimus per præsentes. In qua quidem obedientia devotione & filiatione vestræ & successorum vestrorum canonice intrantium, ut præfertur, cum integritate mentis purissima & incommutabili cum omnibus & singulis supradictis indeficientibus studiis persistemus futuris temporibus cum sinceritate cordium toto nixu, ac vestrum apostolicum statum & nomen per nostros subditos in suis devotis orationibus fecimus suscipi specialissime recommissum: & ad hoc, ut præmissa etiam in Romana curia & coram vestra beatitudinis præsentia etiam celebrentur, ad ejusdem beatitudinis vestræ præsentiam oratores nostros solemnes procurabimus celeriter destinare. Sanctitatem vestram conservare dignetur Altissimus diu Ecclesiæ suæ sanctæ. Præsentes autem literas magno præsenti meo sigillo munitas fieri feci in testimonium præmissorum, quas pro ipsarum validiori robore dedi & subscripsi propria manu mea. Datum in castro meo novo Neapolis per manus mei prædicti Regis Ladislai anno Domini MCCCCXII. die XVI. mensis Octobris VI. id. regnorum meorum anno XXVI.

Obsequium Joanni devovet.

Prosecuturum se illum officiis pollicetur.

Corruptum auro fuisse Ladislaum a Balthasare, ut Gregorii partes desereret, tradit Theodericus Niemius (b), cum ferro vinci non potuisset, ejusdemque Ladislai perfidiam graphice depingit hisce verbis: *Quoniam per ipsum Ladislaum Regem ejusque auxiliatores subditi & fideles dicti Balthasaris & præsertim in ipsa Romandiola, Campania, nec non Tuderto, Æmilia, & quibusdam aliis terris ejusdem Romanæ ecclesiæ habitantes plurimum vexabantur in personis & bonis eorum: propter quæ dictus Balthasar mente consternatus reperit modum cum dicto Ladislao Rege concordandi mediantibus pecuniis, & quibusdam magnis promissionibus per ipsum Balthasarem præfato Regi Ladislao per aliquos mediatores factis. Sed quantæ fuerunt illæ pecuniæ & quales erant ipsa pro-*

(b) Niem. in Joan. XXIII.

Joann. XXIII. vexatus a Ladislao tuente Gregor.

Austriæ Aquilejensis diœcesis schismaticorum perfidia nos impulerat, invadendo hostiliter & inhumaniter persequendo, ne ordinatum per nos canonice & in Spiritu Sancto ibi legitime inchoatum sacrum generale concilium pro unione & pace universalis Ecclesiæ sponsæ nostræ, ad quam puro & sincero corde (prout semper fecimus) intendebamus, compleri posset, prout non potuit eorum iniquitia adversante, & oporteret, prout oportuit, propter hujusmodi persecutiones & quamdam pestiferam pactionem eum tunc Rege Ladislao per iniquitatis filium Baldassarem Cossa a suis

Ut maxima adiere discrimina.

sacrilego ausu vocatum Joannem XXIII. factam, adeoque essent nobis itinera clausa, & ipsorum perfidorum laquei tam per terram, quam per mare insidiæ posita & parata, & omnia circumventa, quod nec modus discedendi tutus, nec locus aderat ad quem declinare possemus, præterquam civitas nostra fidelis & filialis Ariminensis & prompta & inextinguibili devotione

Carolus Malatesta ejus patrocinium suscipit.

dilecti filii nobilis viri Caroli de Malatestis domicelli Ariminensis pro nobis & eadem Ecclesia in ipsa & nonnullis aliis civitatibus & locis nostris vicarii, & provinciæ nostræ Romandiolæ rectoris, & unionis hujusmodi fervidi zelatoris, qui a Deo datus & de nostra justitia informatus non pepercit periculis, laboribus, & expensis, spretis oblationibus quibuscumque & comminationibus impiorum: &, sicut Altissimo placuit, qui noluit fidem Petri deficere, pro qua etiam exoravit, supervenerunt ex insperato & contra solitum morem illis diebus, videlicet circa finem mensis octobris, duæ naves mercatorum Venetarum una ab oriente & altera ab occidente ibidem mirabiliter concurrentes, super quibus cum timore & tremore, tamquam undique hostibus circumdati [exceptis dilectis

Paratæ Gregorio moliæ insidiæ. Ejus in Sclavoniam accessus.

filiis Gajetanis, qui erga nos tunc & semper se fidelissimos habuerunt] die ultimo dicti mensis, nobis super inde recessu pro peremptorio termino assignato a dicto Rege ascendimus, & sicut ille voluit, qui nos erravit, inter piratas & perfidos quærentes animam nostram maria ambo incolumes transivimus, & ad partes devenimus Sclavoniæ mutatis tamen fustis cum altera navium prædictarum, quæ illuc nos conducere non valeret, & tandem in quinque barcunculis nos & venerabiles fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, qui tunc

Unius diei flexu e Sclavonia in Picenum scaphis invectus.

tres numero nobiscum erant, mare ipsum transivimus per diem naturalem mirifice, ipso duce, qui aquis imperat atque ventis, in omnium stuporem ad portum Casenaticum applicantes, de quo sequenti die discessimus sociati a præfato filio nostro Carolo; &, facta pernoctatione Bellaveræ altera die occurrentibus nobis dilectis filiis, clero & populo Ariminensi processionaliter & devote, civitatem ipsam nostram Ariminensem intravimus in vigilia siquidem nativitatis Dominicæ, ut sicut eo tempore lux suæ claritatis infulsit, ita sponsa sua ne malevolorum faucibus absorberetur, indulsit, &c.

Arimini exceptus e clero & populo.

Ut igitur ista tam stupenda, & cunctorum miranda oculis in timorem Dei cunctis temporibus memorentur, ipsaque nostra civitas Ariminensis, in sua cathedrali ecclesia ipsi Romanæ ecclesiæ immediate subjecta, & sub vocabulo S. Columbæ constructa singulis annis commemoratione hujusmodi gratuletur, & congruis honoribus frequentetur, eoque libentius Christi fideles confluant ad eandem, quo se senserint dono cælestis gratiæ ibi refertos, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus vere pœnitentibus & confessis de civitate, comitatu, & territorio Ariminensi oriundis, vel alias incolis, qui a primis vesperis vigiliæ usque ad secundos vesperas festi diei epiphaniæ Domini nostri Jesu Christi, qua quidem die post dictum nostrum adventum ibi missam primam celebravimus, ecclesiam ipsam devote visitaverint, annuatim plenam remissionem omnium peccatorum suorum concedimus per præsentes; nec per hoc intendimus aliis quibuscumque indulgentiis & gratiis, quas hic habere volumus pro sufficienter expressis, quovis modo & a quacumque auctoritate indultis, eidem ecclesiæ aliquatenus derogari. Nulli ergo, &c. Dat. Arimini xx. kal. aprilis pontificatus nostri anno iv.

Indulgentiæ principem ecclesiam Ariminensem lustraturis propositæ.

Appetitum etiam alias insidiis tum a Ladislao & Columnensibus, tum a Petro e Luna, tum a Balthasare Cossa, tum a patriarcha Aquilegiensi, sed divina providentia liberatum vidimus.

JOANNES XXIII.

V. Concilium a Joanne XXIII. celebratum.

Extremo anno celebratum a Joanne concilium Romæ, memorant monachus S. Dionysii & alii [1]: quod tamen in proximum

NOTÆ [1] ROmanum concilium hoc anno labente cœptum, & ad exordium sequentis anni continuatum ex fide exterorum scriptorum annalista hic commemorat. Verum Antonius Petri, qui tunc præsens Romæ aderat in Diario, affirmat nonnisi sequenti anno die X. Februarii concilio huic Romano exordium datum fuisse. Hoc vero anno die IV. maii in publico cardinalium consessu, quem consistorium vocant, eumdem pontificem diem certam illius ineundi destinasse. Antonii verba, quæ nonnihil continent ad concilii hujus, alioquin obscuri, historiam pertinentia, afferre hic operæ pretium duco. *Anno 1413. indictione VI. mensis februarii, die veneris, X. fuit inceptum concilium in Basilica principis Apostolorum per dominum nostrum papam Joannem XXIII.*

mum annum extractum ostendit synodale decretum contra Hussitas, cui sexta mensis januarii anni MCCCCXIII. dies ascripta est, inter quos Gobelinus (a) hæc addit: *Cumque his temporibus nonnunquam literæ apostolicæ, in quibus de Urbano, Bonifacio, Innocentio, Gregorio, Clemente, vel Benedicto per tempora schismatis prætereа super papatu contendentibus supradictis fuit mentio facienda, statutum fuit, ut nullus eorum in dictis literis Papa simpliciter, sed cum hac determinatione in sua obedientia nominaretur*. Verum quod Joannes de aliis statuit, id Martinus cæterique Romani Pontifices de ipso Joanne XXIII. usurparunt, ut non pure Pontificem, sed additis verbis, *in sua obedientia*, appellarent. At non eo numero, quem rerum gravitas poscebat, ad hanc synodum convenisse tradit Paulus Langius (b), quam adversus Hussitas celebratam fuisse ait: ac propterea, cum in hoc concilio Joannes Hus se vocandum in judicium pertimesceret, hæresim damnavit editis publicis hisce literis (c): *Ad reverentiam Jesu Christo, Ecclesiæ, supremoque ejus Pontifici exhibendam, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti de ea fide, quam teneo, rationem reddere, confiteor corde integro Jesum Christum dominum esse verum Deum & verum hominem, totamque legem ejus tam firmæ veritatis existere, quod nullum jota vel apex ipsius fallere potest domum suam sanctam ecclesiam fundatam tam firmiter supra firmam petram, quod portæ inferi non possunt adversus eam quomodolibet prævalere; promptusque in spe ipsius capitis Jesu Christi domini mortis dire potius sustinere supplicium, quam eligere dicere vel asserere, quod foret Christi suæque Ecclesiæ contrarium voluntati: ex his fideliter, veraciter, & constanter assero, quod a veritatis æmulis sinistre sedi Apostolicæ sum delatus: falso siquidem detulerunt & delaverunt, quod docuerim populum quod in Sacramento altaris remaneat substantia panis materialis: falso, quod quando elevatur hostia tunc est Corpus Christi, & quando ponitur tunc non est: falso quod sacerdos in peccato mortali non conficit: falso quod domini a clero auferant temporalia, quod decimas non solvant: falso quod indulgentiæ nihil sunt: falso quod gladio materiali suaserim clerum percutere*. Hæc Joannes Hus, quæ scribebat ad Romanum Pontificem in publico doctorum Pragensis academiæ cœtu, acitis testibus & tabellionibus, professus est, in quibus recte se de fide sentire præseferebat.

(a) Gobelin. in cosmod. æt. 6. c. 9.

Antipapæ aliique pacie studio dicti Pontifices.

(b) Langius in chron. Citiz.

Joannes Hus damnat hæresim.

(c) Ext. apud Cocl. l. 2.

Agnovit auctoritatem ecclesiæ.

Potius mortem velle oppetere quam illi repugnare erat professus.

Errores de quibus apud Pontificem accusabatur ejuravgrat.

Cum ita verbis catholicum se esse ementitus esset, factis hæresiarcham se demonstravit, nam anathemate percussus divina celebravit, episcopi Imperia protrivit, ac Pontificem antichristum appellavit; cujus impudentiam Sphanus Paletz ita describit: (d) *Contumax*, inquit, *a sanctæ Ecclesiæ catholicæ recessisti obedientia, & in multorum scandalum & periculum in sententiis plurimarum ecclesiarum, & super omnia summi Pontificis Christi vicarii positus & publice denuntiatus excommunicatus, timorem Dei abjicis, nec censuram ecclesiasticam advertis: de verba Dei in cathedra superbiæ tua, & quod amplius est, de divino missarum officio, bona suffossa conscientia, audaci & fastuosa præsumptione plena gemitu tu audes ingerere, & cum Rege Saule (e) contra divinam obedientiam non victimas offerre, sed scelus idololatriæ perpetrare. At vero si dixeris: Non peccavi; dic sub cujus prælati ecclesiastica disciplina jugo sis, ne tu ipse & actor causarum & judex esse videaris. En & agis causas & solus judicas causas, proponis & decidis causas, te ipsum pro testibus comprobas non apostolos postulas: & nequaquam Christi invocato nomine, determinas sententias & promulgas. Quis ergo tibi comprobabitur? Diœcesanum proprium cum omnibus suis officialibus ordinariis contemnis, & tanquam festucam reputas; quinimmo summum Pontificem abominationem & antichristum publice prædicas, & omne sanctum suum decretum, auctoritatem, & officium majori arrogantia, quam Dathan (f) & Abiron superbissime abjicis, & contemnis. Ecce quomodo absque jugo factus es quasi solus dominus, solus altissimus, &c.*

Ejusdem infanda perfidia.

(d) Apud eund. Cocl. l. 2.

(e) 1. Reg. 15.

Se præfert omnibus.

Blasphemat in Pontificem.

(f) Num. 16.

Andreas etiam Broda nobilis theologus objecit (g) Husso, illum publicarum seditionum concitatorem extitisse, ac pios quosque viros cum ipso non sentientes tra-

(g) Apud Jo. Cocla. hist. Huss. l. 2.

NOTÆ

XXIII. *In primis fuit celebrata missa de Spiritu Sancto per episcopum de Suana. Item statim post celebrationem dicta Missa, dominus noster papa venit de palatio suo apostolico, & intravit dictam Basilicam cum omnibus dominis cardinalibus, & aliis prælatis tunc temporis existentibus in curia Romana in loco præparato pro dicto concilio fiendo...... Item dominus cardinalis de Florentia fecit sermonem, in quo continebatur de certis libris de hæresi, domino nostro papa præsentatis; & statim post sermonem dominus noster papa mandavit comburi dictos libros in capite scalarum dictæ basilicæ S. Petri*. Ex hoc scriptoris oculati testimonio eorum, & diem cœpti concilii emendare licet; ac discimus adscriptionem temporis adjectam bullæ Joannis XXIII. legendæ in annalibus ad A. 1413. I. qua libri Joannis Wikleff concilio approbante damnantur, & igni demandantur, mendosam esse, cum *die IV. nonas februarii* quæ ibi legitur concilium nondum cœpisset. Legendum est igitur die IV. idus februarii, cui fere diei prima concilii; & forte unica sessio congruit. Quandiu concilium hoc duraverit in nota ad sequentem annum expendemus. MANSI

traducere ut impios, omnium vero genere vitiorum turpissimos & contaminatissimos homines, si cum ipso sentirent, effusis studiis prosequi consuevisse: *Teste*, inquit, *B. Gregorio, charitas divisa unit, confusa ordinat, inaequalia sociat, & ipsa charitas dicit (a): Qui non colligit mecum dispergit; quod exponens Hugo sic dicit: Officium diaboli est congregata dispergere, officium autem Christi dispersa congregare. Ecce, magister reverende, quomodo charitas tendit ad unitatem. Quid ergo nos dicemus ad haec, inter quos sunt tantae dissensiones & schismata, ut ille Joannista, iste Vviclephista, caterique Mahumetistae nuncupentur? Divisus est Christus? Numquid Vvicleph est crucifixus pro nobis? aut in nomine ipsius baptizati sumus? Gratias ago Deo meo, quod opinio ipsius nunquam intravit in cor meum: & vos in litera appellatis me fratrem charissimum. Det mihi Christus Jesus pro magno quaeso munere, ut fieis in Domino frater meus; nam ex toto cordis affectu desidero vos ad unitatem sanctae matris Ecclesiae jam redire: in qua, inquam, sunt Christiani ad invicem vere fratres, a qua (quod dolenter refero) per inobedientiam recessistis: vestra enim patefecit litera, quam mihi destinastis, quod mori magis cupitis, quam reverti. Quomodo ergo fratres erimus, quorum non est una mater, & per consequens nec unus pater? Et quomodo scribitis me charissimum, cum tamen tenditis ad hoc, ut me reddatis omnibus vilissimum & odiosum? scribitis enim socio meo dilecto domino Petro, quod ex participatione mea vobiscum sum excommunicatus, profanus, & irregularis. Bene quidem multis temporibus bibi & comedi vobiscum, & in uno lecto jacui: sed ab illo tempore, quo processus contra vos publicati sunt, neque ego vos vidi, neque vos me vidistis: palpate ergo & videte utrum ista ex charitate, an ex odio procedant. Dicitis, quod expectatis martyrium, quomodo vultis esse martyres, cum etiam locum, ubi cognoscitur veritas, declinatis? legem aliis objicitis una cum vestris, nemo ex vobis facit legem: parietes praeceptis depingitis, quae utinam in cordibus teneretis, nonne lex dicit (b): Diis non detrahes? & omnes vestri quantis sunt detractionibus & conviciis pleni? lex praecipit (c): Non concupisces, & vos una cum vestris discipulis aliena tollere praedicatis; mihi judicium imponitis, quod tamen mihi in veritate ascribere non debetis. Sed vae qui alium doces teipsum non doces, dicit Apostolus (d). Quare vos Papam, Cardinales, episcopos, praelatos, & omnes indifferenter clericos vituperose, immo injuriose verius judicatis, & imponitis eis crimina, quae fortassis quoad usque vivitis non probaretis? Cur non sequimini legem Christi dicentis (e): Si videris fratrem peccantem corripe ipsum inter te & ipsum solum, &c. dicitis me colare culicem & camelum deglutire: Verius hoc de vobis dicerem & de vestris: nam illos, qui non sunt de secta Vvicleff etiam parvulos acriter increpatis, sed vestros sectatores perjuros, blasphemos, homicidas, fures, & adulteros, leviter palpatis.* Haec Andreas Broda.

(a) Matt. 12. Luc. 11.

Monetur a socio ne schisma confiat.

Vana Hussi jactantia refellitur.

(b) Exod. 22.

(c) Ib. 20.

(d) Rom. 2.

Onerat catholicos conviciis.

(e) Matt. 18. Matt. 23.

Suos licet nequissimos laudat.

Ut vero magis effunderet Hussus impietatis suae virus, ac facilius simplices deciperet, abduceretque a Romanae ecclesiae gremio, confecto publico instrumento, utrum in Papam credendum esset, num salvari posset qui mortali sacerdoti ore non confiteretur, an aliquis sanctorum sentiat & dicat aliquos e Pharaonis populo in mari rubro mersos, atque ex sodomitis subversos aeternam salutem esse consecutos proposuit, subdolasque responsiones adjecit; cujus perfidiam detegit convincitque hisce verbis Coclaeus (f): *Mihi sane, ut citra odium & livorem ingenue fatear, petulans, ac malignus fuisse videtur Joannes Hus in dubiis istis, petulans inquam ad vexandum eruditos, malignus vero ad subvertendum simplices. Si enim vere de iis tribus quaestionibus dubitasset, non determinasset protinus absque deliberatione & consilio aliorum: si docere voluisset, misisset ea dubia potius ad doctores theologiae privatim, quam ad idiotas laicos per publica instrumenta. Si in aedificationem & non in subversionem scribere voluisset, certe dubia ista secundum simplicem ecclesiae sententiam determinasset ad pium sensum, & non depravasset dicta doctorum per truncatas allegationes, per quas & sensum eorum pervertit simplices decipiens, & bonis auctoribus calumniam fecit de reprobo & adulterino sensu quem tota damnat & exhorret Ecclesia.*

Motae quaestiones a Jo. Hus.

(f) Cocl. hist. Hus. l. 1.

Maligne illius ad populum pervertendum artes.

In primo namque dubio Papam irridens praelatos calumniari videtur, tanquam docuerint plebem in Papam credere, quod illi nunquam fecerunt ut cogitarunt quidem: docuerunt autem credere in Deum, credere Ecclesiam sanctam catholicam, credere Papam, quod sit scilicet vicarius Christi & successor Petri, cui claves regni coelorum traditae sunt, & oves Christi commissae. Docuerunt item credere Papae & Ecclesiae, obediendo scilicet & acceptando ea quae in decretis conciliorum & decretalibus Romanorum Pontificum constituta sunt: sed in Papam aut in Ecclesiam sicut in Deum credere nunquam docuerunt.

Ejus calumniae ad elevandam pontificiorum auctoritatem.

In secundo autem dubio, similiter, & in tertio, truncatim allegat auctores, & per hoc detorquet malitiose dicta eorum in contrarium sensum; nam in magistro sententiarum omittit haec verba: Nonnulli enim in vita peccata confiteri negligunt vel erubescunt, & ideo non merentur justi-

stari; sicut enim præcepta est nobis interior pœnitentia, ita & oris confessio, & exterior satisfactio, si adsit facultas. Hæc verba ponuntur in eodem capitulo, quod Hus allegavit: & in hanc sententiam subjunguntur multo plura in eadem distinctione, quod non sufficiat soli Deo confiteri, si haberi sacerdos possit. Solvuntur præterea ibidem doctorum dicta, quæ Hus ex magistro contra oris confessionem adduxit; ex quibus fune convincitur, ipsum Hus malignam habuisse decipiendæ plebis intentionem per truncas ex magistro allegationes.

Sanctorum doctorum truncat dolo sententias.

In tertio quoque dubio non recitat integram S. Hieronymi sententiam, neque etiam magistri: vera enim sententia Hieronymi est: Deum, ut omnium rerum, ita suppliciorum quoque scire mensuras, & non prævenire sententiam judicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferri potestatem: & magnum peccatum magnis diuturnisque lui cruciatibus, levem vero culpam præsenti compensari supplicio, quales fuerat illius, qui in sabbato ligna collegerat: alioqui si magna peccata præsenti compensarentur supplicio, optandum foret adulteris, ut in præsentiarum brevi & cita pœna cruciatus frustrarentur æternos. Hæc maligne tacuit Hus quemadmodum & ea, quæ magister in contrarium allegat; nam aperte, ibi dicit, quod illud Naum prophetæ dictum: Non judicabit Deus bis in idipsum, vel secundum aliam translationem: Non consurget duplex tribulatio, de his tantum intelligi debeat, qui præsentibus suppliciis commutantur in bonum, & sic perseverant, qui vero inter flagella duriores & deteriores fiunt, ut Pharao, præsentibus æterna connectunt, ut temporale supplicium sit eis æternæ pœnæ initium, secundum Augustinum super illud Deuteronomii xxxii. cap. Ignis succensus est in furore meo & ardebit usque ad inferni novissima. Legerat idem Hus, quod hac de re in decretis legitur, quæ & creberrime in scriptis suis allegare solet. Sic autem habet ibi textus. Auctoritas illa Naum prophetæ: Non judicabit Deus bis in idipsum; non indistincte ostendit omnia, quæ temporaliter puniuntur, non ulterius a Deo punienda esse, alioquin cuique sceleroso optandum esset, ut cœlesti fulmine percussus, aut aquis submersus, aut a serpentibus vulneratus pro peccatis suis divinitus interiret, ut æternos cruciatus brevis & momentaneæ pœnæ terminaret, &c. Hæc quidem & id genus multa legerat ipse Hus, dum contra hæc omnia definiret; sed scientia inflatus, & per inobedientiam in reprobum sensum traditus, odioque in clerum accensus & excæcatus maluit & instinctu diaboli laicos suos decipere, quam docere veritatem, maluit in clerum exasperare & ei inobedientem reddere plebem, quam vel errores Vuiclephi sui agnoscere; vel a seditiosis desistere cœptis. Hactenus Coclæus. Jam reliqua prosequimur.

Ut intelligendum oraculum non judicabit bis in idipsum. Obstinati ex suppliciis hujus vitæ in æterna prolabuntur.

VI. Ex Pannonia in Poloniam allatæ plures reliquiæ.

Attulisse hoc anno ex Pannonia Wladislaum Regem Poloniæ plures sanctorum reliquias pretiosissimas in Poloniam, refert Michovias (a), atque etiam ab Sigismundo Romanorum Rege Polonici regni insignia coronam, sceptrum & pomum, quæ Elisabeth Regina Ludovici mater & Casimiri Poloni soror illuc detulerat recepisse; ab eodem vero Cæsarem poposcisse in coronationis Imperialis sumptus mutuam auri vim ex ea, quam equites Cruciferi pensitabant, ut superioris anni fœdere constitutum erat: quod quidem fœdus a Joanne XXIII. fuisse hoc anno confirmatum ex ipsius literis (b) ad internuncios suos datis constat.

(a) Michov. l. 4. c. 45.

Inter Polonum & Cruciferos pax inita.

(b) Jo. lib. 5. p. 23.

Dilectis filiis nobili viro Nicolao marchioni Crotoni consanguineo, & magistro Angelo de Reale secretario ac nuntiis nostris.

A Joanne XXIII. confirmata.

Scientes jampridem super varietatibus, discordiis atque guerris, quas humani generis hostis inter charissimum in Christo filium nostrum Voladislaum Regem Poloniæ illustrem suosque subditos, adhærentes, complices, & sequaces ex una, & dilectos filios magistrum & fratres domus hospitalis B. Mariæ Theotonicorum, per Prussiam, Alamanniam, & alias mundi partes constitutos eorumque subditos, adhærentes, complices, sequaces ex altera partibus produxerat, & pro quarum amotionibus & exterpationibus literis ac nuntiis nostris vicibus repetitis opem ac operam, divina favente gratia impendimus salutares ad pacem & concordiam deventum, illasque sub certis pactis, conditionibus atque modis, quæ hic alias haberi volumus pro sufficienter expressis, fuisse firmatas; nos cupientes, ut pax & concordia hujusmodi inter partes, subditos, & adhærentes præfatos plenarie & irrefragabiliter observentur, & ne in recidivam quomodolibet relabantur, ut emersura discrimina protinus succidantur, (interjectis nonnullis nuntiorum elogiis,) *vos & utrumque vestrum per vos vel alios, quos ad hæc duxeritis, aut vestrum alter duxerit, inter existentes deputandos in Polonia & aliis regnis & partibus, dominiis Regis, magistri, & fratrum prædictorum ipsorumque & utriusque eorum adhærentium, fautorum, ac sequacium, & alios quoslibet quorum posset quomodolibet interesse, & quosvis diffidentes, pactarios pro nobis & præfata ecclesia, si & quoties expediat, quod avertat omnipotens, authoritate apostolica tenore præsentium facimus, constituimus, & etiam deputamus, &c.* (Potestatem ipsis tribuit ut adversas partes paci adstringant, illosque coercendi, qui pacem turbare molirentur, contrariaque dissolvendi fœdera.

Dat.

(a) Cromer. l. 17. De pace inter Venetos & Hungaros agit Joannes. (b) Diar. Venet. ms. (c) Theod. a Niem. in vit. Jo. XXIII.

Dat. Romæ apud. S. Petrum v. id. februarii anno XI. Pepigit etiam Wladislaus (a) cum Sigismundo inducias ad quinquennium, eaque de re Venetum senatum certiorem fecit. Incubuisse etiam Joannem ad Venetos cum Sigismundo Rege Hungariæ conciliandos, refert diarii Veneti author (b), sed irrito cnitu, ut testatur Theodoricus Niemius (c): *Dominus*, inquit, *Sigismundus, qui cum Venetis super quibusdam arduis causis tum disceptabat, in eundem Baltasarum tunc Papam tanquam arbitratorem, & amicabilem compositorem concordarunt: & missis per eos ipsorum procuratoribus & oratoribus ad urbem, in qua dictus Balthassar tunc residebat: qui licet illis dictum negotium solicitassent, ipse tamen Balthasar finaliter illud dimisit intactum.* Repetebat Sigismundus a Venetis Dalmatiam antea a Ladislao Rege divenditam (d) bello propositæque hæ pactiones fuere (e), ut Veneti Sigismondo pro Dalmatia potiunda quingenta ducatorum millia traderent, ac pro Jadera albus equus aut falco vectigalis nomine offerretur: sed a Venetis eæ repudiatæ fuerunt: gestum itaque bellum est successu ancipiti: Ostrovisia arx impeto capta ab Hungaris dum præfectus nuptialibus epulis vacabat: Sibinicum recuperatum a Venetis: Utinum frustra a Pandulpho Malatesta Veneti exercitus duce tentatum; ac pluribus certaminibus tumultuariis, fusoque cruore infecta est terra.

(d) Petrus Marcell. in Michaele Steno. (e) Id. Diar. Venet. Ancipiti eventu certatum de Dalmatia. Joannes Maria dux a suis necatur. (f) Corius hist. Med. p. 4. Philippus Maria succedit in principatu.

Hoc anno Joannem Mariam Vicecomitem Mediolani ducem a civibus, ejus tyrannidis pertæsis, interemptum tradunt (f), indeque magnos tumultus factos: principatum vero capessivisse Philippum Mariam fratrem, sumptoque de conjuratis supplicio, pristinæ amplitudini restituisse, auxisseque.

VII. Intestina Gallor. bella. Aurelianenses Anglum evocant. (g) Juvenal. Ursin. in Carol. VI. hoc ann. (h) Ext. apud Monstr. vol. 1. c. 101. (i) Id. ib. c. 89. (k) Cap. 90. Redintegrata pax. (l) Cap. 94.

VII. Intestina Gallorum bella externis hoc anno aucta majus incendium fecere (g), siquidem Aurelianenses principes eorumque fœderati Biturigum, Borbonii, Alenconii, Armeniaci & Alebreti dynastæ, Burgundi potentiæ, quæ regis suffulta erat, impares in societatem fœderis Anglum Gallici nominis hostem evocarunt. Extant (h) ea de re publicæ pactionum tabulæ VIII. maii hujus anni consignatæ. Missa (i) sunt illis octo millia militum subsidiatia ab Henrico Rege, duce Thoma Clarentiæ principe, quorum excursione in Gallias exasperatus Rex Carolus, juncto sibi Burgundo in Biturigem & Borbonium belli molem convertit (k), castraque ad Bituriges posuit. In longius tracta obsidione, ac Rege in priorem morbum relapso, principes cum ex intestinis odiis regnum conjici in exitium intuerentur, pacem inter se redintegratunt (l) pacti nunquam se exteros in regnum excituros, atque in eum, qui fœdus hoc violaret, cæteros omnes arma versuros. Conciliatis ita Burgundo & Aurelianensi mira adeo visa est repentina hæc rerum conversio, adeo nimirum graves odiorum æstus tam cito aversos, ut populi angelicum hymnum læti occinerent (m): *Gloria in excelsis Deo*; ac demum septima septembris die Carolus Rex publicis literis (n) pacem confirmavit, armaque in universo regno deponi jussit. Verum hoc bellum recruduisse longe atrocius inferius visuri sumus. Hæc Gallorum bella civilia narrat etiam Juvenalis Ursinus (o), additque Henricum IV. Regem olim ducem Lanclastriæ, qui in Angliæ regiam purpuram invaserat, lepra extinctum fuisse. ipsum consilia de Turcis reprimendis & Palæstina Christi cultui restituenda summo studio agitasse ferunt Angli (p), sed illa morte oppressa. Successit ei Henricus V. filius natu major, qui postea Gallos maximis cladibus attrivit.

(m) Cap. 95. (n) Extant apud eund. c. 96. Henricus Angliæ tyrannus extinctus lepra. (o) Juvenal. Ursin. in Car. VI. hoc ann. Margaretæ Reginæ Daniæ obitus. (p) Polyd. lib. 21. in fin. Harpsfel. sæcul. 15. c. 12. in fin. & alii.

Eodem anno e vita excessisse Margaretam Aquilonarium regnorum dominam tradunt, cum post constitutam cum Holsatiæ populis pacem in Daniam navigaret, contracta ex marino fœtore nausea vehementissima, qua interempta est antequam ad terram appelleret (q).

Commentarius editus ab Hieron. de Sancta Fide. VIII. (q) Olaus Magn. l. 2. de mirab. rer. sept. cap. 24. (r) Extat to. 4. bibl. Patr. pag. 1034. Ex ejus lectione multi Judæi ad fidem convertuntur.

VIII. In Hispaniis hoc anno medicus Petri e Luna genere Hebræus ad Christi fidem traductus, atque in sacris baptismalibus nomine Hieronymi e sancta Fide suscepto, luculentum commentarium (r) edidit, in quo non modo ex sacris oraculis verum ex rabbinorum etiam dictis demonstravit, Christum verum fuisse Messiam, tantique apud Judæos Aragonii regni animorum pii motus ex illius libri lectione concitati fuere, ut quinque Judæorum millia, & eo amplius, Christo accesserint; idemque liber coram Petro e Luna in publico ipsius pseudosenatu fuit perlectus. Præcipua ejusdem libri argumenta & capita hisce verbis in prolusione delibantur: *Probare intendit, & per dicta sanctorum prophetarum, & per doctorum seu rabbinorum authenticorum authoritates qualiter Messiæ adventus per dicta prophetarum prognosticatus, & annuntiatus debebat esse in eodem tempore, & cum illis conditionibus, actibus, & titulis, quibus domini nostri Jesu Christi adventus proculdubio extitit conditionatus: & quia nec per sacram Scripturam, nec alios quoquomodo reperiri potest aliquem fuisse in mundo habentem omnium illarum titulorum conditionem, ornatum, & decorem, nisi Christum, necessario adversus illos in præmissa præsentia apostolica fuit conclusum eumdem dominum nostrum Jesum Christum fore Messiam, ac verum hominem, humani generis salvatorem in lege Dei, & per omnes prophetas promissum & annuntiatum. Et quamvis ex eorum doctrina per dictos rabbi-*

Argumentum demonstrativum adversus Judæos.

noe ordinata, & per Judæos ad præsens observata, quæ thalmud appellatur, quamplurima vanitates, hæreses, & abominationes sint inserta, non solum adversus legem evangelicam, verum etiam adversus naturæ & scripturæ legem, divinam bonitatem, essentiam, & omnipotentiam: propter quæ prædictum thalmud & observatores illius nimium veniunt acriter puniendi; tamen cum toto hoc intentio domini nostri Papæ, prout nunc, non est nisi solum jubere, quod per proprias suorum doctorum authoritates eis probetur dictam conclusionem fore veram, scilicet Dominum nostrum Jesum Christum esse fuisseque verum Messiam & in lege prophetarum, quam ipsi præstolantur; quæ quidem demonstrationes in duodecim articulis summatim & demonstrative continentur.

Capitulum primum tractat & ostendit, quæ sint illa in quibus Judæi cum nobis Christianis conveniunt, & sunt concordes, in quibusque discordes; & qualiter omnis ista discordia dependet ab illa opinione vel dubio, utrum Messias venit, sive non.

Messiæ adventus ante destructionem templi secundi promissus

Secundum cap. probat, quod tempus adventus Messiæ assignatum erat in fine templi secundi, & paulo ante illius destructionem.

Tertium cap. probat, quod ipse Messias in civitate Bethleem nuncupata de terra Juda nasciturus erat.

Quartum cap. quod dictus Messias & Salvator de quadam Virgine nasciturus erat.

Quintum cap. quod dictus Messias debebat esse filius Dei, & non alterius patris carnalis, eo quod est eadem essentia divina cum Patre Deus unus, & quod habebat esse verus Deus secundum divinitatem, & verus homo secundum humanitatem.

Adoratio Regum Sabæorum prædicta ab Abrahamo.

Sextum cap. probat quomodo fuit ab Abraham tempore prophetatum, quod Reges, orientis de gente Saba ad Regem Messiam adorandum venturi erant, aurum, thus & myrrham oblaturi pro muneribus.

Septimum cap. probat quod ante adventum Messiæ omnes animæ generis humani descendebant in infernum propter peccatum primi parentis, & quomodo propter dicti Messiæ passionem & mortem animæ justorum, quæ ante ipsum fuerunt, redemptæ fuerunt ab infernis & in æterna & spirituali gloria collocatæ fuerunt; & quod dicta passio & mors Messiæ causa est quod animæ omnium illorum, qui crediderunt in eum, ab inferni damnatione serventur.

Octavum caput probat, quod Messias post tres dies passionis ejus habet resuscitare, & postea ascendere in cœlum atque sedere ad dexteram Dei Patris.

Ut a Messia lex nova danda veteraque sacrificia abolenda fuerint.

Nonum caput, quod Messias legem atque doctrinam novam daturus erat, & habebat annullare omnia sacrificia, quæ antiquitus fiebant in templo, excepto sacrificio panis & vini & licentiare & absolvere ea quæ ceremonialiter in lege Mosaica prohibita erant; ut puta comestibilia, & hujusmodi.

Decimum caput probat, quod post Messiæ adventum idololatria erat omnino cessanda de mundo, ita quod Deus per omnes gentes erat cognoscendus; & quod gentes erant ab eo principaliter salvandæ, ex quibus erat novum populum creaturus, & sacerdotes etiam ad sanctum Dei servitium ducturus; & post ejus adventum erat per baptismum aquæ & spiritus salvatio fienda.

Undecimum caput probat, quod conversatio Messiæ in humilitate, & paupertate nobiscum futura erat, ita quod super asinum ad templum in habitu pauperis venturus erat, & plurima vulnera & passiones passurus. Humilitas & paupertas ejusdem prædictæ.

Duodecimum caput, quod ejus adventus habebat prius per ejus prædicationem in deserto nunciari, & quia Judæorum captivitas fuerit propter ingratitudinem, quam Judæi erga eumdem Messiam habuerunt.

Argutiæ Judæorum adversus Christum.

Quibus autem argutiis Judæi in perfidia confirmari soleant, eleganter exponit, nimirum objicere illos consuevisse prædictum a prophetis liberandum a servitute populum Israeliticum Messiæ beneficio ab eodem congregandum, & gentes illius subiiciendas imperio; ædificandum etiam ab ipso templum Domino ex Zachariæ cap. VI. *Ecce vir oriens nomen ejus, & super eum orietur & ædificabit templum Domino.* Legem Moysi ab eo confirmandam ex Malachiæ capite ultimo: at omnia in contrarium post Christi adventum versa, nimirum Israelem non liberatum sed in servitutem missum, non congregatum sed dispersum, non extructum templum sed eversum, non propagatam legem Mosaicam sed labefactatam, novamque legem a Christo constitutam. Hæc sunt quæ miseras Judæorum mentes confundunt, & tenebris impietatis adeo involvunt, ut ex iis facile non emergant, cum a Christo servitutis peccati, & dæmonis jugum ex piorum cervicibus depulsum, gentes illi subactas, instauratum templum sacratissimæ humanitatis per resurrectionem, nolint agnoscere. Porro Judæos ita sensibus & carni addictos, ut ad spiritualia non assurgant arguit his verbis Hieronymus a sancta Fide; *Dico vobis in genere quoad præsens, quod causa unde Judæo errores isti & alii multi proveniunt est quia Judæi sacræ Scripturæ vocabula materialiter acceperunt, de spirituali autem significatione nil penitus attendentes: quod si ad plenum per libros de thalmud & magistrorum suorum authoritates vestigarent ad literam, liquide reperirent, quod hæc vocabula, scilicet Sion, Israel, Jerusalem, mons Dei, templum domini, civitas Jerusalem, & alia hujusmodi, quamvis secundum literalem sensum res materiales atque terrenas aliquando significare*

Errarunt quia in sensu carnali oracula interpretatur.

vi-

videantur; secundum tamen moralem sensum spiritualem habent aliam significationem, quæ utique sublimius atque melle & favo dulcius ab homine interiore degustantur; quarum moralium significationum rabbi Moyses de Ægypto in primo libro suo, cui nomen Meddabac maximam partem in lectionibus de pœnitentia cap. VIII. describet, ubi sic ait: præmium quo nullum sublimius est & bonum, post quod nullum aliud bonum est; quod quidem omnes prophetæ desideraverunt, multis nominibus illud sacra Scriptura vocat, scilicet mons Dei, tabernaculum Dei, voluntas Dei, templum Dei, domus Dei, porta Dei, &c. Doctores autem prandium vocant illud, nec non & mundum futurum. Hæc ille. Et infra. *Item habetur in genesi rabba (id est genesi magna) in quadam authoritate quod dicit rabbi Osias, quod istud nomen Sion, quod nominatur in Isaia significat paradisum: Ubi, ait, & redempti a Domino convertentur & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum. De isto vocabulo manifestum est, quod significat gloriam æternam per illam authoritatem, quæ est in Senhedrin in principio ultimi capituli, ubi sic habetur: Omnis Israel habet partem in gloria æterna, quod probatur nobis ex Isaiæ prophetæ cap.* XL. *sic dicentis. Populus autem tuus omnes justi in perpetuum hereditabunt terram.* Et infra.

In spirituali intelligenda probatur ex Rabbinis.

Nomine Sion intelligi cœlum demonstratur.

Itaque minime dubito, quod cum Judæi textus prophetarum juxta spiritualem significationem considerare voluerint, vocabulorum præmissorum statim argumentorum suorum videbit solutionem, ita quod non impugnabit argumenta illa, nec aliquid impedient in re supradicta conclusione. Ad probationem formaliter dictæ conclusionis unam talem faciam rationem sive syllogismum: Homo ille, in quo universi prophetarum actus & conditiones tangentes Messiam concordant, ille verus est Messias. Sed in domino salvatore nostro Jesu Christo, omnes sine falso concordant & concurrunt. Ergo dominus Jesus Christus & salvator noster verus est Messias.

Argumentum invictum quod Christus sit Messias.

His probatis, ad objecta ab adversariis refellenda se convertit: cumque maxime Judæos sophisma de æternitate legis Mosaicæ torqueat, prædictum esse a prophetis, ceremonialia peracto humanæ redemptionis mysterio, abolitum iri, ac legem novam, scilicet evangelicam a Messia promulgandam probat (a) idem Hieronymus neophytus Isaia (b), qui ait: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Jerusalem; glossat,* inquit auctor, *rabbi Solomon: Elevabitur super colles, quia miraculum, quod habet fieri in eo, quod majus erit miraculis montis Sinai atque Carmeli & Thabor. Quod ergo miraculum illud erit? subditur. Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem, id est omnibus gentibus. Item habetur in Jeremia (c): Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum dicit Dominus, sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam, & ero eis in Deum & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognoscite Dominum, omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, non memorabor amplius, hæc dicit Dominus.* Nonnullis interjectis auctoritatibus, quibus demonstratur ceremonialia non esse observanda, cum præterierint jam causæ, ob quas erant instituta; subjicit Hieronymus rabbinos veteres verba (d): *Osculetur me osculo oris sui;* ita interpretatos, ut Messias per se facie ad faciem, non per Moysem novam legem traditurus esset.

Dandam legem Evangelicam probatur ex oraculis.
(a) Cap. 9.
(b) Isaia 2.
(c) Jer. 31.
(d) Cant. 1.

Permutanda etiam a Messia fuisse sacrificia, ita Judæos edocet: *Annullatio vera sacrificiorum probatur hoc modo ex Isaia (e): Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Item Malachias (f): Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Patet itaque ex istis prophetiis, quod intentio divina non erat, quod animalium sacrificia in templo Dei antiquitus facta continuari deberent, sed iste Malachias propheta potius nobis in hac prophetia revelavit, quod sacrificium continuum debebat fieri ex re aliqua nimis pura & munda, non sicut antiqua sacrificia, quæ ex adipe & sanguine cum igne & fumo fiebant, item ostendit nobis & in hoc, quod dixit: In omni loco; quod* hoc

Abroganda fuisse sacrificia probatur.
(e) Isai. c.
(f) Mal. 1.

Prophetia de sacrificio missæ inter gentes.

hæc oblatio munda fienda erat per mundum universum, ubicumque per mundum esset assignatum per contrarium sacrificiorum antiquorum, de quibus erat probibitum, ne alibi quem in templa Jerosolymitano fierent. Et infra; *De sacrificio etiam panis & vini habetur in Bereseit Rabba a rabbi Moyse prædicatore supra illud Genesis (a): Melchisedech Rex Salem obtulit panem & vinum; erat enim sacerdos Dei summi: Dixit rabbi filius Enochinam iste Melchisedech.* Et infra: *Ostendit quod docuit eum sacerdotii actum, qui erat panem & vinum sacrificare, & hoc est quod habetur in psalmis (b): Juravit Dominus, & non pænitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quis est ille? est Rex Messias, de quo scriptum est (c): Ecce Rex tuus venit justus & salvator. In hoc, quod dicit: Proferens panem & vinum, correspondet ei, quod habetur in psalmo (d): Erit placentula panis in summis montium. Et in Chaldaica translatione habetur: Erit sacrificium panis in terra in capite montium synagoga, qui cæcus non est videre potest. Clare hæc auctoritas probat nostram intentionem, & præsertim cum declaratione, quam Chaldaica interpretatio facit super textum. In diversis etiam partibus hujus tractatus discimus qualiter Judæi affirmant, quod psalmus ille: Deus (e) judicium tuum Regi da; omnia loquitur de Messia. Nunc igitur ubi dicit: Firmamentum erit in terra in summis montium: & translatio Chaldaica dicit, quod Messias ille fiet sacrificium panis in terra in capite montium synagoga, montes synagogæ sacerdotes Ecclesiæ sunt, qui de facto cunctis diebus Messiam elevant super capita sua: & hoc est ita clarum, quod minime potest negari nisi ab illis, quibus venit maledictio Isaia (f), ut oculis & corde cæci fiant, quos Deus illuminare dignetur, &c.*

(a) Gen. 14.

(b) Ps. 109.

(c) Zac. 9.

Ex rabbinorum interpretatione confirmatur.

(d) Ps. 75.

(e) Ps. 71.

Elevatio Eucharistiæ super capita sacerdotum prædicta a propheta.

(f) Isai. 42. Jo. 9.

IX. Errores nefandi in thalmud contenti.

In secunda parte idem Hieronymus errores thalmod confutavit, quorum maxima est varietas: nam in primis contra naturæ legem parentibus maledicendi, eosque percutiendi, proximi occidendi, falsum testimonium perhibendi, furandi, & vendendi homines idolatriæ admittendæ & filiorum idolo Moloch incendendorum thalmud facultatem dedisse demonstrat; prævaricatores divinæ legis pœnæ immunes, thalmud vero contemptores æternis flammis addicendos effutiisse. Adducit etiam ex eo plura deliramenta contra divina attributa; omnipotentiam enim & omnium rerum scientiam Deo adimere, nugas autem & ineptias, nec non peccatum, tum corpoream essentiam invidiamque affingere, eondemque legis imperitum, ut in ea perdiscenda occupatum velint, negare ejus providentiam, & fatum asserere, de sanctis patriarchis infanda scelera commisisse, pejerandi, & votorum rescindendorum libertatem concedere. Præterea recenset Hieronymus aniles, & impurissimas eorundem fabulas, tum horrendas in Christum & religionem Christianam blasphemias, utque persuadeant thalmudistæ Judæis, ut omni crudelitatis & proditionis genere Christianos male perdant.

Cur vero rabbini thalmud, quod decuplo sacra biblia superat Babylone ediderint, ita illustrat: *Postcaquam viderunt magnam prosperitatem, quam sancta fides catholica consecuta erat, quod imperium Romanum [caput mundi] tempore Constantini Imperatoris Christiani & aliæ plures insulæ & mundi regna, & quam multæ notabiles personæ ipsorum Judæorum ad fidem catholicam quotidie convertebantur, timentes ne totaliter eorum studium periret ipsorum Rabinorum & peritorum suæ legis, & perfidia magistrorum, cunctum in Babylone congregarunt & totum thalmud per manum duorum magistrorum ex illis, quorum nomina erant Rabina & Rubasse ordinaverunt: quæ quidem compilatio facta est quasi per quatuor centum annos post passionem Domini nostri Jesu Christi, & signanter prope tempus illud paulo ante claruerat B. Hieronymus, qui cum magna sufficientia & facultate, quas habebat in linguis Hebraicis, totam bibliam ab Hebraico transtulit in latinum. Cum autem hoc ipsi cognoscerent, & viderent, quod in biblia forent multi textus, ex quibus patent opera Domini nostri Jesu Christi atque mysteria, unde se defendere nequeunt, acceptæ biblia multos ejus textus falsificarunt & mutarunt, sicut patet per quandam auctoritatem, quæ est in Berexit rabba id est Genesi magna de rabbi Moyse prædicatore & transumptive in primo tractatu meo capitulo octavo.* Porro demonstrat Hieronymus neophytus ex rabbinorum dictis, eosdem rabbinos indignatos a psalmista (g) describi crucifixionem Christi his verbis: *Quia circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me;* Et: *Foderunt manus meas & pedes meos;* loco vocabuli, *karu*, quod est, *foderunt*, substituisse, *karie* id est, *sicut leo*; & multas hujusmodi depravationes in Mydrastilim enumerari, propter quæ dixerit propheta: *Et pervertistis verba Dei vivi domini sabaoth Dei nostri*; & Jeremiam dixisse de illis: *Veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui falsum.* Addit idem auctor, rabbinos ne Judæi verum scripturarum sensum assequerentur, eas detortis glossis etiam contaminasse, cum aliis falsis opinionibus ingenia miserorum imbuisse, ut veritatem nequeant intueri; *Et nihilominus,* inquit, *eundem ad eorum modum per suos rabbinos glossarunt & ad majorem fraudem & deceptionem omnibus Judæis credere fecerunt, quod non est verbum*

Et nimia in Christianos invidia compositum est.

Quo tempore.

Cur plures textus bibliorum pervertenint.

(g) Ps. 21.

Judæorum in pervertendis scripturis impietas prædicta a propheta.

bam aliquod in talmuth, quod Moyses non audierit a Deo Patre. Et infra; *Et ipsi proditores inimici veritatis vias rectitudinis obstruxerunt Judæis, qui regebantur per easdem, tot iniquitates & abominationes adversus sanctam fidem Catholicam texuerunt, & contra Salvatorem nostrum Jesum Christum non modo inutiliter sed & irreverenter, quod omnia sunt nefandissima & probibita quasi in ore nominari.* Inter alia blasphema ostendit eos idololatriæ crimen Christianis a quibus scilicet idololatria toto orbe debellata est, obiicere, ac jubere eos a Christiana fide abduci, vel interfici, vel aquis mergi, vel igni torreri.

Quam male de suis meriti sint.

Per hæc tempora ad frangendam Judæorum perfidiam divina providentia insigne miraculum in Germania edidit; nam in pervigilio natalis Christi floruisse pomum ac fructus tulisse, refert Jo. Nider (a) his verbis: *Sunt vix duodecim anni elapsi, quod non multum a civitate Nurembergensi in diœcesi Bambergensi pomus crevit in loco campestri & communi, quæ multis annis, ut sequitur, in vigore permansit. Hæc autem arbor super omnia, quæ nostris audivimus temporibus, mirabilis conditionis extitit: nam in æstatis principio, in vere videlicet, floruit, frondnit, & versus autumnum more aliorum poma fructificavit: porro annuatim in austerrima & inclementissima hyeme semper & solum in nocte nativitatis Christi, quando Virgo virginum salvo integritatis flore Dei genuit Filium, pomella virentia in quantitate arturi unius virilis digiti produxit. Est autem pro tunc patria ad duos menses antea & post ad totidem, & esse solet, nivibus profundis tecta, congelationibus clausa, & ventis rigidissimis perflata, & incommoda eadem omnia fruteta una cum arboribus patiuntur eodem tempore. Stuporem autem augebat prodigii, quod nec antea nec postea, sed dumtaxat præfata nocte sacratissima pomella germinata sunt: non enim sicut arbores hortenses cæteræ fimo nutriebatur, non circumfodiebatur sarculo, nec sepi circumdabatur aliqua. Solebant propterea tempore annuo de civitate Nurembergensi & adjacentibus locis diœcesis Bambergensis plures præfatorum fidedignissimi testes occurrere & tota vigilare nocte, ut rei veritatem comprobarent; est enim per omnia similis arbor in alio loca dictæ diœcesis. Vidi ego præsentari ad videndum in oppido Forchem dictæ diœcesis ejusdem pomi pomellum magistro ordinis nostri generali Bartholomæo Texerii. Fuerunt præterea tempore Constantiensis concilii in eodem plures viri fidedigni præsertim dominus episcopus Rigensis doctor divini & humani juris reputatissimus, qui testes hujusmodi prodigii existentes multos hæc credere fecerunt, qui antea fidem de eo negabant penitus. Idem me præsente propositum est pari modo in loco Basileensis concilii coram multis doctoribus sacræ paginæ & juris canonici ac artis & philosophiæ, nec ab aliquo audivi, qui mere naturali hoc posset operi rationabiliter attribuere.*

Ut delendæ fidei christianæ rabie sint perciti.

(a) Jo. Nider l. 4. c. 6. p. 289.

Natalitia Christi miraculis illustrata.

I. Wicleffi libri damnati in concilio Rom.

ANno redempti orbis millesimo quadringentesimo decimo tertio indictione sexta in Romano concilio, superiori anno celebrari cœpto [1], Joannes XXIII. Wicleffi venenatos commentarios jam ante ab Urbano VI. Romæ, Londini a Cantuariensi archiepiscopo, Parisiis a Sorbonica academia, & in Bohemia a Pragensi damnatos, præcipue dialogum & trialogum damnavit, jussitque in illius sectatores canonicarum legum severitatem adhiberi, dato ad universos archiepiscopos vi. id. februarii subjecto diplomate (a), quod a Martino V. in Constantiensi concilio confirmatum est.

(a) Ext. apud Mart. V. to.8. divers. ep. sur. pag. 209.

Joannis XXIII. diploma.

Joannes episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

In generali concilio inter omnes Apostolicæ sedis instantias, quae ad regimen Christiani populi jugiter impendit, illa videtur esse præcipua ut cum aliquam doctrinam suboriri senserit, quæ oculos divinæ majestatis offendere, & grave in se periculum animarum continere possit, eam ne propagetur ulterius, & per eam mentes fidelium damnabiliter rapiantur, mox studeat extirpare. Cum ergo in nonnullis mundi partibus quidam curiosi ea discere atque docere non quæ ad animarum salutem & augmentum fidei, sed ad suum factum amplicandum, & catholicæ fidei subversionem cedunt, quosdam libellos seu volumina vel tractatus & opuscula, quæ dicuntur: Joannis Vuikleff, videlicet dialogum, trialogum, & alios plures libros, quos præsentibus haberi volumus pro expressis, nomine dicti Joannis Vuikleff inscriptos & intitulatos, non solum in scholis frequentare, sed etiam ad populum in sermonibus exponere nitantur, in quibus libellis, voluminibus, seu tractatibus multa hæretica dogmata, multique continentur errores, & in fide minus recte sonantes, & per quos simplices & indocti a veritatis tramite deviare, experti vero atque docti nimium scandalizari perhibentur, quæ ad nostram & hujus sacri concilii deducta sunt publicam notionem: nos ut ex injuncti nobis pastoralis officii debito tenemur, volumus in iis, quantum cum Deo possumus, occurrere animarum periculis, ne (quod ait Apostolus) variis & peregrinis doctrinis Christifideles in devium abducantur, quod etiam summa cura Salvator admonuit, ut caverent a fermento pharisæorum: cujus rei perniciosissimam pestiferamque malitiam optimo fermenti manifestat exemplo; nam veluti fermentum, testimonio Apostoli, totam massam corrumpit, sic hæreticorum falsa doctrina, omnem catholicam eruditionem cui admiscetur, veluti rabidum venenum, nisi evarruatur, inficeret: quam etiam doctrinam abominationem desolationis idem Salvator appellavit, dicens: Cum audieritis abominationem desolationis; quem locum doctor sanctus Hieronymus exponens abominationem dicit posse intelligi omne dogma perversum. Volentes autem in præmissis, licet notoria sint, mature procedere, & omne scrupulositatis dubium amputare, certis ex venerabilibus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, atque nonnullis episcopis, sacræ theologiæ, utriusque juris professoribus, & aliis commisimus de præmissis inquirere, & negotium hujusmodi, diligenti examinatione discutere, ex quorum processu & relatione nobis & eidem sacro concilio constitit atque constat, præmissa tam per facti evidentiam, quam per plures diffinitivas sententias, tam auctoritate apostolica, quam nonnullorum archiepiscoporum in suis conciliis & locis insignibus & diversis fuisse & esse notoria atque vera.

Hæresis est pestis animarum.

II. *Nos igitur eodem approbante concilio declaramus, & decernimus illa esse notoria quæ nulla possunt defensione tueri, & super illis fore tamquam super notoriis procedendum, & exurgentes in Dei virtute contra hanc falsam, perversam, pestiferamque doctrinam, eodem sacro approbante concilio, dictos libellos, tractatus, & opuscula, videlicet, dialogum, trialogum, & omnes alios hujusmodi libellos, & alia, quæ ejusdem Joannis Vuikleff nomine inscribantur & intitulantur, cujuscumque ut sit & facultatis existant: attento maxime quod in eis, licet aliqua vera scripta sint, fal-*

NOTÆ [1] ROmanum concilium, quod præcedenti anno cœptum Annalista hic notat præsenti die X. februarii exordium duxisse in nota ad præcedentem annum 1412. demonstravi. Ex quo intulisse licuit notam numeralem in bulla apostolica, qua pontifex Wikleffi libros igni damnat mendosam esse & ita corrigendam. *Datum &c. IV. idus februarii.* Semel vero coactum perseverasse usque ad junium mensem suspicor; nam Antonius Petri ad hunc annum narrans Ladislai invasionem urbis Romanæ inter cætera notat, *intra ipsos dies* (XVIII. junii) *fuit devastatum totaliter ubi fiebat concilium in basilica S. Petri &c.* Si ergo locus concilio destinatus totum concilii apparatum adhuc servabat; ex hoc profecto inferas nondum concilium desisse; quo tempore Ladislaus urbem invasit. Quamquam, nisi mea me fallit conjectura nonnisi unicam sessionem celebratam suspicor; cum nullam aliam notet Antonius Petri, qui Romæ agens singulorum dierum res gestas chartis mandabat. MANSI

falsa tamen illis veluti lepra in humano corpore permixta sunt, & in eorum lectione periculose tamquam inter scorpiones & colubros Christi fideles versarentur, damnamus & reprobamus, atque Salvatoris sententiam exequentes, dicentis: Si quis in me non manserit, mittetur foras, & sicut palmes arescet, & in ignem mittetur & ardet; *igne jubemus publice concremari: ejusdem etiam authoritate concilii districtius inhibentes, ne quis Christi nomine insignitus audeat aliquem vel aliquos seu aliqua ex dictis libellis, tractatibus & opusculis dicti Joannis Vvikleff nomine inscriptos aut intitulatos legere, exponere, docere, vel tenere, aut illis, ac nomine & authore illo Vvikleff uti, vel illum ut authorem, nisi forte in illorum reprobatione allegare publice vel occulte. Et ut demum Ecclesia illa periculosa spurcissimaque doctrina eliminetur omnino, jubemus per locorum ordinarios libros, tractatus, & opuscula hujusmodi, etiam authoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam, &, si sit opus, cum adjectione quod contra non parentes procedetur tamquam contra fautores haeresis, diligenter inquiri, & repertos ignibus publice concremari. Si quis autem hujusmodi sententiae, inhibitionis, decreti, atque jussionis, violator aut contemptor extiterit, statuimus, eodem approbante concilio, contra ipsum, vel uti suspectum de fide procedi.*

Quam periculosum libros haereticor. legere.

Constituti judices in Vvicleffitas.

III. Dicta dies iis qui Wicleffum tueri voluerint.

Monemus insuper authoritate praemissa omnes & singulos, qui voluerint tueri memoriam dicti Joannis Vvikleff ut infra novem menses proxime futuros, quos pro primo, secundo, tertio, atque peremptorio termino assignamus, compareant apud sedem Apostolicam coram nobis, vel nostro successore canonice intrante, vel in hoc sacro concilio, vel alibi, ubi contigerit nos vel successorem praedictum residere, dicturi, & allegaturi quidquid voluerint, ne idem Joannes, licet ab humanis ereptus, de haeresi condemnetur. Nulli ergo, &c. Dat. Romae apud S. Petrum IV. non. februarii pontificatus nostri anno tertio.

IV. (a) Joannes XXIII. to. 6. pag. 53. & apud. Mar. V. to. 2. c. 7. col. pag. 111.

Ad decretum hoc synodale perficiendum Joannes archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis ecclesiarum praepositis, cum fidei censoribus dedit mandata (a), ut & illud in suis ecclesiis promulgarent, & in haereticos animadverterent. Meminit de his Joannes Coclaeus, (b) additque haereticos obduruisse in perfidia, ac Joannis decreta profanis interpretationibus foedasse, ac Romanam synodum non generalem, sed angularem appellasse, neque causarum fidei cognitores, in summa impiorum hominum insolentia, praesuliumque inertia, officio, uti par erat, perfunctos.

Promulgata in Bohemia concilii decreta contemptaque ab haereticis.

V. (b) Jo. Cocl. hist. Huss. lib. 1.

Porro Joannes Hus, utpote Wicleffi praeco apud Joannem XXIII. de Wicleffiana haeresi postulatus Pragae turbas populares excitabat, cum Conradus episcopus Olomucensis, cui ecclesiae Pragensis administratio credita erat, theologos Pragensis academiae rogavit, ut optimum darent consilium ad abolendam infamiae haereseos notam, quae recenter Bohemico nomini apud sedem Apostolicam inusta fuerat, nam Joannes Wencesaum Regem literis admonuerat (c), ut pro divini Numinis gloria, & regia dignitate asserenda, Wicleffi haeresim in Bohemia pullulantem excindendam curaret. Hujus itaque consilii formulam proposuerunt: *Primo ut omnes doctores & magistri universitatis Pragensis congregentur in curia domini archiepiscopi, & in praesentia ipsius domini archiepiscopi, & aliorum praelatorum quilibet doctorum, ac magistrorum dicat sub juramento suo quod non tenet nec tenere vult vel dogmatizare aliquem de illis XLV. articulis dudum prohibitis, quorum occasione regnum Bohemiae principaliter infamiam incurrit. Item ut de septem sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis & censuris Ecclesiae, de moribus, ritibus, ceremoniis, juribus, libertatibus & sacris rebus Ecclesiae, de veneratione reliquiarum & de indulgentiis, de ordinibus & religionibus in Ecclesia quilibet ex supradictis dicat in loco, ubi supra, sub juramento suo, quod sentit & credit, ac vult sentire & credere sicut Romana ecclesia & non aliter, cujus Romanae ecclesiae caput est Papa, corpus vero collegium Cardinalium manifesti ac veri successores in officio ecclesiastico B. Petri principis Apostolorum & collegii aliorum Apostolorum Christi. Item ut quilibet ex supradictis in omni materia catholica & ecclesiastica fateatur esse standum fidei, sententiae, & definitioni sedis Apostolicae & ecclesiae Romanae superius nominatae, & quod obediendum sit praelatis in omnibus quibuscumque, ubi non prohibetur purum bonum aut praecipitur purum malum, sed medium, quod pro modo, tempore, loco, & persona bonum potest esse & malum. Item ut quilibet in juramento suo fateatur sententias Vvicleffi & aliorum circa septem sacramenta Ecclesiae & alia superius nominata contrarias jam dictae Romanae ecclesiae esse falsas.*

Agitata consilia pro vindicando ob haereseos infamia Bohemico nomine

(c) Jo. Cocl. hist. Huss. lib. 1.

Congregati Pragae doctores pro damnandis Wicleffi haeresib. Jussi singuli profiteri orthodoxam de sacramentis fidem.

Standum decretis Romanae sedis.

Item ut haec similiter publicentur omnibus suppositis universitatis, & mandentur sub poena praestiti juramenti, & sub poena excommunicationis latae sententiae, & exilii a regno, ut nullus de universitate teneat, asserat, vel dogmatizet aliquem de XLV. articulis vel etiam aliter, quam Romana ecclesia supradicta in quacumque materia catholica & ecclesiastica, & specialiter de septem sacramentis Ecclesiae & aliis superius memoratis; sed sentiat & credat de illis sicut Romana ecclesia, & non aliter. Et isti articuli videntur nobis valere pro expurgatione universitatis, & ad sol-

VI. Poenae in Hussitas constitutae.

Edictum ut in synodis episcopi, in suggestu concionatores vetent tenere eos.

tollendam malam suspicionem de doctoribus & magistris universitatis. Item ut hæc eadem præmissa in primo, secundo, tertio, & quarto articulis contenta, dominus diœcesanus faciat in suis synodis publicari, & per prædicatores in regno Bohemiæ populis insinuari, videlicet, quod nullus clericus vel laicus teneat, asserat, vel dogmatizet aliquem ex XLV. articulis Wicleffi; sed quod credat & sentiat sicut Romana ecclesia prædicta in omni materia catholica, & ecclesiastica, & specialiter de septem sacramentis Ecclesiæ, &c. Et iste articulus videtur nobis valere pro generali purgatione regnicolarum pro honore domini Regis & sui regni:

VII. *Item si aliquis clericus studens aut laicus contraveniret in aliquo præmissorum, quod diœcesanus habeat auctoritatem sine impedimento cum suis officialibus & coassumptis doctoribus talem, si reperiatur & convictus fuerit, corrigendi secundum jura & canones, sicut fuit ab antiquo; & quod nullus talem debeat defendere quovis modo; nulli enim competit rationabilius talium exorbitantium correctio quam diœcesano, quia est archiepiscopus regni & cancellarius studii Pragensis. Et iste articulus videtur habet valere ad incutiendum terrorem singulis, ne quilibet prædicet vel dogmatizet secundum caput proprium, sicut jam factum est ut in consimilem infamiam regnum veniret & in graviorem.*

VIII.
Cantiunculæ inferentes offendiculum prohibeantur.
Vetita Joanni Hus prædicatio donec fuerit absolutus.

Item cantiones dudum & nuper prohibita, odiosæ, scandalosæ & aliorum famæ offensivæ prohibeantur cantari in plateis, in tabernis, & alibi de mandato domini Regis & Scabinorum, sicut apparebit. Item ut magister Joannes Hus non prædicet, quousque absolutionem a curia non habebit, nec per sui præsentiam divinum officium in Praga impediat, ut ejus obedientia in hoc erga sedem Apostolicam recognoscatur. Et isti duo articuli videntur nobis valere pro pace habenda hic in civitate & in clero. Item istud consilium jam oblatum apparet nobis juxta bonam conscientiam esse idoneum & rationabile pro extirpatione mali hic in regno Bohemiæ, & pro purgatione malæ famæ.

IX.
Si Jo. Hus suique hæresim damnarint Pontifici commendandos consultum est.

Addidere Pragenses theologi, si Joannes Hus & ipsius sectatores, priora quatuor concordiæ capita amplecterentur, & Wicleffi damnarent hæreses, ac primatum Romani Pontificis & decreta ecclesiæ Romanæ venerarentur, sopitam esse omnem discordiam, ac pro ipsis se ad Romanam aulam commendatitias literas daturos, professique sunt se asserendæ tantam divini Numinis regnique Bohemici gloriæ studere. Hæc doctores catholici quorum consilium justum & salubre Regi, proceribus, & senatui Pragensi visum est: nil enim ad eluendam Wicleffisticæ hæresis infamiæ labem, extinguendaque e-nata de religione dissidia accommodatius erat, quam Wicleffi errores damnare, & Romanæ ecclesiæ decreta amplecti. At Joannes Hus ejusque socii qui Wicleffi hæreses propugnare, nec tamen hæretici appellari volebant, cum die VI. februarii sanctæ Dorotheæ sacra conventus suos iniissent, detrectarunt ad eluendam hæreseos maculam damnare hæresim; sed eos qui eam nominis infamiam ipsis aspergerent persequendos decrevere, fucantesque evangelii nomine commenta diabolica, ea libere evulganda contenderunt.

Habiti ab Jo. conventus.

Evangelii nomen suis hæresibus imponunt.

Consultus in his turbis a Conrado episcopo Joannes episcopus Luthemisliensis respondit Pragensium theologorum suscipiendum consilium: præterea ad extinguenda de dogmatibus dissidia proposuit deligendum vicepræfectum sigilli academiæ Pragensis, qui magistros & auditores censura notaret; si errassent: non spargendas publicis concionibus controversias de fide: arcendum a sacro suggestu Joannem Hus, submovendumque cum suis a fidelium consuetudine: *Ne*, inquit, *eorum dissensionis zizania pro tritico a fidelibus æstimetur*; non tolerandos libros, qui vulgari idiomate hæreticorum disceptationes contineant: frustra velle Joannem Hus innocentem promulgari, cum se talem esse apud sedem Apostolicam probare debeat: denique mittendos oratores, qui Bohemicam gentem ab omni impietatis suspicione puram esse ostendant. Saluberrimis hisce consiliis literas adjecit idem episcopus hac temporis nota consignatas: *Dat. Luthomisliæ die x. mensis februarii anno Domini* MCCCCXIII.

X.
(a) Dubrav. lib. 23.
Jo. Hus a Pragensi ecclesia damnatus.

Explicuit (a) tum Conradus episcopus Olomucensis idemque administrator Pragensis archiepiscopatus pium studium tuendæ orthodoxæ religionis, nam anathemate Joanne Hus perculso, Wenceslaum Regem impulit, ut catholicorum doctorum sententiam de suprema Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis authoritate colenda regio insertam edicto promulgaret, quam illi ediderant, cum a Wenceslao Rege & Bohemis principibus jussi essent causas enascentium dissensionum, ut extingui possent, adducere. Tres vero ab iis causæ allatæ (b) fuere; prima Bohemicam ecclesiam de fide & septem Ecclesiæ sacramentis semper sensisse cum Romana ecclesia, ac Pontificem Romanum veluti Petri principis Apostolorum successorem coluisse: quosdam vero in clero Bohemico Wicleffum sectatos contrarias impiasque de iisdem Ecclesiæ sacramentis opiniones induxisse, neque attendisse dictum Augustini in lib. de fide catholica; *Si quis aliquas scripturas præter eas, quas catholica Ecclesia recipit, vel in authoritatem esse habendas tradiderit*

(b) Ext. apud Cocl. hist. Huss. l. 1.
Dissensionum causæ illustratæ.

vel

vel fuerit veneratus anathema sit.

XI. Secunda turbarum causa hæc designata est, Bohemos, dum pax florebat, sensisse standum esse in controversiis fidei dogmatibus decretis Romani Pontificis: at novatores spetnere Pontificis & Cardinalium decreta, ac Scripturam solam controversiarum judicem esse contendere, eamque pro arbitrio in varios sensus distorquere; cum tamen ex Scriptura deuteron. cap. xvii. probetur summum Pontificem in rebus fidei judicem esse.

Tertia causa hæc adducta est, Bohemos semper credidisse cum universa catholica Ecclesia parendum esse præsulibus, quando non præcipiunt purum malum, vel non prohibent purum bonum juxta Salvatoris sententiam Matth. xxiii. *Omnia quæcumque dixerint vobis servate & facite*; novatores, vero, Pontificis, episcoporum, se sacerdotum imperia proterere, cum tamen ex Augustino serm. LXXXVI. amissa obedientia omnes virtutes amittantur. Delendæ autem maculæ hæreseos, quæ nomini Bohemico aspersa fuerat, hunc modum addidere, ut scilicet ecclesiasticis & civilibus pœnis afficerentur veluti publici Ecclesiæ, Regis, regnique hostes, qui de fide catholica & Ecclesiæ sacramentis cum Romana ecclesia non sentirent; tum subjecere hæc verba.

XII. *Item quia XLV. articuli, quorum nullus est catholicus, sed quilibet eorum aut hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus, & per consequens ad deviandum a recta credulitate inducens, tales, inquam, quia dudum per universitatem Pragensem, per nationem Bohemorum, & per facultatem theologicam ejusdem studii sunt prohibiti asseri vel dogmatizari sub gravibus pœnis excommunicationis infamiæ & perjurii, & nuper in æstate de voluntate domini nostri Regis sunt similiter in prætorio majoris civitatis Pragensis prohibiti sub pœna exclusionis a regno Bohemiæ, ideo sub eadem pœna exclusionis & pœna excommunicationis latæ sententiæ nullus audeat aliquem de dictis articulis asserere, vel etiam dogmatizare. Demum quia processus illi contra magistrum Joannem Hus de voluntate domini Regis per dominum Conradum episcopum Olomucensem generalem administratorem ecclesiæ Pragensis, & per capitulum Pragense & per communitatem cleri in Praga sunt recepti, & eis paruerunt, igitur eis obediendum & parendum est, &c.* Hæc sententia cujus præcipui authores Stephanus Palets & Stanislaus exstitere, inque senatu Pragensi cum regia sanctione, qua Joannes Hus proscriptus est promulgata. Debuerat ille potius eum sui comprehendi, & pœnis in hæreticos decretis affici, ut paucorum perditorum lachrimis totius Bohemiæ incendium restin-

Hæretici a Wenceslao pelli Bohemia jussi. Pontificia in Joannem Hus edicta promulgare. Facto opus fuit non edictis inanibus.

gueretur: sed cum ob ignaviam Wenceslaus ludibrio omnibus esset, non repressi sunt Hussitæ eo edicto, sed illud palam traducere ausi (a) sunt, vulgique pars magna Hussitarum hyprocritarum factionem secuta est; & clerus catholicus calumniis petitus, suisque censibus defraudatus fuit. Inter has turbas, quas Joannes Hus sua augebat præsentia, cum anathemate percussus, & sacrorum usu interdictus esset, Praga discedere jussus, in natali solo patrocinium toparchæ adeptus suis furibundis concionibus tantos populorum concitavit concursus, ut pene seditionem commoverit (b).

(a) Cocl. hist. Huss. lib. 1. Vulgus Bohemicum ad Hussitas declinat. (b) Albert. Krantz. l. 10. c. 23. Cocl. l. 1. hist. Huss.

XIII. In Anglia Wicleffistæ, ut qui antea regiæ dignitatis tuendæ specie ecclesiasticum ordinem opprimere pertentarant, adversus Henricum V. Regem in ipsius regni auspiciis duce Joanne Oldcastellio conjurare ausi sunt (c); qua de re hæc tradit Thomas Walsinghamus (d): *Lollardi idemque Wicleffistæ, qui doctrinam evangelicam & apostolicam atque propheticam depravabant, fixerunt schedulas in valvis ecclesiarum Londoniis, quæ continebant centum millia parata ad insurgendum contra cunctos, qui non saperent sectam suam: innitebantur nempe viribus & ingenio cujusdam, qui dicebatur Oldcastelle.* Erat hic hæreticorum signifer, a Wicleffo tamen in hoc discrepans, quod ex primis ejus placitis Christi corpus cum substantia poneret in Eucharistia. Vir bello egregius, atque ideo Regi charus: sed pervicax Ecclesiæ hostis in tantam prorupit impudentiam, ut contra ecclesiasticæ hierarchiæ ordinem mittendorum concionatorum auctoritatem sibi arrogaret, qui populos hæresi contaminarent. Cum vero Henricus Chichelejus archiepiscopus Cantuariensis synodum provincialem Londini coegisset, accusatum illum de eo flagitio commemorat Walsinghamus (e): *Eo tempore* (inquit) *facta Londoniis cleri convocatione per dominum Cantuariensem maxime jam causa prædicti Joannis repertum fuit, quod idem Joannes fuit & est principalis receptator & fautor, protector & defensor Lolardorum, & quod præsertim in diœcesibus Londoniensi, Roffensi, & Herefordensi ipsos Lolardos ab ordinariis sive diœcesanis locorum minime licentiatos contra constitutionem provincialem inde factam ad prædicandum transmisit, eorumque prædicationibus nefariis interfuit, & contradictores si quos reperierat minis & terroribus, ac brachii sæcularis potestate compescuit: asserens inter cætera, quod Cantuariensis archiepiscopus & ejus suffraganei non habuerunt nec habent potestatem aliquam hujusmodi constitutionem faciendi.* Hunc Wicleffistarum antesignanum vocat Thomas Waldensis (f) Joannem Castri veteris, a quo Joannes Hus prædicandi

Angliæ tumultib. concussa.

(c) Thom. Walsing. in ep. dedic. (d) Id. in Hist. Angl. in Henr. V. & in Ypod. Neustr.

Jo. Oldcastel. laicus concionandi auctoritatem sibi arrogat.

(e) Walsin. in Henr. V.

(f) Walden. in opere adversus Wicleff. hæreses.

sui pseudoevangelii auctoritatem se accepisse jactavit.

XIV. In jus vocatus a synodo.

Vocatus porro in judicium Oldcastellius ab archiepiscopo, quod ecclesiasticam auctoritatem sperneret, ac præsidiarios milites contraheret, Henrici Regis imperio comprehensus a Londinensis arcis præfecto in synodo coram archiepiscopo productus est vigesima quarta septembris die, ac fidei formulam fucatam proposuit, in qua errores suos silentio dissimulavit: deque his interrogatus respondere abnuit. Reductus sequenti die ad ecclesiasticum tribunal, cum urgeretur, ut fidem suam promeret, palam hæreses patefecit, ut narrat Walsinghamus (a) sic inquiens: *Super sacramentum Eucharistiæ inter cætera respondit, quod sicut Christus hic in terra degens habuit in se divinitatem & humanitatem, divinitatem tamen velatam & invisibilem sub humanitate, quæ in eo aperta & visibilis fuerat, sic in sacramento altaris est verum corpus & verus panis, videlicet quem videmus, & corpus Christi sub eodem velatum, quod non videmus, ac fidem circa Sacramentum hujusmodi in schedula per dominum Cantuariensem transmissa sibi perque sanctam Romanam ecclesiam, & doctores sanctos determinatam expresse negavit, dicens quod determinatio ecclesiæ facta est contra sacram Scripturam, postquam Ecclesia dotata est, & venenum infusum in Ecclesiam & non ante. Quod etiam ad sacramentum pœnitentiæ & confessionis dixit & asseruit, quod si quis esset in aliquo gravi peccato constitutus, a quo ipse surgere nesciret, expediret & bonum esset sibi adire aliquem sanctum, & discretum sacerdotem pro consilio ab eo habendo: sed quod confiteretur peccatum suum proprio curato seu alteri presbytero, etiam si haberet copiam ejusdem, non est necessarium ad salutem, quia sola contritio peccatum hujusmodi delere posset & ipse peccator purgari.* Adjecit alia in sacrarum imaginum & pontificiæ dignitatis contemptum. Itaque cum plura blasphema pertinacissime effunderet, decretoria sententia hæreseos crimine una cum sociis damnatus est, atque anathemate percussi quicumque illi subsidium ferrent. Cæterum cum ad supplicium rapiendus foret, archiepiscopus ejus salutis percupidus quinquaginta dierum inducias ab Rege obtinuit, cujus temporis flexu lapsus e carcere Wicleffistas omnes in arma ad Regem & clerum opprimendos concitavit, qua de re proximo anno dicetur. In eadem synodo ad excindendas Wicleffismi pestiferas propagines, cum excussa essent diligentius Wicleffistarum dogmata, repertum est novos errores ab iis confictos (b), cum fingendi licentia non inferiores se Wicleffo arbitrarentur, scilicet Guillelmum Tayler affirmasse Reges per missione divina, non voluntate beneplaciti dominari, Russelium Staffordiæ in diœcesi Lincolniensi fornicationem licitam religiosis docuisse; sed utrumque postea errorem suum deposuisse.

(a) Walsing. in Henr. V.

Obgannit determinationem factam ab ecclesia esse contra scripturam.

Damnatur a synodo.

Effugit e carcere.

Novi errores ficti a Wicleffistis.

(b) Nic. Harpsf. in hist. Wiclef. c. 16.

XV. Novus antichristi præcursor.

Inter eos, qui impietatem supplicii metu damnarunt, Coubrigius palam omnibus patefecit hæresim in atheismum desicere. Hic laicus cum sacerdotium sibi arrogasset, Christum mundi redemptorem esse abnegavit: Christi nomen horrendo odio prosecutus ex libris erasit, omnesque in Christum credentes damnandos scriptis tradidit; tum verborum Christi circa Eucharistiam blasphemas interpretationes effinxit (c).

(c) Nic. Harpsf. in hist. Wicl. c. 4. ex reg. Hen. Chichel. Cant. arch.

Hoc etiam anno exeunte a Parisiensi episcopo & fidei censoribus instituta est judiciaria actio (d) adversus Joannem pseudotheologum cognomento Parvum, qui ad Joannis ducis Burgundiæ impium facinus defendendum contendebat quemlibet tyrannum posse jure merito a quocumque cliente ac stipendiario interfici dolo, insidiis, vi, arte, non expectato ullius judicis imperio, etiam soluta sacramenti fidei fœderisve religione. Hanc propositionem cum excussissent theologi Sorbonici, damnarunt hæreseos, accepta tyranni voce juxta vulgare significatum. Hanc etiam doctrinam bonis moribus & divinis mandatis adversari, cum glossa mandatum, *non occides*, *propria videlicet auctoritate* non occidendum interpretetur. Eam vero propositionem: *Cuilibet tyrannum occidere licet*, inter Wicleffi hæreses damnatam fuisse a concilio Constanciensi dicetur inferius. Sparserat etiam alios errores idem pseudotheologus, regiæque potestatis adversus antipapam tuendæ studio pontificiam auctoritatem in solemnibus conventibus Parisiis anno MCDIV celebratis oppugnarat, ac Pontificem conciliorum legibus obstringi contenderat, ut acta publica testantur (e).

(d) Monstr. vol. 1. hoc anno c. 113. & Meyer. l. 15.

Joannis Parvi errores damnati.

Idem contra Papæ auctoritatem.

(e) Ext. apud Juven. Urs. in append. p. 60.

XVI.

Extremo hoc anno Joannes XXIII. concilium ad abolendum schisma, atque ad excindendas hæreses indixit; ac locum in quo cogendum esset lapso trimestri designaturum promulgavit: tum de urbe Roma jam ante liberata, ac Sicilia citeriori ad suum adducta obsequium cunctos, qui sibi morem gerebant certiores fecit: quo argumento hæ literæ Lundensi archiepiscopo inscriptæ (f).

(f) Jo. l. ult. ep. cur. p. 22.

Joannis lit. de indictione concilii.

Venerabili fratri archiepiscopo Lundensi salutem, &c.

Ad regimen universalis Ecclesiæ, licet insufficientibus meritis, divina dispositione vocati, sollicitudinem gerimus indefessam, & omni conatu solertiam adhibemus, ut quæ ad pacem, & reformationem ipsius Ecclesiæ defensionemque, & augmentum orthodoxæ fidei pertinent, communi fidelium consilio decernantur. Sane felicis recordationis A-

le-

lexander Papa V. immediatus prædecessor noster, sacro generali Pisano concilio tunc præsidens, ipso approbante concilio, inter cætera decrevit, ipsum concilium ex tunc ad triennium in mense aprilis ad locum, qui per se vel successorem suum eligeretur fore revocandum, ipsumque concilium continuandum usque ad tempus triennii supradicti. Deinde vero eodem prædecessore, sicut Deo placuit, vita functo, nobisque divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumptis, cum urbs Romana sedes nostra, in qua omnium ecclesiarum caput esse dignoscitur, de manibus inimicorum ejusdem ecclesiæ atque nostrorum, qui etiam tenuerant damnabiliter occupatam, recuperata fuisset; tamen post multas & varias fluctuationes eo res deducta erat, ut invalescente inimicorum oppressione nisi celeriter providissemus, in manibus eorumdem inimicorum foret iterum recasura. Nos

Ut Roma a Joanne fuerit recuperata.

igitur, ne tanto detrimento afficeretur Ecclesia, spe in Altissimo, qui in se sperantes non deserit, assumpta, maturo quidem consilio, sed celeri gressu, ex civitate nostra Bononiensi, in qua tunc residebamus, cum universa curia, ad ipsam urbem venimus, confirmatisque per adventum nostrum populorum, & fidelium animis, & adversariorum impetu, qui paulo ante eidem urbi terribiliter imminebant, dextera Domini cooperante, represso, sentientes tunc per experientiam quantum præsentia nostra foret in ipsa urbe per illa tempora multis censis necessaria, cum locus pro hujusmodi conventione concilii per nos declarandus esset, ipsam urbem ad hujusmodi congregationem fidelium deputavimus, & congruo tempore id duximus solemniter publicandum, atque in ipsa urbe interim persistentes, & adventum fidelium expectantes,

Neapolitanum regnum ipsi conciliatum.

tandem non sine magnis laboribus nostris & sumptibus, per Dei misericordiam, urbem & regiones istas in pace posuimus, ac dejecto perditionis alumno Angelo Corario, cæterisque schismaticis, totum Siciliæ regnum, & terram citra pharum, multas insuper civitates & loca aliarum partium ad obedientiam & devotionem nostram & Romanæ ecclesiæ in grande unionis Ecclesiæ augmentum recepimus. Sed cum fideles ipsi per nos solemniter convocati, requisiti & expectati, nec in dicto tempore per nos secundum determinationem Pisani concilii præfati assignato, nec postea in aliis sessionibus sæpius prorogatis in tanta multitudine, quantam magnitudo rerum gerendarum exigebat, in ipsa urbe convenissent; nos propterea nequaquam a prosecutione tanti boni desistendum arbitrantes, habita super hoc diligenti deliberatione, ipso approbante concilio, statuimus, & ordinavimus venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, nec non alios prælatos & cæteros, qui adesse debent & possunt, & ad quos pertinet, in principio mensis decembris proxime futuri debere ad hujusmodi concilium juxta morem convenire in loco decenti & idoneo infra tempus trium mensium a data præsentium per alias nostras literas, & publicationem declarando, circa cujus declarationem interim pervigili cura intendimus deliberare, ut quod superiori tempore fortasse propter bellorum & viarum discrimina, aliasque causas circa plenam congregationem eorumdem fidelium commodo perfici non potuit, nunc sublata omnis incommoditatis materia impleatur.

XVII. Episcopi ad concilium vocati.

Quocirca fraternitatem tuam requirimus & hortamur in Domino, eidem nihilominus per apostolica scripta mandantes, ac in virtute sanctæ obedientiæ & præstiti juramenti injungentes, quatenus ad dictum concilium personaliter te conferas, ac venerabilibus fratribus coepiscopis suffraganeis tuis, eorumque capitulis, nec non dilectis filiis abbatibus, cæterisque ecclesiarum & monasteriorum prælatis, exemptis & non exemptis, infra tuas civitatem & diœcesim atque provinciam consistentibus, hanc salubrem determinationem & ordinationem nostram studeas intimare, & ut per eosdem suffraganeos prælatis suarum diœcesum intimetur provideas eisdemque fratribus nostris suffraganeis tuis in vim ab eis præstiti juramenti, cæterisque præfatarum civitatum diœcesis ac provinciæ tuorum injungas, & ipsi episcopi suffraganei illis suorum civitatum, & diœcesum, qui ad concilium hujusmodi venire tenentur, injungant, quibus etiam nos tenore præsentiam injungimus in virtute sanctæ obedientiæ, cæterosque qui in dicto concilio interesse possunt exhorteris, ipsique episcopi suffraganei exhortentur, quos etiam nos exhortamur in Domino, quatenus prædicto tempore & loco per nos, ut præmittitur declarando, ad præfatum concilium, singuli videlicet qui tenentur personaliter; cæteri vero, ut eis opportunum visum fuerit, studeant convenire, ut sic per tuam illorumque præsentiam, ea quæ in ipso concilio statuenda sunt & agenda, salubri & communi omnium deliberatione feliciter ordinentur. Dat. Romæ apud S. Petrum, v. non. martii pontificatus nostri anno tertio. Missæ eædem literæ (a) fuere ad alios Germaniæ, Galliarum, Hispaniæ, Angliæ, Hiberniæ, Hungariæ, Poloniæ, Sueciæ, Dalmatiæ, Græciæ præsules, quorum prolixior extat catalogus.

(a) Ib. p. 14. 16. 19. 21. 22. 23. 24. 25. 30. 31. 33. & 47.

XVIII. Cardinales creati hoc anno a Joann. XXIII.

Hoc anno XIII. aprilis die Joannes XXIII. Simonem e Cramaudo Rhemensem archiepiscopum creavit tit. S. Laurentii in Lucina presbyterum Cardinalem, ac recurrente eodem anno octava novembris Jacobum Insulanum S. Eustachii diaconum renuntiavit, ut ex diario vaticano memorat Felix Contelorius (b). Ut vero u-

(b) Fel. Contel. in Elench. Card.

ni-

universos populos sibi conciliaret, plures legatos amplissima auctoritate instructos in varias provincias misit, scilicet in Hispanias, Joannem patriarcham Constantinopolitanum, ut schisma Petri e Luna dissolveret, ac Granatenses ad Christum adducere niteretur: *Ut regnum*, inquit, (a) *ipsum Granatæ cum Rege & incolis Regem regum agnoscant.* Decrevit etiam Petrum (b) tit. S. Chrysogoni in Germaniam, in Gallias Alamannum (c) tit. S. Eusebii, in Angliam Antonium (d) de Chalanco tit. S. Cæciliæ, atque in Hungariam Brandam tit. S. Clementis presbyteros Cardinales: cui præterea Brandæ ad Sigismundum, qui in Italiam accesserat, ut insignia imperialia acciperet, deducendum provinciam dedit (e).

Plures legati a Jo. in varias provincias missi.

(a) Jo. l. 7. an. 3. p. 194. ad 196. & p. 201. ad 212.
(b) Io. l. 7. p. 64. & 79. ad 92. & 127. ad 131.
(c) Ib. p. 70. ad 78. & 121. 122. & 123.
(d) Pag. 154. ad 177. & l. ult. p. 1. ad p. 6.
(e) Lib. 7. p. 141.

Branda in Hungariam missus.

Dilecto filio Branda tituli S. Clementis presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato salutem, &c.

Cum te dudum pro felici statu charissimi in Christo filii nostri, Sigismundi Hungariæ Regis illustris, ad Hungariæ & nonnulla alia regna, & partes apostolicæ sedis legatum cum plena potestate legati de latere, prout in literis aliis nostris desuper confectis plenius continetur duximus destinandum; nos attendentes, quod idem Rex jam pridem in Romanorum Regem electus Romani imperii negotium prosecuturus ad Italiæ partes se transtulit, in quibus etiam militat de præsenti, posset ad Alamaniæ ac Longobardiæ, & alias provincias atque loca etiam divertere, ac circumspectionem tuam ipsam comitari, & propterea volentes tuam honorare personam, ut per honorem tibi exhibitum, eo utilius proficere valeas, & negotia tam nostra & Romanæ ecclesiæ, quam Regis, ac imperii præfatorum, opportunis favoribus efficacius prosequi, qui majori fuerit per nos auctoritate suffultus; eidem circumspectioni tuæ quamdiu cum præfato Rege in Alamaniæ, Longobardiæ, vel aliis partibus, eandem circumspectionem esse, aut in nostris & ecclesiæ, sive dicti Regis, ac imperii negotiis contigerit exerceri, quoties præfatæ circumspectioni tuæ visum fuerit expedire; præterquam in provinciis, civitatibus, atque diœcesibus legationi alias vicariatus dilecti filii nostri Ludovici S. Hadriani diaconi Cardinalis in Bononiensi, & nonnullis aliis civitatibus, terris, ac locis ad nos, & præfatam ecclesiam spectantibus vicarii in temporalibus generalis, & in certis aliis præfatæ sedis legati per nos commissæ, quas hic alias haberi volumus pro specifice declaratis, utendi omnibus, & singulis facultatibus, jurisdictionibus, ac potestatibus etiam per nos alias eidem tuæ circumspectioni in regnis, & partibus potissime temporali dominio Regis Hungariæ quomodocumque suppositis, per alias nostras literas, quarum tenores etiam hic haberi volumus pro expressis, hactenus concessis, & potestates & facultates hujusmodi per te, vel alios exercendi, solum & insolidum, non obstante, quod dilecto filio nostro Petro tit. S. Crisogoni presbytero Cardinali, in nonnullis Alamaniæ provinciis, civitatibus, & diœcesibus, etiam præfatæ sedis legato fuisset in illis partibus, in quibus te forsan esse continget, attributa potestas, quam pro eo tempore, quo eandem circumspectionem tuam in aliqua ex provinciis, legationi dicti Petri Cardinalis, atque legati commissis fore contigerit, ut præfertur, etc. nunc quo ad ipsam provinciam, suspendimus per præsentes, quousque in provinciis, civitatibus, diœcesibus atque locis ipsis cum prædicto Rege, ipsam circumspectionem tuam esse, aut circa hujusmodi negotia, communiter vel divisim commiserit exerceri, etiamsi semel, aut plures in provincias, civitates, diœceses vel loca ipsa reditus fiat, exercendi ac etiam exequendi, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum id. maii pontificatus nostri anno III.

Distincti provinciarum in quibus legatum agat fines.

Accessisse Utinum exeunte superiori anno Sigismundum Regem Romanorum decem millibus equitum succinctum, refert diarii Veneti author (f) oratorumque opera cum Mantoano & Ferrariensi principibus agitasse, ut ipsi itinera aperirent quo Bononiam ad suscipienda ab Joanne Imperii ornamenta se conferret: sed cum nullo modo ea consilia ad exitum perduceret, odiaque Hungaros inter & Bohemos exarsissent, neque illos inter se conciliare posset, in Hungariam reditum apparasse, iterumque post pactas cum Venetis inducias molitum in Italiam iter adulta æstate, atque in Sabaudiam duxisse exercitum, ut eadem insignia assequeretur: sed Mediolani ducem, Genuenses, & Panduiphum Brixiæ dominum armorum inter se societatem ad iter ei impediendum coivisse; ac tum Sigismundum de eo fœdere factum certiorem retro signa vertisse. De Cardinale autem Placentino, quo nomine Brandam Cardinalem, designat author, addit ipsum Venetiis secunda augusti die in Pannoniam profectum, ut de componenda inter Sigismundum ac Mediolani ducem concordia ageret, eamque demum conciliatam fuisse.

Sigismundi expeditio Italica.

(f) Diar. Venet. MS. hoc ann.

Ob Hungarorum & Germanorum mutua odia dissoluta.

Tentat iterum aditum per Insubriam.

Quod ad bellum a Sigismudo cum Venetis gestum attinet; quæ in eo sint secuta, ita describit Theodoricus (g) Niemius: *Videns Rex Romanorum, quod nihil proficeret in hoc apud eumdem Balthasarem, misit eodem anno tempore hyemali ad partes Forojulii in Italiam aliquos capitaneos cum certo exercitu, qui stipendiarios eorumdem Venetorum in magno numero valde circa quoddam fossatum novum quod ipsi Veneti in præsidium ois fieri fecerunt*

(g) Niem. in Jo. XXIII.

Sigismundus bello Venetos petit.

Tumultuario prælio victi Veneti.

erunt, tunc laborantes quadam die atrociter invaserunt, & plures eorum interfecerunt, & aliquos captivarunt, quibus majores dexteras amputarunt; sicque alios ad terendam viam abire permiserunt, reliqua multitudine fugæ subsidio evadente. Per quod ipsos Venetas suosque subditos vicinos adeo timor & tremor invasit, quod si dictus exercitus, habita ipsa victoria, repente ad Paduam & Tervisium transitum fecisset, juxta multorum judicia de illis etiam victoriam subito reportassent; quod tamen neglectum fuit pro eo, quia exercitu ipso præfati domini Regis in quorumdam castrorum expugnatione tunc in partibus illis laborante, interim præfati Veneti Paduam & Tervisium gentibus armorum & aliis ad resistendum hostibus necessariis munierant. Postea vero, aliquot mensibus elapsis, ipse Rex Romanorum personaliter illas partes intravit, & licet etiam tentasset Veronam eripere de manibus Venetorum, in hoc tamen finaliter non profecit.

Arces diligenter muniunt.

Verona frustra tentata.

His consentanea scribit diarii Veneti anthor; in primis enim ait XXIII. januarii Hungaricas copias, cum flumen prope Castrumnovum trajicerent, tormentis bellicis e propugnaculis a Venetis libratis grave damnum accepisse, ac dum Philippus Florentinus patria Sigismundi dux Tarvisinum agrum popularetur, ejus castris nocturnos subjectos ignes fuisse, ac sparsa vi ventorum flamma plures fuisse consumptos; Sigismundum bellum exitiale damnasse, adhibitoque Socero Zilii comite concordiæ interprete XXVIII aprilis die inducias cum Venetis eorumque sociis pepigisse; accessisse nona maii Genuensium oratores, deprecaturos, ut in Turcas utrorumque arma verterentur, cum Græcorum imperium ab ipsis in summum discrimen adductum esset. Harum vero induciarum leges describens Theodoricus e Niem (a): *Anno*, inquit, *tertio pontificatus dicti Balthasaris, mediantibus quibusdam viris ipse Rex & Veneti treugas ex tunc usque ad quinquennium duraturas invicem fecerunt sub eadem conditione, quod quæ utraque pars sive jure belli sive alias de juribus alterius occuparet, interim quiete per se retinere deberet: quo facto dicti Veneti terras Romani imperii, quas detinuerant tunc, & adhuc detinent valde fortificaverunt.* At de his satis; ad Joannem revertamur.

Percussæ induciæ.

(a) *Niem. in vit. Jo.* XXIII.

Quæ fuerint induciarum leges.

Consistere ille diu in Urbe non potuit, in qua ea, quæ superius narrata sunt, decreverat; nam Ladislaus Neapolitanus Rex cæca proferendi imperii, urbisque subiiciendæ cupidine impulsus fregit (b) inita cum Joanne fœdera, quæ graviora bellorum pericula pacis aureo velamine involvere scripserat Picenis superiori anno Gregorius: *Non ad pacem*, inquit (c), *tendere videntur, quæ facta vulgantur, putantque multi finem alium habitura, quam pacem.* Gregorii respondere exitus; Ladislaus enim, cum apertis odiis nocere Joanni non potuisset, fallaci fœdere illum pene oppressit, ditioneque ecclesiastica pepulit. Recenset subjectis verbis ejus artes perfidiamque S. Antoninus (d): *Cum non multo ante Pontifex pacem fecisset cum Rege præstitit ei Rex obedientiam dimisso Gregorio & licet non multum de eo consideret Pontifex, sciens eum fasele fractorem esse fidei, non tamen credebat pro tunc contra eum aliquid attentaturum: nam, etsi diceretur Regem versus Romam ascedere; causam hujus rei Rex divulgaverat. Quod, quia Pontifex cito ad concilium esset iturus, expediret non longe esset ab urbe ad componendos insurgentes tumultus, ne novitas fieret; sed re vera dominium intendebat urbis resumere, ad quod eum Romani exules excitabant. Quodam igitur mane fractis mœnibus in aliqua parte ingressus est Rex urbem: quod audiens Joannes Pontifex & intelligens eum hostem aufugit cum curia, cum non haberet defensorem. Rex autem urbem capiens in primis mercatores Florentinos spoliavit dolose.*

(b) *Gobel. in Cosm. æt. 6. c.* 90. *Leonard. Aret. in hist. rer. Ital. Paul. Collen. l.* 5. *& alii.* XIX.

(c) *Greg. l.* 7. *p.* 14. *& seq.*

Ladislai Regis perfidia.

(d) *S. Ant.* 3. *p. tit.* 22. *c.* 6. *in princ.*

In urbem irrumpit.

Describit fusius eam Ladislai proditionem hisce verbis Theodoricus e Niem (e): *In principio mensis maji eodem anno prædictus Ladislaus Rex cum grandi exercitu ad ipsam Romanam Campaniam castrametatus est, ubi Frasolone & alia nobilia castra, quæ prius dicto Balthasari obediebant etiam taliter sua ditioni subjecit. Nec his contentus, sed etiam contra comitem de Taliacotio de domo Ursinorum de Roma, qui noviter quandam neptem dicti Balthasaris duxit uxorem, prædictum duxit exercitum, cujus etiam plura castra obtinuit aliqua per pacta, aliqua violenter. Quibus peractis, dictum duxit exercitum ad districtum Romanum: quod sentientes prædicti curiales & Romani pro majori parte inceperunt per amplius dubitare seu mutare, nonnullis eorum asserentibus, quod illa de scitu & voluntate prædicti Balthasaris fierent. Quod cum ipse Balthasar sentiret, ostendens quod curiales & Romanos ipsos contra impetum Regis & ejus exercitus prædictorum bene defendere vellet, elegit aliquos ex eisdem curialibus, ut existimo ad aliqua alia ministeria magis aptos, quam ad illud, ad quod deputavit eosdem: quibus commisit custodiam quarumdam terrarum urbis ejusdem longe ab hominum habitatione dictæ urbis distantium, & certa illa loca ubi putabatur, quod prædicti Ladislaus Rex & ejus exercitus eandem urbem qualitercumque vellent intrare; sed illa custodia non fuit proficua in tempore opportuno, quia ipsi deputati, & alii vigiles sive custodes murorum dictæ urbis, ut videbatur, non erant bene soliciti ad ca-*

(e) *Theod. e Niem. in vit. Joan.* XXIII. Niemi testis oculati narratio

Calumnia sparsa in Joannem XXIII.

Excubitorum insignis ignavia.

Perfossa noctu urbis moenia.

custodiendum ita turres hujusmodi, quoniam pauci hostes respective de ipso exercitu Regis sæpedicti magnum facientes foramen, per quod Urbem ipsam, nostris non videntibus, nocturno tempore in matutino crepusculo intraverunt juxta ecclesiam, quæ S. Crucis in Jerusalem appellatur, & ibi usque ad clarum diem, seu orto jam sole, usque post horam tertiarum, vel circiter, inter se an ulterius pragredi, vel ad eorum exercitum redire deliberantes. Et quia dictus Balthasar non dedit ordinem neque deputavit aliquem certam capitaneum, qui hostibus ipsis restiterat manu forti, tam curiales, quam Romani, qui illic occurrebant ad videndum hostes ipsos & eis, si possent, resistendum, terreri & se non opponendo ipsis hostibus viriliter, ut debebant, catervatim ad lares proprios redierunt; unde hostes ipsi in se confortati & non videntes ullam vel modicam resistentiam, quam timerent, forsan quingenti eorum fugientes ipsos Cardinales insecuti sunt, & infra tres horas, vel quatuor Romam occuparunt, valde multas domos curialium hujusmodi spoliando: & hoc contigit potissime quia Romani præfati, ut communiter dictum Balthasarem habebant exosum propter infestas gabellas & onera, quibus continue afflixit eosdem: & quia etiam dubitabant, si prædicti hostes de ipsius Balthasaris voluntate ad urbem ipsam sic venissent: aliqui etiam eorundem Romanorum secrete partem dicti Regis tenuerunt stipendiati per ipsum more veteri Romanorum. Quot autem ibi tunc & diu postea sæva & mala fiebant, maxime in eosdem curiales, scilicet personas & bona ipsorum, quæ omnia diripiebantur, nimis esset tædiosum horrendumque calamo exarare.

Romanorum ponenda inertia.

Discissum vulgus in contraria studia.

Metu perculsus Joannes fugit.

Prædictus vero Balthasar certificatus post eandem horam primarum de introitu hostium præfatorum ad eandem urbem, ut præfertur, non confisus de palatio suo, & muris dicti burgi, quos multum sumptuose reformari fecit, neque de castro S. Angeli, quamvis illud reputetur quasi inexpugnabile & fortissimum, quod in illis posset se ab hostibus præservare; sed equum celeriter ascendens, fugit versus Sutrium quem ipsi Cardinales pro majori parte etiam eadem hora subito sequebantur: quorum tamen plerique, quia tunc tempus erat calidum, quo segetes recolligi debebant, torrenda viam siti, labore, & æstu defecerunt, seu per itinera mortui ceciderunt: aliqui etiam eorum per insequentes hostes nos per novem milliaria, vel circiter ab eadem urbe, pauci tamen interfecti, sed pro magna parte rebus & equis eorum, quæ apud eos tunc reperiebantur spoliati, & alias male tractati fuerunt. Subdit auctor Joannem XXIII. noctu Sutrio se proripuisse Viterbium, deinde ad Faliscos se contulisse: at Ladislaum tum Sutriensibus, tum Viterbiensibus, tum Faliscis extrema quæque comminatum, nisi se sumque ipsi subjicerent; atque ideo terrore perciros colla Ladislai jugo subdidisse, interfectoque arcis Hadrianæ præfecto, alium a præsidiariis suffectum corrumpi so a Ladislao præmiorum magnitudine sivisse ea lege, ut quæ ipsius fidei credita erant, raperet: sed cum in Neapolitanum regnum proditionis præmia recepturus se contulisset, interfectum atque opibus spoliatum a Ladislao fuisse, Joannem vero Senas indeque Florentiam profectum esse, non tamen Florentiam ingressum: *Ipse*, inquit, *Florentiam in quadam hospitio domini episcopi Florentini ex tunc usque ad principium mensis novembris anno MCCCCXIII. remansit.*

Miseræ fugientium sors.

Pontificia ditione & arce potitur Ladislaus. Proditor sceleris digno effectus præmio.

Affert hujus rei causas S. Antoninus (a) sic inquiens: *Factiones magnæ per illud tempus in Florentinis vigebant aliis Pontifici, aliis Regi faventibus: ob eas factiones Pontifex intra urbem invitatus non est, sed in suburbano episcopi resedit, curia autem intra urbem recepta* [1]. Confirmant id literæ (b) a Joanne ipso hoc anno datæ ad Petrum Ancharanum, quibus celeberrimus ille vir in Bononiensi academia decretalium cathedra donatus est, quibusque adscripta est dies 2. kal. septembris apud S. Antonium extra moenia Florentiæ. Pergit S. Antoninus: *Rex igitur præfatus per hæc ipsa tempora urbem Romam & alias omnes urbes usque ad fines Senensium Florentinorumque occupavit, qui cum terribilis & potens esset, lateque per Italiam dominaretur, nec ulla resistendi cerneretur spes, Joannem Pontificem impulit ad externa transalpinaque auxilia respicere, &c.* Addit sanctus auctor Joannem Sigismundi Romanorum Hungariæque Regis opem, missis ea de causa duobus Cardinalibus legatis, imploraſſe. Fuere ii (c) Antonius Ca-

(a) S. Ant. sup. c. 6.

Progressus Ladislai.

(b) Joan. l. 7. p. 213.

(c) Ext. de eo Joan. & Sigismund. lit. in concil. Const. collectis.

NOTÆ [1] QUæ in hoc & sequentibus paragraphis narrat annalista vera sunt; sed cum chronicis notis destituantur, ideo per sua apte tempora distribuenda libenter assumo. Ladislaus in urbem Romam irrupit die VIII. junii, eademque die Joannes fugiens cum cardinalibus XIII. primo Sutrium, tum Viterbium evasit, teste Antonio Petri in Diario, qui & subdit cardinalem Barensem a militibus Ladislai captum fuisse & carceribus S. Jacobi de Settignano reclusum. Viterbio ad montem Faliscorum se contulit, teste Niemio apud annalistam & Anonymo Florentino coævo, vulg. in rer. Ital. to. XIX. qui a Faliscis Senas transiisse pontificem addit. Venientem ingenti honoris significatione exceperunt Senenses; quod ab illis in gratiam Florentinorum præstitum potius, quam amore religionis, cum alteri pontifici addicti Joannem schismaticum

Calancus tit. S. Cæciliæ presbyter, & Franciscus Zabarella SS. Cosmæ & Damiani diaconus, quorum primus in oratione (a) ad Sigismundum habita in ejus oculis Ladislai flagitia ita descripsit.

(a) Ext. in ms. cod. bibl. Vat. sig. num. 4942.

Ladislaus Rex ad obsidionem urbis properans in campis patentibus per gentes ecclesiæ victus terga vertere coactus est. Ah quam variis modis impugnat perfidus hostis Ecclesiam Dei! Postquam enim sensit se aperte nihil proficere posse, ad dolos & astutias serpentinas se convertens, pecuniis & muneribus gentes Ecclesiæ corrumpere, & ad se transfugere procuravit; & ad urbis mœnia castrametatus locutus est in dolo verba pacifica. En pacis nomen, quam sanctum est: pax a versutissimo hoste oblata animos audientium pellexit, maluitque sanctissimus dominus noster, licet illi hostis versutia satis admodum esset explorata, quodlibet periculum subire, quam pacem oblatam refutare. Sic itaque pax est atque firmata: ipseque Rex Ladislaus abjurato apostatico Angelo Corario, sanctissimo domino nostro plenariam obedientiam præstitit & fidelitatis homagium pro regno Siciliæ. Vide quod apte dixit unus ex legislatoribus, quod sacerdotio, seu promissio propositum hominis malevoli non immutat: post aliquantum enim temporis opportunitatem nactus forti manu terra marique conctа dominum nostrum in urbe circumvenit, & nocte mœnia urbis suffodiens, mane facto urbem ipsam hostiliter ingressus dominum nostrum & reverendissimos dominos Cardinales intercepisset, nisi fuga præsidio de manibus persequentium hostium fuissent liberati. Heu quot mala vidit illa dies? aliqui ex Cardinalibus captivati, plures presbyteri & clerici trucidati, multi vulneribus affecti, curiales omnes expoliati bonis suis, basilicæ Apostolorum profanatæ, equi in illis passim stabulati, ecclesiæ urbis crucibus, calicibus, sacroque ornatu reliquo nudatæ, quodque horreo referens, perditissimi homines in tabernis publice sacris calicibus poculorum vice abusi sunt. Quo non erumpit effrenata cupiditas? mulieres honestæ virginesque Deo dicatæ passim raptæ: probati cives atque optimi relegati & eorum bona proscripta. Quis illius diei clades enumeret? nunquam; si cui vacet annales evolvere, ab ullo hominum genere tanta impietas præsumpta est. Semper etiam apud gentiles sacra veneratione præcipue habita: solus Baltassar in profano convivio sacris vasis abusus, ipso ultione divina nocte peremptus vitæ pariter & sceleris finem accepit: verum hæc satis pro tempore dicta sunt. Itaque post irruptionem urbis maxima patrimonii parte a profano Rege occupata rebusque undique perturbatis sanctissimus dominus noster ad civitatem Florentiæ se contulit & a civibus Florentinis reverenter exceptus humanissimeque tractatus est.

Speciе pacis prodidit Joannem.

Patrata ingentia in urbe capta mala.

Patrimonium maxima ex parte occupatum Joannes Florentiam perfugit.

Hos casus adversos Joannis XXIII. nonnullis præsagiis fuisse prius ostensos, interpretatur Theodericus Niemius (b), quæ potius indicent, significasse ipsum sine jure pontificia insignia invasisse superstite adhuc Gregorio Papa: *Hæc*, inquit, *inconvenientia, aliqua indicia figurabant, quia dum quadam vice in festo pentecostes dictus Balthasar vesperas solemnes in capella majori sui palatii prope basilicam S. Petri, ut moris est, celebraret, dum inciperetur hymnus: Veni creator Spiritus; illico adfuit & volavit illic in alto bubo seu noctua. Hujus rei novitatem multi curiales ibidem existentes mirabantur: & eisdem temporibus dum ipse Balthasar in porta ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis arma sua in medio armorum seu insignium quorumdam aliorum depingi fecisset, fulgure infra paucos dies destructa fuerunt, eisdem aliis armis seu insignibus remanentibus salvis.*

(b) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Sinistra præsagia de Joan. XXIII. pontificatu ostensa.

Exercente tyrannidem Romæ Ladislao, Laurentius B. Franciscæ e Pontianis vir,

XX. S. Franciscæ vir pulsus in exilium.

NOTÆ *maticum putarent*, ait Joannes Bandinus de Bartholomæis, qui Senensem historiam vulgatam rer. Ital. to. XX. tunc scribebat. Alienam igitur urbem cum desereret, Joannes Florentiam accessit; atque ab urbis in varias tunc factiones discissæ ingressu prohibitus, substitit in suburbanis, ait S. Antoninus apud annalistam hic. Prorogatum ibi domicilium a die XX. junii ad usque diem VIII. novembris, teste de Bartholomæis in hist. Senen. Tunc vero Bononiam transivit, quo pervenit novembris die XII. ut ex Miscella Bononiensi discimus. Sequenti die, ut in eadem Miscella, *Jacobum de Insulanis* cardinalem renunciavit; eo quod ejus potissimum opera ait idem scriptor, Bononiam recuperasset. Errat ergo Ciaconius, qui die XII. Kal. octobris, errat & annalista, qui die VIII. novembris purpuram Jacobo datam, & quidem Bononiæ scripserunt. Quorum lapsus eo est planior, quod nec die XII. octobris nec die VIII novembris Joannes Bononiam adhuc pervenerat. Haud diu post, nempe XXV. novembris (Miscella) Joannes profectus est Laudum, ut de concilio Constantiæ celebrando ageret cum imperatore. Ex hac serie chronologica, summa fide ex authoribus coævis deducta, nonnulla inferre licet ad emendationem annalium aptissima. Primo constitutionem illam Sigismundi, legendam in annalibus hic num. 22. signatam die XXIII. octobris anni hujus, qua imperator securitatem iis spondet, qui ad concilium venissent, non Joanni quidem per se illam petenti, sed cardinalibus ex ablegatis poscentibus concessam fuisse; cum Joannes nonnisi exeunte novembri cum imperatore congressus fuerit. Secundo in textum Gobelini relatum in annalibus num. 20. mense *decembri* pro *septembri* irrepsisse, ut legendum sit: *Papa veniens Florentiam &c. & tunc in mense septembri*, vel *augusto* vel *octobri concilium &c.* MANSI

ut pontificiorum partium studiosus in exilium pulsus est; cumque Petrus Trojæ comes Neapolim esset profecturus Baptistam filium obsidem ad se mitti jussit: illa materno amore mora capitis filii metuens ipsam occultare statuit. Verum Antonellus religiosus vir, qui sanctæ mulieri a confessionibus erat, divino instinctu afflatus ipsi imperavit, ut filium ad comitem & ejus administros perduceret. Non respuit illa acerba imperia; sed filium manu in ecclesiam, cui Aracœli nomen est, ubi comes & tribuni versabantur deduxit, adeo ut plerique fremerent filium tradi a matre illi, qui ipsum in servitutem vel carnificinam abducturus erat; quem cum obtulisset comiti, & nonnulli eam hortarentur, ut filium & se commendaret: subjecit, se illi, qui posset opem ferre, commandaturam: atque ante imaginem Deiparæ preces fusura se projecit, & quamvis imago occlusa esset, eam tamen inspexit. Interea comes Baptistam obsidem viro militari tradidit, ut eum Neapolim duceret: quem cum ille equi dorso imposuisset, & iter Neapolim versus capere vellet, numquam equum adigere calcaribus potuit, ut gradum inferret; sed tantum retrogradaretur, quocirca alium conscendit equum: sed is pariter iter ingredi respuit: permutati subinde fuere plures equi, sed numquam impelli potuere, ut antrorsum figerent pedem. Prodigio itaque perculsus comes una cum aliis militibus mox Baptistam matri restituit. Agunt pluribus de Ladislai in ditionem ecclesiasticam irruptione illius temporis scriptores (a), inter quos Nicolaus Bartholomæus a Turcia veteris chronici MS. archivi bibliothecæ Vaticanæ author addit, Ladislaum Tuderto etiam, Perusio, pluribusque aliis urbibus potitum, Joannem vero Gattam Viterbiensem præfecturam in iis turbis invasisse.

Ejus filius mittendus Neapolim velut obses divinitus ereptus.

(a) Barth. a Turcia in chron. ms. arch. bibl. Vat. sign. n. 111. mr. dict. Ven. hoc an. Leonard. Aret. hist. rer. Ital. Gobel. in Cosm. c. 90. & alii.

Ceterum Cardinales legati non modo ad retundendas Ladislai grassationes missi fuere, verum ad paciscendum cum Sigismundo de loco, in quo cogendum esset concilium, quod jam a Ladislao fuerat discussum, cum ad redigendas sub unius Pontificis authoritate orbis Christiani ecclesias, tum ad ditionem ecclesiasticam in pristinam amplitudinam restituendam celebrandi illius summa necessitas urgeret; de quo hæc Gobelinus (b) tradit historiæ: *Papa veniens Florentiam ibidem reverenter receptus est, & tunc in mense decembri concilium in kalendas novembris deinde proxime venturis indixit; locum tamen concilii non determinavit: quapropter duos Cardinales ad Regem Romanorum tunc in Italia moram trahentem ad concordandum de loco destinavit, qui simul in civitatem Constantiensem consenserunt: post hoc Papa & Rex, in Laudensi civitate convenientes, locum eumdem pro concilio generali celebrando approbarunt.*

(b) Gobelin. ibid.

XXI. Adorat S. Antoninus divinæ providentiæ arcana consilia, quæ Constantiam delegit ad celebrandam synodum œcumenicam, in qua Ecclesiam schismate laceratam in priorem formam statumque revocavit, flexitque Joannis mentem, ut inita jam consilia momento abjiceret, remque ex Leonardo Aretino, qui Joanni ab epistolis erat, narrat; ex quo etiam nos historiæ veritatem delibabimus: *Unicum remedium*, inquit Leonardus ipse, (c) *& Imperatori & Pontifici videbatur generale concilium advocari; sed erant circa hoc ipsum constituenda permulta, ceu, locus, tempus, modus. Missi sunt igitur hic de causa ad Sigismundum legati: horum missio legatorum ruina Pontificis initium fuit. Qua in re non videtur prætereundum mirabile quiddam, quod tunc accidit, ut omnia cælestis gubernari cognoscamus. Communicaverat mecum Pontifex arcanam mentem & cogitationem suam: In loco, inquit, concilii tota summa est, nec ego alicubi esse volo, ubi Imperator plus possit: legatis igitur istis, qui a me mittuntur, mandata amplissima potestatemque maximam ad honestatis speciem dabo, quæ palam ostentare possint atque proferre, secreto autem mandatum restringam ad loca certa: enumeravit mihi subinde loca.* At ne legati ex illius diplomatis, ad conciliandam iis authoritatem compositi, amplitudine aliquid contra Joannis arcana imperia moliri possent, subjectam sanctionem hoc anno edidit (d).

Jo. & Sigismund. Laudam conveniunt; Constantiam designant pro celebrando concilio.

(c) Leonard. Aret. in hist. rer. Ital. & ex eo S. Ant. tit. 2. sup. c. 6. §. 1.

Joannis mens divinitus immutata.

Joannes, &c. ad futuram rei memoriam.

(d) Jo. l. 7. ep. cur. an. 3. p. 199.

Attendentes, quod sæpenumero contingit legatos aut nuntios seu vicarios sedis Apostolicæ, ad diversa mundi regna & partes alias multiplicibus ex causis per sedem eandem cum variis facultatibus & potestatibus destinari, &, sicut habet fide dignorum assertio, iidem legati, nuncii, seu vicarii respectu generalitatis apposita in literis facultatum hujusmodi sub iis, cum plena potestate legati a latere seu aliis similibus verbis circa eorum officia gubernationem seu administrationem vel exercitia, metas specialium facultatum sub generalitate prædicta seu vigore potestatis hujusmodi legatis, nuntiis, seu vicariis a jure concessæ transgrediuntur interdum, ex quibus scandala sunt suborta, & gravia privatim & publice consueta dispendia, nos intendentes in præmissis de opportuno providere remedio, authoritate apostolica ex certa scientia tenore præsentium, hac præsenti constitutione decernimus statuimus, quod de cætero nullus cujuscumque status, gradus, habitus seu conditionis, ecclesiastici vel mundani existat, etiamsi cardinalatus dignitate præfulgeat, legatus, nun-

Joannis constitutio de mandatorum quæ legatis traduntur potestate.

tius

tius, aut vicarius, seu quivis alius officialis præfata sedis hactenus quomodolibet deputatus aut creatus, deputandus aut creandus inposterum auctoritate apostolica, quovis fungatur officio, possit, audeat, vel præsumat per se vel alium, seu alios, publice vel occulto, aut quovis colore quæsito, directe vel indirecte, virtute generalis potestatis aut facultatis hactenus per eandem sedem concessæ vel concedendæ de cætero cuicumque, maxime sub his vel similibus aut eundem effectum importantibus verbis: Cum plena potestate legati a latere; *etiamsi de jure vel consuetudine virtute nominis aut dignitatis vel potestatis talis officii sit forte attributa potestas, aliquid vel aliqua agere vel exercere, nisi dumtaxat quantum & prout talibus legatis, nuntiis, vicariis, seu aliis magistratibus, per formam specialium facultatum, & potestatum sit hactenus in specie per sedem eandem concessarum seu concedendarum inposterum per literas apostolicas, & non aliter nec alio quovis modo, etiam si paria, similia, vel minora forent iis, quæ in præfatis literis specialiter sunt concessa; decernentes ex nunc irritum & inane, si secus vel aliter a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit inposterum quomodolibet attentari, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum iii. kalend. martii pontificatus nostri anno iii.*

Decernit non valere nisi ea quæ per specialem formulam sunt expressa.

XXII. Sed universus ille humanæ prudentiæ apparatus ad irritum cecidit, arcanoque instinctu actus Joannes priora confudit consilia, ut legatos, quos de synodi loco designando agitatum misit, nullis arcanis imperiis constringeret, neque amplissimam de eo decernendi potestatem circumscriberet, ut ex Leonardo Aretino liquet (a): *Cum in hoc proposito*, inquit, *multos dies fuisset, tempus venit, quo proficisci legatos oportebat, tunc remotis cæteris præter me unum legatos secreto allocutus est, multisque verbis cohortatus ad munus legationis diligentissime obeundum ostendens, quanti ponderis illa res esset, cujus rei gratia mitterentur: deinde conversus ad benevolentiam, cum eorum prudentiam fidemque laudaret, ac melius illos cognoscere, quid facto opus esset, quam se ipsum diceret. Dum ista commemorat atque inculcat, affectus ipse benevolentiæ propositum diu cogitatum momento temporis immutavit. Decreveram, inquit, loca quædam nominare, a quibus nulla modo discederetis; sed in hoc temporis puncto sententiam muto, ac vestræ prudentiæ cuncta permitto: vos quid mihi tutum & quid formidandum cogitetis; chartulamque, in qua ea loca scripta erant, in eorum conspectu laceravit, absque ulla alicujus loci nominatione. Legati igitur ad Sigismundum profecti, Constantiam pro loco concilii delegerunt, urbem & transalpinam &*

(a) Leonard. & ex eo S. Anton. ubi sup.

Ipse suam constitutionem rescindit.

Imperatori subjectam: quod simul atque intellexit Joannes, incredibile quantum indoluit, seipsum ac fortunam suam detestatus, quod tam leviter a cogitatione propositoque illo pristino restringendorum locorum descivisset; sed voluntatem Dei nemo vitare potest. Joannes principio hyemis Florentia Bononiam abiit, nec multo post congressum Sigismundi petens, in Galliam Cisalpinam profectus Placentiæ primum cum illo congreditur, inde ad Laudensem urbem profecti ambo mense fere toto in ea urbe fuere. Agitatum inter ipsos in ea urbe fuit de cogendo concilio œcumenico, ac Joannes datis Laudæ ii. id. decembris encyclicis literis (b), universos præsules recurrentibus anni proximi kalendis novembris Constantiam pergere jussit.

Literæ indictionis Constantiensis concilii.

(b) Ja. l. ult. p. 28. ext. inoctic conc. Const. sess. 1. & in bul. in Jo. xxiii.

Joannes, &c. ad futuram rei memoriam.

Ad pacem & exaltationem Ecclesiæ & tranquillitatem Christiani populi prompto corde & efficaci desiderio intendentes, ea libenter ordinamus & quærimus, per quæ hujusmodi pax & exaltatio tranquillitatis merito valeat promoveri. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander Papa V. antecessor noster, in sacro generali Pisano concilio tunc præsidens, ex quibusdam magnis & arduis causis eundem moventibus, ipso approbante concilio, inter cætera decrevit iterum generale concilium ex tunc ad terminum per se vel successorem suum in loco, de quo sibi vel eidem successori videretur fore solemniter convocandum; idemque prædecessor, ad ea, quæ circa reformationem Ecclesiæ expedienda restabant, pro tunc suspendit ipsum concilium usque ad tempus triennii præfatum continuandum statuit & prorogavit.

Pisanum decretum de synodis quolibet triennio celebrandis.

Postmodum vero ipso Alexandro prædecessore nostro, sicut Deo placuit, vita functo, nobisque divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumptis, dum tempus triennii ejusdem jam advenerat, & nos per vestigia ejusdem prædecessoris incedere, & ordinationem præfatam ab eo in concilio, ut præfertur, factam puro corde & recta voluntate adimplere properaremus, quibusdam rationibus tunc expressis animum nostrum moventibus, concilium hujusmodi in Romana urbe, quæ paulo ante de manibus hostium recuperata præsentiam nostram pro ipsius conservatione plurimum flagitabat, debito tempore convocavimus. Verum quia veniente postea tempore constituto prælati, & cæteri qui hujusmodi concilio interesse debebant, nequaquam in tanto numero convenerunt, quantum rerum agendarum pondus & magnitudo requirere videbatur, nos post alias prorogationes per nos factas tandem concilium ipsum ad mensem decembris nunc præsentem solemniter prorogavimus, ac celebrandum statuimus, locum autem infra certum tempus reliquimus de-

cla-

clarandum, ut interim super eo maturius consuleremus.

Post hæc vero infra dictum tempus nondum elapsum, per literas charissimi in Christo filii nostri Sigismundi electi in Regem Romanorum & Hungariæ Regis illustris instantissime requisiti, ut non properaremus in declaratione loci pro concilio faciendo, sed tam in declaratione loci prædicti, quam etiam in tempore dicti concilii celebrandi supersedere vellemus, donec ipse nuncios super hoc instructos ad nostram præsentiam destinaret, nos vota ejusdem Regis, quæ ex zelo devotionis & puritatis fidei emanare conspiciebamus, annuentes adventum præfatorum nunciorum de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & prælatorum, qui Romæ in generali consistorio ad hoc vocati fuerant, voluntate, consilio, & assensu duximus expectandum. Deinde cum post Romanæ urbis miserabilem casum ad nos tunc apud Florentiam existentes, ejusdem Regis nuncii accessissent & ex parte ejusdem Regis multa nobis circa materiam suggessissent, eorum auditis relatibus pro pleniori expeditione dilectos filios nostros Antonium tit. S. Cæciliæ presbyterum & Franciscum tit. SS. Cosmæ & Damiani diaconum S. R. E. Cardinales cum plena potestate super hujusmodi electione loci & deputatione temporis, ac simul cum eis dilectum filium nostrum nobilem virum Manuelem Chrysoloram militem Constantinopolitanum ad præsentiam ejusdem Regis transmisimus: qui ad eum venientes tandem de ipsius Regis consilio & assensu civitatem Constantiensem provinciæ Moguntinensis pro loco hujusmodi concilii celebrandi concorditer elegerunt, ac tempus ad initiandum hujusmodi concilium statuerunt diem primum mensis novembris proxime venturi.

Qui legati ad Sigismundum missi.

Sigismundi sponsio de secura loco præstando.

Deinde vero nos, qui pro quibusdam arduis & magnis negotiis cum eodem Rege juxta nostrum & ipsius desiderium personaliter convenimus, certificati ab eo de habilitate, capacitate, & securitate civitatis Constantiæ antedictæ, quam securitatem ipse Rex se præstiturum, & in ipso concilio personaliter affuturum pollicetur, volentes & ab intimis cupientes, ut præfata celebratio concilii salubriter impleatur & optatum consequatur effectum, hujusmodi electionem loci & temporis, ut præfertur, factam authoritate apostolica tenore præsentium de eorumdem fratrum nostrorum consilio, & assensu ratificamus, approbamus, & confirmamus, ac ei apostolici roboris adjicimus firmitatem, præfatumque concilium in civitate prædicta Constantiensi die prima mensis novembris proxime venturi initiandum & authore Domino, exinde celebrandum, eadem authoritate & consensu harum serie statuimus, pronunciamus & decernimus, venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & dilectos filios electos, abbates, & cæteros ecclesiarum & monasteriorum prælatos requirentes, hortantes, & monentes, ac in virtute præstiti juramenti & sanctæ obedientiæ eisdem mandantes, quatenus personaliter, nec non charissimos in Christo Reges & nobiles viros duces, principes, marchiones & alios, qui hujusmodi concilio interesse debent, vel qui prodesse possunt quoquo modo, per viscera charitatis Domini nostri Jesu Christi invitantes & exhortantes, quatenus pro pace Ecclesiæ & omnium Christianorum etiam personaliter, vel si personaliter non possint, per solemnes oratores congruo tempore concilio dicto debeant interesse, ut sic congregata fidelium multitudine copiosa, ea quæ in eodem concilio agenda incumbunt, Deo authore & adjutore, salubriter ordinentur. Nulli ergo, &c. Dat. Laudæ v. id. decembris pontificatus nostri anno IV. Conceptæ iisdem ferme verbis aliæ extant literæ (a) ad Auxitanum archiepiscopum & suffraganeos missæ. Antea vero Joannes Sigismundum Regem Romanorum obstrinxerat sibi in Constantiensibus conventibus summam exercendæ authoritatis libertatem permissum iri, præsulesque ecclesiastica immunitate potituros; quod etiam Sigismundus vulgavit fide publica per regias literas (b) data, quibus etiam principes omnes, ac præsules ad cœtus illos allexit: *Vos*, inquit, *universos & singulos in Domino exhortamur, ut illi ex vobis, ad quos pertinet ad concilium venire, deposito omni timore citetis ad locum prænissum tempore præscripto conferre: ubi etiam nos, Deo favente, curabimus interesse, ac omni nostro posse facere, ut omnes & singuli in concilio existentes plena securitate atque libertate tam in accessu, quam statu, & recessu potiantur, & quod dominus noster Papa cum dominis Cardinalibus & sua curia, ac cum omnibus prælatis & clericis in concilio existentibus gaudeant plena ecclesiastica immunitate, ita etiam quod ipse dominus noster Papa ibi libere possit omnem suam apostolicam authoritatem, jurisdictionem, & potestatem exercere: & similiter domini Cardinales & prælati & principes, omnesque aliæ tam ecclesiasticæ, quam sæculares personæ in concilio existentes possint libere loqui & tractare, & expedire omnia, quæ sibi videbuntur opportuna. Datum in ecclesia S. Stephani protomartyris in villa vocata Viglud in vulgari Vegus Cumanæ diœcesis anno a nativitate Domini MCCCCXIII. die lunæ penultima mensis octobris regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. XXVII. Romanorum vero IV.*

(a) Ead. l. ult. pag. 45.

Fides publica omnibus data.

(b) Ext. in act. conc. Const. collectis a Jacobo. de Cerret. ms. bibl. Vat. sig. n. 4942.

XXIII. Navavit etiam regiam operam Sigismundus (c), ut Constantienses cives paciscerentur cum Joannis oratore, ipsos sa-

(c) Ext. ejus lit. ib.

eris

Erasti n Constantiensibus sacramenti formula.

ceris honoribus, quibus Romani Pontifices ob supremum dignitatis apicem affici solent, Joannem prosecuturos, neque ei libertatem abeundi adempturos: permissuros dicendi inter Romanæ curiæ aulicos juris potestatem, itinera a prædonum grassationibus vindicaturos, animadversuros in eos, qui aliquam injuriam ad concilium accedentibus inferrent, neque ut Joannes quibusvis publicam fidem daret prohibituros, nuncupatumque de iis omnibus a magistratibus sacramentum Colocensis archiepiscopus Sigismundi Regis nomine confirmavit.

Gregorius a Joanne ut veniat ad concilium provocatus. (a) Ext. ib.

Vocatus quoque ad id concilium est Gregorius, et si vere pristinam ecclesiarum conjunctionem redintegrare cuperet, una cum suis accederet, qua de causa Sigismundus imperialem illi clientelam spopondit, omnemque periculi suspicionem ab eo abfuturam: *Si*, inquit, (a) *facere vultis quantum in vobis est, ut ecclesia Dei possit esse debite reformata, modum habetis in veniendo ad præmissum locum tempore constituto cum vestris de vestra obedientia, ubi si facere volueritis vestrum debitum Deo, mundo, vestræque conscientiæ, atque nobis plurimam satisfacietis: ad quem etiam adventum vos pro nostro imperiali officio exhortamur, requirimus, & monemus, & super his nostras literas vobis transmittimus, ne postea dicere vel allegare aliam ignorantiam valeatis. Nos etiam, ut pleniorem causam veniendi habeatis, per præsentes damus vobis & vestris plenum & salvum conductum & securitatem. Datum Laudæ, &c.* Cæterum patefecit postea exitus sincere a Gregorio, ficte autem simulateque a Joanne rem gestam esse. Solicitatum pariter a Rege Romanorum fuisse Petrum e Luna, ut ad schisma abolendum Constantiam concederet, colligitur ex aliis actis: at illum in perfidia obduruisse, atque adulterini honoris umbram animæ suæ saluti & Ecclesiæ paci prætulisse, inferius dicemus. Nunc ad religionis Christianæ in septentrione propagatæ triumphos properat narratio.

Joannes indignatur indictam esse Constantiense concilium.

XXIV. Vocatus ad Polonicum sceptrum ex Lituania arcano divinæ providentiæ nutu Wladislaus (b); non modo Lituaniam pellexerat ad Christum, quam hoc ipso anno conjunxit Poloniæ, ac nobilitatem decoravit insignibus, ut quæ e Polonia fidei splendorem traxerat, ita gloriæ ornamenta acciperet; verum & ad constabiliendam proferendamque in Russia religionem incubuerat, atque ideo ejus rogatu Joannes (c) superiori anno v. kal. septembris episcopalem sedem in oppido cui Lamburgu, vulgo Lyuvouven sive Leopola, nomen inditum in ducatu Haleciensi excitavit, ut ea ex evangelicæ lucis radii latius ad finitimas provincias diffunderentur. Cumulatorius vero id præclarum facinus novis hoc anno statutis trophæis Wladislaum in Samagitia fidem Christi, quam ante intulerat, propagavit. Cujus pietatem commendat Michovias (d).

(b) Michov. lib. 4. c. 45. Crom. l. 18.

(c) Jo. l. ult. pag. 123. Institutus episcopatus Lamburgensis.

(d) Michov. sup. c. 45. Samagitia ad Christum conversa.

Anno, inquit, *Domini MCCCCXIII.* & infra, *Samagitia fidem Christi & baptisma opera Regis Voladislai suscepit. Ad cognoscendum autem naturam provinciæ & gentis illius animadverta, quod regio Samagitia est septentrionalis & gelida Lituaniæ, Livoniæ, & Prussiæ conterminia silvis, collibus, & fluminibus circumsepta*; pluribusque interjectis de regionis conditione hominumque feritate, hæc subdit de eorum superstitione, quæ ab Wladislao eversa est: *Gens ad divinationes & auguria proclivis; præcipuum tamen Samagiticum erat ignis, quem sacrosanctum & perpetuum putabant, qui montis altissimi juga super fluvium Nevaysza sita assidua lignorum appositione a sacrorum sacerdote alebatur. Accedens itaque Voladislaus turrim, in qua consistebat, incendit, & ignem dejecit, & extinxit. Succidit deinde per milites suos Polonos silvas, quas non secus quam sanctas & deorum suorum habitacula Samagitæ, juxta illud poeticum. Habitarunt dii quoque silvas; venerabantur, in eam caliginem mentis prolapsi, quod & silvæ præfatæ, & aves, feræque in illis consistentes sanctæ forent, & quidquid in illas ingrederetur, ut sanctum censeri deberet. Violanti quoque nemus, feras, vel alites manus aut pedes dæmonum arte turbabantur. Maxima itaque barbaros tenebat admiratio, quod Polonorum milites nemus ritu eorum sanctum excinderent nulla læsio, qualem ipsi in se frequentius experti erant, sequeretur. Habebant præterea in silvis præfatis focos in familias & domos distinctas, in quibus omnibus charorum & familiarium cadavera cum equis, sellis, & vestimentis potioribus incendebant. Locabant etiam ad focos hujusmodi ex subere facta sedilia, in quibus escas ex farre in casei modum præparatas deponebant, medonemque focis infundebant, ea credulitate illusi, quod mortuorum suorum animæ, quorum illic combusta fuerant corpora, nocte venirent escaque se reficerent, &c.*

Colebant ignem barbari.

Tyrannis dæmonum in idololatras.

Sacrificia gentilicia.

Addit auctor (e), ut Rex Wladislaus Christianis institutis Samagitas erudiendos curavit, atque ecclesiam episcopalem pluresque parochiales condidit: *Rex itaque Voladislaus primum eos orationem dominicam, deinde symbolum docuit, quoniam nullus sacerdotum linguam Samagiticam noverat, & undis baptismatis ablui jussit. Unus autem ex majoribus Samagitarum pro omnibus respondit: Ex quo, inquit, serenissime Rex, dii nostri velut inermes & languidi a Deo Polonorum deleti sunt, deos nostros & sacra eorum deserimus, & Deo tuo atque Polonorum fortiori adhæremus;*

(e) Mich. ib. cap. 46. Miednicensis episcopatus institutus. Wladislai Regis in barbaris erudiendis pietas insignis.

fic-

sicque baptizati sunt : Rex autem in Miedniki cathedralem ecclesiam sub honore & titulo sanctorum martyrum Alexandri, Theodori, & Eventii, in aliis autem locis ecclesias parochiales fundavit, & illis dotem sufficientem consignavit, & inscripsit. Medunicensi ecclesiæ successu temporis primus episcopus Mathias origine Alemanus, Vilnæ tamen natus eo quod linguam Lituanicam & Samagiticam norat, præfectus & consecratus est.

Involuti errorum tenebris Samagitæ, antequam evangelica doctrina collustrarentur, nil de humani generis orbisque creatione norant, quæ dum ipsis ex sacris oraculis recenserentur, ridiculum hoc accidisse narrat idem auctor : *Contigit autem in prima plantatione, dum Samagitæ per magistrum Nicolaum Vanzik fratrem ordinis Prædicatorum regium prædicatorem per interpretem instruerentur de fide, creatione mundi, & lapsu primi hominis Adæ, unus Samagitarum sufferre sermonem prædicantis non valens, in hæc verba prorupit : Mentitur, inquit, illustrissime Rex, sacerdos iste : asserit mundum creatum fore cum sit homo non longævæ ætatis : sunt enim inter nos plures annorum numero seniores & centenarium numerum supergressi, qui creationem nullam recordantur, sed solem & lunam cæteraque sydera semper eisdem motibus luxisse referunt. Rex autem Voladislaus eum silere jubens magistrum Vanzik creationem mundi non asseruisse in diebus suis incepisse, sed longe ante declaravit, puta ante sex millia annorum & paulo post ordinatione divina provenisse.* Hactenus Matthias Michovius cui Martinus Cromerus (a) de Samagitia ad Christi cultum adducta consentit, traditque Wladislaum non modo in eo pii Regis, verum & doctoris & apostoli munere perfunctum, cum sacerdotibus linguæ Samogiticæ ignaris ipse evangelica doctrina barbaros, suggerentibus ipsi quæ dicturus facturusve erat sacerdotibus, instrueret; atque religio altiores inter Samogitas radices ageret, & ab impiis deinde hominibus non convelleretur, diutius in ea provincia, quam statuerat, substitisse refert.

Objectio cujusdam barbari de mundi creatione.

Ad eam responsum a Rege.

(a) Crom. hist. Pol. l. 18. Stephan. Damalevicius de Gnesnen. arch. in Nicol. Tramba, & alii.

Subsistit in provincia ad confirmandam religionem.

I. Haberi cœpti sunt Constantiæ solemnes episcoporum conventus anno a partu Virgineo quartodecimo supra millesimum quadringentesimum indictione septima, in quibus Christiana res, sublatis schismatis dissidiis, reflorescere visa est, & contra impii Wicleffi hæreses communita. Sed antequam de concilii actis dicere aggrediamur, ea quæ ad ejus apparatum spectant delibabimus. Afferebat (a) Gregorio XII. hujusmodi præsulum convocatio graviores metus ne in eo superiores essent adversarii. Itaque velut indictum sine apostolica authoritate evertere nisus est: cumque se verum Ecclesiæ pastorem esse ostenderet, addidit id concilii œcumenici nomine non exornandum, plura de Sigismundo Rege Romanorum conquestus, qui se Joanni XXIII. addixisset, ad quem decrevit internuncios Joannem Dominicum ordinis Prædicatorum tit. S. Sixti presbyterum Cardinalem, ac Joannem designatum a se patriarcham Constantinopolitanum, qui causæ suæ æquitatem illi exponerent, subjectasque literas porrigerent.

(a) Greg. l. 4. p. 11.

Gregorius Constantiens. conventus disturbare nititur.

Legatos mittit ad Sigismundum.

Gregorius, &c. charissimo in Christo ex desiderio nostro filio Sigismundo, &c. Regi illustri salutem & apostolicam benedictionem.

Ex eo vidimus veritatem & justitiam nostram opprimi multifarie ab iis, qui multiplici errore nos impugnaverunt, & variis astutiis non cessant nos lacerare, quia super deductione & directione ad pacificum statum & omnibus clarum propositum pervenire non nostra quærendo cupientes judicem in terris non habemus super justitia nostra, ad quem recursum habere potuerimus: & ideo serenitatem tuam excitamus, in qua ex pluribus tuæ regiæ benignitatis processis actibus sæpius magnam fiduciam suscipientes, nos confortasti, & de tua virtute in Domino lætitiam suscepimus ampliorem; & quanto magis postea nos perspexisti desolatos, & lucide videre potuisti has persecutiones nobis contingere, ut solet fieri, ex dilectione Dei defensoribus veritatis sustinentibus partem Domini, tanto gloriosius assurgere debuisti. Sed, o dolor! nimium partem Domini gravasti, cum per formam excogitatam secundum exigentiam subversionis factæ adversus catholicam Ecclesiam & thronum apostolicum, eidem serenitati ministratum, attigisti generale concilium ad quam formam potestas papalis condescendebat extreme pro pace & unitate Christianorum introducenda; sed declinatus es partialiter ad particulare concilium aptum pacem turbare & errores nutrire, ex qua declinatione robur usurpatoribus addidisti. At si ad Dominum cor effuderis conversus ad primam veritatem, non permittes nos confundi: quia ex eo patimur & passi sumus, quoniam fideliter & recte ambulare voluimus: quam rem per experientiam perpendere potuisti, quando per tunc venerabilem fratrem nostrum Andream archiepiscopum Spalatensem nobis ex parte tua persuadentem transitum ad viam concilii generalis, per quem responsum dedimus, quod inceperamus per viam renuntiationis, & ideo per illam tendebamus perficere sacratissimam unionem, sed si in desperationem duceremur, ad viam hujusmodi generalis concilii nos converteremus, sicut & fecimus. Si ergo lumen nostræ puritatis animadverteris, sustine Dominum altissimum, qui te glorificabit: nos vero, qui continuo in varia & gravia impedimenta incidimus, remedia quæ possumus libenter apponimus. Et ideo dilectos filios Joannem tit. S. Sixti presbyterum Cardinalem & Joannem electum Constantinopolitanum nostros & Apostolicæ sedis nuntios ad providentiam tuæ regiæ celsitudinis præsentialiter destinamus, quos eidem in Domino commendamus. Dat. Arimini XVI. kal. novembris pontificatus nostri anno VIII.

Non modo ad Sigismundum Regem Romanorum ii nuncii a Gregorio missi fuere; verum & ad Constantienses (b) conventus, ut in his ipsius causam adversus Pisanum concilium, a quo se inique exauthoratum contendebat, tuendam susciperent, ut ex subjectis literis patebit. II.

Decernit legatum ad Constantien. conventus.

(b) *Lib. ult. ep. cur. p. 23.*

Gregorius, &c. dilectis filiis Joanni tit. S. Sixti presbytero Cardinali Ragusino vulgariter nuncupato, & Joanni in patriarcham Constantinopolitanum electo nostris & Apostolicæ sedis nuntiis.

Apostolicæ vocis sonus ad omnes consuevit emitti, ut clamor patris audiatur a filiis, & ad stuporem excessuum corda fidelium excitantur. Videntes igitur quot & quanta, peccatis hominum exigentibus, perniciosa secuta sunt & cumulantur quotidie ex injusta congregatione Pisana, quam damnant sacri canones, & acta in ea, & rationabiliter considerantes, quod perniciosiora sequerentur ex proxima congregatione facienda Constantiæ, quæ ad prosecutionem dictæ congregationis Pisanæ facta est, ut scripta de illius ordinatione manata testantur, nisi efficax remedium pietate Altissimi apponatur, & volentes, ut tenemur ex debito pastoralis officii, quantum nobis possibile fuerit, obviare, & pro Dei honore & animarum salute ac fidei Christianæ religione omnem nostram diligentiam, prout semper fecimus, adhibere; vos ad partes illas & locum Constantiæ antedictam duximus præsentialiter destinandos, ut per vos patefiat veritas & justitia nostra-

Eos exhorrescit ut sibi exitiales.

Partis suæ justitiam illustrandam efflagitat.

ſtraque paritas, ac voluntas, ad ea, quæ Dei ſunt, unionis, conſolationis, & pacis populi Chriſtiani. Et ut eo efficacius hæc facere valeatis, quo noſtra fueritis poteſtate fulciti, vobis hæc omnia, ut præmittitur, agendi, exceſſus quoque & alia horribiliter attentata contra nos & catholicam Eccleſiam matrem, & magiſtram omnium atque dominam aperte omnibus demonſtrandi, & attentata hujuſmodi declarandi, impugnandi, & arctandi, modiſque congruis & opportunis irritari & corrigi faciendi, ac cum omnibus, & ſingulis tam catholicis, quam ſchiſmaticis tractandi & procurandi ſalutem, pacem, & veram unionem ac redintegrationem dari populo Chriſtiano plenam & liberam auctoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem, ratum & gratum habituri quidquid per vos pro prædictis & circa prædicta noſtro nomine factum fuerit ſive geſtum; idque facturi uſque ad ſatisfactionem condignam dante Domino, plenarie obſervari. Dat. Arimini II. id. octobris pontificatus noſtri anno VIII.

Horrendo modo ſe oppreſſum lamentatur.

III. Joannes Card. auctus mandatis ampliſſimis. (a) Ib. & p. 21. 22. & l. 4. p. 109. 110. (b) Lib. ali. p. 20. (c) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 6. § 2.

Extant aliæ a Gregorio ad eoſdem datæ literæ (a), quibus ſummam ipſis poteſtatem tribuit: tum præcipue Joanni Dominico provinciam dedit, ut in ampliſſimis illis cœtibus ipſius famam ab æmulorum malevolentia vindicaret, ac præſules (b) Joanni obſequentes ad ſuas partes traheret, legatique apoſtolici ea de cauſa munere in Germania ac Belgio inſignivit. Profectum Conſtantiam Joannem Dominicum refert S. Antoninus (c) his verbis: *Illuc quoque acceſſit Cardinalis Raguſinus dominus Joannes Dominici ordinis Prædicatorum pro obedientia & parte Gregorii, qui a multis Deum timentibus & peritis adhuc reputabatur Pontifex ſummus, quamvis ab extra ſola Malateſtæ eum venerarentur.* Verum tradit Gobelinus (d) hoc ipſo anno in Germania, cum de Colonienſi archiepiſcopatu, vita functo menſe aprili Friderico, inter Thidericum de Morſa & Willelmum Montenſem gravis controverſia exorta eſſet, ac Joannes Sigiſmundi Regis Romanorum & Hungariæ rogatu Thidericum, utpote potioribus pollentem ſuffragiis confirmaſſet; aliam graviorem de Joannis & Gregorii pontificatu recruduiſſe controverſiam propoſito a Willelmo publico ſcripto in foribus eccleſiæ Colonienſis, quo diſceptabat non Joannem, ſed Gregorium pontificios apices juſte gerere: *Dominus*, inquit, *Willelmus ab hujuſmodi proviſione tamquam de ncterte intruſo*, nimirum Joanne XXIII. *& pro ingreſſu ſimoniaco procedente facta ad unicum verum & indubitatum ſummum Pontificem & ad ſedem Apoſtolicam & ad concilium generale Conſtantiæ tunc celebrandum appellavit, & in appellatione ſua dominum Joannem Papam non ſimpliciter Papam, ſed dominum Joannem, quem Bononienſem, & quidam alii Papam modernum appellant, nominavit; & hanc appellationem ſuam valvis eccleſiæ Colonienſis publice fecit affigi; & nihilominus dominus Adolphus dux Montenſis ad Gregorium pro confirmatione ſeu proviſione domini Willelmi videlicet fratris ſui legationem deſtinavit, & quoniam multi principes & domini cum domino Willelmo confœderationem inierunt, guerra graviſſima inter ipſas partes ſunt orta.* Demum Thidericum, a quo Sigiſmundus Aquiſgrani coronam argenteam accepit (e), potitum archiepiſcopatu tradunt annales Colonienſes, (f) cedenteque Willelmo controverſiam compoſitam narrat Gobelinus (g).

Controverſum fuit an Piſanis conventibus eſſet dejectus Gregor. (d) Gobel. in Coſm. æt. 6. c. 93. & annal. arch. Col. Schiſma in Colonienſi eccleſia.

Joannis pontificatus in controverſiam vocatus.

(e) Gobel. c. 94. (f) Annal. Colonien. in Thider. (g) Gobel. ſup. c. 93.

IV. Gregorii inſignia præferre non permiſſus. (h) Jac. Carret. in diar. mſ. bibl. Vat.

Cæterum dum agebat Conſtantiæ Joannes Dominicus cum inſignia Gregorii hoſpitii foribus præfixiſſet, ea nocte disjecta fuere (h); reque in judicium deducta, lata ſententia eſt in loco, qui Joanni pareret, defigi non debuiſſe. Qui porro impetrare non potuit, ut Gregorii inſignia palam ſtatueret, a votis admodum aberat, ut epiſcopos illos ad Gregorii obſequia traduceret. Nec Sigiſmundus ab illo ad optata Gregorii flecti ſe ſivit: immo graviſſimis illum urſit literis, ut Conſtantiam ad redintegrandum eccleſiarum fœdus ſe conferret; queſtuſque eſt apud Gregorium, ipſum Eccleſiæ publicam offenſionem afferre, & faceis aberi oraculis ad propagandum ſchiſma, eaque in contrarios ſenſus obtorquere, exprobravitque quærere diffugia & latebras, neque audere concilio œcumenico ſe committere. Quæ ſibi objecta refellere aggreſſus Gregorius cauſas addidit, ob quas conventum Conſtantienſem declinaret: primum a Chriſti vicarii & Petri ſucceſſoris dignitate abhorrere ad Joannis, quem intruſum vitio in pontificium ſolium contendebat, imperium indictis ab illo cœtibus intereſſe; eminere adeo apoſtolicum culmen, ut nullius concilii authoritati obnoxium ſit, neque a mortalibus, ſed ab unico præpotenti Deo ſuam cauſam judicandam: hanc ſe ipſi commendare. Tum, adjectis nonnullis verborum officiis, Sigiſmundi benevolentiam ſibi conciliare anniſus eſt (i), deque ſua ſententia in Eccleſiæ pace conſtituenda a Cardinali S. Sixti & patriarcha Conſtantinopolitano ad ipſum legatis certiorem factum iri.

Reprehenſus Gregorius de propagato ſchiſmate a Sigiſm.

Cauſam ſuam tuetur.

Contendit ſe non ſubiici concilio.

(i) Lib. ali. ep. car. p. 23.

Gregorius, &c. chariſſimo ex affectione nobis in Chriſto filio Sigiſmundo Romanorum Regi illuſtri,

Ex gratia omnipotenti Dei, in qua ſinceriſſime confidimus, & a qua omnis juſta voluntas regitur, credimus ſerenitati tuæ reſpondiſſe, non ut tibi ſcandalum inferremus, aut alteri, ſed potius ut te multoſque ad honorem Dei & propriam excitaremus moveremuſque ſalutem. Hoc quidem

pa-

Purgat se non torquere in alienum sensum scripturas.

paternæ affectionis est, quæ convenit officia data nobis a Domino, licet indigne: nec Scripturas sacras ad repugnantem sensum traximus, seu ab alia trahi fecimus, sed illis usi sumus quas a Spiritu veritatis esse credimus, & fatemur sincere & pure absque dolo in defensionem veritatis & justitiæ catholicæ, quia illic diligimus armis defendi, quæ Christianis optima sunt, juxta quod Apostolus docet: Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; *& infert:* State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei. *Ad cætera autem non duximus respondere per singula, non quia illa dedignamur, quæ charitatis affecta a tua serenitate suscepimus, verum ne videamur tecum contendere, vel dicamur te velle verbis circumvenire, quem deprecamur Dominum a nemine circumveniri posse; pro multis enim ea pauca dicemus, quæ non fuerint silentio transeunda.*

Contendit Joannem intrusum esse & vocante intruso sibi non parendum.

Non equidem, charissime ex affectione fili, latebras quærimus, non concilium evitamus, quod longe canonica fieri auctoritate ex Christianorum universali cœtu optavimus. Quanto autem desiderio anhelaverimus ad illud ubique interesse, ex scriptis & dictis aperte constare potest, & quæ ad illius convocandi concilium habendum operati sumus, manifestari possunt, si latebras quæsivimus: quod enim ad vocationem intrusi catholicus successor B. Petri parere debeat, neque canones consentiunt, neque sanctorum patrum mores. Miseramus tamen ante literæ receptionem tuæ legatos nostros ad serenitatem tuam, per quos discere amodo potuisti quanta cum sinceritate, quantaque cum charitate pacem Christianorum optamus, & quantum pro unionis ipsorum reintegratione efficaciter, quantum in nobis est, fuerimus operati. Et certe, fili serenissime, utique crede quod nihil omittere intendimus quod conferat saluti & veræ paci Christianorum, nec timebimus propter illas animam nostram dare, pariter quoque pro divino honore servando & Apostolicæ sedis. Deus autem omnipotens, cujus judicium tanto amplius timere debemus, quantum a se sola nos judicandum servavit, judicare dignetur inter nos & adversarios nostros; illis tamen in eo quod erraverint misericordiam faciendo tum judicio. Denique causam Ecclesiæ suæ sanctæ, & Apostolicæ sedis tutelam, nec non sinceritatem mentis nostræ commendamus suæ Omnipotentiæ, & ejus gloriosæ Genitrici, & beatissimis Apostolorum principibus Petro & Paulo, qui ecclesiam Romanam plantaverunt sanguine suo, & ipsius constituti sunt a Deo præcipui defensores, &c. Dat. Arimini XIV. kal. decembris pontificatus nostri anno VIII.

Causam suam Christo commendat.

Tot implicita difficultatibus hæc lis visa est præsulibus Constantiensibus, ut censuerint, prætermisso judiciario ordine, Gregorium & Joannem ac Benedictum ad abdicanda pontificia insignia adigendos. Nunc a Gregorio ad Joannis gesta narratio traducenda est.

JOANNES XXIII.

V. Reversus (a) e Laudensi colloquio Joannes ineunte hoc anno una cum Sigismundo Rege primum ingressus Placentiam, deinde Cremonam ultima januarii die adiit, in qua urbe de Ladislao Rege Neapolitano ex Etruria ditioneque ecclesiastica depellendo agitata sunt consilia. Inde Mantuam profectus, exceptusque honorifice a Francisco Gonzaga principe iterum in Ladislaum hostem coegit cœtus, ex qua urbe, cum Avenionenses, excusso jugo Catalonorum præsidiariorum, quos Petrus e Luna in arces induxerat, Joannis imperio se subjicerent, Franciscum archiepiscopum Narbonensem provinciæ præsidem dedit, exaratis Mantuæ VI. id. februarii pontificatus anno IV. literis (b), Mantua Bononiam se recepit (c), ubi dirutam antea arcem instauravit. Tum ad retundendos Ladislai impetus, atque amissam urbem recuperandam auxilia ex regnis variis contrahere nitebatur, ac Marinum Municolum patritium Neapolitanum ac Bartholomæum episcopum Pisauriensem in Angliam misit (d), ut ab Henrico cæterisque provinciis, quæ ipsius sceptro parebant, subsidiarias opes eliceret; Anglisque præsulibus & principibus summas angustias, in quas adductus erat, proposuit.

(a) Leonard. Aret. in hist. rer. Ital. Lud. Cavitel. in annal. Cremon. hoc ann. & alii.

De Ladislao pellendo Hetruria & ditione ecclesiastica Joannes init consilia.

Bononiæ arcem extruit.

(b) Joann. XXIII. l. 6. pag. 265.

(c) Cavitell. ubi sup.

Ladislaus urbem & ecclesiasticam ditionem occupat.

Poscit Joannes opem ab Anglis.

(d) Jo. l. ult. p. 64. & 82.

(e) Sup. pag. 64.

Joannes, &c. Arbitramur indubie, quod non absque gravissima nostræ mentis amaritudine recensemus, almam urbem nostram, atque prædilectissimam filiam, & in qua divinitas esse voluit suæ militantisque Ecclesiæ fundamenta Petrique cœlestis regni clavigeri sedem ac victricem partiam nobis & præfatæ ecclesiæ subjectarum infandum excidium & ruinam, ac occupationes indebitas earumdem & hostilia, quæ contra statum, & honorem nostrum & præfatæ ecclesiæ & omnium fidelium subditorum, colligatorum, & devotorum exterminium & ruinam per Ladislaum Regem Siciliæ de filio in hostem conversum teterrimum & malignum, terra marique potentissime & damnabiliter jugiter exercentur, vestram notitiam non latere, &c. Dat. Bononiæ kal. aprilis pontificatus nostri anno IV.

VI. Plena omnia turbarum erant: nam XXVI. martii Philippus Maria Galeatii I. filius

VI. Turbis ingentibus confusa Italia.

(a) Diar. Ven. ms. hoc ann.
(b) Ibid.

filius Mediolani dux cum Venetis ac Paadulpho Malatesta in Sigismundum Romanorum Regem armorum societatem iniit (a), deinde Placentiam ei eripuit (b), tum arctissimum foedus cum Ladislao pepigit: Ladislaus vero Florentinos gravi bello premebat, qui Andrea Contareno & Laurentio Bragadino Venetis concordiæ interpretibus ad sexennium oblatas pacis leges, abjectis Joannis partibus ditionisque ecclesiasticæ urbibus hosti permissis, accepta (c) etiam ab eodem Ladislao Cortona, vique ingenti auri illi refusa (d), admisere: non tamen metu periculi liberati erant, cum Ladislaus ea tantum de causa paci assensisse putaretur (e), ut pacis fallaci specie incautos facilius opprimeret. Convertere vero illum impetus suos adversus Joannem decrevisse, atque in iras ac censum, quod plura cum Sigismundo veteri hoste colloquia iniisset, narrat Theodoricus Niemius (f), minatumque se ad Bononiam obsidendam castra promoturum adeo ut Cardinales & aulici vehementi metu fuit commoti: *Ladislaus*, inquit, *Rex ex conventione hujusmodi Balthasaris & suorum Cardinalium & Regis Romanorum prædictorum fortiter dedignatus, & disponens in mente sua ipsum Balthasarem ejusque curiales, prout fecit in Rome, etiam Bononia persequi, & inde fugare, nec non bonis eorum spoliare: habuit enim ad hoc dictus Rex Ladislaus tunc temporis quosdam potentes auxiliatores, scilicet dominum Carolum de Malatestis & plerosque alios non longe a Bononia habitantes: & quia ipse Balthasar multos cives de ipsa Bononia, ne moverent seditiones in populo, sibi suspectos, & propter alias diversas causas extra Bononiam relegavit, nec non ad confinia posuit, & celsa loca, de quibus sibi videbatur; & propterea intus & extra multos sibi æmulos suscitavit, quos habebat merito formidare; & ne rumor in ipsa civitate Bononiensi contra eundem Balthasarem propterea insurgeret popularis, statumque Bononiensem etiam tunc mutaret, prout fecerunt infra unum mensem vel circiter, postquem abinde dictus Balthasar ad urbem transtulit ejus curiam, & prout superius tactum est, illuc ivit.* Recuperandæ nimirum libertatis studio Bononienses correptis armis arcem diruerant.

(c) S. Ant. 3. p. tit. 22. c. 6. §. 1.
(d) MS. diar. Ven.
(e) Act. S. Anton. sup. §. 1.
(f) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Minatur Ladislaus Joannem Bononiæ obsidere.

Cogit ingentem exercitum

Congregavit igitur dictus Ladislaus Rex circa principium mensis junii ejusdem anni valde magnum exercitum equitum & peditum, cum quo ut dicebat, vellet dictum Balthasarem in eadem Bononia obsidere: & si forsan idem Balthasar inde divertere, eum quousque esset in Italia persequi non cessaret; unde Cardinales, qui cum ipso Balthasare tunc erant, timebant, ignorantes quid facerent, ut se resque suas tute conservare possent: dubitabant enim Bononiæ & in aliis locis contiguis remanere, ne male tractarentur, si hostes illi feroces & valde multi Bononiæ appropinquarent: quamobrem multi eorumdem curialium, compositis eorum sarcinulis, pretiosiores illas versus Ferrariam & Venetias transmiserunt, & aliqui etiam recesserunt, tam curiales, quam studentes Bononiæ tunc scholares; omnes enim mutabant & timebant dicti Ladislai Regis adventum, & per plures dies fama tunc publica erat Bononiæ, quod jam aliquot cohortes hujusmodi exercitus de mandato præfati Ladislai Regis comitatum Bononiensem potenter intrassent, & ultra triginta milliaria Italiæ a Bononia non distarent. Ipse autem Balthasar interim continue conscripsit stipendiarios equites & pedites in magno numero, cum quibus credebat se & curiales secum existentes e Bononia hujusmodi posse contra eorum hostium impetus conservare.

Magna Bononiæ orta trepidatio.

Comparatæ a Joanne copiæ.

Inter medios secundos successus cum Italiæ imperium Ladislaus affectaret, morbo correptus ex illito genitalibus a scorto Perusino (g), ut ajunt, veneno, sive igne sacro divinitus immisso, ut per quæ peccarat per ea puniretur, Neapolim reversus est, octavaque augusti die interiit; de quo hæc narrat [t] Theodoricus a Niem (h): *Dum sic omnes apud nos mutarent timerentque valde multis diebus ipsi curiales, ecce gratum novum recepimus, scilicet quod ipse Rex Ladislaus existens tunc in eodem exercitu gravi & incurabili infirmitate tactus, retrocedere propterea, & ad urbem ipsam redire disposuisset, prout & fecit & prope urbem intrans navim, nec non secum ducens captivum Paulum de Ursinis, quem habebat valde exosum, & in-* *ter-*

Ladislaus morbo implicitus.

(g) Diar. ms. arch. Vat. Barthol. a Turcia Diar. Ven. Monstrel. vol. 1. c. 1.
(h) Niem. in vit. Joan. XXIII.

NOTÆ [t] LAdislaus rex hoc anno in medio secundæ fortunæ cursu inopina morte interceptus est. Genus mortis ex annalibus discas; diem vero emortualem non item. Neque enim VIII. augusti occubuit, cum potius de ejus obitu nuncius eo die VIII. Romam pervenerit, teste Antonio Petri in Diario, qui & affirmat regem illum obiisse die *III. augusti, hora tertiarum noctis in litore maris*. Eo metu liberati Romani sumpeis statim armis aliquandiu inter se digladiati sunt cum urbem velut in medio positam potens quisque ad se trahere niteretur. Vicit tamen insitus in ecclesiam amor, effecitque, ut ejectis tyrannis, die tandem XIX. octobris Jacobus de Insulanis cardinalis pro Joanne XXIII. legatus solemni pompa in urbem introduceretur, cui statim se populus submisit; quamquam S. Angeli arcem milites Joannæ Neapolis Reginæ adhuc tenebant. Hæc omnia Antonius Petri in Diario. MANSI

Igne sacro in genitalibus ardet.

torsiceve nitebatur, per mare versus Neapolim; ubi postquam cum vehementibus doloribus, quibus torquebatur in corpore, & pracipue igne sacra in membro virels justo Dei judicio, pervenerat, infeliciter obiit antequam dimidiaret dies suos: postquam autem de hoc nos curiales crebris nuntiis & literis certificati fueramus, revixit in nobis spiritus noster, & benediximus Domino uniformiter, qui nos ab hoste & viro maligno taliter liberavit. Successit Ladislao Joanna II. ejus soror in Neapolitano regno pluresque urbes ecclesiastici imperii, præfecto Braccio prorege, tenuit (a).

Liberata illius tyrannide Italia.

(a) *Lib. ult. p.* 17.

In ea rerum conversione Gregorius & Joannes, cum ditionem ecclesiasticam sibi afferere contenderent, mutuo sibi obstiterunt; & quamvis Joannes Romam provolare prætermisso Constantiensi concilio meditaretur, a Cardinalibus de ejusmodi sententia dimotus est, ut MS. acta (b) Constantiensis concilii enarrant.

(b) *Acta ms. concil. Constant. ms. arch. Vatic. ad sess.* 2.

Post decretam, inquiunt, *convocationem concilii, Papa cum sua curia in principio quadragesima rediit Bononiam, & in mense augusti sequentis mortuus est Ladislaus regnum Sicilia tenens, qui, ut prafertur, Romam cepera cum toto patrimonio, & terras Ecclesia, prafertim in Tuscia, occupabat: propter quod idem dominus noster Papa Joannes XXIII. voluit adire urbem, ad illam & terras ecclesia recipiendas; sed Cardinales sentientes quod, si illuc iront, non reverteventur ad concilium, & idem concilium non fieret, neque procuraretur unia & reformatio Ecclesia, unde pene secutura timebatur magna Ecclesia destructio, fortiter restiterunt, & concorditer institerunt verbis & scriptis, quod negotia spiritualia & ecclesiastica videlicet concilium ageret in persona: temporalia vero per vicarios, & legatos; quibus (licet non libenter) annuit, & prima die octobris de Bononia iter cepit ad Constantiam. Franciscus autem per Moenam oppidum ducis Austria Frederici, pepigit ibi cum eo fædus, & mediantibus pecuniis idem dux promisit sibi securitatem, etiam in Constantia, & illum tenere securum & liberum, & quando vellet eum extra Constantiam ponere, & tenere securum & liberum contra omnes: prout hac idem dominus noster Papa postea aperuit in Constantia, ut in sequentibus apparebit; ex quo jam perpendi poterat, quod jam dominus Papa non sincero animo procederet ad concilium.* His consentanea Leonardus Aretinus (c), & S. Antoninus (d), referunt, nimirum Joannem amicorum, contempsisse concilia, cum speraret in synodo majorem auctoritatem ad deturbandos æmulos sibi comparaturum; quod divinæ providentiæ adscriptum est.

Joannes reverti Romam meditatur.

Obstant Cardd.

Paciscitur Joannes cum duce Austriæ.

(c) *Leon. Aret. in hist. rer. Ital.*

(d) *S. Ant.* 3. *p. tit.* 22. *c.* 6. §. 1.

Discessurus vero Bononia Jacobum S. Eustachii diaconum Cardinalem in urbe & agro Romano, Campania, Maritima, Sabina, ac patrimonio B. Petri in Tuscia summa ei potestate tributa legatum creavit (e), ex cujus diplomate (f) pauca hæc delibavimus: *Almam urbem, nec non provincias, civitates, castra, & loca prædicta, & alia quacumque occupata contra nos & Romanam ecclesiam, & si qua occuparentur imposterum, & ipsorum quodlibet recuperandi, & ad jus & proprietatem dicta ecclesia reducendi; &c., infra concedimus facultatem.* Et ad augendam magis illius auctoritatem, ut ad rem gerendam aptior esset, plura alia diplomata (g) ei tradidit.

Jacobus S. Eustachii diac. Card. legatus in Tuscia.

(e) *Jo. ult. p.* 214.

(f) *Ib. p.* 216. & 221. *ad* 230.

Et quidem optabat ipse, ut Ludovicus Andegavensis Neapolitanum regnum recuperaret, detrectabat enim Joanna ditionem pariter ecclesiasticam ad ipsius imperium revocatum iri sperabat: ad quam expeditionem perficiendam, Petrum Bonum hominem appellatum cantorem Parisiensem ad Carolum Francorum & Ludovicum ipsum missum indicat Joannis syngrapha (h) data Bononiæ xv. kal. septembris anno v. Exactæ (i) etiam ab eo fuere e nonnullis Galliarum provinciis, Britannia, Aquitania, ac Delphinatu, subsidiariæ decumæ triennales: sed cum Joanna ut sceptrum firmaret, eamque averteret procellam, de vocando ad thorum soliumque Jacobo marchiæ comite Regis Francorum nepote ageret (quem proximo anno paulo ante Gallicam ad Azincurcum cladem, in Italiam venisse narrat Monstreletus, (k) Ludovicus expeditionem, quam parabat (l), conficere non potuit. Inter hæc recruduit inter Michaelem Rucheumeister Cruciferorum equitum magistrum, qui Henrico e Plauven a sels capto successerat, & Wladislaum Regem Poloniæ ac Witoldum Lituanum fœderatum vetus dissensio; quare Joannes (m) episcopum Lausanensem in Prussiam legavit (n), ut illos in pristinam concordiam reduceret, amplissimaque authoritate instruxit ad pacem redintegrandam, comprimendos censuris discordiarum satores, dissolvendas coitiones, cæteraque contraria removenda, adjecta literis hæc temporis nota. *Dat. Bononia id. julii pontificatus nostri anno* v.

De Andegavensi in regnum Neap. inducendo actum. Francorum Rex ad arma corripienda solicitatus. Joanna Jacobo Marchiæ comite sibi desponso regnum firmat.

(g) *Jo. l. ult. p.* 16.

(h) *Ib. p.* 217. & 246.

(i) *Diar. Ven. ms.*

(k) *Monstr. vol.* 1. *c.* 147.

(l) *Ib. c.* 129.

(m) *Michov. l.* 4. *c.* 31. & *Crom. l.* 18.

(n) *Jo. l. ult. p.* 140.

(o) *Michov. l.* 4. *c.* 46. & *Crom. l.* 18.

Irruperant (o) jam in Prussiam maximo & fortissimo succincti exercitu Wladislaus ac Witoldus, ac Brodnicensem arcem magnis molitionibus oppugnabant, cum Joannis legatus illuc accessit, diremitque prælia: *Venit*, inquit Michovias, *nuncius apostolicus Joannis XXIII. Joannes episcopus Lausanensis, & obtinuit quod Rex, bello per inducias ad biennium suspenso, decisionem sua causa per concilium generale Constantiense, jam tunc indictum exspectaret.* Confirmat hæc Theodoricus e Niem (p) additque Sigismundum Romanorum & Hun-

Impetratur ab eo induciæ.

(p) *Theod. e Niem. in vit. Jo. XXIII.*

& Hungeriæ Regem controversiæ totius arbitrum a dissentiente parte utreque decretum fuisse, deque Prutheuorum eledibus hæc scripsit tradidit: *Merito communi judicio referentium prædicti fratres adversitates & damna hujusmodi sustinuerunt, quia confidentes in multitudine divitiarum suarum, & fortitudine terrarum & plebis sibi subjectarum Regem ipsum Poloniæ quem rebus ordinate procedentibus tamquam bonum vicinum eorum & devotam Christicolam honore omnique favore prosequi debuerant, e contra ipsum suosque fideles subditos in personis, & bonis eorum destruere inconsultis motibus, ita male ducti consilio attentarunt.* Confecte re feliciter Lausanensis episcopus Constantiam abiit, ubi ipsum in Joannem Hus hæresiarcham jussum inquirere visuri sumus.

Cruciferi ob injustitiam confusi.

VII. Joannes præsules Constantiam evocat. Ilius in eam urbem ingressus. (a) Ja. l. ult. p. 181.

Egregiam porro Joannes navavit operam celeberrimis episcuporum cœtibus Constantiæ congregandis, & antequam Bononia in Germaniam iter intenderet, legatis, quos in varia regna misisse vidimus, præcepit, ut præsules ad illud proficiscendum impellerent: quo argumento ad Alamannum tit. S. Eusebii presbyterum Cardinalem (a), de monendis Galliarum præsulibus ac principibus; ad Joannem episcopum Lausanensem (b), de Polonis ad id urgendis; ad Andream episcopum Colocensem Sigismundi Regis oratorem (c), de Italis aliisque quibuscumque excitandis extant literæ. Appetente vero autumno, maximo Cardinalium suorum aliorumque antistitum comitatu ornatus viam ingressus XXVIII. octobris die Constantiam venit (d), ingentique pompa exceptus, de quo hæc refert Theodericus Niemius (e); *Intravit Constantiam anno Domini MCCCCXIV. credidit tamen Constantiæ per aliquot menses remanere, & ibidem rebus pro velle suo dispositis, subito ad Bononiam redire, & illic more solito dominari. In quo tamen eum fefellit opinio: sed sperabat permaxime in pecuniis & thesauris, quibus dicebatur abundare, credensque per illos & alios modos suos subtiles satis mundo cognitos, quos vellet in Germania corrumpere, seu ad consentiendum sibi in omnibus & per omnia inducere posset. Sed Domino disponente, dum firmius stare absque impedimento crederet, cecidit in ærumnam, & inextricabilem laborem* [1]. Quinta novembris die habita solemni supplicatione quæ

(b) Id. ib. p. 142. (c) Ib. p. 142. (d) Act. conc. Constant. in princ. & in sess. 1. Gobel. in Cosm. æt. 6. c. 49. Leonard. Aret. in me. rer. Ital. S. Anton. 3. p. tit. 23. c. 6. §. 2. MS. Diar. Ven. & alii.

Joannes dum putat firmare res suas, eas evertit. Preces solemniter conceptæ.

(e) Niem in vit. Jo. XXIII.

NOTÆ [1] AGitur hic de celebri illo Constantiensi concilio, quod luctuosissimo schismati finem imposuit. Indixit illud Joannes, authoritate precibusque Sigismundi Romanorum regis vel inductus vel coactus; qua tamen in re aliud fuit pontificis, aliud Sigismundi regis consilium. Nam pontifex nihil aliud cogitabat, nisi ut concilii authoritate, utroque æmulo dejecto, ipse unicus pontifex assereretur. Hinc concilio vix cœpto nihil habuit antiquius, quam ut porrecta schedula patres induceret, ut Pisano concilio approbato, depositio utriusque pontificis in eodem facta confirmaretur, cujus utriusque exclusione ipse solus superesset. Hæc summa erat capitum expressorum in schedula exhibita anno 1414. novembri mense circa festum S. Martini *in congregatione doctorum in theologia*, quam ex MS. codice Vindobonensi legas in collectione Veneto-Labbeana to. XVI. col. 15. Sigismundus vero rex omnem authoritatem suam conferebat, ut quacumque tandem ratione schisma tolleretur. Joannis consilia a patribus reprobata fuisse, atque aliis rejectis rationibus pacem conciliandi, viam cessionis elegisse, satis constat. In priori sessione legati Gregorii & Benedicti nec interfuerunt, nec in urbem admissi sunt, ut discimus ex epistola oratorum universitatis Coloniensis ad eamdem universitatem, vulgata a Martene Anecdot. to. 2. col. 1610. Interim Legati illi Gregorii non procul a Constantia agentes de admissione sua tractabant, rogabantque, ut certum hospitium in urbe pontifici suo assignaretur. Quo a patribus constituto, legati stemma gentilitium pro foribus ædium illarum suspendi curarunt; quo noctu furtim amoto, ac re ad cœtum cardinalium per eosdem legatos delata, plurium sententia fuit, ne stemmata alterius pontificis in loco Joannis ditioni subjecto palam exponerentur. Verum ea de re maturius se deliberaturos Patres condixerunt; visum est tamen ut Gregorius si per se venisset ad concilium, tunc stemma gentilitium palam exhibere permitteretur. Decretum hoc tangit annalista, sed non ita plane explicat ac nos ex testimonio duplicis MS. codicis actorum concilii apud D. Schelestratem, quorum lectiones habes in collectione Veneto-Labbeana to. XVI. col. 22.

Antequam prima concilii sessio celebraretur Joannes Hus Constantiam pervenerat, doctrinam suam patribus adprobaturus. Adventus ejus in urbem diei III. novembris a scriptoribus coævis assignatur. Mox vero in cœtum coeuntes Patres monendum illum censuerunt ne Wicleffi dogmata in hospitio spargeret; sed cum ille monitus non desisteret, teste Jacobo Cerretano authore oculato apud Bzovium, visum est pervicacem in custodia detineri captivum. Captionis hujus dies in obscuro manet; sed cum ipse de se Joannes Hus scribat in epistola ad Bohemos, legenda Oper. ejus to. I. fol. 22. & 23. jam inde a tribus hebdomadibus carcerem se tulisse eo tempore quo Sigismundus venit Constantiam; hinc tertia decembris die detentum fuisse Pagius in Breviar. Pontif. Rom. inferendum censet; cum tamen alii apud eumdem die XXVIII. novembris captum affirment. Sed hæc forte postrema sententia retinenda est, cum Joannes tres hebdomadas assignare potuerit pro tribus cum dimidio, paucis illis diebus, qui supererant in gratiam numeri rotundi neglectis. Cætera hujus concilii gesta per suos annos distributa dabuntur.

Dum hæc Constantiæ agebantur Galliæ præsules in Concilium provinciale Parisiis coeuntes die X. novembris, de iis qui mittendi essent ad concilium ex provincia Rothomagensi deliberarunt. Publicæ ea de re tabulæ conscriptæ sunt, quas exhibet Martene inter acta varia de schismate Avenionensi Anecdot. II. col. 1538. MANSI

quæ synodis celebrandis præmitti consuevit, primam sessionem indixit ad avt. excurrentis mensis diem; quæ ubi affuit sacra Spiritui Sancto solemni ritu peracta divina res est a Jordano Ursino episcopo Albanensi, imploratisque ex litaniarum formula sanctorum suffragiis, Joannes pro concione sacræ præsules ad intendenda studia pro instauranda dignitate & concordia Ecclesiæ est cohortatus, theologos errores qui tum pullulabant patefacere jussit, aliaque pro libertate & quiete concilii sanxit hoc diplomate.

Joannes, &c. ad futuram rei memoriam.

Joannis diploma lectum in Concilio.

Intendentes ad executionem eorum, quæ per felicis recordationis Alexandrum Papam V. prædecessorem nostrum in Pisano concilio decreta fuerunt circa convocationem concilii generalis iterum faciendam, dum alias præsens concilium convocavimus per literas nostras, quarum tenorem hic duximus inserendum, Insertæ sunt ex literæ Laudæ v. idus decembris superioris anni exaratæ, quæ a nobis suo loco indicatæ fuerunt: tum addidit de suo ad Constantiensem synodum adventu, *& subinde cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus & nostra curia ad hanc civitatem Constantiensem venimus tempore constituta, & nunc per Dei gratiam hic existentes cum hujus sacræ synodi consilio intendimus insistere ad pacem, & exaltationem, & reformationem Ecclesiæ & & tranquillitatem populi Christiani. Et quia in hac re tam ardua non est propriis viribus aliquid præsumendum, sed Dei adjutorio confidendum, ideo a cultu divino inchoantes, hoc sacro approbante concilio ordinavimus, quod hac ipsa die specialis missa ad hoc constituta decantetur, sicut per Dei gratiam nunc celebrata est: quam missam etiam statuimus & in hac & singulis aliis ecclesiis collegiatis sæcularibus & regularibus hujus civitatis semel in hebdomada, videlicet feria quinta hoc sacro concilio durante collegialiter celebrari. Et ut eo ferventius huic sacræ celebrationi fideles insistant, quo ampliori munere senserint se refectos, omnibus & singulis vere pœnitentibus & confessis, videlicet sacerdotibus dictas missas celebrantibus pro singulis missis unum annum, interessentibus vero quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis in Domino relaxamus. Ad cujus etiam missæ celebrationem exhortamur venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, nec non patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & dilectos filios electos, abbates, cæterosque in sacerdotio constitutos, ut & ipsi ad impetrandum prædictum divinum auxilium cum devotione singulis septimanis prædictam missam celebrent semel, quibus celebrantibus & celebrationi interessentibus similes indulgentias elargimur. Exhortamur etiam in Domino omnes & singulos, qui Christi nomine gloriantur, ut ad obtinendam optatam consummationem tantæ rei diligenter insistant orationibus, jejuniis, eleemosynis, & aliis piis operibus ut Deus ex nostra & ipsorum humiliatione placatus dignetur felicem exitum sacræ congregationi concedere.*

Indicta solemnis sacra.

Præterea considerantes, quod præcipuum agendum in concilio generali secundum laudabiles consuetudines antiquorum conciliorum esse debet de his, quæ concernunt catholicam fidem, & attendentes, quod talia propter summam arduitatem exigant diligentiam, tempus sufficiens, & studium, exhortamur omnes habentes peritiam sacrarum literarum, ut diligenter secum & cum aliis illa cogitent atque tractent, quæ eis videbuntur ad hanc rem utilia & opportuna, & quam primum commode poterunt illa ad nostram & hujus sacræ Synodi notitiam perducant, ut tempore opportuno possint ea determinari, quæ videbuntur tenenda vel repudianda pro utilitate & incremento ipsius catholicæ fidei: & specialiter cogitent circa nonnullos errores, qui a certis temporibus dicuntur in nonnullis partibus pullulasse, & maxime circa illos, qui ortum dicuntur habuisse a quondam Joanne dicto Wicleff. Insuper etiam exhortamur omnes catholicos hic congregatos & alios, ad hanc sacram synodum venturos, ut velint cogitare diligenter & prosequi, & ad nos & ad eamdem sacram synodum perducere ea, per quæ possit Ecclesia & congregatio catholicorum ad debitam reformationem & optatam tranquillitatem Deo juvante perduci: nostræ namque intentionis ac voluntatis est, ut omnes hac de causa hic congregati cum omnimoda libertate possint dicere, consulere, & facere omnia & singula, quæ ad præmissa putaverint pertinere.

Jussi theologi pullulantes errores patefacere.

Hæreses Wicleffi jussæ discuti.

VIII.

Ut autem notus sit modus, qui in hujus sacræ synodi processu servandus est, tam quo ad ea, quæ dicenda & determinanda erunt, quam etiam quo ad consensum & gestum & morem & compositionem, putamus in hoc recurrendum esse ad observantias antiquorum patrum, quæ maxime colliguntur ex canone Toletani concilii, cujus tenorem duximus hic inferendum: In loco benedictionis considentes domini sacerdotes nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari; nullis etiam fabulis vanis aut risibus agi, & (quod est deterius) obstinatis disceptationibus, tumultuosas voces effundere. Si quis enim, ut Apostolus ait (a), putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio; cultum enim suum justitia perdit, quando silentium judicii obstrepentium turba confundit, dicente

Toletani concilii canon instauratur.

(a) Jacob. 1.

(a) Isa. 31. cente proheta (a) : Erit cultus justitiæ silentium. Debet ergo quidquid aut consultationibus considentium agitur, aut a causantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, ut nec contentiosis vocibus audientiam turbent, nec judicum vigorem de tumultu enervent. *Quicumque ergo in conventu concilii hæc, quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta aut tumultu, aut contumeliis, vel risibus concilium conturbaverit, juxta divinæ legis edictum, quo præcipitur :* Ecce derisorem, & exibit cum eo jurgium ; *cum omni dedecore de consessione abstractus, a communi cœtu secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat. Et quoniam communiter contingere potest, quod aliqui ex considentibus non erunt in sedilibus debitis collocati, eodem sacro approbante concilio decrevimus, quod ex sessione hujusmodi nulli ecclesiæ, vel personæ præjudicium generetur.*

Intentatæ tumultum excitantibus censuræ.

Nullum sedium habendum discrimen decernit.

IX. Indicta dein secunda sessio ad decimam septimam decembris diem : quæ sessio bonis occurrentibus impedimentis ad martium proximi anni extracta est (b), ut majori patrum concursu celebraretur ; nondum enim plures, qui erant accessuri ad synodum, convenerant ; inter quos Galliarum præsules ad maturandum iter hisce sollicitavit Joannes (c).

Secunda sessio indicta.
(b) Sess. 7.

(c) Ja. l. ult. p. 269.

Joannes, &c. venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, aliarumque ecclesiarum & monasteriorum prælatis intra regnum Franciæ constitutis salutem, &c.

Joannis ad Gallos præsulum literæ.

Summo mentis desiderio pro exaltatione Romanæ ecclesiæ, paceque & quiete Christifidelium continuantes sacrum generale Pisanum concilium dudum ad hanc civitatem Constantiensem in kal. novembris tunc futuri, nunc vero elapsi inchoandum, ipsum generale concilium matura deliberatione decrevimus convocandum, & solemniter per nostras literas convocavimus, vos & omnes & singulos alios ecclesiarum & monasteriorum prælatos in virtute præstiti juramenti & sanctæ obedientiæ hortantes, requirentes, monentes, ac vobis & eisdem mandantes, quatenus præfato concilio dictis loco & tempore deberetis & deberent personaliter interesse, ut in præfatis nostris literis plenius continetur. Et ut, favente Altissimo, quod menti gerebamus affixum, opere efficeremus, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus & nostra Romana curia, postergatis quibuscumque aliis ecclesiæ prædictæ arduis negotiis, quibus non immerito urgebamur, huc ante prædictas kal. venimus : ubi prælatis ac nobilibus in non parvo numero congregatis, & continuo venientibus in Dei nomine jam concilium ipsum tenere & celebrare incœpimus. Vos vero, qui requisiti & moniti per nostras literas in tempore extitistis huc usque non venistis, & in longius videmini vestrum adventum protrahere ; de quo, cum a diu de tempore & loco præfatis certitudinem habueritis, jure mirari compellimur ; quamobrem cum mora vestra hujusmodi rebus nunc in ipso concilio, Domino dirigente, agendis magnum impedimentum afferat, vos & vestrum quemlibet denuo tenore præsentium hortamur, requirimus, & monemus, ac vobis & vestrum cuilibet in virtute prædicti juramenti & sanctæ obedientiæ apostolica auctoritate mandamus, quatenus cum mora & occasione seposita huc ad præfatum concilium celeriter veniatis, ut inchoatum hoc Dei opus ad ipsius laudem & gloriam ac prædictæ ecclesiæ decus, pacemque & tranquillitatem fidelium, quas immensa charitate optavimus, & indefessa solicitudine procuravimus, & quod vos eadem caritate cupere debetis, divina cooperante gratia terminetur. Dat. Constantiæ VIII. id. decembris anno V.

Coeptum concilium significat.

Jubentur ad illud provolare.

Converterant jam ante Joannes ac præsules qui Constantiam confluxerant, potiores curas ad tuendam fidem orthodoxam contra invalescentem Wicleffi hæresim ; disseminarat enim plures illius errores in Bohemia Joannes Hus perniciosis concionibus, scriptisque etiam commentariis, ut legentium oculos ac mentes inficeret ; quo circa Joannes Wenceslaum Regem Bohemiæ hortatus est (d), ne Bohemiam hac nova peste contaminari pateretur.

Causa Joannis Hus hæresiarchæ cœpta excuti.
Wenceslaus admonitus ut hæresiarcham compescat.
(d) Ext. ejus lit. apud Ja. Coel. hist. Hus. l. 1.

Joannes, &c. charissimo in Christo filio Voladislao Regi Romanorum & Bohemiæ illustri.

Inter desiderabilia cætera cordis nostri, cum Regis pacifici, qui regnat in cælis, vices quamquam immeriti, gerimus in terris illud potissimum accedit ad summam lætitiam & solamen, quoties inter serenitatem tuam & charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum in Regem Romanorum electum & Hungariæ illustrem germanumque tuum ad tractatum fraternalis concordiæ [per quam regna crescunt, sed discordia maxime dilabuntur] perventum esse percipimus ; Et infra. *Et sicut præmissa lætificant supremis gaudiis mentem nostram, sic sinistris rumoribus aures nostras crebro infestantibus & ab imis præcordiis cor nostrum conturbantibus anxiamur, quod in partibus tuæ regiæ ditioni suppositis existant nonnulli inhærentes, & dogmatizantes errores illius quondam hæresiarchæ Wicleff, cujus libri a catholica fide aliena erronea & hæretica continentes in generali Romano concilio justo fuerunt jam pridem damnati judicio, & quod deterius est efficiunt ut propter hujusmodi excessus hæreticorum versutiis inhærentes, a suis su-*

Gratulatur ipsi Joannes de concordia cum Sigismundo redintegrata.
Significat Wicleffistarum scelere in Bohemia.

perioribus corrigentur, ad tegendam & celandam suam nequitiam & pertinaciam, detestando mandata sedis Apostolicæ, & superiorum suorum, manifestè docent inobedientiam claviumque contemptum, & censurarum ecclesiasticarum quarumlibet, in eversionem apostolicæ dignitatis, vilipendentes notoriè sanctorum patrum & sacrorum canonum instituta, serenitatem tuam per viscera misericordiæ Dei nostri quantum cordialius valemus & possumus exhortamur, quatenus ob divini nominis gloriam cultumque & tutelam hujusmodi fidei (cujus defensionem conaris assumere & exponere tuas substantias atque vires) & pro conservatione tui regii nominis status pariter & honoris, regnorumque & partium tuæ celsitudini subjectarum felici salutarique regimine placeat prout in desideriis cordis nostri gerimus, & spe simul, curas taliter & tam efficaciter interponere & excitare totius regalis potentiæ tuæ vires, prout catholicum decet principem, ut labes hæc erronea quæ sic lamentabiliter & miserabiliter serpit & pullulat in istis partibus, & mentes mortalium inficit in animarum interitum & sequestrat a congregatione purissima & catholica unitatis & fidei exterpetur, &c. Dat. Bononiæ III. id. junii pontificatus nostri anno v.

Ipsum urget ut tanto malo occurrat.

X. Data est a Joanne XXIII. (a) concilii præside provincia Joanni patriarchæ Constantinopolitano, & Joanni Lubecensi, ac Bernardo Tiferni episcopis, qui synodo intererant, ut de Joannis Hus hæresiarchæ actis synodali auctoritate cognoscerent, universa de re ad concilium relaturi, a quo decretoria sententia ferenda esset. Ex quibus perspicuum fit, non perturbate vel tumultuose Joannem Hus affectum supplicio, sed legum ac judiciorum servato ordine justam in eum adhibitam severitatem; cujus rei testes sunt subjectæ literæ (b).

(a) *Jo. l. ult. p. 179.*

Judiciarius ordo constitutus in Joannem Hus.

Judices in eam rem constituti.

(b) *Jo. l. ult. p. 179.*

Joannes, &c. venerabilibus fratribus Joanni patriarchæ Constantinopolitano, & Joanni Lubecensi ac Bernardo civitatis Castelli episcopis in civitate Constantiensi in celebratione generalis concilii constitutis salutem, &c.

Ad cuncta, quæ quietem & salutem Christifidelium respiciunt, ut tenemur ex debito pastoralis officii paterna & vigilanti solicitudine libenter intendimus, verum ad illa quæ orthodoxam fidem matrem & cunctorum bonorum altricem concernunt, ut in ea, quam solidam & nitidam stabilivit Omnipotens, macula, errores, & perversa dogmata pullulent, eo vigilantius tota mente vacantes, quo ex ipsis majus scandalum & animarum periculum vertitur, & si, quod absit, quodammodo radices firmaverunt non sine magnis angustiis & difficultatibus evelluntur. Dudum clamosa, & nonnullorum fide dignorum querulosa, & fere continua insinuatione percepimus, & in præsentiarum percipimus Joannem Hus, qui se gerit pro presbytero Pragensis diœcesis, cum aliquibus suis in hac parte complicibus plures errores, falsaque & hæretica dogmata contra catholicam fidem & sanam doctrinam asseruisse, & ausu temerario in diversis locis, & potissime in civitate Pragensi, & nonnullis aliis locis sitis in Bohemiæ partibus prædicasse ac dogmatizasse, & in quibusdam libellis ac tractatibus, quos publice legendos exposuit, asseruisse, & per hoc ipsarum partium quamplurimos catholicos simplices a vera fidei præfatæ semita damnabiliter suis virulentis suggestionibus seduxisse, & multorum scandalorum & seditionum auctorem fuisse. Nos igitur hujusmodi erroribus, ut pungentibus & perniciosis eradicatis vepribus, læta & grata Deo semina germinent, & in salutis fructum proveniant, obviare summopere cupientes, & ut super prædictis debito servato ordine procedatur, de vestris probitate literarum & sacrorum canonum peritia & integritate ac industria, quibus vos Altissimi munere, qui in domo sua utilia esse voluit, experientia magistra cognoscimus abundare, plene confisi tenore præsentium apostolica auctoritate vobis committimus & mandamus, quatenus super prædictis inquiratis auctoritate nostra & dicti concilii diligentius veritatem, & super ipsis, ac contra præfatum Joannem, citra tamen diffinitivam sententiam, prout mediante justitia & secundum Deum expedire videritis diligenti indagine & solicitudine procedatis, omnia & singula peragentes, quæ in talis fidei causa forte conspexeritis opportuna, ut per hæc nos & dictum concilium plenius informati in præmissis procedere consultius valeamus. Datum Constantiæ II. non. decembris pontificatus nostri anno v.

Joannis ea de re lit.

Capita accusationum.

Inquirere jussi delegati judices non tamen decretoriam ferre sententiam.

XI. Accesserat jam Constantiam Joannes Hus antequam in jus vocaretur, ut constat ex Cochlæo (c) referente veterem historiam scriptam a quodam Hussi sectatore, qui sabbato proximo ab elapso omnium sanctorum die ad eam urbem pervenisse ait, accepta a Sigismundo Romanorum Rege publica fide, ut nimirum suos accusatores in concilio refelleret. Ex his gravissimum ducitur argumentum ad confutandas hæreticorum calumnias, qui vulgo in crimen vocant Constantiensis concilii patres (quos æquitatis vindices fuisse constat) datam Joanni Hus fidem publicam violasse; qui enim in ipso concilii exordio quæsitores in impium hæresiarcham instituere, ut justa illum sententia percellerent, perspicue constat, constituto eo judiciario ordine non aliter sponsionem salutis præstare debuisse reo in jus vocato, quam si ab iis criminibus, quorum laborabat infamia, purum se monstraret. Is ergo cum celeberrimi concilii ju-

Hussi ad concilium adventus.

(c) *MS. vetus & ex eo Cocl. hist. Huss. l. 2. & Naucler. gen. 48.*

Qualis sponsio salutis illi præstita.

judicium effugere non auderet, vel non posset, præsideretque suis artibus, etiam ultro ad consectandam inanis gloriæ umbram, ad illud accessit; & antequam celebrari cœpisset, hoc anno proxima a sacro S. Bartholomæo die recurrente dominica, publica scripta Pragæ in ecclesiarum & monasteriorum valvis Latina, Bohemica, & Germanica lingua affixit (a), in quibus suos accusatores nimirum doctores catholicos ad prælatorum coetus in Bohemia cogendos, & ad œcumenicum concilium Constantiæ celebrandum provocabat, ut aspersa illi hæreseon crimina probarent. In aliis pariter Germaniæ urbibus scripta hujusmodi evulgavit, quibus non aliud consectari visus est, quam doctrinæ suæ inanem ostentationem, sectatores in errore confirmare, adducere clerum in invidiam, excitare turbas, famamque augere: ut vero justo affectus supplicio fuerit, cum impietatis virus evomere, & quos in errorem traxerat, ab eo revocare detrectaret, dicetur inferius. Nunc ad Sigismundum Regem narratio traducenda est.

(a) Cocl. hist. Huss. l.2.

Accusatoribus intendit judicium apud concilium.

Redimiri ille hoc anno Aquisgrani argentea corona a Thiderico archiepiscopo Coloniensi voluit, ut eo honoris ornatu augustior solemnibus episcoporum cœtibus interesset, cum jam quintus a collatis in eum principum electorum suffragiis annus laberetur: Wenceslaus enim frater Rex Bohemiæ, qui dum superstes fuit, acceptos Regis Romanorum titulos sibi ascivit, etiam tum obstitetat, ne insignia Romani imperii Aquisgrani consequeretur, quæ octava novembris die solemni ritu accepisse, ipsemet Joanni agenti Constantiæ hisce literis significavit (b).

Sigismundus Aquisgrani Germanica corona redimitus.

(b) Gobel. in Cosm. at.6.c.94.

Sanctissimo in Christo patri & domino domino Joanni sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici domino nostro reverendissimo, &c.

XII. *Cum reverentia & filiali devotione sanctitati eidem annuntiamus ut, quemadmodum veneranda sanxivit antiquitas, progenitorum nostrorum laudabilibus vestigiis inhærentes, die VIII. mensis instantis, in festo videlicet Quatuor coronatorum per prius missarum officiis cum invocatione Spiritus Sancti paracleti celebratis, & aliis ceremoniis legitime peractis in copiosa multitudine principum ecclesiasticorum & sæcularium, prælatorum, comitum, baronum, & aliorum plurimorum magnatum, procerum, nobilium, militum, cleri & populi in ecclesia collegiata beatissimæ & intemeratæ Virginis Dei & Domini nostri Jesu Christi genitricis dulcissimæ, Aquisgrani Leodiensis diœcesis, loco videlicet longævæ observationis exempla coronati ipsius regiæ dignitatis speculam conscendimus, primum diadema imperialis fastigii & coronam Romanorum regiæ dignitatis, ut moris est, servatis servandis, in nomine Conditoris universæ creaturæ & principis regum terræ, qui sapientia fundavit terram, & firmavit cœlos prudentia, omniaque solus ordinans cœlestia & terrestria ineffabili providentia moderatur, quique omnis regiminis & gubernationis est alpha & omega, qui & creationis est solus author, suscepimus, & etiam caput amantissimæ consortis nostræ dominæ Barbaræ Reginæ eodem instanti successive fuit ibidem coronatum, ut ex hoc Romanorum regiæ dignitatis titulus in nobis signa majoris authoritatis indueret, & originalis electionis initium & omne reservaret nova coronationis claritudo, & felicitatis antiquæ domus nostræ jucunditate florida jubilaret.*

Ejus literæ ad Pontificem.

Cum Regina Barbara se sumpsisse diadema significat.

Quibus solemniter peractis eodem etiam die principes electores, & cæteri principes ecclesiastici & sæculares, prælati & abbates, magnates, comites, barones, & proceres homagia præstantes nobis vexilla sua in signum obedientiæ & subjectionis debitæ cum omni reverentia præsentarunt; & insuper, honoris nostri solemnia digne militantium, præter celebrata magnifice tantæ festivitatis insignia, quæ tanti boni jucunditas requirebat, plurimos cingulo militiæ, tyrocinii quoque titulis & insigniis ornavimus: & jam ab inde sub felicitatis futuræ præsagio ad locum concilii generalis versus Constantiam continuatis gressibus procedemus, filiali nempe devotione nos & regna nostra fortesque nostræ processus sanctitati eidem committimus, supplicantes obnixe, quatenus humeros nostros ad tanti fastigii onera supportanda de solita benignitate dignemini auctoritate apostolica & paterna gratuita benevolentia sustentare, & omnes defectus & insufficientiam nostram corroborando relevare, & relevando corroborare, ac robur & auxilium ad divini nominis laudem & gloriam administrare, ut orbis universitas agnoscat, quod pater diligit filium, & debita relatione pertractat, & sicut mandatum dederit sibi pater, sic filius faciat; parati cum omni promptitudine cordis & operis beneplacitis mandata sanctitatis vestræ observare. Et si in loco concilii aliqua fuerit apud cives & incolas corrigenda, postquam (Deo auspice) illuc celeriter veniemus, ad mandata sanctitatis vestræ emendabimus & ad directionem, cuncta suaviter disponendo, faciemus. Personam sanctitatis vestræ sanam & incolumem conservet & maniat Altissimus cum diuturna felicitate longæva regimini Ecclesiæ suæ sanctæ. Dat. Aquisgrani nono die novembris, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. XXVIII. Romanorum electionis V. coronationis vero I. enumerat scilicet annos a prima electione controversa, cum ipsi Jodocum antelatum vidimus, non a secunda, qua consentientibus

Sacramenta principum admisisse.

Venturum se ad concilium significat.

tibus omnium suffragiis Cæsar salutatus est post Jodoci Regis mortem. *Sanctitatis vestræ devotus filius Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Hungariæ, &c. Rex cum humillima recommendatione ad pedum oscula beatorum.*

XIII.

(a) *Extant ejus lit. in act. concil.*

Solicitatus a Joanne ut adventum acceleret.

Gratulatus est Joannes (a) Sigismundo Regi de accepta Aquisgrani Germanica corona, pluribusque verborum officiis se augendæ illius dignitati non defuturum est pollicitus, precesque addidit ut cum nil gravioris momenti sine illius ope decernendum in Constantiensi concilio putaret, iter ad illud accelerare satageret.

Joannes, &c. Quia nos, & venerabiles fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales multis & magnis rebus & opportunitatibus ipsius ecclesiæ, quæ in manibus tenebantur prætermissis, cupiditate proficiscendi ad hoc sacrum generale concilium ad civitatem Constantiæ juxta tui desiderium convocatum hic sumus cum copioso numero prælatorum tuam celsitudinem expectantes, sine qua nil ponderosum cupimus ordinare; serenitatem tuam rogamus, & quanta possumus charitate requirimus, ut quantum celeriter fieri potest huc velis accedere, ut ea quæ pro pace & reformatione præfatæ ecclesiæ & tranquillitate Christianæ reipublicæ necessaria videbuntur, tuis consiliis & auxiliis tractari possint, & ad optatum finem, Deo adjuvante, perduci. Dat. Constantiæ kal. decembris pontificatus nostri anno v.

Nil gravioris momenti sine ipso gerendum.

Contulisse se extremo anno contento itinere Constantiam Sigismundum Regem, cum a præsulibus ac principibus anxie expectaretur, divinæque rei solemni ritu a Joanne sacro Domini natalitio die peragendæ interesse cuperet, refert MS. diarii Veneti author (b), cui etiam Cochlæus (c) consentanea scribit: *Sigismundus*, inquit, *Rex in vigilia nativitatis Christi Uberlingam veniens cum conjuge sua per lacum Constantiensem navigio properavit; inde ad civitatem, ut interesset missarum solemniis. Sub mediam igitur noctem, Constantiam ingressus, primam missam celebrante Papa, ipse diaconi habitum indutus legit evangelium alta voce; Exiit edictum a Cæsare Augusto.* Tum de præclara Constantiensis concilii celebritate hæc prodit.

(b) *Diar. Venet. ms. hoc anno.*

(c) *Cocl. hist. Hus. l.2. ep. vetust. hist. Cavitel. in annal. Cremonen. & alii.*

Sigismundi ad Constantiensem urbem adventus. Diaconi cultu legit evangelium. Celeberrimi ad Constantiensem urbem conventus.

Nec multo post advenerant alii quoque principes & prælati in tanta sane frequentia, ut aliquando triginta millia equorum uno eodemque tempore Constantiæ fuisse traduntur. Affuerunt namque patriarchæ quatuor, Cardinales XXIX. archiepiscopi XLVII. episcopi CLX. & cum his abbatum, præpositorum, priorum, & omnis generis clericorum ingens numerus: sæcularium præterea principum, comitum, baronum, nobilium, & oratorum maxima multitudo: unus enim Ludovicus comes Palatinus Rheni & dux Bavariæ cum quadringentis, archiepiscopus vero Moguntinus cum sexcentis equis advenisse legitur. Ob tantam hominum multitudinem, summam straminis fuisse penuriam refert diarium Venetum, decretumque fuisse, ut Joannes tantummodo viginti, Cardinales decem, episcopi quinque, abbates quatuor, principes decem equos alerent. Confirmat ea, quæ dicta sunt, de concilii frequentia S. Antoninus (d): *Incredibili*, inquit, *principum prælatorumque frequentia cœpit concilium celebrari, ita ut essent in eo loco equorum supra triginta millia (e), ex quo multitudinem hominum licet conjectari.* Et infra: *Prælati (f) autem in concilio innumerabiles congregati, ex omni natione quæ sub cælo est Christicolarum, distincti sunt in quinque nationes, videlicet, Italicam, Gallicam, Anglicam, Hispanicam, & Germanicam: & sub his comprehensa sunt omnia regna, & principatus fidelium.* De aliis concilii gestis, proximis annis agetur.

(d) *S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 6. §. 2.*

(e) *Leon. Aret. in hist. rer. Ital.*

(f) *S. Anton. sup. c. 53.*

Concilium in quinque nationes distinctum.

XIV.

Detectam hoc anno in Misnia fœdissimam hæresim, quæ plura Wicleffi perniciosa dogmata sequebatur, & alia nonnulla æque insana addiderat, refert Gobelinus (g), ex quo eorum hæreticorum deliria affero: *Isto*, inquit, *anno in marchionatu Misnensi in oppido Sangerhusen multi hæretici deprehensi sunt, qui articulos infrascriptos contra fidem catholicam tenuerunt, & occulte docuerunt. Primus erat articulus quod secta eorum fratres flagellatores seu crucifratres diceretur, & originem haberet ex quibusdam scripturis per angelos sanctos super altare S. Petri Romæ delatis circa annum nativitatis Christi MCCCXLIII. unde ipsi primo illo tempore per mundum discurrentes se flagellis ceciderunt, unde & dixerunt quod illo tempore Deus Romanum Pontificem cæterosque prælatos licentiavit, ne deinceps populo Christiano præessent, eosque omni authoritate ligandi atque solvendi, aut quæscumque res consecrandi privavit; nam ut in expulsione negotiatorum de templo Christus propter malitiam sacerdotum abjecit, & repudiavit sacerdotium Judaicum ita in transitu fratrum crucifratrum propter sacerdotum nequitiam licentiavit Deus, & abjecit sacerdotium evangelicum & sic sex sacramenta Ecclesiæ cessaverunt. Item dicunt quod in transitu crucifratrum, videlicet quando transiverunt prima per mundum, cruce præcedente eos, flagellis publice se flagellando, lex baptismi in aqua deponebatur a Deo, & lex baptismi in proprio sanguine instituebatur; unde dicunt, cum Christus in Cana Galilææ circa finem convivii nuptialis aquam mutavit in vinum rubeum, designavit quod circa finem mundi baptismus aquæ in baptismum sanguinis mutari deberet; & sicut vi-*

(g) *Gobel. in Cosm. æt. 6. c. 53. & Chron. mag. Belg. ex eod.*

Flagellatores hæretici in Misnia.

Eorum figmenta contra ecclesiam.

Spreta ab iis sacramenta.

Baptismus sanguinis flagellorum vi eliciti impie commendatus.

vinum rubeum præ omni vino prius posito convivantibus magis placeat, ita nova lex baptismi sanguinis Deo præ cunctis legibus grata exstitit: & sic post prædictum transitum nemo verus Christianus fuit, nec intrare potuit regnum cœlorum, nisi qui proprio sanguine de corpore per flagellum in memoriam passionis Christi sponte excusso, fuit baptizatus. Item in Sacramento altaris nec verum corpus Christi nec verum Deum esse, & quod ipsum esset ructus sacerdotum affirmabant. Item quod ad remissionem peccatorum nihil prodest confessio facta sacerdoti, nec absolutio facta per eundem, sed quantumcumque enormia sint peccata, sufficit cum cordis contritione sola flagellatio corporis proprii; unde omnes indulgentiæ per quemcumque concessæ nullæ sunt. Item dixerunt, quod Elias & Enoch jamdiu apparuerant in mundo, & mortui sunt; unde dicunt Eliam combustum ante quadraginta annos in Erfordia, & Enoch fuisse Conradum Smet, seu fabrum juxta linguam Latinam, qui hujus sectæ primus divulgator in Thuringia fuit. Unde dicunt, quod Deus creaverit omnes animas simul in principio, & collocaverit eas in paradiso cum primo homine, & quando fœtus humanus in utero matris debet animari, tunc anima per angelum de paradiso sumpta illi infunditur, & quod sic animæ Enoch & Eliæ prædictis eorum hæresiarchis infusæ fuerint. Item dicunt quod iste magister Conradus Smet eorum hæresiarcha sedebit in judicio, seu præsidebit ut judex in novissimo die & non Christus. Item quod post mortem nullum sit purgatorium, quod exequiæ eorum defunctorum, nihil prosint defunctis; sed sint solatia vivorum, & repleant marsupia clericorum. Item quod nullius diei festivitas sit celebranda, nisi diei dominicæ, & nativitatis Christi ac assumptionis B. Mariæ Virginis. Item quod nullum jejunium sit observandum, nisi feriæ sextæ & nativitatis Christi & assumptionis B. Mariæ & quando dies nativitatis Christi cadit in feriam sextam, super jejunio illius diei dispensari non possit. Item confessi fuerunt quod ipsi se in observatione festorum & jejuniorum ac in veneratione sanctarum imaginum, quarum venerationem asserebant idololatriam, aliis Christianis conformant, hoc ideo faciunt ne notentur ab hominibus, sed de illo agunt postea pœnitentiam, flagellis se percutiendo. Super præmissis articulis præfati hæretici culpabiles inventi per magistrum Henricum Schonefeld magistrum theologiæ, & inquisitorem hæreticæ pravitatis igni adjudicati in præfato oppido Sangerhasen combusti sunt. De Flagellentium hæresi instaurata meminit Joannes Gerson (a) eamque confutat.

Contemptæ Eucharistia.

Expiatio criminum flagellationi attributa.

Figmenta de Elia & Enoch.

Origenistarum dogma de creatione animarum.

Male sensere de purgatorio.

Jejunium feriæ sextæ commendarunt.

Damnarunt cultum sacrarum imaginum.

Convicti flammis necati.

(a) Gers. in tract. de flagel.

XV. In Anglia, cum Wicleffi hæresis in dies serperet, quamvis ad eam abolendam plures jam synodi celebratæ fuissent, multique impii justas pœnas morte dedissent; majori tamen, quam par erat clementia postea temperatæ atque ideo cœpta (b) maxima & aucta præcipuo perfidiæ signifero Joanne Oldcastell conjuratio est ad Henricum Regem opprimendum, eoque cæso ad religiosorum monasteria evertenda. Verum non est passus Deus tantum flagitium ad exitum perduci, sceleratissimæ enim conspirationis participes, Regi ipsi insidias paratas ei patefecere, ad quas dissipandas is se accinxit, justitiæque præfectis præcepit (b), ut in seditiosos hæreticos, vulgo Lollardos nuncupatos, animadverterent.

(b) Thom. Walsingh. in Hen. V. & in hypodig. Neustr. & ex eo Nic. Harpsfel. in hist. Wiclef. c. 13.

Sæve hæreticorum consilia.

(c) Ext. Reg. lit. apud Walsing.

Dilectis & fidelibus suis Vuilelmo Roos de Hemlac, Henrico le Scrop, Vuilelmo Cromere majori civitatis suæ Londoniensis, Hugoni Huls, Joanni Preston, & Joanni Mertin salutem.

Sciatis quod cum nos plenius informemur ac notorie & manifeste dignoscatur; quod quamplures subditi nostri Lollardi vulgariter nuncupati, ac alii mortem nostram contra Legiantiæ suæ debitum proditorie imaginaverunt, ac quamplura alia tam in fidei catholicæ, quam status dominorum & magnatum regni nostri Angliæ tam spiritualium quam temporalium destructionem proposuerunt, ac diversas congregationes & alia conventicula illicita pro nefando proposito suo in hac parte perimplenda fecerunt in nostri exhæredationem ac regni nostri destructionem manifestam, nos hujusmodi Lollardos, &c. Jubet pluribus eos nefandissimos proditores meritis suppliciis affici. His Henrici Regis mandatis excitati regii administri studia viresque, ad Wicleffistarum Regis & regiæ prosapiæ cædi, templorum expilationi, præsulum internecioni, excidio monasteriorum, ordinumque regni eversioni inhiantium; nec non libertatem barbaricam inducere molientium conatus elidendos contulerunt coactoque exercitu hæreticorum turmas compresserunt. Confecta mox sunt ab administris impigre regia imperia, ut eorumdem literæ (c) ex Londinensis senatus actis decerptæ ostendunt: *Placita*, inquiunt, *corona coram domino Rege apud Vuestmonasterium de termino S. Hilarii anno regni Regis Henrici V. post conquæstum primo rotula septima inter placita Regis alias coram Vuillelmo Roos de Hamlak, Henrico le Scrop, Vuillelmo Crounmere majore civitatis Londoniensis, Hugone Huls, & sociis suis justiciariis domini Regis ad inquirendum per sacram proborum & legalium hominum de civitate Domini Regis London & suburbiis ejusdem, ac de communi Midd jam infra libertates, quam extra de omnibus & singulis proditionibus & insurrectionibus per quamplures subditos domini Regis Lollardos vulgariter nuncupa-*

Regem proditione necare moliuntur.

Sacrum & politicum statum evertere.

Supplicio jubentur affici victi prælio hæretici.

(d) Ext. apud Nic. Harpsfeld. in vit. Wiclef. c. 13.

Magistratuum Londinensium literæ.

patos & alios in civitate, suburbiis, & communitatibus prædictis factis & perpetratis, nec non de omnibus proditionibus, insusurrationibus, rebellionibus, & feloniis in civitate, suburbiis, & communitatibus prædictis, per quascumque & qualitercumque factis, sive perpetratis & ad easdem proditiones, insurrectiones, rebelliones, & felonias audiendam & terminandum secundum legem & consuetudinem regni domini Regis Angliæ per literas ipsius domini domini Regis patenter assignatas apud Westmonasterium die mercurii proximo post festum epiphaniæ Domini anno regni ejusdem Regis Henrici V. post conquæstum primo, per sacramentum duodecim juratorum existit præsentatam, quod Joannes Oldcastel de Couling in com. Cant. Chr. & alii Lollardi vulgariter nuncupati, qui contra fidem catholicam diversas opiniones hæreticas & alios errores manifestos legi catholicæ repugnantes, a diu temerarie tenuerunt opiniones, & errores prædictos manutenere ut ea facto minime perimplere valentes quamdiu regia potestas, & tam status regalis domini nostri Regis, quam status & officium prælaturæ dignitatis intra regnum Angliæ in prosperitate perseverarent, falso & proditorie machinando, tam statum regni, quam statum & officium prælatorum, nec non ordines religiosorum infra dictum regnum Angliæ penitus annullare, ac dominum nostrum Regem, fratres suos, prælatos, & alios magnates ejusdem regni interficere: nec non viros religiosos, relictis cultibus divinis & religiosis observantiis, ad occupationes mundanas provocare, & tam ecclesias cathedrales, quam alias ecclesias & domos religiosas de reliquiis & aliis bonis ecclesiasticis totaliter spoliare, ac funditus ad terram prosternere, & dictum Joannem Oldcastell regentem ejusdem regni constituere, & quamplura regimina secundum eorum voluntatem infra regnum prædictum quasi gens sine capite, in finalem destructionem tam fidei catholicæ & cleri, quam status & majestatis dignitatis regalis infra idem regnum ordinare falso, & proditorie ordinaverunt, & proposuerunt, quod ipsi insimul cum quamplurimis rebellibus domini Regis ignotis ad numerum viginti millium hominum de diversis partibus regni Angliæ modo guerrino arrivati privatim insurgent, & die mercurii proximo post festum epiphaniæ Domini anno regni Regis prædicti prædicta apud villam & parochiam S. Ægidii extra barram veteris templi London. in quodam magno campo ibidem unanimiter convenirent, & insimul obviarent pro nefando proposito suo in præmissis perimplendo. Quo quidem die mercurii apud villam & parochiam prædictas prædicti Joannes Oldcastell & alii, in hujusmodi proposito proditorio perseverantes, prædictum dominum nostrum Regem fratres suos videlicet Thomam ducem Clarentiæ, Joannem de Lancastre, & Humfredum de Lancastre Regem & heredes suos de regno suo prædicto exheredare & præmissa omnia & singula ac non quamplura alia mala & intolerabilia facere & perimplere falso & proditorie proposuerunt, & imaginaverunt, & ibidem versus campum prædictum modo guerrino arraiati proditorie modo insurrectionis contra legeantiae suae equitaverunt ad debellandum dictum dominum nostrum Regem, nisi per ipsum manu forti generose impediti fuissent, &c. Addunt eædem literæ, instructum fuisse exercitum a perduellibus hæreticis viginti millium bellatorum, qui ex variis partibus confluxerant; sed ab Rege profligatos dissipatosque: cujus partæ victoriæ ordinem describit Walsinghamus (a), quam lector consulat.

Joannes Oldcastel proditorum signifer.

Ut conspirarint Wicleffistæ in Regem.

In omnes regni ordines.

In præsules & religiosos.

Eorum furor in Ecclesias & monasteria.

Anarchiam inducere meditati.

Instructus ab his exercitus: Quantus fuerit hæreticorum exercitus.

(a) Walsin. in Hen. V. hoc ano.

XVI. Laqueo necari & exuri jussit.

Damnatos mox fuisse ab Henrico hæreticos, ut divini Numinis ac Regis proditores, inque in eos vindicatum esse, refert Thomas Waldensis (b), additque multos suppliciorum timore perterritos in alias regiones, in quibus venena spargerent, pertexisse: *Rex*, inquit, *Henricus V. Christo & mundo commendatissimus inter Reges gaudebat in ipso regni sui primordio primo contra Wiclevistas hæreticos erexisse vexillum, dum scilicet ad Christi natalem cum duce iniquitatis eorum Joanne Castriveteris contra inclytum Regem conspirare cœperunt; nec mora longa processit, quin statutum publicum per ampie regni concilium in publico emanavit edicto, quod omnes Wiclevistæ sicut Dei proditores essent, sic proditores Regis proscripti bonis censerentur, & regni duplici pœna dandi, incendia propter Deum, suspendia propter Regem; factumque est ita. Stat res jure perenni. Multi eorum deprehensi ignibus consumpti sunt, contriti sunt; & sic malignantium habita opportunitate, relicto regno decesserunt. Si qua alia gens hujus fascinata criminibus colligere dignum ducat paleas, quas nos authoritate sanctorum antistitum cum clero regni & principali terrore discussimus, quis impetet Angligis? More nostrum eicit mortuos nostros, & terra nostra dedit fructum centuplum quis criminabitur Angliam, quod populus circumventus dolo hæretico mortuos nostros colit & veneratur ut deos?* Confirmat eadem Nicolaus Harpsfeldius (c).

(b) Thom. Vvald. in proem.

Ut Dei & Regis proditores.

Plures fugiunt in alias terras.

Observat Thomas Waldensis (d) Wicleffistas, antequam regia sententia percellerentur, ab ecclesiastico tribunali ad regium provocasse, poposcisseque magnis clamoribus, ut eorum causa a regio senatu cognosceretur: at ubi ab eo se damnatos sensere, mox in Regem & magistratus refertos calumniis libellos sparsisse: *Non alia*, inquit, *ratione contra cleri judices, episcopos, atque Papas in-* dé-

(c) Harpsfel. hist. Wiclef. c. 17.

(d) Vvaldens. to. 1. l. 2. ar. 2. c. 46.

Postulant Vvicleffistæ sæcularibus judicia hæreseos deferri.

dispositionis notam apponunt, quam contra sæculares judices, si victi sint, murmurabunt. Adhuc his nostris annis Vvitclevistæ nostri fecere conformiter, quid clamaverunt fortius? quid instantius, quam ut apud dominos sæculares tam fidei, quam morum judicia remanerent, & tamen jam cum regnare cœpisset illustris Rex Henricus V. qui adhuc agit in sceptris, & de eorum perfidia per catholicos bene doctos legem statui fecit, ut ubique per regnum Vvielevista probatus, ut reus puniretur de crimine læsæ majestatis, statim per libellos famosos clamabant fidelem principem esse corruptum, & nominare cœperunt eum principem sacerdotum. Qui ita ob defensum sacerdotium irrisus est ab hæreticis, repressa impietate, tot auctus est victoriis, ut omnium Anglorum Regum gloriam longe superarit. Pergit Thomas Waldensis: *Bene dixit ergo Augustinus, quod ea cæcitate hæreticus de innocente judice murmurat, qua cæcitate cum innocenti litigabat adversario.*

XVII. Editum hoc anno insigne miraculum in viro nobili, qui antea Wicleffisticam hæresim amplexus fuerat, deinde melius de Eucharistia senserat, memorat Thomas Waldensis (a); cum enim crudeli adeo vomitu laboraret, ut nullum propterea cibum capessere posset, fusis ad Deum precibus obtinuit, ut Eucharistiam veluti cœlestem cibum sumeret: *Anno Domini MCCCCXIV. hoc miraculum Eucharistiæ declaratur, quia doctor quidam magnus in lege civili dictus Radulphus de viridi colle Anglice Greenherst peracto nuntio hujus nostri illustris principis Regis Angliæ Henrici V. apud serenissimum tunc Romanorum & Hungariæ Regem Sigismundum, & reversus Cantuariam mortis futuræ cœpit gustare præambula; & tandem concilio monachorum & fratrum aliorumque turba fidelium circumcinctus cœpit Dominici Corporis sacramentum saltem ad corporalis oculi sui rogare præsentiam, cum prius esset tacitus Vvitclevista & incredulus sacramenti: verum nullus ausus erat dare consilium, ut se convivam faceret sacramenti, cum ab horis infirmitatis suæ primævis continuo vomitu laboraret, & omnis cibi vel potus corporalis vel ad odoratum experiebatur impatiens. Sed magnus Dominus volens tanti sui Sacramenti declarare potentiam, & ab omni sublunaris cibi participio alienum, dedit in cor viri, quem prædestinavit in filium, rogare & dicere. O Domine redemptor omnium salvandorum da mihi sentire & credere quod de hoc sacramento credendum est: & si quidem retineam, corporeus cibus non est, quem usquequaque nausea plenus horreo & a procul evito; sed hoc ipsum solum in natura, quod nuper credere distuli, tui corporis divinissimi ferculum salutare. Tandem oratione finita cum multis astantium lacrymis, qui omnem cibum corporalem evomuit, spiritualem Christum cibum retinuit, cum accepit, ac post perceptum octo diebus continuis miraculum prædicans, sed omnem corporeum cibum renuens supervixit, & tandem salubris lamenti completo tempore & incredulitatem pristinam validis delens gemitibus obdormivit in Christo.*

(a) *Thom. Vvald. to. 2. c. 62.*

Æger vomitu laborans poscit sibi Eucharistiam videndam obiici.

Divinitus confirmatus eam degluttit.

XVIII. Non dissimile est aliud, quod narrat Joannes Nider (b), circa hæc tempora Coloniæ contigisse: *Paulo, inquit, antequam ad Coloniense transmissus sum studium, fuerunt intra civitatem ibidem duæ virgines carne & animo sorores unanimes & pacifice in una domo, vota suæ castitatis reddentes, quæ distinxerant Deo in labiis suis, & labore manuum victum conquirentes tenuem. Una autem ex eis, cujus anima placuit Altissimo, quæ divinissimum Eucharistiæ sacramentum multum dilexit, & devote sæpe solita est sumere, corpore infirmata est, & tandem morbus tantum invaluit ut contractis nervis, quibus labia & mandibulæ moveri consueverunt, etiam adhibito toto conatu corporis & animæ ora aperire nequiret ad cibum sumendum corporeum, tantumque superior mandibula inferiori cohærebat, ut vix vel nullatenus ad minutissimum sumendum cibum cum instrumento argenteo vel cocleari aperiri posset. Æstuabat interea cordis desiderio, se morti propinquare conspiciens, illud saluberrimum Christi viaticum, quod de terrenis cœlestes novit efficere, ut hoc munita præsidio fidentius migraret ad Christum: sed omnes vel plurimi formidabant id non posse ab ea sumi. Verum ut confiteretur sacramentaliter, quod prius sæpe facere consueverat, & ut viso Christi sacramento sic credendo saltem manducaret. Advocatus est sacerdos Eucharistiæ Sacramentum afferens, & cum absolutione pro peccatis præmissa sacerdos ante faciem Christi sponsæ Dominicum corpus elevaret adorandum ab ea, statim & inopinate tantam virtutem se percepit habere in corpore, & internum quendam instinctum in anima, ut subito ad animæ & cordis beatum corporalia ora ampla satis laxaret, quibus confestim sacerdos Dominicum corpus late immisit: & ita Christi sponsa soror, & qui aderant admirantes Deo gratias de collato miraculo contulerunt.*

(b) *Jo. Nider formic. l. 2. c. 7.*

Laborans spasmo virguncula os nequit aperire.

Eucharistia visa os pandit.

XIX. Edidit majora his prodigia hoc anno suorum gratia divina clementia, in Castellæ enim oppido, cui Godolojara nomen est, die XVIII. martii in cœlo crux nivea inspectantibus omnibus, dum sacerdos ordinis S. Francisci de Eucharistia concionem habebat effulsit (c), cujus prodigii magnitudine plures Judæi spiritu divino tacti, discussa veteris superstitionis atra caligine, oculos ad evangelii lucem extulere: qua de re consuluit S. Vincentium

Conspecta e cælo crux.

(c) *Diegus hist. l. 2. c. 64.*

tium

tium Ferrerium Ferdinandus Rex Arago- (a) Ext. ib.
num subjectis literis (a).

Religiose & dilecte noster.

Ex literis fidedignis nonnullorum fidedignorum villæ de Godolojura regni Castellæ, nec non testimonio cujusdam publici instrumenti nobis exhibiti percepimus, quod die XVIII. mensis martii elapsi de proximo, quodam fratre ordinis S. Francisci populo dictæ villæ verbum Domini publice nuntiante, & de sacra Eucharistiæ mysterio prædicante, in caelo crux quædam nivea ab omnibus tam Christianis, quam Judæis etiam oculariter visa est, prout in dicto publico instrumento, de quo & de forma dictæ crucis in ea impressa vobis transumptum authenticum cum præsenti mittimus, poteritis latius intueri. Post cujus crucis visionem quatuor vel quinque diebus elapsis, ut didicimus ex literis antedictis centum & viginti duo Judæi in dicta villa ad fidem catholicam spreta cæcitate judaica, sunt conversi. Ideo devotionem vestram in Domino exhortamur, quatenus intentum vestrum super hujusmodi materia nobis exprimere per vestram literam procuretis; ex hoc enim nobis complacebitis in immensum. Datum Cæsaraugustæ sub nostro sigillo secreto die II. maii anno a nativitate Domini MCCCCXIV. Rex Ferdinandus.

De Eucharistia rum habebatur concio.

Plures Judæi ad Christum traducti.

Confirmatam cœlesti illo miraculo orthodoxam de Eucharistia fidem, quam Minorita commendabat, respondit ei B. Vincentius: & quidem summo divinæ providentiæ beneficio, cum eo tempore plures homines impii in variis regnis pestiferis Wicleffi opinionibus infecti male de tanto Sacramento sentirent, tum subdit (b).

Confirmatam eo prodigio Eucharistiæ veritatem interpretatur S. Vincentius.

(b) Ext. apud Diag. hist. l. 2.

Excellentissimo principi ac domino potentissimo domino Ferdinando Regi Aragonum strenuissimo.

Ejus lit. ad Ferdinandum.

Jesus. Excellentissime princeps & domine cum omnimoda reverentia & subjectione. Recepi literas de miraculo spectabili, quod contigit Gadolojuræ prædicante quodam fratre Minore de sacramento Eucharistiæ, super quo vultis scire meam intentionem. Noverit ergo vestra excellentia principalis quod (quantum capere possum & percipio) apud Deum istud miraculum contigit duplici ratione. Primo quidem ad confirmandam doctrinam canonicam prædicantis: nam sicut literæ Regis bene scriptæ & examinatæ imprimitur sigillum regium pro confirmatione & auctoritate ejusdem, sic Deus ad confirmationem doctrinæ prædicantium evangelicas veritates ostendit aliquando miracula hujusmodi in potenti, juxta illud Marci capite ultimo: Prædicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. *Et si bene volumus attendere ad formam & figuram crucis apparentis in cælo, candore niveo ostenditur doctrinam illius prædicantis fuisse cælestem & absque omni obscuritate erroris: in stipite autem recto ipsius crucis apparentis tria ostensa, scilicet fundamentum & duo poma, ostendunt tria necessaria in consecratione Eucharistiæ, scilicet materiam terrestrem de pane & vino, formam verborum, & intentionem consecrandi: in brachio autem ipsius crucis transversali duo rami quasi arbores a dextris & a sinistris significant ipsam consecrationem Eucharistiæ veraciter fieri per sacerdotes, sive sint in dextra gratiæ, sive in sinistra mortalis culpæ: quinque autem pomelli a dextris & sinistris ipsarum arborum seu ramorum, inter quos stat unus pomellus superior significant quinque verba formalia consecrationis Corporis Christi sive digne sive indigne proferantur a sacerdote, nam Christus summus Rex & Dominus utrobique consistit; & quia omnes pomelli a dextris & sinistris simul connumerati sunt viginti duo, significant consecrationem Sanguinis Christi per viginti duo verba formaliter adimpleri.*

Tropis variis argumentum explicat.

Secundo hoc fuit ostensum, ut credo, ad præfigurandum defensionem crucis Christi & fidei Crucifixi juxta finem mundi, &c. (Trahit sanctus vir in eum sensum tropologica arte singula, quæ in ea cruce cœlo ostensa fuerant conspecta: demum Regem piis erudit monitis, ut regia studia in Judæis ac Saracenis ad Christi fidem traducendis, arcendis publicis sceleribus, puniendis lenonibus, lupanaribus ac ludis prohibendis; administrandaque universis justitia collocaret. Demum diem hac formula adscribit epistolæ:) *Scripta in villa de Tamarit XVI. die maii cum subscriptione de manu mea pro sigillo. Inutilis servus Christi & vester F. Vincentius Ferrerio Prædicator.*

Regem salubribus præceptis informat.

De eodem viro sancto linguarum dono divinitus ornato hæc narrat Nicolaus Clemangius (c) in literis ad Reginaldum e Fontanis: *Tam vivus est tamque efficax in ejus ore declamantis sermo Dei, tam ignitum vehementer eloquium, ut auditorum præcordia etiam frigore gelata in devotionem instar faculæ ardentis inflammet, duras insuper saxeas mentes in gemitum atque in lamenta resolutas emolliat, juxta id quod in Jeremia loquitur, quod verba Dei sunt quasi ignis & quasi malleus conterens petras.* Et infra: *Sed si hæc fortasse aliquibus minus mira videntur, illud tamen maximam meretur admirationem, quod donum linguarum non improbabiliter habere creditur. Audi quomodo. Ante aliquot annos ipse Celtiberica, hoc est Arragonica de gente genitus, in Italiam venit, quo simul ac pedem intulit, linguam regionis illico ita & prompte, intelligenter, ac distincte loquebatur, ut si ipse adfuisses, inde ortum crederes. Ipsi sane fa-*

XX.

(c) Nic. Clemang. ep. 113. ad Reginal. de Fontanis.

Dono linguarum fuit præditus S. Vincentius.

fatebantur Itali, non se mutuo magis intelligere, quam illum omnes intelligebant: muliercula quoque ipsa, quibus gens illa, unde originem duxit, maxime barbara est, se planissime confitebantur cuncta percipere. Sed adhuc dices non adeo stupendum si Italice loquentem Italica gens aut natio intelligit. Fateor plane esse, ut dicis, sed mirum esse, uti arbitror, non negabis, quod repente Italiam ingressus linguam gentis noverit. Et si id mirandum non putas, audi quod mireris. Ita ille verbis utitur Italicis, ut non minus, quam Italici alienigenæ universi, nullo etiam cum Italica lingua consortio sociati, omnia capiant. Audivi Germanum confirmantem se omnia integerrime percepisse non minus, quam si suo fuissent prolata sermone. Ego qui Italicum sermonem vix ad dimidium intelligo, æque sua atque tua verba me intellexisse profiteor. Denique inter egregias ac varias laudes viri istius res illa eximia laudis culmen assequitur, quod sua nequaquam cum uria pugnat oratio, &c.

Loquentem uno linguæ genere a- lis intellexere.

XXI. Bellum recrudescit inter Aurelianenses & Burgundum.

In Galliis instauratum est inter Aurelianenses & Joannem Burgundiæ ducem vetus bellum (*a*): cum enim illi regiæ procurationem iniissent, legesque pro regii fratris cæde ulciscenda implorarent, Joannes Burgundus copias instruait ad eos opprimendos, atque in Parisiorum conspectum promovit; sed propalsatus Atrebatum redire coactus est: in quem ut læsæ majestatis reum Rex castra convertit, in eaque expeditione plures Burgundicæ factionis urbes recuperavit: Interque alias Augustam Suessionum urbem a regiis vastatam direptamque hoc anno; tum passim matronis & virginibus militari licentia vim illatam narrat Juvenalis Ursinus (*b*), cujus exitium antea prænunciatum fuisse refert Nicolaus Clemangius (*c*). Commissum (*d*) deinde atrox prælium est inter regios & Burgundiæ ducem magnaque & cruenta strage Burgundicus exercitus fusus est, atque Atrebatum obsidione cinctum deditionem Regi fecit. Ea quibus turbis augendarum rerum occasionem captavit Anglus, suasque capias in Normanniam duxit, cujus terror Gallos in mutuam concordiam revocavit, sancitis (*e*) Atrebati iis legibus Delphino & Brabantiæ duce interpretibus: ut Joannes dux monasterium conderet, in quo viri religiosi divina officia pro ducis Aurelianensis Parisiis cæsi anima diu noctuque celebrarent: instrueret navem Venetiis, quæ peregrinos pro ipsius ducis anima sanctissimum sepulchrum lustraturos veheret, ac ducenta & viginti aureorum millia in sumptus bellicos Regi penderet. Sed eam pacem quæ xxiv. februarii die proxima anno promulgata est (*f*), nova iterum bella multo sanguine disturbarunt. Inter hæc bella civilia Mahometes primus proferebat latius imperii Turcici fines: cum enim Sigismundus Romanorum & Hungariæ Rex in Italiam, uti diximus, accessisset adulto superiori anno, Turcæ hoc ineunte in Hungariam irrupere (*g*), ac ferro flammaque in obvios sævierunt: Caramanus etiam expeditionem confecit in Venetos, atque in Euboeam immisit classem quæ arcem Modonizam ad deditionem compulit, ac mille & octingentos Christianos abduxit in servitutem. Ita Caramanus & Turca ad Sigismundum & Venetos, qui ad mutuam bellum inclinabant opprimendos consensere: Ferrariensis vero princeps xxvi. octobris pacis interpretem se futurum pollicitus (*h*) est: ad quem a Rege, ac duce oratores missi fuere.

(*a*) *Juven. Ursin. in Carol. VI. hoc ann. & Monstr. vol. 1. c. 115. 116. ad 125.*

Suessio vastata.

(*b*) *Juven. Ursin. in Carol. VI. hoc ann.*

(*c*) *Nic. Clemang. ep. 101.*

(*d*) *Juven. Ursin. in Car. VI. hoc ann. & Monst. vol. 1. c. 126. 134.*

Pax inter Aurelianenses & Burgundum composita.

(*e*) *Id. ib.*

(*f*) *Ext. ea de re Carol. lit. apud Monstrel. vol. 1. c. 134.*

Mahometes I. irrumpit in Hungariam.

(*g*) *Diar. Ven. ms.*

Euboea vastata a Caramano.

(*h*) *Id. Diar.*

Aucto-

I. *Constantien. concilio authoritatem tribuit Gregor.*

AUthoritatem attribuit Gregorius XII. solemnibus episcoporum cœtibus Constantiæ habitis, ut concilii œcumenici nomine & dignitate insignirentur, anno a Virginis partu millesimo quadringentesimo decimoquinto indictione octava, non ut a Balthasare Cossa, sed ut a Sigismundo Rege Romanorum congregatis, eaque lege, ut Joannes nec præesset concilio nec interesset: qua de re diplomo (a) hoc ad internuntios suos misit.

(a) Ext. apud Jo. xxiii. lib. ult. ep. cur. p. 291.

Gregorius, &c. dilectis filiis Joanne tit. Sancti Sixti presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato, & Joanni in patriarcham Constantinopolitanum electo nostris & ejusdem sedis nunciis, ac venerabili fratri Vvernero archiepiscopo Treverensi, nec non nobilibus viris Ludovico comiti Palatino Rheni; & Carolo de Malatestis domicello Ariminensi in provincia nostra Romandiola pro nobis & sancta Romana ecclesia rectori salutem, & apostolicam benedictionem.

Ejus literæ.

Terrenas affectiones tenebrare humanas mentes constat, liberandas pro modulo illuminationis, cum lux illa, quæ dixit; Ego sum lux mundi; *se illuminantem ostendit; & pro quanto terreno detinentur affectu, minus illius splendorem contingunt; in quo docemur errorem cavendum, amoremque rectum sequendum, & nostra omnia ad illam pacem, quæ est cum Deo, homini mortali feliciter conferenda: contra quam negare non possumus impios errores commissos circa papatum, nosque adversantium studiis repulsos, ad pacem & Ecclesiæ Christi clarum statum per viam renunciationis pro progressu firmiter desiderantes [& cum spes aliqua scintillaret occurrimus] rogando. Ex eodem igitur affectu continuato, intellecta prudentia regia cum affectione concordi ad Ecclesiæ pacem cum nationibus, quas vocavit ad civitatem Constantiam, exhilarati lubenti animo prompti sumus, ut semper fuimus pro extirpatione horrendorum schismatum, integra unione merito optanda & perficienda, dimittere libere papatum, quamvis nobis clarum tam ex titulo sanctæ memoriæ Urbani VI. prædecessoris nostri, & canonica nostra electione, quam clarissime ex nostra puritate cum efficaci voluntate & recta, quapropter potius & altius rem ipsam & affectum qui intenditur, ut serenitatis regiæ cor, mentem, & opera post sui adventum ad Constantiam fructuosa advertentes, quam quæ extrinsecus quovis artificio demonstravit; & confidentes exinde de ejus serenitatis dispositione Deo grata, & in eo sperantes, cujus res geritur, quod serenitatem eamdem diriget in agendis, & vos etiam, qui pro præmissorum effectu estis ibidem; & ut possitis in prædictis proficere melius & valere, quo efficaciorem potestatem a nobis constiterit vos habere, vobis seu illis ex vobis, qui ibi interfuerint congregationem ipsam, in quantum per dictam serenitatem regiam, & non per Baldassarem, se nuncupari facientem Joannem XXIII. vocatam, vice nostra, ad prædictorum effectum convocandi & authorizandi in generale concilium, remota tamen omnimode dicti Baldassaris præsidentia & præsentia ab eisdem, nec non omnia, quæ postquam sic feceritis disponentur pro vera reintegratione & unione Ecclesiæ ac præfatorum schismatum extirpatione per congregationem eamdem remotis, ut præmittitur, præsidentia & præsentia Baldassaris, vice nostra similiter authorizandi, approbandi, & confirmandi, plenam & liberam de plenitudine apostolicæ potestatis concedimus tenore præsentium facultatem. Dat. Arimini XIII. id. martii pontificatus nostri anno IX.* [1]

Jura sua ad pontificatum exponit.

Concilium prout a Cæsare nomine pontificio convocatum approbat.

Excusat se de præteritis.

Non præfuit itaque posthac Constantiensi concilio Joannes, cum vel non esset II.

NOTÆ [1] REste quidem hic scribitur Joannes posthac concilio numquam deinceps præfuisse; incertum est tamen an Patres excludendum illum censuerint, ut Gregorii pontificis qui id postulabat, gratiam inirent; an potius quod ipse se Joannes antea fuga se retraxit, quam sessio aliqua post scriptas a Gregorio literas celebraretur. Nam Gregorius literas suas dedit III. id. martii; Joannes vero die XXI. martii noctis silentio novi per Renum dilapsus Scaffusam secessit, ut author est anonymus, qui summam concilii Constantiensis a Martene Veter. Monum. to. VII. col. 1405. vulgatam scripsit. Concilii vero sessiones hoc ordine habitæ sunt. Sessio II. die II. martii; sessio III. die XXV. martii convenit. Post has vero numquam deinceps Joannes rediit Constantiam. Unde ergo collegit annalista exclusum fuisse e concilio Joannem in gratiam Gregorii? Quinimmo concilium sub auspiciis & præsidio Joannis adhuc perseverasse ex eo discimus, quod author Synopsis jam laudatæ scribat, sessionem concilii tertiam post fugam Joannis celebrandam statuisse Cardinales Cameracensem & Florentinum, ex eo quod *sperarent quod Papa grata & rata habiturus foret quæ in ea* (Sessione) *rite & recte gesta forent*. Pontificis ergo confirmationem & approbationem adeoque & præsentiam, nisi forte abesset spontaneus, adhuc necessariam concilio patres censebant. Denique Gregorii literæ nihil utique impetrare apud patres concilii tunc potuerunt, cum sessiones post secundam reliquæ habitæ sunt; neque enim concilio exhibitæ fuerunt nisi in sessione XIV. cum jam sententiam depositionis in Joannem patres dixissent. Vide annalistam inferius num. 26. MANSI

Cur præesse desierit Joannes Concilio Constantiensi.

fet Pontifex, vel controversus; & visum esset patribus, ut arcanis eorum consessibus non interesset, ne redintegrandam ecclesiarum conjunctionem disturbaret artibus suis; quas graphice depingit Theodoricus Niemius, siquidem Joannes in Constantiensi concilio curas omnes eo intenderat, ut se in pontificatu constabiliret, æmulosque dejiceret. Cum igitur præsules ad schisma funditus excindendum nulla habita Joannis æmulorumve dignitatis ratione conspirarent, Joannes eos in varias factiones discindere turbareque eorum pia studia annisus est, neque enim quæ Christi erant, sed sua tantum consectabatur:

Quæ fuerint ejus artes.

(a) Niem. in vit. Joan. XXIII.

Dum celebraretur, inquit author (a), *dictum concilium Constantiense in principio ante fugam dicti Balthasaris tunc Papæ de Constantia, idem Balthasar tanquam sibi ipsi male conscius, & habens semper ante se in magno numero suos proxenetas & mediatores, cum quibus consuevit simoniam exercere, a qua usque ad ultimum terminum suæ depositionis non cessavit, quosdam episcopos & alios magnæ authoritatis viros de ipso concilio secrete per diversas gratias & promissiones sophisticavit & corrupit adeo, quod nil ita secretum in ipso concilio fieret aut decretum, quin illud & per quos hoc dictum aut factum esset singulis diebus revelaretur eidem; nec scivit obticere, quin & illud sibi secretum revelatum aliis cito panderet, de quibus confidebat: & valde etiam ipse Balthasar per medias personas impedivit, quod nationes, quæ ad ipsum concilium convenerant, insimul diu concordare & combinari non poterant aut nolebant; sicque dictum concilium hic frustra interim erat. Et quia quæ ita generaliter fiunt diu occulta remanere non possunt, præmissa ad notitiam multorum de concilio ipso producta fuerunt, de quibus admodum mirabantur, tum omnes illi, qui tractatibus dicti concilii pro tempore intererant, prinsque solemniter eidem concilio jurassent quod ea, quæ tractarentur & fierent in ipso concilio, secrete tenerent. Et ut ipse Balthasar suum desiderium in hac parte absque suspicione secundum se atque commodius adimpleret, sæpe nocturno tempore pro illis suis, qui sibi secreta hujusmodi revelabant media nocte, & quandoque postea per aliquot horas mittere, eosque ad se accersiri fecit, absolvendo eos a perjurio, & investiganda ab ipsis secreta hujusmodi, quæ die præcedenti immediate in ipso concilio acta fuerunt: qui dum pro majori parte de hoc per ipsum concilium vocati fuissent, ipsi valedicto Pontifici, & obtenta licentia ab eodem concilio, ad propria redierunt.*

Ut subornarit suæ factionis præsules

Detecti ejus doli.

Vocati in jus qui arcana concilii illi patefecerant.

Accusatur apud concilium Joannes.

Quibus sic stantibus quidam (ut præsumitur) Italicus, multos articulos valde famosos, & omnia peccata mortalia, nec non infinita quodammodo abominabilia continentes, contra eundem Balthasarem in eodem concilio exhibuit in scriptis, tamen secrete, quod super illis contra eundem Balthasarem fieret inquisitio, & provideretur instanter per concilium memoratum. Quibus quidem articulis per aliquot majores nationum Germaniæ, Angliæ, & Poloniæ perlectis, ipsi nullatenus consentire volebant, quod dicti articuli publicarentur, aut contra ipsum Balthasarem inquisitio fieret hujusmodi super illis, & hoc propter honestatem; & si contrarium fieret, ut asserebant, per hoc macularetur sedes Apostolica, & confunderentur enormiter omnes de obedientia dicti Balthasaris, & ponerentur in dubio promotiones & provisiones per ipsum factæ, & multa scandala exinde subsequi possent: pleris que etiam aliis nobilibus viris assentientibus & consulentibus, quod illa via inquisitionis fieret, quæ compendiosa foret & ipsi articuli & contenta in eis, saltem pro majori parte essent notoria seu manifesta, & propterea modica vel nulla probatione indigerent.

Plures illum tuentur & cur.

Subdit Theodoricus (b), ut Joannes pluribus criminibus notatus, in quem Gregorius judiciaria acta gravissima confecerat, terrore tanto perculsus sit, ut in quam partem se verteret, ignoraret: *Quibus*, inquit, *ad notitiam dicti Balthasaris deductis, illico mente consternatus est, & cœpit valde tremere & timere, ac etiam quosdam sibi secretos Cardinales, & de quibus fiduciam habuit donis & promissis allicere atque consulere, quid esset in ea parte, pro ejus honoris conservatione facturus, asserens quod quædam in ipsis articulis descripta tanquam homo peccando commisisset, & aliqua non: & proposuit tunc in mente sua, prout & ore propalavit, quod ipsemet dictum concilium vellet personaliter accedere, & quæ de contentis in eisdem articulis perpetrasset coram ipso concilio in publico fateri, fundans se in hoc quod Papa propter quodcumque delictum (ut dicebat) nisi propter hæresim deponi non posset*, sed hoc intelligi debet de vero & indubitato Pontifice, cujusmodi ipse non erat. Pergit Niemius; *Et habito super hoc consilio cum quibusdam aliis etiam sibi secretis per ipsum quid facturus esset in illa perplexitate sibi consulerent, responderunt quod bonum esset, quod ipse super hoc inter se per dies aliquot melius deliberaret, & tunc quid sibi videretur consultius in Dei nomine adimpleret.*

(b) Theod. a Niem. in vit. Joan. XXIII.

Gravi terrore Joannes angitur.

Qua ratione se defenderit.

Annitebatur (c) autem omni studio & contentione, ut pontificatum, Gregorio & Benedicto exauctoratis, sibi assereret, Regesque Aragonum & Castellæ ad se pelliceret; atque adeo ut Pisani conventus acta in Constantiensi synodo corroborari satageret: sed ab ea discrepabant sententia patres una cum Sigismundo aliorumque Regum oratoribus, eoque ten-

(c) Acta ms. concil. Const. in lit. encycl.

Pisana acta confirmare annititur.

de-

debant ipsorum studia, ut firma perpetuaque pax in Ecclesia, spretis vel Joannis, vel Gregorii, vel Benedicti commodis, constitueretur, ac momentaneo illorum honori divinam gloriam anteferrent; sicque cum jam ante, dum Pisis solemnes conventus agebantur, sancitum fuisset abdicanda tam a Gregorio quam a Petro e Luna pontificia insignia; ita tum decrevere id non modo ab illis, verum ab Joanne quoque exigendum, quem primum urgendum putaverunt, ut qui æmulis auctoritate antecelleret, ipsos ad spontaneam controversi fastigii abdicationem suo exemplo primus alliceret: ab inquisitione vero in ipsum tunc absistendum censuerunt, ne novas turbas excitarent, utque brevioris viæ compendio ad optata pervenirent.

Actum potius ut contendentes tres cederent.

Concilium, inquit (a) Niemius, *seu majores deputati in eodem ignorantes, quod ipse Balthassar prædictas articulos sciret, & ea quæ pro sui executione tractabat, dimissa eadem inquisitionis via, accesserunt ad eum, rogantes unanimiter ut viam cessionis sui papatus eligeret ad hoc quod alii contendentes de papatu illam similiter acceptarent, quia alias non viderent modum aptum, quod præfata unio fieret in universali Ecclesia pro hac vice. Ad quod ipse læto animo, observata tamen ex industria quadam gravitate, respondit se facturum, quod peterent, dum tamen ipsi alii duo contendentes idem facere vellent. Maluit enim illam viam per se, ut existimo, amplecti, quam prædicti articuli ad ejus dejectionem a papatu admissi & probati fuissent: & dum prædictum concilium illam oblationem ab eodem Balthassare reportasset, facta fuit hic magna lætitia in clero & populo*. Qua de re a Sigismundo & Cardinalibus atque aliis actæ illi ingentes gratiæ; constitutumque fuit, ut proxima illucescente die, nempe secunda martii in publica sessione promissa repeteret. Confecta (b) res est uti decretum fuerat, ac nuncupato solemni sacramento in præsulum cœtu eadem secunda martii die habito Joannes ad id se obstrinxit, modo Gregorius & Petrus e Luna pontificalia insignia ponerent, vel vita functi essent; ac dum concipiebat hæc verba: *Spondeo, promitto, voveo & juro Deo*; provolvit se in genua, manumque admovit pectori. Quo peracto Romanorum Rex assurrexit e solio, atque ante Pontificem in genua procumbens, coronam posuit, Joannisque pedibus libatis osculo, suo & concilii nomine grates egit, quas etiam nomine præsulum exolvit patriarcha Anthiochenus; deinde repetito hymno: *Te Deum*; divinæ laudes decantatæ: de quibus a tabellionibus confecta publica monumenta (c).

(a) Theod. e Niem. in vit. Jo. XXIII.

Rogatus a concilio cessionem spondet.

Quæ lex fuerit ab illo adjecta.

(b) Ead. acta in sess. II.

Quo ritu actæ illi a Sigismundo gratiæ.

Qua forma fuerint conceptæ.

(c) Jo. l. ult. ep. cur. p. 287. ext. in Act. Constant. conc. ms. sess. 2.

Visum deinde est patribus in Joannis sponsione aliquos latere laqueos, cum fieri posset, ut adjecta lex ad exitum non perduceretur, uti contigit, neque enim perfidus Petrus e Luna schismatis maximus propagator unquam cessurus erat; itaque alia illos meditatus esse refert hisce verbis Theodoricus e Niem (d): *Quia postea hujusmodi negotio inter ipsos melius & clarius digesto, eis visum fuit, quod hujusmodi promissio, quamvis grandis & bona esse videretur, forte tamen ad effectum dicta unionis incerta cum esset, possibilis aut contingens, quod forsitan alii duo contendentes de papatu cedere nollent, vel alter eorum cedere nollet, & sic hujusmodi concilium in ea parte supervacue laboraret, & tempus protraheretur in expensis: unde iterum post plures tractatus super hoc per concilium & illi præsidentes hujusmodi habitos in hoc concordabant, quod omnino ab ipso Balthassare magis certam & pinguiorem promissionem super cessione sua prædicta vellent habere, ipsumque ex tunc pluries adire rogantes reverenter & humiliter, quod eos in hoc benigne vellet audire, & ipsam oblationem facere in publico uberiorem, necnon etiam certiorem, & sub testimonialibus literis suis juxta formam, quam in scriptis sibi super hoc tradiderunt: sed in hoc eum invenerunt contradicentem, & de die in diem duriorem. Scivit etiam medio tempore multos principes & alios potentes, necnon ecclesiasticos prælatos tunc hic existentes sibi allicere, concedendo eis quæcumque petebant ab ipso, non habendo respectum ad Deum vel quemcumque hominem, aut si ea quæ petebantur ab ipso justa forent vel injusta, aut rationabilia vel concedi consueta, sperans per hoc divisionem facere in ipso concilio, ne procederet, aut per illud contra ipsum nil posset attentari. Quibus tamen non obstantibus deventum est ad hoc, quod dictam obligationem prius factam per eum, ut præfertur, juxta vota petentium præter spem hominum similiter in alia publica sessione aliqualiter efficaciorem certioremque fecit: de quo tantum gaudium factum fuit in eisdem clero & populo ex tunc pluribus durantibus, quod difficulter posset calamo exarari: sed ipsas literas testimoniales super hoc diu distulit, & recusavit eidem concilio tradere per ambages*. Addit auctor demum a concilio Sigismundi Regis opera literas eas impetratas fuisse, quæ subjectis verbis conceptæ fuere, adjecta ejus diei nota, quo primum abdicationis vota nuncuparat.

(d) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Visa est Patribus Joannis sponsio ambigua.

Porrectæ illi preces.

Rejectæ ab ipso.

Ejus conatus pro discindendo in varias factiones concilio. Expugnatur demum se sinit precibus. Diu literas sponsionis testes negat. Demum victus tradit.

Joannes, &c. universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem.

Pacis bonum omnium bonorum excellentissimum esse Isaias propheta demonstrat, qui Salvatorem venturum pacis principem appellavit, unde etiam in ejus ortu chorus

III. Joannis de sua abdicatione litera.

angelorum decantans: Pax, *inquit*, in terra hominibus bonæ voluntatis. *Sicut autem de ipso Salvatore vox prophetica nunciavit, ita in ipso fuit postmodum adimpletum; pacem enim docuit verbo, pacem docuit per exemplum, pacem inter Deum ac hominem proprio sanguine firmavit, seipsum in ara crucis pro nobis offerens, ut ejus merito propitiatus Deus nos ad æternæ pacis gratiam restitueret, a qua primi hominis peccatum exules nos effecerat. Quæ omnia intra nostræ mentis aciem revolventes, ac ejusdem Salvatoris, cujus vices, licet immeriti, gerimus in terris, cupientes quantum nobis ex alto conceditur imitari vestigia, decrevimus omnes nostros conatus ad illa dirigere, per quæ integra pax Ecclesiæ catholicæ reddi possit. Expropter de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium communicato consilio cum charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Rege Romanorum & Hungariæ illustri, generale concilium in civitate Constantiensi provinciæ Maguntinæ certo tempore ad hoc deputato convocandum curavimus, ac postmodum veniente dicto tempore, licet noviter multa emergentia præsentiam nostram in Italia flagitarent: tamen omnibus posthabitis pro tanti boni confectione una cum eisdem fratribus, non sine magnis difficultatibus, ad ipsum locum pervenimus. Et ne voluntas nostra, nobis a Deo spirata, in occulto lateret; sed tanti boni, quantum ad nos attinet, sequeretur effectus, licet certissima jura ac universalem quasi obedientiam & omnia temporalia dominia Romanæ ecclesiæ paucis exceptis habeamus, tamen pro consequenda pace, viam cessionis, quam omnibus consideratis promptiorem & aptiorem credimus, complecti decrevimus, confidentes indubie quod quanto plura relinquimus, tanto majus apud Deum præmium assequemur. Hac igitur consideratione inducti in publica ipsius concilii sessione ipso Rege præsente & personaliter assistente, nec non præsentibus pluribus principibus ac oratoribus multorum Regum, principum, ac universitatum studiorum, post missam sancti Spiritus per nos solemniter celebratam, ipso sacro approbante & laudante concilio, hanc viam cessionis obtulimus & tenore præsentium offerimus in his verbis.*

Pacis elogium.

Commendat Joannes a se abjectam principatus curam.

IV. Concepta a Joanne abdicationis formula.

Ego Joannes Papa XXIII. propter quietem totius populi Christiani profiteor, spondeo, & promitto, voveo, & juro Deo & Ecclesiæ & huic sacro concilio sponte & libere dare pacem ipsi Ecclesiæ per viam meæ simplicis cessionis papatus, & eam facere & adimplere cum effectu juxta deliberationem præsentis concilii, si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus Corario Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati papatui, quem prætendunt per se vel per procuratores suos legitimos similiter cedant, & etiam quocumque in casu cessionis vel decessus aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis schismatis.

Quocirca universitatem vestram requirimus & hortamur in Domino, quatenus hanc nostram spontaneam & liberam oblationem grato suscipientes affectu, ac pro consummatione & implemento tanti boni Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corario Gregorium XII. in suis obedientiis nuncupatos, eorumque obedientes ad dictam pacem invitantes ad viam cessionis celeriùs exequendam similiter inducatis, & effectualiter induci procuretis; & nihilominus pias vestras orationes & preces Altissimo in humilitate cordis effundere non postponatis, ut per supernam gratiam mundus pacem optatam, & Ecclesia integram recuperet unitatem. Dat. Constantiæ VI. non. martii pontificatus nostri anno V. Cur has literas exegerint patres a Joanne, subjectis verbis indicat Theodoricus Niemius: (a) *Contigit, ea de causa, quia plures egregios prælatos de ipso concilio prædictus Balthasar, dum ab eis talia peterentur etiam in publico verbis injuriosis & opprobriosis vehementer afflixit, incutiendo eis & aliis per hoc timorem, nisi sibi placita de cætero coram eo loquerentur aut peterent ab ipso: quamobrem multi eorum territi, quantumcumque essent etiam viri eminentes, coram ipso loqui de cætero non audebant nisi ea, quæ sibi ejusque assistentibus his & adhærentibus placuerunt. Alios enim omnes, qui dictam unionem, ut fieret puro corde hic laborabant, per ipsum Balthasarem & ei adhærentes proditores nominabantur, & pro eorum hostibus habebantur.*

(a) *Theod. e Niem. in vit. Jo. XXIII.*

Conjunctionis ecclesiarum cupidi proficisci a Joanne.

Sponsionem vero hanc a Joanne eblandita synodus ad Gregorium & Petrum a Luna ad idem permovendos vertit studia: nec difficilem se præbuit Gregorius, qui Carolo Malatestæ sibi addictissimo potestatem fecit, exarato diplomate (b) VI. idus martii, ut in concilio ipsius nomine pontificatum poneret; quæ de re inferius recurret mentio. At Petrus e Luna homo pervicacissimus, qui Castellæ & Aragoniæ Regum obsequio, & viribus nitebatur, graviorem exhibebat molestiam: ad quem redigendum ad officium constituit, assentientibus patribus, Sigismundus cum Ferdinando Rege Aragonum ac Petro e Luna in colloquium venire.

V. Synodus Gregorium & Petrum e Luna ad ponenda pontificalia insignia urget.

(b) *Ext. in actis conc. Constant. sess. 14.*

Sigismundi labores pro flectendo Petro e Luna. Rogatus a concilio Sigismundus ut cum Aragonio Rege & Petro e Luna colloquium ineat.

Tum novas a Joanne moras difficultates ad rem disturbandam, perruptasque feliciter fuisse, ita memorat prædictus Theodoricus e Niem: *Obtinuit tandem ab ipso Rege præfatum concilium, quod promisit & juravit sponte, quod habitis literis testimonialibus & procuratorio sufficienti ab eisdem Balthasare & concilio perso-*

fonaliter accedere debet ad Regem Aragonia & Petrum de Luna, qui propterea per mare usque ad civitatem Niciensem vel Villamfrancam, quae est portus dicta civitatis in Provincia, per totum mensem julii tunc currentem vellet in simul convenire ad tractandum finaliter cum ipso Rege Romanorum de concordia unionis ejusdem. Quod sentiens dictus Balthasar allegavit quod hoc non esset nisi inutiliter perdere tempus, ipse enim vellet illuc ire, vel prope ad aliquam civitatem personaliter ad tractandum cum eadem Petro per medias personas, qualiter compendiosius dicta concordia fieret, & sic non expediret hujusmodi tempus in longum differre; & quod sic fieret ipse Balthasar fortiter instabat: concilium vero hujusmodi & multi praestantiores ex illis, hic tunc pro magna parte existentes, considerantes quod si sic fieret, per hoc concilium hujusmodi dissolveretur, quia non essent dispositi illi, qui hic tunc erant ire remote ad partes Galliae, & sub incerto, timebant enim, si id procederet, quod tunc fieret sicut factum fuit in casu simili, quando Gregorius ad Lucam & ipse Petrus ad castrum Portus veneris in riparia Januensi ad faciendam tunc eamdem concordiam, prout diu ante solemniter juraverant & voverant, cum sua curia & curialibus accesserunt: & tandem nihil, quod ad dictam unionem in simul concludentes, sine fine recesserunt, totam Christianitatem utquiter defraudando.

Joannis XXIII. ad rem disturbandam artes.

Praevisae a concilio.

Immerito eo crimine aspergitur Gregorius, cum Petrus e Luna nullum locum colloquii vellet admittere, nisi in quo Gregorium posset opprimere: illum autem Gregorius jure declinaret. Addit Niamius de patribus Constantiensibus: *Existimabant enim concilium & ei praesidentes praedicti, quod similia etiam tunc fierent per ipsos Balthasarem & Petrum, si ad contigua insimul venirent.* Id sapientissima quidem & jure optimo suspicabantur, cum uterque ambitione ardens insignia honoris ecclesiarum conjunctioni salutique animarum praeferret, atque instar adulterinae matris diceret: *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur*; Gregorium vero, instar verae matris cessisse suo jure, ne amplius Ecclesia divideretur, ac vare pontificio munere in deponendo pontificatu perfunctum visuri sumus.

Pereunt Joannis artes.

(c) Ext. in act. ms. conc. Constant. ante sess. 2.

Pactiones pro Niciensi colloquio celebrando.

Itoque periere artes Joannis quibus dimittere concilium non perfecta ecclesiarum conjunctione annitebatur: profecturoque in Aragoniam Sigismundo hae pactiones (c) cum Joanne Diaat & Petro Falchia Aragoniis oratoribus firmatae sunt; ut Sigismundus morbo liber ac solutus, junio excurrente Niciam in Provinciae limite sitam se conferret: Ferdinandus una cum Petro e Luna labente eodem mense Villamfrancam peteret, ad consilia de redintegranda ecclesiarum conjunctione conferenda; ac Petro e Luna permitteretur summum Imperium in Villamfrancam, ita ut oppidani omni sacramento, quo vel Regi Francorum vel duci Sabaudiae devincti fuissent, soluti renuntiarentur: pollicitusque est Rex Aragonum Villafrancanos a se indulgenter habendos, dimissoque colloquio arcem & oppidum duci Sabaudiae restitutum iri: demandata Regi Romanorum cura, ut a Gallo & Sabaudo amplissimas de fide publica syngraphas Regi Aragonio ac Petro e Luna compararet, justoque pretio commeatus suppeditandos curaret: flagitatum ab eodem, ut lapsuro exinde temporis intervallo, & eo, per quod tenuerit is congressus, nihil in Constantiensi synodo novaretur, quod ecclesiasticam pacem turbare posset: obtineret a Joanne Sigismundus pro Petro e Luna solemne impunitatis chirographum: constitutum etiam, ut Sigismundus ac Ferdinandus mutuo sibi fidem obligarent, ab omni vi & injuria temperaturos, quae singula in publica monumenta, quae in MS. actis Constantiensis concilii extant, redacta fuere.

Facultatem igitur dedit Joannes (b) Sigismundo Romanorum Regi, ut ea singula observatum iri pacisceretur, promulgavitque subjecto diplomate nihil in synodo Constantiensi novandum esse, quod paci ecclesiasticae instaurandae adversaretur, donec id colloquium solutum foret; dummodo vicissim Petrus e Luna nil contra Ecclesiam novaret.

(b) Jo. l. ult. ep. cur. pag. 284.

Decretum nil novandum esse in concilio.

Joannes, &c. charissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum & Hungariae Regi illustri salutem, &c.

Joannis hoc de re decretum.

Cum tua serenitas, prout ab eadem & multorum fidedigna relatione didicimus, ad hoc ut desiderabilis, & salutaria cunctis Christifidelibus unionis integritas, in Dei Ecclesia subsequatur, cum nuntiis Petri de Luna, in ejus dudum obedientia Benedicti XIII. nominati, nec non dilectis filiis oratoribus charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Regis Aragonum illustris ad quadam pacta & conventiones devenerit, & inter caetera initum & concordatum extiterit, ne aliquid hinc inde turbationum insurgat mutuae visioni inter eamdem serenitatem, Petrum de Luna, & Regem Aragonum praedictos, divina favente clementia, peragendae, ac unitati & paci Ecclesiae superadictae, quod hinc & per totum mensem junii proxime futuri, & ulterius durante visione tractata, & tractantibus, circa dictae unionis materiam peragendis usque ad recessum a loco & portu de Villafranca in quibus, juxta hujusmodi foederis exigentiam, debet conventio tuae celsitudinis & praefatorum Regis Aragonum atque Petri authore Domino celebrari, tua serenitas faciet cum effectu, & ex tunc

asse-

assecuravit, & in securo posuit, quod interim in congregatione, quæ de præsenti est, sive esse asseritur, in hac civitate Constantiensi, in qua præsentialiter pro celebratione generalis concilii, & reformatione status ejusdem Ecclesiæ, tam in capite quam in membris, actualiter residemus, seu alias nil innovetur, seu innovari permittet, quod possit turbare unionem hujusmodi, seu incentivum, vel causam dare turbationi hujusmodi; quodque in continenti decerni faciat, ac etiam declarari ex tunc prout ex nunc, & ex nunc prout ex tunc, esse irritum & inane quicquid in contrarium quomodolibet contingeret imposterum attentari; nos, qui supremis exoptamus affectibus effectum unionis & pacis hujusmodi in præfata Ecclesia provenire, sumentes ab eadem celsitudine tua in hic & aliis in Altissimo fiduciam specialem; volentes quantum ad nos attinet præmissa conventa & concordata, ad effectum perduci posse desiderabilem & votivum, eidem serenitati tuæ nomine nostro ratificandi & approbandi prædicta inita & concordata; & etiam promittendi, & assecurandi, seu in securo ponendi, quod in hac civitate Constantiensi ac concilio & congregatione prædictis, seu alias nihil innovabimus, aut innovari quomodolibet permittemus, quod turbare posset unionem hujusmodi, seu incentivum vel causam dare dictæ turbationi, dummodo vice versa idem Petrus de Luna prætensus Benedictus XIII. promittat, & agat & exequatur pro parte sua, prout per eandem serenitatem tuam cum dictis oratoribus & nuntiis ipsius & dicti Regis Aragonum initum est, & etiam concordatum; plenam & liberam tenore præsentium concedimus potestatem, ratum & gratum habituri quidquid per eandem serenitatem tuam factum fuerit in præmissis; idque faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; decernentes ex nunc irritum & inane, si secus a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contingeret imposterum quomodolibet attentari. Volumus autem, quod de iis, quæ circa hujusmodi materiam eadem tua serenitas egerit, nos & apostolicam cameram per patentes literas, seu publica documenta, celeriter informare procures ad plenam notitiam eorumdem. Dat. Constantiæ kal. martis anno quinto. Commendatitias etiam literas scripsit (a) Joannes ad Amedeum Sabaudiæ comitem, quibus rogavit ut studia sua ad perficiendum hujusmodi congressum conferret, ac Villamfrancam ditionis suæ maritimum oppidum Ferdinando Regi Aragonum committeret, ac si quopiam sacramento contrario obstricti essent cives, ea religione solutos apostolica authoritate renuntiavit.

Acta pacem turbantia caritura viribus pronuntiatum.

Data Sigismundo perficiendi potestas amplissima.

(a) Ib. p. 217.

Rogat Sabaudum Joannes ut portum Villamf. mutuetur Aragonio.

Joannes, &c. dilecto filio nobili viro Amedeo comiti Sabaudiæ salutem.

Supremis exoptantes affectibus & etiam intendentes, ut quantum in nobis fuerit pax in universali Ecclesia sancta Dei nostro ministerio inspirante Altissimo, cujus res agitur, incrementis salutaribus & celeriter compleatur, & hujus rei causa locus Villefranchæ ac Portusoleii Nicænsis diœcesis tuæ nobilitatis ditioni suppositis pro conventione charissimorum in Christo filiorum nostrorum Sigismundi Romanorum Hungariæ ac Ferdinandi Aragoniæ Regum illustrium, nec non Petri de Luna olim Benedicti XIII. in ejus obedientia nuncupati, de communi concordia ipsius Romanorum & Hungariæ Regis, ac oratorum & nunciorum præfatorum Aragoniæ Regis atque Petri pro tractatu & conclusione unionis & pacis hujusmodi modis salutaribus celebrando, & hujus rei causa præfatus Romanorum & Hungariæ Rex, sit, authore Domino, ad partes illas celeriter profecturus; & innumeris collegeremus argumentis, eandem nobilitatem tuam status, pacis, & honoris præfatæ Ecclesiæ, prout catholicum decet principem, fuisse ac existere ardentissimam zelatricem; ob id eandem nobilitatem tuam, de qua in his & aliis specialem in Altissimo fiduciam obtinemus, paternis affectibus requirimus & hortamur in Domino, quatenus ob Altissimi gloriam ac pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia & consecutione tanti boni a cunctis Christi fidelibus intentissimis desideriis exoptandi placeat, prout speramus & cupimus, de dictis locis pro conventione hujusmodi præfatis Aragonum Regi ac Petro, vel eorum procuratoribus seu nunciis, hoc principaliter exquirentibus, juxta requisitionem præfati Sigismundi Romanorum & Hungariæ Regis pro tempore, modis, & formis, prout per ipsum Sigismundum Regem vel ejus nuntium requiri contigerit effectualiter & de speciali gratia providere, ut ejusdem tuæ nobilitatis interveniente præsidio, & per opportunitatem accommodam dicti loci ipsum negotium, divina superillustrante clementia, suum effectum desiderabilem consequatur, ut exinde ultra sempiternæ vitæ munere, nostramque & Apostolicæ sedis benedictionem & gratiam apud Reges, & principes Christianitatis & reliquos Christicolas tui nominis gloria supremis titulis illustretur, & fama transeat ad ultimos orbis fines: & si forsan aliqua conventiones, pacta, vel fœdera inter nobilitatem eandem ac universitates, vel singulares personas, vel alicujus eorum inita, etiam juramentis vallata, vigerent de non transferendo illorum dominio seu aliter concedendis juribus vel custodia eorumdem illis invitis aut irrequisitis, ex nunc authoritate apostolica &

Conjungat studia pro conficienda pace.

Propositæ rei gloria.

ex

eu certa scientia pro bono hujusmodi, pro tempore quo durabit conventio & residentia prædicta, hujusmodi pacta & etiam juramenta super iis præstita præfatam tenere suspendemus, & ad illorum observationem te ac heredes tuos pro dicto tempore decrevimus non teneri, ac tecum, in quantum opus sit etiam dispensamus, iu contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Constantiæ idib. martii an. v.

Visum postea est colloquium ad mensem julium extrahendum integris tamen & illibatis reliquis pactionibus; qua de re Ferdinandi Regis Aragonum literæ (a) Valentiæ XXVII. aprilis die anno MCCCCXV. regni IV. exaratæ extant: jam enim novæ rerum conversiones a Joanne XXIII. erant factæ, cum enim ille variis artibus clam dissolvere concilium parasset, pluribus etiam præsulibus ad secessionem meditantibus; cæteri vero accensi ecclesiasticæ pacis confirmandæ pio studio, cum Sigismundo edixissent, ne cuiquam Constantiæ discedere liceret, Joannes eorum sententiam perfidiæ accusare cœpit, qui traditam fidem publicam violarent: tum, ut refert Theodoricus (b) Niemius Fridericum ducem Austriæ, ut ab eo Constantia educeretur excivit, finxitque valde noxium suæ valetudini esse Constantiense cœlum, cumque Sigismundus Cæsar illum convenisset; ac finitima loca amœnissimu ad captandum puriorem aerem offerret: *Respondet*, inquit Theodoricus, *quod nullatenus nisi dicto concilio dissoluto ab hinc recedere vellet, credens forte, quod eo recedente ab hinc illud dissolveretur omnino.* Ad illud itaque dissolvendum cum patres u constanti mente propagandi concilii, donec ecclesiarum conjunctio redintegraretur, dimovere non potuisset, simulato cultu regiam custodiam fallere, ac fugam capessere decrevit.

(a) *Ext. in act. ms. post sess. 2. Act. ms. ibid.*

Dux Austriæ a Joanne excitus ad carpendam fugam.

(b) *Niem. in vit. Jo. XXIII.*

Fallaces Joannis pollicitationes de tollendo schismate. Pereunt ejus doli.

Die mercurii, inquiunt acta, *vigesima martii dominus noster Papa prædictus de nocte recessit, aut veriat fugit de civitate Constantiensi in babitu simulato admodum rustico, & ivit usque Scaphusen, Constantiensis diœcesis prope Constantiam, ad quatuor milliaria theutonicalia, ad terram illustris principis domini Frederici ducis Austriæ pro prima sua dieta.* Capta ita fuga Joannes, ut invidiam, quam apud omnes bonos contraxerat, a se removeret, suis vulgavit literis, non retinendi pontificii apicis cupiditate ubscessisse Constantia, sed ut sibi pontificium cultum sine libertatis discrimine uxuere liceret, quæ in actis MS. his verbis conceptæ sunt: *Gratia Dei liberi sumus in Scaphusen, & non venimus animo declinandi ab iis, quæ promisimus per nostram renuntiationem facere pro pace Ecclesiæ sanctæ Dei, sed ut in libertate & salute propria personæ nunc possimus ea executioni demandare. Dat. in Scaphusen XXI. mensis martii MCCCCXV.*

Turpis Joannis fuga.

Fugam infamem corripit.

Promulgat solutus suæ studio abscessisse.

Promulgante (c) hisce literis Joanne, se u facta ab ipso de abdicando pontificatu sponsione non discedere, præsules Constantienses coram Sigismundo Rege & quatuor nationum præsidibus professi sunt, se pariturus Joanni perstanti in priori sententia, ut in ea ipsum confirmarent; ac Jordanum Ursinum Albanensem episcopum, Guillelmum tit. S. Marci presbyterum, Amedeum S. Mariæ novæ diaconum Cardinales misere, ut ipsum de re gesta post discessum illius, gerendisque in posterum facerent certiorem. At Joannes, qui varios nectebat dolos, ut concilium solveret, perspicuum certumque responsum non dedit: cumque optarent Cardinales, qui hæserant Constantiæ, ut dies sessionis, donec id datum esset, extraheretur, patres ad eludendas Joannis & ipsius sectatorum fraudes sessionem (d) tertiam XXV. martii peregere, cui Petrus tit. S. Chrysogoni presbyter Cardinalis Cameracensis præfuit. [1] Post Missæ sacrificium atque habitam a Cardinale Florentino piam orationem, ut cuncti ubscisso rerum omnium respectu divinæ studerent gloriæ, promulgata fuere decreta, quibus concilii auctoritas constabilita est, ac sancitum non dissolvendum esse, nec transferendum donec sublatis intestinis dissidiis, Ecclesiæ pax restituta foret. Interfuere (e) illi sessioni duntaxat duo prædicti Cardinales Petrus tit. S. Chrysogoni presbyter & Franciscus SS. Cosmæ & Damiani diaconus, cum cæteri vel impliciti adversa valetudine essent, vel indecorum censerent synodo interesse, donec de Pontificis responso edocerentur. Cameracensis vero & Florentinus de quibus paulo ante memoravi, contrariam secuti sententiam in publico cœtu XXVI. martii in ecclesia Constantiensi coram Sigismundo Rege & præsulibus iterum sunt professi pariturus se Joanni, si pontificalia insignia vellet exuere, atque censere eo casu Constantiensis concilii partium fore Joanni saveru, eundemque in ea sententia confirmu-

(c) *Act. MS. conc. Constant. post sess. 3.*

Promissum Joanni si perstiterit in priori sententia illi pariturі.

Nititur Joannes solvere concilium.

Sess. III.

(d) *Acta sess. 3.*

(e) *Act. MS. conc. Constant. post sess. 3.*

Decretum concilii in Joannis causa.

NOTÆ [1] AD tertiam sessionem quod attinet pigeret hic ex præterire quæ leguntur in epistola VII. oratorum academiæ Coloniensis, quas epistolas leges inter acta varia de schismate Avenionensi apud Martene Anecdot. to. II. col. 618. *Post recessum papæ fuit solemnis congregatio concilii, & in loco sessionis, tamen sine sessione.* In variis tamen actis concilii Constantiensis per varios scriptis, & e multis collectionibus vulgatis, hæc pariter sessio cum reliquis concilii Constantiensis suo ordine recensetur. MANSI

Joannes abdicationem per ambages ſpondet.
(a) Ext. ib.

mare. Quibus patres, Rex Sigiſmundus, Regumque aliorum oratores aſſenſere. Pomeridianis vero horis, quatuor nationum præſidibus congregatis perlectus eſt Joannis ipſius libellus (a), quo procuratoribus abdicandæ ipſius nomine pontificiæ dignitatis poteſtatem faciebat, modo invitus non detineretur, additis aliis nonnullis ambagibus: ac poſcebat ut Sigiſmundus & concilium ipſius ſaluti libertatique conſulerent, & Cardinales ad eum atque ab ipſo Conſtantiam ultro citroque commearent, penesque ipſam eſſent, qui Romanæ curiæ munera exercerent, nec Frederico Auſtriæ duci bellum moveretur, ullave moleſtia inferretur.

Miſit etiam diploma, quo cenſuras pontificiis aulicis, qui Conſtantiæ morabantur incuſſerat, irritas eſſe juſſit, ut ipſis ad recurrentem octavum a paſchate diem in Conſtantienſi urbe verſari liceret, quod xxviii. martii die publice propoſitum eſt. Poſt Joannis enim fugam nonnulli Cardinales ad eum ſe contulerunt ac dein reverſi movere litem Joannem eſſe ſuperiorem concilio, tum allata fuerunt pontificiæ curiæ adminiſtris mandata, ut Conſtantia diſcederent. At patres Joanni merito oblactati ſunt, cum, ut diximus, Joannes vel non eſſet Pontifex vel ambiguus, atque ex Piſani conventus axiomate, licet alias Papa ſit concilio ſuperior, ſchiſmatis tamen tempore cum vere ambigitur, quis ſit verus Pontifex, ſuprema authoritas ad concilium ſpectet: atque adeo ea ratione, qua Joannes ſibi pontificatum aſſereret, concilio ſubiiceretur; nam ſi concilio Conſtantienſi ſubiiciendus Joannes non ſit, multo minus Piſano Gregorius ſubiici potuit. Has vero turbas ita deſcribit Theodericus Niemius:

(b) Theod. a Niem. in vit. Jo. xxiii.
Plures Cardinales Joannem ſequuti.

(b) *In dominica in ramis palmarum ſumma mane duo Cardinales, ſcilicet Paduanus & Placentinus, recedentes ſecrete de Conſtantia ipſum Balthaſarem ſecuti fuerunt, & eadem die poſt prandium etiam de Chalanco & de Brancaciis, nec non Barenſis & ſucceſſive quidam alii Cardinales etiam de Conſtantia recedentes, dictum Balthaſarem ſequebantur, ſimiliter multi officiales & curiales eos de Schaffuſen pro tunc etiam de Conſtantia ſecuti fuerunt; ſed quarta feria redierunt huc, ſcilicet ad Conſtantiam de Schaffuſia quatuor Cardinales: & illa die fuit congregatio illorum, qui erant de concilio & interfuit Rex ipſe, & illuc acceſſerunt ſex Cardinales & ampla multum locuti fuerunt contra ipſum concilium, ſcilicet quod diſſolutum eſſet propter abſentiam & receſſum dicti Balthaſaris: & eis reſponſum fuit acriter per plures de ipſo concilio viros magnæ authoritatis & ſcientificos, ſcilicet, quod Papa non eſſet ſupra concilium ſed eſſet ſub concilio, & facta illic contentio magna hinc inde.*

Exorta lis an ex Joannis abſentia concilium diſſolutum foret.

Ejus ſtudioſi contendunt ipſum concilio eſſe ſuperiorem ſed repulſam paſſi.
Promulgata Joannis edicta ut pontificii adminiſtri Conſtantia diſcedant.

Quibus ſic ſtantibus reperta fuit in portis majoris eccleſiæ Conſtantienſis affixa quædam ſchedula papyrea, in qua citabantur omnes officiales Papæ, ſcilicet quod ſub pœna excommunicationis & privationis ſuorum officiorum ipſum Papam ad Sebeffuſiam infra paucos dies & in ſeptimana ſancta ipſa ſequerentur: ſed illico dicta ſchedula per quoſdam de prædicto concilio perlecta & depoſita, & ad eamdem congregationem deportata fuit, ignorantibus Cardinalibus ipſis. Qua per quemdam venerabilem epiſcopum in ipſa congregatione perlecta, idem epiſcopus dixit eiſdem Cardinalibus, tunc præſentibus: Reverendiſſimi patres, nos credebamus, quod huc pro bono pacis & concordiæ veniſſetis; ſed duxiſtis contra nos ſal vobiſcum. Ad quod reſponderunt, quod utique pro bono pacis huc rediiſſent, at ille: Quare igitur portaſtis citationem contra officiales domini Papæ & curiales hic exiſtentes in præjudicium hujus ſacri concilii, & eam nobis irrequiſitis & inſciis publicaſtis? quod tamen conſtanter Cardinales ipſi negabant. Et tunc idem epiſcopus prædictam ſchedulam protulit in medium, eamque ibidem in publica legit, de quo prædicti Cardinales aliquantulum fuerunt ſtupefacti, dicentes quod de ipſorum mandatis hoc non proceſſiſſet: ſed bene erat verum, quod dicta ſchedula die immediate ſequenti in eiſdem portibus affigi & publicari debebat. Et ſuſcitato majori clamore contra eos in congregatione præfata, ipſi domini Cardinales inſalutato hoſpite abierunt: ſed ipſa die immediate ſequente ad placandum dictum concilium tempus ſequendi præfatum Balthaſarem in eadem ſchedula deputatum dicti domini Cardinales ad aliquot dies auctoritate ejuſdem Balthaſaris, ut dicebant prorogarunt, per hoc reddentes ſe concilio hujuſmodi magis ſuſpectos, quia ipſi Cardinales ultimo, quod ratione non poterant illic, tunc clamoribus defendere voluerunt.

Graves in concilio exortæ turbæ.

Abhorrebat certe ab omni ratione, ut Joannes ad retinendam ambiguam dignitatem diſſoluto concilio ſchiſma propagaret, nec poſſet ſynodus ſublatis de pontificatu controverſiis, Pontificem non ambiguum univerſali Eccleſiæ præficere; maxime cum ipſe Joannes Piſani conventus auctor adverſus Gregorium contendiſſet, Pontificem ambiguum eſſe quaſi nullum, non aliter quam id, quod ignoratur an ſit conſecratum, pro non conſecrato habetur.

Iniquiſſima Joannis cauſa.

VII.
Status controverſiæ an Papa ſit ſupra vel infra concilium qualis extiterit.

Itaque in præſenti controverſia, an Joannes Pontifex ambiguus vel nullus concilio œcumenico eſſet ſuperior, ut ad illius imperium diſſolvendum foret concilium Conſtantienſe, an contra illius imperia propagari deberet, donec ſchiſma penitus excinderetur, in quarta ſeſſione trigeſima martii die nova ſanctio lata ad

ſy-

Sessio XV.

Concilii auctoritas supra controversos Pontifices.

synodi Constantiensis pro redintegranda ecclesiarum conjunctione congregatæ adversus Pontificem, & duos pseudopontifices decertantes de pontificatu corroborandam authoritatem, quam ipsi Christo nullius medii beneficio retulerunt conceptis hisce verbis: *Declarat quod ipsa synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, generale concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei, in capite & in membris* [1]. Quæ verba si suis librentur ponderibus ad Constantiensem synodum restringenda sunt cum eo tempore apud Christifidelium multitudinem non ita constaret, quis trium insignia pontificia gerentium jure fultus esset, atque aliunde constaret tributam a Domino Ecclesiæ, ad schismata evellenda, fidemque tuendam, & creandi non ambigui Pontificis authoritatem; animadvertendum enim imprimis, ut observat Joannes Cardinalis Turrecremata (a), Constantiense concilium pro varia temporum ratione contemplandum, atque augustioris modo, modo angustioris fuisse authoritatis: nam quo tempore editum fuit superius decretum, an œcumenicum esset, magna lis erat apud catholicos, cum synodo adfuissent tantum ii, qui Joanni parebant: crevit deinde authoritate in sessione XIV. quando Gregorius Joannis Dominici Cardinalis legati opera illud confirmavit, sed quæ adhuc in controversiam

(a) *Turrecr. summa de eccl. l. 2. c. 9.*

Constantiensis concilii auctoritas varia fuit secundum varietatem temporum.

adducebatur. Cum vero Hispani demum Constantiensibus præsulibus se junxere, aucta tum maxime illius dignitas, ut non dubitaretur amplius apud catholicos quin œcumenicum esset. Non promulgasse etiam illos cum ea, quæ adhiberi consuevit in conciliis maturitate, superiorem sanctionem memorant nonnulli, ac tum excitatas turbas narrat Rodericus episcopus Calaguritanus, in dialogo de authoritate & potestate Romani Pontificis, qui hoc se ab iis, qui interfuere concilio, accepisse affirmat, atque a Campegio (b) adducitur: *Decretum illud*, inquit, *præter id quod factum fuit a sola obedientia Joannis XXIII. nec etiam concorditer factum ab omnibus ejusdem obedientiæ, cum reclamaverint complures S. R. E. Cardinales, complures prælati & doctores, affirmantes decretum minus juridicum fore, daturumque quandoque occasionem schismatis; contradixerit & ipse Joannes XXIII.* Effudisse illum graves querelas apud Caroli Regis Francorum oratores, qui ipsum convenerant, refert Turrecremata (c): *Cum*, inquit, *post recessum suum a Constantia Scaphusæ constitutus audiret præfatam declarationem conclusam dominis oratoribus Christianissimi Regis Franciæ visitantibus eum, videlicet domino duci Bavariæ, domino Nicolao de Calavilla, aliisque eorum collegis amaro animo conquestus est, falsa quædam & erronea adversus authoritatem Romani Pontificis decreta per æmulos suos, post recessum ejus, esse conclusa.*

(b) *Thom. Campeg. de potest. Rom. Pont. c. 23. §. 6.*

Superiori decreto plures intercessere.

(c) *Turrecr. sup. c. 95.*

Questus est Joannes falsa post suum discessum decreta prolata.

Sessio V.

Sed Joannes adducere concilium in invidiam nitebatur, quasi suam auctorita-

NOTÆ [1] QUoad celebre illud decretum in hac primum concilii sessione IV. editum & in sequenti iterum vel sancitum vel auctum, vel confirmatum multus est annalista; majora & luculentiora dedit Cl. Schelstratus in erudito opere, quod de hoc argumento elaboravit, inscripto. *De vero sensu sessionis IV. & V. concilii Constantiensis*. Cujus laboris scopus is est, ut demonstret nihil in iis canonibus sancitum fuisse nisi quod concilium superiorem obtinebat potestatem in his & similibus circumstantiis, in quibus de legitimo pontifice ambigeretur. Quin & in hanc sententiam an satis legitime convenerint patres ambigendi ratio succurrit. Primo enim in quarta illa sessione cardinalis Florentinus quædam pro arbitrio mutavit, iis neglectis, de quibus convenerant nationes in cœtibus illis quibus ea parabantur, quæ dein ab universo concilio approbanda erant. Ita enim palam testatus fuit author *cedulæ* pro valvis *palatii episcopalis Constantiensis die Lunæ VIII. martii* (lege Aprilis) *exposita*, vulgatæ a Martene Anecdot. to. II. col. 1620. *Iste cardinalis Florentinus cedulam, quam nationes concordaverant in sessione, quæ facta fuit penultima martii, detruncavit & detruncavit*. Insuper verba illa. *reformationem generalem ecclesiæ Dei in capite & in membris* furtim in acta edita hujus sessionis irrepsisse ex eo suspicari licet quod desint in novem MSS. codicibus Schelestrati aliisque sex Martenio, qui Concilii Constantiensis acta cum amplissima veterum documentorum appendice non ante multos annos vulgavit. In decreto vero quintæ sessionis fateor equidem verba illa legi, sed quid statuendum sit de hac sessione discere licet ex iis quæ in MS. codice D. Schelestratis narrantur. Scribit enim author ille anonymus, sed quantum ex indiciis colligitur præsens, *dominos cardinales & oratores regis Franciæ* antequam in concilium se conferrent *protestationem secrete præmisisse, quod propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi his quæ audiverant in ipsa statui debere*. Igitur decretum illud in quarta quidem sessione de pontifice nihil statuit; in quinta vero licet de pontifice disposuit, patrum tamen assensu destitutum fuit.

Nec est cur mihi reponatur facto ipso demonstrasse concilium, quæ patrum omnium fuerit de præstantia concilii supra pontificem sententia, cum Joannem, quem legitimum pontificem agnoscebat, deposuerit. Neque enim ad sententiam depositionis antea processum fuit, quam ipsum se pontifex arbitrio concilii permiserit, latæque de se sententiæ ipse subscripserit. MANSI

tem Pontificibus sine ullo discrimine prætulisset; quocirca præsules Constantienses idem decretum in sessione v. (a) cum jam Joannes Scaphusa Laffemburgum abiisset, renovarunt repetitis iis verbis: *In his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis*, quæ demonstrant de iis tribus locutos, qui pontificia insignia per id tempus gerebant, quorum tum apud plerosque controversa erat auctoritas: cujus quidem sanctionis vis exercita est, cum Joannem ab jure pontificatus depulere, ubi Gregorius una cum suis, papali dignitate deposita, se Constantiensibus conjunxit, & proximo anno postquam Hispaniarum ecclesiæ se illis etiam aggregassent; quo tempore œcumenicum concilium summo omnium consensu agnitum est, iterum eadem sanctio suum robur tenuit, cum Petrum e Luna decretoria sententia damnarunt; is enim pertinaciter contendens Pontificem, quamvis ambiguum difficillimi schismatis tempore œcumenico concilio non subesse, anathemate ab illo est perculsus: quæ sententia iterum in Senensi synodo corroborata est.

(a) *Acta conc. Constan. sess.* 5.

Contraxere patres decreti vim ad tempus schismatis.

Petrus e Luna contendens Pontificem quamvis ambiguum non subesse concilio.

VIII. Bellarmini insignis sententia.

Fuisse porro dictis jam limitibus circumscriptum decretum Constantiense, quo asserta est ipsius adversus ambiguos Pontifices auctoritas, nitide Robertus Cardinalis Bellarminus (b) astruit; *Non definit*, inquit, *absolute concilia generalia habere a Christo potestatem supra Pontifices, sed tantum in casu, id est tempore schismatis, quando nescitur quis sit verus Papa, nam dubius Papa habetur pro non Papa, & proinde habere super illum potestatem non est habere potestatem in Papam*. Et infra: *Et si concilium sine Papa non potest definire nova dogmata fidei, potest tamen judicare tempore schismatis quis sit verus Papa, & providere Ecclesiæ de vero pastore, quando is nullus aut dubius est: & hoc est, quod recte fecit concilium Constantiense*. Hæc Bellarminus secutus Turrecrematam (c), qui ante adeptos cardinalitios apices Constantiensi concilio interfuit, Sanderum (d), & Campegium, qui decretum id controversum ita interpretatur (e): *Putamus decretum illud conbur obtinere, nec eo imminutam auctoritatem Romani Pontificis, quoniam si is (quod Deus avertat) in hæresim lapsus sit, non in eum habet concilium potestatem, qui sit Pontifex, sed in eum qui fuerit Pontifex, quod hæresis omni eum auctoritate & potestate spoliaverit: in casu vero schismatis, cum scilicet duo vel plures de pontificatu contendunt, cum ignoretur quis eorum sit Pontifex, concilium in eos habet potestatem, qui pro Pontificibus non habentur: sicut enim quod nescitur consecratum pro non consecrato habetur, & consecratione eget cap. Veniens de presbyter. non bapt. cap. solemnitates de consecrat. dist. 1. sic qui ignoratur an verus sit Pontifex, habendus est pro non Pontifice & in eum habens potestatem non censetur habere potestatem in Pontificem. His adstipulantur verba cap. Si duo forte contra fas LXXIX. dist. & decreti, de quo est nobis sermo: ex quibus perspicue colligi potest illis duobus casibus concilio tribui potestatem in Romanum Pontificem. Nec te deterreant verba: Cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur; quoniam is Papa præmissis casibus in quem concilium potestatem obtinet, sic Papa nuncupatur, ut homo mortuus aut pictus homo appellatur, quod satis ex præmissis colligitur*.

(b) *Bellarm. l. 2. de concil. auctor. c.* 19.

(c) *Turrecr. sup. c.* 49.

(d) *Sander. de visib. monarch.*

(e) *Campeg. in oper. de potest. Rom. Pont.*

Tempore schismatis Papa dubius inferior concilio.

Præterea illi patres decretum illud locum habere voluerunt tempore schismatis, non autem cum fuerit unus verus & indubitatus Pontifex; & quod dicitur in secunda parte decreti: Item declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis, status, vel dignitatis, etiamsi papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus hujus sacræ synodi & cujuscumque alterius concilii generalis legitime congregati, &c. super præmissis, referendum est ad similem casum schismatis, aut hæresis Romani Pontificis, quo recte concilio subjicitur: nec quod dicitur, ad reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris, referendum est nisi ad reformationem ratione schismatis aut hæresis, cum desit verus Pontifex, cujus est Ecclesiam reformare; sic quod dicitur in capite & in membris, interpretandum de capite dubio & incerto, cum super eo concilium habeat jurisdictionem, non autem si certum fuerit & indubitatum. Hactenus Campegius. Probatur denique ex patribus Constantiensibus insuper ipsos contrahendum id decretum ad tempus schismatis, nam in ipso Pisano concilio ita sanxerant præsules illi de auctoritate concilii contra contendentes de pontificatu (f): *Declaramus*, & infra, *ipsum concilium convocare potuisse & hujusmodi convocationem ad dictum sacrosanctum concilium spectasse & pertinuisse, & spectare & pertinere hac vice in hac causa detestandi & antiquati schismatis*. Pariterque Cardinales Gregorio opponenti auctoritatem pontificiam concilio superiorem esse, responderunt diserte (g): *In casu de quo agitur quando scilicet sunt duo contendentes de papatu, ut est in casu præsenti concilium generale est judex ordinarius & superior utriusque: nam clarum est quod propter dubium unus non est superior alteri nec ambo simul cum non possint esse duo capita & esset contra articulum fidei & in unam sanctam, &c. nec alter ipsorum per se habet in ista materia aliquam jurisdictionem, nec convocandi, nec ordinandi, nec aliquid statuendi, nam alias quilibet esset judex in causa propria de titulo sui papatus*.

Non ambiguus Pontifex superior concilio.

(f) *Ann.* 1409. *n.* 77.

Quid senserint patres Constantienses declaratur per superiora decreta.

(g) *Ann.* 1409. *n.* 42.

De-

Basileenses schismatici male interpretati decretum Constantiense.

Detorsere postea in pravum sensum idem decretum plures Basileensis conventus seditiosi, adeo ut Constantiensibus patribus affingerent ab ipsis pronuntiatum, concilia Romano Pontifici, de cujus fastigio non disceptatur in iis quæ ad mores spectent, jura dare, illumque gradu dimovere posse: quorum interpretationem ex eo falsam esse constat, quod controversia illa tum temporis non agitata esset, deque concilii authoritate adversus Joannem dubiæ dignitatis, qui illud dissolvere annitebatur, ac Petrum e Luna pertinacissime illud damnantem agebatur. Hactenus de vero sensu Constantiensis decreti, ex quo excitandorum motuum occasionem novatores sunt aucupati: nunc concilii historiam prosequamur.

Sancitum etiam in eadem quarta sessione fuit, Romanam curiam Constantia Joannis imperio non abducendam, sed suis muneribus pontificios administros in eadem urbe perfuncturos, & si quæ censuræ a Joanne infligerentur, eæ rescissæ sunt. Constitutum etiam, si quos Joannes sacra purpura donaret, eos in Cardinalium numero non habendos; quibus decretis omnes perversæ Joannis molitiones elisæ fuerunt. Ipse vero conquisitis coloribus fugæ suæ ignominiam fucare annitebatur: cumque antea vulgasset se metu permotum aufugisse, deinde Reginaldo archiepiscopo Rhemensi ab oratoribus Regis Galliarum ad rem componendam misso, interprete Cardinale e Salanco significavit (a), non metu adactum, sed ut cœlo clementiori uteretur.

(a) Acta post sess. 4.

IX. Parisienses doctores synodum urgent ad ecclesiarum pacem promovendam.

Excurrente ad proximam sessionem quintam temporis intervallo Parisiensis academiæ doctores de Joannis defectione certiores facti, congregatos ad synodum patres literis ad eam urgendam, ac ne egregie cœpto absisterent, donec ecclesias schismate laniatas sacro inter eas fœdere conjunxissent, literis suis (b) sunt cohortati. Cumque patres urgerent Joannem, ut vel rediret Constantiam, aut saltem Scaphusa non abscederet, mox ille Scaphusa in Basileensis agri oppidum, cui Leffemberch nomen est, se recepit xv. aprilis die ut ducis Austriæ patrocinio tutus delitesceret: *In quo itinere*, inquit Theodoricus a Niem (c), *dum esset extra & prope Schaffusen accersivit tabellionem & testes, & coram illis publice protestabatur, quod quidquid ipse Constantiæ juravit, vovit, & promisit, illud vi & metu fecisset & non aliter, & propterea illud efficere non teneretur; & eamdem protestationem postea pluries repetiit in aliis locis, ad quæ devenit: tamen in quibusdam suis epistolis hinc inde directis scripsit appositum, scilicet quod de Constantia non fugisset ea de causa, ut unionem non faceret, immo quantum in eo esset ipsam facere vellet.* Extant eæ in actis concilii, ex quibus perspicuum fit, ipsum impostoris munus gessisse, quippe qui omnia crimina quæ Gregorio de propagato schismate inferre nisus erat, turpiter in se traxit, ac defectionem a Gregorio persuasisse Cardinalibus, non ecclesiarum conjunctionis studio, ut falso gloriabatur, sed potius ambitionis æstu percitum, atque inanis fastus cupidine atroces in Ecclesia Dei tempestates conflasse: conceptæ vero fuere ejusmodi ipsius literæ fucis plenæ hisce verbis.

(b) Ext. in actis ms. conc. Constant. ap. 41. sess. 6.

Joannis privato commodo inhiantis artes.

Joannis ficta fallacia quibus se coactum cessionem promisisse ait.

Ut impostor contrarium literis promulgat.

(c) Niem. in vita Jo. XXIII.

Joannes, &c. universis & singulis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem.

Universitati vestræ & vestrum singulis præsentibus innotescat, cum propter metum qui merito cadere poterat in constantem, de civitate Constantiensi discessimus, & ad terram Scaphusensem Constantiensis diœcesis pervenimus, credentes exinde posse omnia & singula practicare, quæ forent ad pacem & unionem Ecclesiæ sanctæ Dei, quam de die in diem cordialiter expectamus, causante humani generis hoste impedimenta supervenerunt talia, quod exinde feria sexta majoris hebdomadæ post celebratum officium ingravescente aeris tempestate permaxime oportuit nos ab inde discedere etiam propter metum, qui cadere poterat in constantem, & loco & tempore congruis & securis etiam in generali concilio, ubi & quando tutus patebit accessus luce clarius ostendetur, & quamquam mors censeatur terribilium omnium ultima, illam, nec illa quæ nobis imminebant gravissima pericula tantum formidamus sicut hoc unum, ne ex hac occasione captata Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus Corario Gregorius XII. in eorum obedientia nominati allegantes impressionem nobis illatam se quoquomodo retraherent a cessione juris quomodolibet in papatu & sic perturbarent effectus pacis & unionis hujusmodi, ad quorum verum & salutarem effectum suprema nostra desideria tendunt, & quantum in nobis est ad hoc, ut pax & unio subsequatur hujusmodi, in nulla cessabimus seu studia nostra quomodolibet subtrahemus. Dat. Loufemberch Basileensis diœcesis pridie non. aprilis pontificatus nostri anno v. Injecta itaque ab eo universæ Ecclesiæ offensione gravissima, Constantienses patres encyclicis hisce literis (d) universis fidelibus totius rei gestæ seriem accuratissime significarunt.

Propter metum se aufugisse prædicat.

(d) Ext. in actis conc. post sess. 5.

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, universis Christifidelibus, &c.

X.

*Dudum Pisis, inclyta quidem & insigni civitate tam mature, libere, ac sincere celebrato concilio, prædicti acerbissimi schismatis * executione speravimus eorum, quæ ibi*

* extinctionem

ibi gesta sunt, sententiis, authoritatibus doctorum, SS. Patrum juriumque institutis comprobatum tantam apud homines habere authoritatem * tantamque fidem sibi vendicare, ut unio in Ecclesia Dei, nec longe sequi deberet: verum non eo res producta est, sed [quod dolenter videmus, & graviter patimur] adhuc in regnis & provinciis partim Petro de Luna Benedicto XIII. * Angelo Corario Gregorio XII. in suis obedientiis nominatis adhaerentibus, durissima ac perniciosissima scissura vulneratam Dei ecclesiam deploramus. Verum hunc lachrymabiliter * maestissimumque eventum etsi probare * rerum gestarum sequi non debuisset, idem tamen Pisanum concilium malitia hominum evenire posse praevidit; quamobrem opportune statuit ad ad certum tempus aliud concilium sequenda unionis gratia in capite & in membris fieri debere. Unde talibus institutis astrictus dominus Joannes Papa XXIII. ac etiam a nonnullis principibus, praecipue a serenissimo Romanorum Rege excitatus, ut ad dictum sacrum concilium in loco habili honestoque festinavit: tandem habito super hoc cum praedicto Romanorum Rege solemni tractatu, loco quidem amoenissimo, affluentissimo, & ex omni parte idoneo id concilium tenere & incipere kal. novembris proxime praeteritis publicavit, ac in eodem ad reformationem Ecclesiae Dei tam in capite quam in membris professus est intendere: quam rem iniunctam cum licentia * & animorum festivitate per singulas nationes homines intellexerint & audierint, putantes per hoc ad unionem Ecclesiae posse pervenire, exitus ipse docuit. Nam adveniente tempore tanta hac principum, praelatorum, doctorum, & magistrorum copia adventavit, ut numquam aliqui viderint, audierint, aut fere legerint tantam concilii causa convenisse; ita quod jam plene, omnium pene Regum & principum nunciis maximorum etiam praelatorum praesentia roboratum concilium sit, quemquam idem Joannes solam confirmationem Pisani concilii procuraret, & sic statum suum unitati Ecclesiae anteponeret; nos per prius ad ipsam unitatem intendentes nusquam a Pisani concilii procuraret * ordinationibus, & vestigiis recedere, sed illis potius inhaerendo viam cessionis horum trium contendentium tamquam faciliorem & securiorem pro habenda unione tentamus, in qua re summa cum charitate & mansuetudine processo tam ab omnibus nationibus concorde praelatorum judicio approbata decretaque extitit, eamque denique viam idem D. Joannes Papa certo modo adimplere in publica concilii convocatione, postquam ad eam perficiendam coarctatur, expletarum se obtulit: cum tamen non plene satisfacere videretur, post multa habita hinc inde colloquia, alio modo pleniori & meliori per nos recepto, die 22. martii in publica sessione cedere promisit, vovit, & juravit, prout in suis literis apostolicis super inde confectis continetur. O quanta ea dies nobis gaudia obtulit! quanta toti populo Christiano commoda indicavit! nempe tot annis ab intimis * concordiis affectata parvo momento videbantur. Ob id cuncti summa ad eumdem Joannem devotione ferebantur, gratias tanti muneris agebant; & quidem res ista cunctis Christifidelibus utilitatem quietemque, ipsi vero Joanni non solum honorem, sed etiam gloriam perpetuam ministrabat. Et iis sic gestis serenissimus Romanorum Rex cum dicti Petri de Luna oratoribus Regisque Aragonum, nec non Angeli de Corario ad prosecutionem hujusmodi tam desiderati negotii intendens, conventionem cum dictis Petri & Regis Aragonum oratoribus jurejurando firmavit, quod kal. junii proximi Niciam proficisceretur, unaque cum dicto Petro de Luna & Rege Aragonum personaliter conveniret at rem praedictam tam piam tamque necessariam adimplerent. Haec tam magna arduaque negotia non solum utiliter ac prudenter, sed [quod in tanta multitudine mirum videtur] quiete, pacifice omni prorsus tumultu ac suspicione cessante gesta fuere.

* tantamque Constantiensium Patrum literae.

* partim De Pisano concilio.

* lachrymabilem

* pro gravitate

Cur indictum sit Constantiense concilium.

* laetitia.

De conventus amplissima celebritate.

* procurationibus.

Ut cessionis via communi consensu comprobata sit.

* praecordiis

Ut Joannes maximo cum applausu eam sit amplexus.

XI.

Cum vero postea de praedictorum premissione votique executione debito honestoque modo fienda solliciti esse coeperimus, cumque mitius peragi res videretur, sicte hominum nequitia sive diabolica instigatione, aut utraque malitia optaret *, ad aliquam fracturam ventum est. Nam cum ad aures nostras porlatum esset, quosdam ex praelatis hic concilii causa accersitos pro dissolvenda hujusmodi synodo tantum properare, spretaque populi Christiani religionis & Ecclesiae unitate, spretaque licentia ad recessum intendere contra jam ordinata statutaque, eumdem serenissimum Regem exoravimus, ne talium improbitas quodquam nocere posset, & nos a tanto bono diverteret, ut per custodiam portarum provideret, ne quis ex praelatis licentia non obtenta exire posset, quoad super hoc de remedio provideretur opportuno: suspicabamur enim, quod postea nobis clarissimus exitus demonstravit, ne excogitata quaedam ambitio, impudentissimaque cupiditas id efficeret; idem autem nostra solum ductus exhortatione per mediam fere diem exitum abnegavit. Hanc rem laudabilem quidem idem D. Joannes molestissime ferens, quasi suae libertatis angustandae causa, & ne penitus de hoc loco recedere posset, attentatam increpabat scandalosam, & salvi conductos violativam inquiebat. Sed quis de suo recessu unquam cogitare potuisset, cum singulis diebus publice assereret usque ad unionis & promissionis jam factam conclusionem concilium Constantiense servaturum,

* operante

Nonnullorum pro dissolvendo concilio conatus.

Actum ut portae urbis clauderentur.

ac

ac: Deus avertat, inquiebant, quamvis perantea dissensio furorque fuerit, ut suspicandum esset: quinimmo tanta nos ad ipsum non solum reverentia, sed dilectione ferebamur, quod cunctis apparere poterat evidentissime, nos ardentissime non solum unitatem Ecclesiæ, sed statum suum extollere: attamen, ut animus ejus paratissimus ab omni suspicione cunctius redderetur, advocata maxima principum, prælatorum, doctorumque multitudine D. Rex, quo jure, qua ratione exire volentibus portas inhiberi fecerat, maximo cum fervore humilitatis apud D. Joannem exposuit, & sincere professus est nullum suæ libertati securitatique præjudicium facere, sed tamen defensurum, si qui in personam aut statum perperam molirentur, ac obtestatus est ipsius domini Joannis arbitrio esse commissum stare recederéque si velit, aut si majorem securitatem expeteret se ex optima intentione concessurum: rursus si idem Joannes quoque eumdem Regem in prædictis non modeste processisse argueret, se & suo & totius concilii judicio parere consensit; iis D. Joannes tamquam non solum honeste, sed vere justeque propositis consternatus remansit.

Exposuit Sigismundus caussas.

Pariturum se concilio exhibet.

XII. Ulterius ad unionis prosequutionem intenti habitis per singulas nationes maturissimis colloquiis summe interesse, ut idem D. Joannes procuratores ad cedendum juxta promissionem votumque constitueret, obtinuit, etenim quamquam idem D. Joannes se Nitiam iturum, nec non & personaliter impleturum assereret. Cumque ob eum accessum de dissolutione concilii deque ejus reditu ubique per illam conventionem res non sortiretur effectum, non parva suspicio haberi poterat; utilius arbitrabamur & pertinentius procuratores usu, quam sua præsentia rem esse gerendam. Nos enim etsi ille modus cessionis oblata ad unionem Ecclesiæ nusquam prosit, non tamen alias vias relinquere intendebamus, nec eas repudiavimus quibus ipsius D. Joannis præsentia erat plurimum necessaria. Cæterum de conclusione fienda facillime, simul de papatu certantibus in unum locum convenientibus, merito erat dubitandum, hoc enim alias experti fuimus, atque nobis ea evidentia demonstravit in hac re peragenda reddere debet cautas: denique ad extirpationem hæreticæ pravitatis intestina aut ne integritas fidei offenderetur intendimus, in qua opere plurimum summi pontificis auctoritas suffragatur. Aliis etiam movebamur rationibus, quas & literis non comprehendimus quosque ingeniorum vestrorum aculeis percipietis. Hæc plane hæc dulcissime humiliterque cum eodem Joanne Papa contulimus: nos hic quærere solum communem utilitatem pacemque totius populi Christiani, neque furore quopiam incedere, Deus novit; quinimmo ad hæc tractanda ejusdem D. Joannis judicio vocati esse putabamur, cum

Cessio per procuratorem perficienda visa est.

suis literis de fienda in capite reformatione tanta verborum efficacia denunciavit quamquam super præscriptæ modum adhibere videntur: nam in publica quadam . . . reverendissimus dominus Cardinalis Florentinus eodem D. Joanne præsente, & ut sic responderet, imperante, quod dictus D. Joannes de hoc loco nunquam discederet nisi ad sacri concilii beneplacitum, & si ob hoc mortis periculum eveniret, neque ad dicti concilii dissolutionem intenderet; immo illud cunctis conatibus augere verborum elegantia diserto insinuavit: quare per talem sermonis aciem quisque audivit non solum Joannem ad recessum non festinare, sed ubi abesset properare ad reditum credidisset; iis tamen duobus vel tribus diebus ab inde prolapsis, noctis tempore, habitu non solum transformato, sed prorsus indecenti ab hac civitate Constantiæ discedens Scaphusensem locum per ducem Austriæ detentum die XXI. mensis martii profectus est. Vos igitur existimetis an quidquam potuit turpius damnabiliusque committere, gregem suum sub conducta sua auctoritate ab extremis mundi partibus proficiscentem, gravissimis sumptibus miro viarum discrimine, & non levibus periculis hic congregatum, ac in tanta rerum magnitudine sanctitatem derelinquit, seque ab eadem abdicat. Profecto ad lacrymas venire compellimur, nobismet & compati* ire possumus ubi nostrorum infelicitate temporum tanto* pastore abusu fædamur decoquimurque. Repetamus concilia hactenus celebrata, in quibus de flagitiis summorum Pontificum actum, apparet fuga eos non solum concilia non vulnerasse, sed humiliter se eorum sententiæ subjecisse, ut de Symmacho legimus, ac Sixto, qui apud concilium de enormibus criminibus accusatus, quamquam evadere potuisset, voluit concilii judicio obtemperare ut clarissimum est.

Ut Joannes sponderit non dissoluturum concilium.

Paulo post noctu se proripuerit.

* jure

* tanti pastoris

Sed nec satis eidem Joanni, quod nobis non solum, sed sibimet se subtraxerit videbatur, quinimmo edictis palam propositis curiales omnes, quorum potissimi hic unice causa reperiebantur, durissimis & crudelissimis pœnis impellebat, ut ab hinc discedendo infaustos tramites suos sequerentur; cujus rei causa multi eumdem comitari cœperunt, in eo etiam furore eumdem ex reverendissimis dominis Cardinalibus secuti sunt, licet minime omnes, qui pro majori parte redierunt. Hic autem in tali casu usus est humanitate Romanorum & Hungariæ Rex, ut statim ejusdem Joannis recessu audito nunciare publice fecerat, si quis eumdem sequi vellet, aut manere eligat, securus sit. Nulli itaque in tali ac tanta animorum anfractu quicquam molestum evenerit: sed & procul dubio ipsius Joannis discessus tanquam per antea communi fama & multiplici rerum evidentia manifestus impediri poterat: nullus etiam sa-

XIII. Edictis jusserit aulicos ipsum sequi.

na

Sigismundi responsum cum illi dictum esset Joannem discessurum.

na mentis ignoras multa eidem domino Regi circa id exposita fuisse; sed ut vobis innotescat: Malo, inquit, libere Joannes hoc loco abeat, quam adversum me de fide abrogatu, de violata cujusumque libertate infamiam erroguret. Hæc verissima sunt. Hæc Deo testamur, cunctisque Christifidelibus; quinimmo quamquam idem D. Joannes per suas literas de metu illato, qui cadere poterat in constantem asseveret, tamen metum non solum illatum, sed nulquam metus inferri solet, dum a quodam invito exigere quidquam volumus, sed nil proculdubio occurrere poterat a D. Joanne expectandum pro Ecclesiæ unitate, quod aut facere non deberet, aut si facere excusaverit, nos auctoritate nostra peragere non possimus. Forsitan de illo timore sentire videtur, quem omnis, qui apud judicem se excusat, debet merito formidare. Hæ inanes oblocutiones veritate non solum, sed veritatis conjectura carere noscuntur. Præterea per reverendissimum D. Cardinalem de Chalunco de Scaphusa venientem, ac reverendissimum patrem D. archiepiscopum Rhemensem ad nos per eumdem D. Joannem ex causis certis transmissos in publico prælatorum quasi omni conventu, ac præsente serenissimo domino Romanorum & Hungariæ Rege, &c. nunciatum est ulle unquam casu eundem dominum Joannem dictum dominum Regem timuisse, ac se ab omnibus summa dilectione tractatum, neque Regis suspicionem recessui præbuisse occasionem; sed quod ex prælatis quosdam, quod maxime veretur, hoc idem dominus archiepiscopus, sicut refertur, in mandatis habuisse testatus est, prout de hic omnibus publica habentur documenta. Nos igitur cum omnia diligenter pensamus, & maturo judicio deliberamus, vel aliud eundem attentasse conspicimus, quam hujusmodi concilii dissolutionem, utpote ad unionem Ecclesiæ intendentis, & verissima sunt, & qui vidit testimonium perhibuit & verum est testimonium: novit ipse. Tandem, ne a Scaphusensi loco his satis vicino descederet affectabamus, & solum ut facilius & commodius secum tractanda perficerentur: & cum ad eum nostros oratores remittere curaremus die veneris sancta, dum solemnia agerentur, ad castrum Leffemberch ab hinc per duas dietas remotum procedere ausquam puduit, ibique paucis diebus recedens ad Friburgum ejusdem ducis Austriæ oppidum se contulit, ex quo omnes induceret quanta per tot varietates parantur ipsi unitati noxia, quot in posterum oriri poterunt impedimenta, si sic sub ambagibus tempus incassum ducatur. Cæterum hoc scripsisse volumus, ne quorundam procacitas absurdaque loquacitas auribus vestris forsan obserpens in absurdam credulitatem, quod nusquam opinamur, forsan abduceret, ac ut in futurum intricatissimis obloquentium verbis & veritati prorsus insidiantibus fidem non facilem adhibentis. Nos enim non propulsanda cujusquam injuria tot sumptibus, tot angustiis experimur, sed pro omni statu & sacrosanctæ Ecclesiæ firmitate. Denique non deerit qui eundem D. Joannem humillima exhortatione ad reditum hujus loci, vel saltem vicini præstitis sufficientissimis securitatibus ad prosecutionem tanti boni excitet; ut possibile, quantum fas erit, procedamus: quinimmo duos ex reverendissimis in Christo patribus, & dominis cum aliis prælatis ac venerabilibus viris transmittere ordinavimus, obsecrantes ac eum totis viribus inducentes, ne hoc tam sanctissimum opus & omnibus acceptissimum derelinquat, intendentes ex desiderio hujus sacri concilii, honestate, & rei convenientia illo abnegante & recusante ad juris remedia sine cunctatione procedere. Vos igitur syncere deprecamur in Christo, ut jejuniis & orationibus insistatis, quanto Deus per suam misericordiam nos ad tanti boni perducat effectum, & pacem offerat salutarem.

Decreta ad Joannem legatio.

Respondit ille non timuisse Sigismundum sed quosdam prælatos.

Rogatus ne Scaphusa discederet longius perrexit.

Hortati sunt illum patres ut rediret Constantiam.

XIV. Sessio v.

Habita est sexta aprilis die sessio quinta, in qua ad infringendas Joannis improbas molitiones iterum decretum in sessione quarta editum instaurarunt (s), ac pontificiæ curiæ munera obeuntes Constantia discedere vetitl. Præterea pronunciatum præsules suis ecclesiis non pellendos vel ad alias traducendos, vel quoscumque suis exauthorandos sacerdotiis ob navata concilio studia; ad discutiendas vero mendaciorum de injusto metu aut vi illata tenebras, quas Joannes ad obscurandam veritatem offuderat, hæc promulgata sunt: *Item declarat, quod dominus Joannes Papa & omnes prælati & alii ad hoc generale concilium vocati, & alii in eodem concilio existentes in plenaria libertate fuerunt & existunt; ut visum est dicto sacro concilio, nec ad notitiam dictorum vocatorum seu dicti concilii contrarium deductum est: & hoc testificatur dictum sacrum concilium coram Deo & hominibus. Item declarat, decernit, statuit, & diffinit dicta synodus, quod dictus dominus noster Papa renuntiare tenetur, nedum in quocumque casu in schedula oblationis suæ comprehenso, sed etiam in quocumque, in quo sua renuntiatio afferre potest magnum & evidentem utilitatem ad bonum unionis Ecclesiæ Dei; quodque super hoc dictus dominus noster Papa declarationi & diffinitioni hujus sacri concilii stare tenetur.*

(s) Acta conc. Constan. sess. 5.

Promulgatum Joannem se abdicare teneri.

Item statuit, diffinit, decernit, declarat & deliberat dicta sancta synodus, quod si dictus dominus noster requisitus pro bono unionis per hoc sacrum concilium papatui renunciare contempserit, vel plus debito distulerit, ex nunc prout ex tunc & ex

tunc prout ex nunc pro abjecto a papatu omnibus Christifidelibus habebatur, & omnis obedientia illi sit subtracta. Item statuit, definit, & decernit dicta sancta synodus, quod recessus dicti domini nostri Papæ a civitate Constantiensi clandestine factus fuit illicitus, bonoque unionis Ecclesiæ Dei præjudicialis & nocivus; quodque dictus dominus noster Papa requirendus est ex parte dicti sacri concilii, quod ad illud revertatur, facturus & adimpleturus, quod promisit, vovit, & juravit pro unione danda Ecclesiæ Dei, & cum intimatione, quod si infra terminum sibi ex parte dicti sacri concilii præfigendum, ad ipsum concilium redire contempserit, aut plus debito distulerit, contra eum tanquam fautorem schismatis & suspectum de hæresi procedetur, ut requirunt sacræ & canonicæ sanctiones.

Promissa Joanni securitas. *Item statuit, definit, decernit, & declarat dicta sancta synodus, quod, si dictus dominus noster Papa ad ipsum sacrum generale concilium redire voluerit, & quæ promisit, vovit, & juravit efficaciter juxta deliberationem dicti sacri concilii pro dicta unione adimplere, eidem provideatur de bona securitate, quod nec ante renuntiationem nec post capietur aut incarcerabitur, nec alias in persona vel bonis molestabitur; quinimmo in plena securitate & libertate tenebitur & per dominum Regem Romanorum serenissimum, & etiam per dictum generale concilium & ulterius de bono statu eidem domino nostro & suis familiaribus post dictam renuntiationem habendo ad arbitrium quatuor per eum & aliorum quatuor per dictum sacrum concilium eligendorum provideatur.* Nonnullis interjectis de Wicleffi & Joannis Hus hæresi comprimenda, quæ inferius cum aliis ad id spectantibus conjungentur, referunt acta propositum fuisse ab Andrea designato episcopo Posnaniensi videri dandas literas ad Reges ac principes de Joannis secessione, easque & Regis Romanorum & præsidum quatuor nationum sigillo consignandas: cui a patribus assensum est.

Expositum præterea fuit ab Andrea Posnaniensi patribus de exorando Sigismundo Rege, ut Joannem ad Constantiensem synodum reducendum curaret, & facta Ecclesiæ promissa impleret. Assurrexit tum Romanorum Rex, præfatusque ut Joannes Laffemburgi sub clientela Friderici Austriæ ducis ageret, addidit latere ipsum an ille Constantiam reverti velit, ac si velit, an Austriacus permissurus sit:

De Joanne Constantiam revocando actum. daturum tamen Joanni fidem publicam, si reverti velit, ac invito & reluctante duce Constantiam reducturum: qua oratione a patribus commendata, subdidit Sigismundus, se principi Friderico Burgravio imperasse, ut Cardinalibus & aliis aulicis Scaphusæ agentibus fidem eandem, ad Constantiam repetendam traderet; eos vero respondisse, nec Joannem sequi, neque Constantiam reverti, sed Romam se conferre decrevisse. Describit varia Joannis itinera vel trepidas cursitationes Theodoricus Niemius (a), conscensis nimirum equis Lauffenbergio tribus tantum comitibus stipatum provolasse Friburgum, ac varias coitiones tentasse, ut opera ducis Burgundiæ Avenionem deduceretur: *Postquam*, inquit, *dictus Balthasar per aliquot dies mansit in Friburg, transtulit se ad oppidum Brisacum etiam super dictum flumen consistens, confisus ibi tractatus facere per medias personas cum duce Burgundiæ, qui habet terras non multum ab inde distantes, ut eum abduceret, seu abduci faceret de Alamannia, conduceretque per partes Galliæ usque ad Avinionem; & super hoc jam erant conducti plures stipendiarii in propinquo existentes; & adventum dicti Balthasaris ad ipsos pluribus diebus & noctibus præstolantes; sed res interim detecta fuit quibusdam fidelibus dicti domini Regis potentibus in partibus illis. Quod cum sciret ipse Balthasar, non audebat se committere ipsis conductis gentibus, sed fugit etiam tunc habitu mutato consueto ad oppidum Nuenburg super eodem flumine consistens: sed illico superveniente rumore, falso tamen, quod prædicti fideles ejusdem domini Regis Romanorum præfatum Balthasarem & suos curiales tunc secum existentes in eodem oppido Nuenburg obsidione constringere vellent, ipsi timore vano perculsi nullo per eos ordine observato, sicut oves errantes fugerunt ab eodem oppido, ambulantes illa die, & nocte immediate sequente, ab invicem dispersi iter agentes iterum ad dictum castrum Friburg: ad quod sic fugientes tandem reversi fuerunt.* (a) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Addit auctor mox Friburgum accessisse amplissimos concilii legatos nimirum duos Cardinales, ac plures episcopos ad Joannem, ac postulasse; *quod constitueret procuratores in ipso concilio ad cedendum pro eo papatui & ipse eligeret si vellet aliquem alium locum in quo staret, quousque dictum concilium aliud de ipso pro publica utilitate Christianitatis ordinaret, aut dictum concilium contra eum ad privationem procedere vellet.* Subdit Niemius Joannem acerbe respondisse, ac procuratori abdicationis formulam per Bertholdum Ursinum comitem Constantiam misisse, sed non idoneam a concilio habitam fuisse. Cæterum sex Cardinales qui Schaffusiæ substiterant mutato consilio 2. aprilis publicæ fidei syngrapham postulasse concessamque fuisse ut Constantiam redirent, inter quos erat Odo Columna, qui postea renuntiatus est Pontifex in eodem concilio.

Die

XV. Die decimatertia aprilis agitatum est in loco, in quo nationis Germanicæ cœtus fieri solebat, de sponsionibus Joanni XXIII faciendis, si papalis dignitatis, ut sacramento erat pollicitus, ornamenta poneret; atque ab archiepiscopo Genuensi propositæ fuere eæ pactiones, ut Cardinalitia dignitas illi in primis assereretur (a), atque Italica vel Avinionensis legatio toto vitæ flexu ipsi committeretur: tum annua triginta aureorum millia attribuerentur, & plura alia petita: *Quæ*, inquit Niemius (b), *a concilio præstari non poterant*. Composita (c) tum formula est de abdicanda procuratoris opera ab Joanne pontificia dignitate controversa, quæ formula in sessione sexta XVII. aprilis die a patribus confirmata est, ac pronuntiatum (d) Joanni ab ea sponsione discedere non licere, quæ in actis typis cusis suis concepta verbis extat, temporis nota postea a Joanne (si synodalibus monitis pareret) consignanda: tum etiam ex singulis nationibus designati procuratores, quos Joannes constituturus foret. Renuntiari etiam oratores, qui a Joanne exigerent ut designatos procuratores, ejus nomina papales apices ex concepta formula abdicaturos edito diplomate confirmaret. Præterea jussi oratores Joannem urgere, ut Constantiam rediret, vel Ulmam, vel Ravenspurgum, aut Basileam ad omnia, quæ ad conjunctionem ecclesiarum redintegrandam spectarent, ad optatum exitum perducenda. Sancitum quoque concilii ac Regis Romanorum nomine, ut de fide publica Joanni danda, conscriberetur syngrapha, ab oratoribus ipsis deferenda: si synodo obtemperasset, intermissum iri cœptam in illum judiciariam actionem, atque ipsius dignitati & splendori consulendum.

(a) *Acta ms. concil. Constant. post sess. 5.*
(b) *Niem. in vit. Jo. XXIII.* Sess. VI.
(c) *Acta ms. post sess. 5.*
(d) *Acta typis cusa sess. 6.*

Designata loca, ad quæ Joannes se conferret.

XVI. Actum postea in Joannem Wicleffum, Joannem Hus, & Hieronymum Pragensem de quibus inferius. Censuræ etiam ecclesiasticæ iis inflictæ, qui satyricos libellos ad carpendam alienam famam conscriberent. Lectæ etiam in eodem cœtu datæ a Parisiensi academia ad nationis Italiæ præsules Constantiæ congregatos literæ (e), ut Joannem ad Constantiam repetendam permoverent, cum non sine maximo rei Christianæ discrimine diffidere posset; tum aliæ (f) ad Joannem, ut posita papali infula ad ecclesiarum componendum fœdus incumberet, ex quibus hæc gravioris ponderis argumenta delibamus: *Si vera mater probatur per Salomonem (g) quod maluit materno carere titulo, quam puerum permittere funesta sectione, quanto magis summus Pontifex paternum affectionem patefecerit, si Ecclesiæ jamdiu lamentabiliter divisæ redintegrationi suum dominatum posthabuerit atque præsidentiam? Itaque non modo cum mente & intentione sacri concilii, verum etiam cum piis desideriis totius Christianitatis & cunctorum mortalium, quos nulla hic agitat vesania, his votis atque juramentis vestra sanctitas videtur egisse, non quod in hoc facto ejectus de papatu sit deferendum, quamvis & eorum animas in Domino lucrifacere satagere debetis; sed quia tot populis & regnis ac nationibus illos sequentibus, & forsitan in alterationem immensæ discrepationis aliud creaturæ consuli oportuit, quorum salutem vestra præsidentia in vestris votis & juramentis prætulisse videmini. Quod si opus ab effectu probatum prosecutumque fuit, quoadusque terrenum orbem mortale genus incolet, vestras laudes celebrabit omnis ætas, & pro abdicatione honoris momentanei, cum merito præmii sempiterni erit vobis paratum nomen cæteris longe gloriosius.*

(e) *Extant ejus lit. in act. Const. concil. sess. 6.*
(f) *Ext. ibid.*
(g) *3. Reg. c. 5.*

Grave argumentum pro abdicatione contendentium urgenda.

Verum, beatissime pater, in hac re nos unus movet scrupulus, quod audivimus vestram sanctitatem a Constantia Scaphusam secessisse, non enim est ille locus potior ad amplitudinem sacri concilii ad tantum rem gerendam. Deinde Constantia per vestram sanctitatem fuit electa & per vestram obedientiam humiliter recepta: cæteris etiam gratior videbatur, utpote gravis, locuples, ornata civitas: nec videtur quomodo tali vulneri medelam afferre possit hæc mutatio. Postremo in ea urbe vestra sanctitas habebat amantissimum, Christianissimum, & invictissimum Imperatorem, qui tranquillitatem & securitatem præstare poterat, & injurias omnes propulsare: habebat sacrum collegium Cardinalium, quod non modo pro securitate vestra, verum etiam pro honore vestro atque gloria usquequaque desertasset; habebat denique totam Ecclesiam sibi obedientem, longe cæteros superantem, in qua erat non minima Gallicorum natio, qua non minimo quidem verbo vestram sanctitatem offendi permisisset. Ubinam igitur, sanctissime pater, persona vestra celebrius, securius, atque devotius tractabitur, quam in urbe vobis devota, per vos electa, cum Ecclesia vestra, cum Imperatore Christianissimo, & cum cæteris de vestris votis & juramentis sanctissimis vestræ clementiæ omni die congratulantibus. Non est aliquis tam ignarus rerum, tam rudis in re Christiana, tam nihil unquam de publica pace, ac salute cogitans, qui intelligat ubi in sacramento pacis dandæ manebit sanctitas vestra, concilium sacrum, ac ejus partes universas omnem reverentiæ cultum, quem mortalem mortali præstare fas est, vestræ personæ præbituras. Postea cogitet sanctitas vestra clementissime pater, quid est in tractatu quærendæ pacis a sacro concilio discedere, quid diffidere? An primum suspectum, an secundum damnatum: & si probabilis discedendi quæreretur occasio, nulla tamen inveniretur diffidendi; paucisque interjectis verbis subdunt: *Absit beatis-*

Discessus Joannis reprehensus.

Pisani conventus exemplo admonitus ne a Constantiensi dissentiat.

tissime pater, ut in tanta re sanctitas vestra a sacro concilio discordet, hoc enim esset ab Ecclesia Dei discordare: absit a gloria nominis vestri quod sacrum concilium sine praesentia vestra rem tam grandem tractet, vel terminet. Vestri est, sanctissime pater, ut nullum in hac re habeatis priorem nec perseverando fortiorem, &c. Dat. Parisiis in congregatione nostra generali apud S. Bernardum super hoc specialiter celebrata die 21. mensis aprilis. Non doctorum Parisiensium monitis, nec praesulum studiis Joannes flecti potuit, ut Constantiam rediret: cujus odio allatas in praedicta sessione sexta ab uno e praesulibus novas propositiones de excludendis concilio, Joanne & Cardinalibus, atque schedas perlectas, refert Gobelinus (a) quae in actis typis cusis vel MS. non reperiuntur, [1] ac plura seditiosa & periculi plena continebant: *In sexta sessione*, inquit, *per unum de praelatis avisamenta ista proposita fuerunt.*

(a) *Gobel. in Cosm. at. 6. c. 94.*

Propositiones pro emendandis Pontificis & Cardd. defectibus.

Prima veritas est, quod nequaquam in hoc sacro concilio sive tractatibus qui fiunt, in ipso, Papa & Cardinales debent interesse: ratio quia ibi agendum est de reformatione Ecclesiae in capite & in membris scilicet in Papa & in Cardinalibus; sed illi non possunt, nec debent esse judices in proprio facto.

Secunda veritas est: cum idipsum Cardinales electores domini Joannis Papae scientes eum esse talem, prout fuit & est, nihilominus elegerunt ipsum in Papam, ubi optimum debebant elegisse vel saltem mediocriter bonum & utilem, abusi sunt potestate eligendi, & debent privari electione, & alias graviter sunt puniendi, quia per talem abusivam electionem ipsorum totam Ecclesiam scandalizaverunt: & sic nullatenus hujusmodi concilio & ejus actibus debent interesse.

Contra Cardd. qui Joannem sunt secuti.

Tertia veritas est; quod cum ipsi domini Cardinales dictum dominum Joannem Papam post ejus turpem fugam de Constantia, per quam totam scandalizavit Ecclesiam, illicentiati per hujusmodi concilium secuti fuerint, & eo ipso reddiderint se suspectos vehementer praedicto concilio, ex tunc non poterant nec possunt eidem concilio & actibus interesse. Non sine causa effusae sunt querelae in Cardinales, qui Gregorii pontificatu deturbandi studio Alexandrum V. delegerant, inque illius locum Joannem moribus contaminatissimum, spreto Gregorio probitate vitae conspicuo, subrogaverant; Joannisque factioni addicti non dabant operam, ut schisma tolleretur.

Quarta veritas est, quod, cum ipsi Cardinales, vel plures eorum huc reversi post eamdem fugam, & etiam aliqui eorum, qui hic remanserunt, publice asseruerint, quod per recessum dicti domini Joannis a Constantia dissolutum fuerit concilium praedictum, ita quod ex tunc non fuit concilium, sed conciliabulum, videntur enormiter errasse, & per consequens ipsi sic dicentes seipsos excluserunt a concilio & actibus antedictis, & caetera.

Controversum an Joanne absente valeret concilium.

Quinta veritas est, quod interim, quod non revocabuntur, vel suspenduntur potestates papalis & dignitatum, nunquam poterit Ecclesia reformari in capite & in membris per quemcumque etiam ingeniosum vel potentem, nec per ipsum concilium, quoniam ipse dominus Joannes inveniet sibi semper faventes & potentes, ut hac fugant, idest aurum de ipso, invenietque semper emptores dignitatum in copia, & ab eis habebit aurum copiose. Quae omnino rejecta fuere, utpote novas motura turbas, nec levia allatura pericula; quamobrem neque in actis editis neque in MS. longe uberioribus reperiuntur. Judiciario vero ordine in Joannem agendum visum est, utpote qui concilii judicium nullatenus declinare posset, cum Pisani conventus authoritate illius pontificatus fundamina niterentur.

Judiciaria actio instructa in Joannem.

Coactis itaque ad publicam sessionem septimam die 11. maji praesulibus, in Joannem, ut propagatorem schismatis (b), edicti formulam proposuere (c), quo ipsi objecta sanctionum canonicarum severitate diem dixere, ut patrum consessui fide publica accepta se sisteret; quod edictum hac temporis nota consignatum est. *Dat. Constantiae provinciae Moguntinae in sessione publica in ecclesia majori Constantiensi solemniter celebrata die jovis 11. mensis maji indictione vero VIII. anno Domini MCCCCXV. pontificatus praefati domini Joannis Papae XXIII. anno V.* Postulatus deinde est impietatis reus Hieronymus Pragensis Hussitarum signifer, atque in sessione (d) proxima, quae octava fuit celebrata die quarta maii; Wicleffi memoria cum suis dogmatibus damnata. Sed his intermissis referendisque opportuniori loco, ad Joannem redimus. Praesidebat in Friderici ducis Austriae, cum quo ante Constantienses conventus coeptos nefarias

Sess. VII.

(b) *Acta concil. Const. sess. 7.*

(c) *Ext. ib.* Dies illi dicta.

Sess. VIII.

(d) *Acta sess. 8.*

NOTAE [1] Dogmata illa seditiosa quae in sessione VI. concilii exposita fuisse annalista ex Gobelino scribit, ante aliquot a sessione dies seditiosus aliquis in folio descripta palam in valvis aedium episcopalium proposuerat. Folium illud totum vulgavit Martene Anecdot. to. II. col. 1620. hoc titulo: *Cedula affixa ad valvas palatii episcopalis Constantiensis, die lunae VIII. mensis martii* (lege aprilis, ut ex indice dici constat) 1415. Propositiones sunt XVIII. in quibus ad depellendos cardinales, abrogandumque pontificem patres incitantur. MANSI

(a) Ext. in actis ms. ea de re conc. lit. (b) Acta conc. Constan. post sess. 8.

coitiones fecerat (a), armis concilii piam solicitudinem eludere: fed Sigismundus Romanorum & Hungariæ Rex pio studio accensus bellum Austriæ intulit (b), causasque in celeberrimo præsulum, & oratorum Regum & principum cœtu habito die quinta maii exposuit his verbis.

XVII. Fridericus Austriacus in crimen Joannis abducti vocatus.

Primo ex eo quod idem Fredericus scandalizasset ecclesiam & concilium Constantiense in hoc, quod abduxerit Joannem Papam XXIII. noctis tempore, & quod nec remansit per eos quin totaliter concilium per talem abductionem, & Papa fugam fuisset dissolutum. Item ex eo, quod nonnullos episcopos de suis sedibus expulisset, & abbates de eorum monasteriis, retinens abbatias & episcopatus in manibus propriis. Item ex eo quod viduas & orphanos spoliasset bonis hereditariis, quorum multi propter hoc irent mendicatum per mundum. Additur Fredericum belli mole territum pacem ab eo petiisse, seque ad excipienda concilii imperia paratum obtulisse, quod confirmat Theodericus e Niem (c) his verbis: *Rex infra paucos dies congregavit multitudinem maximam bellantium equitum & peditum, forsan quadraginta millia vel circiter numero, de quibus fecit fieri sex exercitus, quos direxit de diversis locis domini dicti ducis ad obsidendum, & capiendum terras ejusdem ducis, prout fecerant, de multis quas infallibiliter omnes expugnassent prout apud nos fama est, nisi subito dux ipse se & sua eidem domino Regi dedisset, prout fecit, ut præfertur. Quo facto dominus Rex de præconcepta ira aliqualiter placatus dictos exercitus revocavit; eundem tamen ducem arrestando sub juramento præstito, ne de ipsa Constantia recederet, nisi cum voluntate dicti domini Regis & omnia, quæ sibi promiserat efficaciter implesset, quorum aliqua dux adimplevit, quædam autem forsan adimplere nequivit; impediente domino Ernesto fratre suo: & ex ea causa adhuc hic remanet in arresto; & sic Rex ipse in hoc secutus est illud: sit itaque rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæviens; sit pietas, sed non plus quam expediat parcens.*

(c) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Missi itaque fuere a concilio quatuor præsules, qui Fridericum ad regium conspectum venientem consociarent. Adductus vero ille ad Sigismundum in genua provolutus, veniam de concilio Regeque læsis flagitavit, seque ac universam ditionem regiæ potestati permisit, pollicitus Joannem Pontificem & aulicos Constantiam se reducturum, quorum tamen incolumitati, rebusque cautum deprecabatur: quæ publicis etiam literis ab eo firmata fuere, interque ea hæc continebantur.

Veniam poscit a Sigismundo.

Debemus etiam & volumus facere & procurare Papam Joannem ad Constantiam, seu alibi, quo dominus noster Rex voluerit præsentare, aut facere præsentari, ad manus & potestatem dicti domini Regis & sacri concilii, quod præsentialiter Constantiæ celebratur; sperantes quod juxta verbum regium desuper nobis factum, quod dictus Papa Joannes & omnes secum venturi Constantiam, aut ad alium locum deputandum suarum vitæ & rerum ad eos pertinentium, quas secum ad hujusmodi locum duxerint, sint securi, & si dictus Papa Joannes de papatu depositus fuerit vel cesserit, tunc in voluntate præfati concilii stabit quomodo eidem de statu suo provideatur. Nos etiam volumus & debemus in hostagio Constantiæ manere, quousque Papa Joannes Constantiam aut alibi, quo præfatus dominus Rex deputaverit, pervenerit, &c. Quibus a quatuor nationum præsidibus assensum est.

Pactionum de Joanne capita.

Miratur Niemius subitam hanc rerum conversionem, ac divinam quandam vim rexisse concilium Constantiense suspicit, cujus opera Joannes ad officium redigi potuerit, (d): *Quare*, inquit, *celebrentur generalia concilia aliquantulum in frequentibus pausis, & potissime ut corrigantur in illis ecclesiastici excessus enormes, quorumcumque Christianorum fiat, etiam illi quantumcumque potentes. Ad quod certe faciendum unus solus, quantumcumque statu sublimis vix aut unquam sufficere posset: quis enim a papatu in Italia dictum Balthasarem Papam actualiter deposuisset executione subito subsecuta, attentis etiam potentiis, divitiis, & astutia, quibus ceteros excellebat? quis enim Friderici ducis Austriæ principis ita potentis in divitiis & terris, ita etiam quod potenti Regi æquiparari videretur, pro eo quod ipsum Balthasarem in gravem contumeliam & offensam concilii generalis, quod tunc celebrabatur & adhuc celebratur Constantiæ, & serenissimi principis domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ Regis, & multorum principum & forensium aliorum, quorum non erat numerus, eis inconsultis & insciis clanculo & nocturno tempore præsumpsit abducere pro certa pecuniæ quantitate sibi per eumdem Balthasarem, tunc Papam, in castro Schafausen postea ex conventione mutua persoluta, audaciam tam repente refrenasset, sicuti contigit utrique illorum, nisi dictum Constantiense concilium, Domino cooperante, hoc fecisset? Ut sit memorabile omnibus nunc & semper, ne in eorum potentia, astutia, & divitiis confisi similia forsan attentare præsumant, & ne cadant a statu eorum, & quasi ad nihilum etiam opprobriose suis tamen culpis exigentibus reducantur.* Ut vero redactus demum fuerit in potestatem concilii Joannes, qui Burgundicis armis in Gallias evadere se posse putaverat, dicetur inferius.

(d) Niem. in vit. Joan. XXIII.

Joanni potentia ortesque non profuere.

Mira vis Conciliorum ad pacandas ecclesiæ turbas.

Interea cœpta in eum judiciaria actio ur-

Sessio IX. (a) Acta Conc. Constan. sess. 9.

urgenda (a) visa est; in sessione itaque nona XIII. die maii ea sis repetita, nec Petrus Cameracensis, Guilielmus S. Marci presbyteri, Franciscus Florentinus diaconus Cardinales, quos Joannes rogarat literis, ut procuratorio nomine pontificiam causam in synodo tuerentur, id onus admittere voluerunt: atque a synodi causarum actore propositum est eam causam procuratorio nomine non agendam, sed ipsummet Joannem ad purganda imposita crimina producendum: in ecclesiæ igitur valuit judiciario ritu ad comparendum postulatus est concepta hisce verbis formula: *Authoritate sancta synodi Constantiensis requirimus Joannem Papam XXIII. citatum & sequaces suos & fautores, si sint hic, veniant coram dicta sancta synodo responsuri super contentis in citatorio.* Trina vice sonora voce eadem repetita verba, & nemine comparente id in publica acta redactum: dein renuntiati fuere a concilio judices ad cognoscendam Joannis causam: tum e singulis nationibus lecti viri conspicui, qui exauctorandi Joannis causas in sua capita distinguerent. Proximo die XIV. maii repetiti superiores judiciorum actus (b) in Joannem fuere sessione decima, eoque non comparente lata synodalis sententia, qua pontificio munere exercendo interdictus est, sancitumque urgendam ad illum gradu dejiciendum judicialem causam.

Citationis in Joannem editæ formula.

Sessio X. (b) Acta sess. 10. Interdictus pontificatu.

XIX. *Quia nobis*, inquiunt (c), *legitime constat dominum Joannem Papam XXIII. a tempore, quo fuit assumptus ad papatum, usque nunc papatum ipsum & potestatem, in scandalum notorium ipsius & Ecclesiæ male administrasse, rexisse, & gubernasse, vitaque sua damnabili ejusque nefandis moribus populis exemplum vitæ malæ præbuisse & præbere, & insuper ecclesias cathedrales, monasteria, prioratus conventuales, & cætera beneficia ecclesiastica, pretio appretiato simoniace notorie distribuisse, bonaque & jura Romanæ, & aliarum ecclesiarum plurium notorie dilapidasse, quodque charitative monitus a præmissis desistere noluit, sed continue perseveravit & perseverat, Ecclesiam Dei in præmissis notorie scandalizando, eapropter per hanc nostram sententiam pronunciamus & decernimus & declaramus dictum dominum Joannem Papam ab omni administratione papali spirituali & temporali ex causis præmissis fore suspendendum, & suspendimus: sibique administrationem ipsam interdicimus in his scriptis, criminaque præmissa contra eum super mala administratione simoniaca & dilapidatione notoria, ac ejus mala vita Ecclesiam ipsam scandalizante, prout præmittitur, proposita notoria existere, ac de & super eis tamquam de & super notoriis procedendum fore & procedi debere ad finem ejiciendi eum a papatu, prout juris fuerit, declaramus, &c.* Præcipitur universis fidelibus, nullo dignitatis discrimine ne Joanni contra hujusmodi sententiam obsequantur juriumque acerbitas ejus studiosis, ut schismatis propagati reis, intentata. Ascripta demum sunt sententiæ hæc verba. *Dat. Constantiæ provinciæ Moguntinensis in sessione publica, in ecclesia majori solemniter celebrata, die martis XIV. mensis maii anno Domini MCCCCXV. indict. VIII. pontificatus præfati domini Papæ Joannis XXIII. anno v.* Tum decima sexta maii propositum est publicum edictum (d), quo Joanni denuntiatum est, ut testibus de iis, quæ in accusationis libello exarata erant, interrogandis, præsens adesset, causamque diceret, ob quam eo judiciorum ordine in ipsum agendum non foret. Extat illud in actis MS. hisce verbis conceptum.

XIX. Accusationum in Joannem capita. (c) Acta conc. Constan. sess. 10.

Illius studiosis legum severitas intentata.

(d) Acta ms. post sess. 10.

*Nos Jordanus miseratione divina episcopus * Albanensis de Ursinis vulgariter nuncupatus & Guilelmus tit. S. Marci presbyter S. R. E. Cardinales, Antonius Dei gratia Concordiensis, Stephanus Dolensis, Jacobus Tervisinus, Joannes Lubfeldensis, Nicolaus Metburgensis episcopi, Andreas electus Posnaniensis, Thomas B. Mariæ extra muros Eboraci, & Nicolaus S. Lupi Trecensis abbates, nec non Joannes de Thomariis de Bononia & Guilelmus Malegin sacri palatii apostolici causarum auditores judices & commissarii causarum & causæ ac partibus infrascriptis a sacrosancta synodo Constantiensi universalem Ecclesiam repræsentante specialiter deputati, peremptorie citamus dominum Joannem Papam XXIII. quatenus hodie hora vesperorum, & deinde singulis diebus non feriatis ex nunc infra octo dies proxime futuros, instantibus de mane hora sexta, & post meridiem hora secunda personaliter & in ejus propria persona Constantiæ in palatio apostolico, seu episcopali infra communitatem ecclesiæ Constantiensis in sala majori in judicio coram nobis ad videndum & audiendum produci, regi, admitti, & jurare nonnullos testes super nonnullis positionibus & articulis hodie hora vesperorum antedicta pro parte venerabilium virorum magistrorum Henrici de Piro licentiati in decretis, & Joannis de Scribanis de Placentia procuratorum promotorum & instigatorum ejusdem sanctæ synodi contra dictum dominum Joannem Papam dandis & producendis, vel ad dicendum causam rationabilem, cum præmissa fieri non debeant, alioquin in causa & causis, quæ vertitur & vertuntur, seu verti & esse sperantur coram eadem sancta synodo inter prædictum dominum Joannem citatum ex una, & promotores procuratores & instigatores prædictos de & super nonnullis criminibus, simonia, haeresi, dilapidatione & alienatione rerum & bonorum Romanæ & aliarum ec-*

* Sabinensis.

Testium dicta adversus Joannem publice excepta.

Joannes abdicationem per ambages spondet. (a) Ext. ib.

mere. Quibus patres, Rex Sigismundus, Regumque aliorum oratores assensere. Pomeridianis vero horis, quatuor nationum præsidibus congregatis perlectus est Joannis ipsius libellus (a), quo procuratoribus abdicandæ ipsius nomine pontificiæ dignitatis potestatem faciebat, modo invitus non detineretur, additis aliis nonnullis ambagibus: ac poscebat ut Sigismundus & concilium ipsius saluti libertatique consulerent, & Cardinales ad eum atque ab ipso Constantiam ultro citroque commearent, penesque ipsum essent, qui Romanæ curiæ munera exercerent, nec Frederico Austriæ duci bellum moveretur, ullave molestia inferretur.

Misit etiam diploma, quo censuras pontificiis aulicis, qui Constantiæ morabantur incusserat, irritas esse jussit, ut ipsis ad recurrentem octavum a paschate diem in Constantiensi urbe versari liceret, quod XXVIII. martii die publice propositum est. Post Joannis enim fugam nonnulli Cardinales ad eum se contulerunt ac dein reversi movere litem Joannem esse superiorem concilio, tum allata fuerunt pontificiæ curiæ administris mandata, ut Constantia discederent. At patres Joanni merito obluctati sunt, cum, ut diximus, Joannes vel non esset Pontifex vel ambiguus, atque ex Pisani conventus axiomate, licet alias Papa sit concilio superior, schismatis tamen tempore cum vere ambigitur, quis sit verus Pontifex, suprema authoritas ad concilium spectet: atque adeo ea ratione, qua Joannes sibi pontificatum assereret, concilio subiiceretur; nam si concilio Constantiensi subiiciendus Joannes non sit, multo minus Pisano Gregorius subiici potuit. Has vero turbas ita describit Theodericus Niemius:

(b) Theod. a Niem. in vit. Jo. XXIII.

Plures Cardinales Joannem sequuti.

(b) *In dominica in ramis palmarum summa mane duo Cardinales, scilicet Pisanus & Placentinus, recedentes secrete de Constantia ipsum Balthasarem secuti fuerunt, & eadem die post prandium etiam de Chalanco & de Brancaciis, nec non Barensis & successive quidam alii Cardinales etiam de Constantia recedentes, dictum Balthasarem sequebantur, similiter multi officiales & curiales eos de Schaffusen pro tunc etiam de Constantia secuti fuerunt; sed quarta feria redierunt huc, scilicet ad Constantiam de Schaffusia quatuor Cardinales: & illa die fuit congregatio illorum, qui erant de concilio & interfuit Rex ipse, & illuc accesserunt sex Cardinales & ample multum locuti fuerunt contra ipsum concilium, scilicet quod dissolutum esset propter absentiam & recessum dicti Balthasaris: & eis responsum fuit acriter per plures de ipso concilio viros magnæ authoritatis & scientificos, scilicet, quod Papa non esset supra concilium sed esset sub concilio, & facta illic contentio magna hinc inde.*

Exorta lis an ex Joannis absentia concilium dissolutum foret.

Ejus studiosi contendunt ipsum concilio esse superiorem sed repulsam passi.

Promulgata Joannis edicta ut pontificiæ administri Constantia discedant.

Quibus sic stantibus reperta fuit in portis majoris ecclesiæ Constantiensis affixa quædam schedula papyrea, in qua citabantur omnes officiales Papæ, scilicet quod sub pœna excommunicationis & privationis suorum officiorum ipsum Papam ad Schaffusiam infra paucos dies & in septimana sancta ipsa sequerentur: sed illico dicta schedula per quosdam de prædicto concilio perlecta & deposita, & ad eamdem congregationem deportata fuit, ignorantibus Cardinalibus ipsis. Quæ per quemdam venerabilem episcopum in ipsa congregatione perlecta, idem episcopus dixit eisdem Cardinalibus, tunc præsentibus: Reverendissimi patres, nos credebamus, quod huc pro bono pacis & concordiæ venissetis; sed duxistis contra nos fel vobiscum. Ad quod responderunt, quod utique pro bono pacis huc rediissent, at ille: Quare igitur portastis citationem contra officiales domini Papæ & curiales hic existentes in præjudicium hujus sacri concilii, & eam nobis irrequisitis & insciis publicastis? quod tamen constanter Cardinales ipsi negabant. Et tunc idem episcopus prædictam schedulam protulit in medium, eamque ibidem in publico legit, de quo prædicti Cardinales aliquantulum fuerunt stupefacti, dicentes quod de ipsorum mandatis hoc non processisset: sed bene erat verum, quod dicta schedula die immediate sequenti in eisdem partibus affigi & publicari debebat. Et suscitato majori clamore contra eos in congregatione præfata, ipsi domini Cardinales insalutato hospite abierunt: sed ipsa die immediate sequente ad placandum dictum concilium tempus sequendi præfatum Balthasarem in eadem schedula deputatum dicti domini Cardinales ad aliquot dies authoritate ejusdem Balthasaris, ut dicebant prorogarunt, per hoc reddentes se concilio hujusmodi magis suspectos, quia ipsi Cardinales ultimo, quod ratione non potuerunt illic, tunc clamoribus defendere voluerunt.

Graves in concilio exortæ turbæ.

Abhorrebat certe ab omni ratione, ut Joannes ad retinendam ambiguam dignitatem dissoluto concilio schisma propagaret, nec posset synodus sublatis de pontificatu controversiis, Pontificem non ambiguum universali Ecclesiæ præficere; maxime cum ipse Joannes Pisani conventus auctor adversus Gregorium contendisset, Pontificem ambiguum esse quasi nullum, non aliter quam id, quod ignoratur an sit consecratum, pro non consecrato habetur.

Iniquissima Joannis causa.

VII. Status controversiæ an Papa sit supra vel intra concilium qualis exstiterit.

Itaque in præsenti controversia, an Joannes Pontifex ambiguus vel nullus concilio œcumenico esset superior, ut ad illius imperium dissolvendum foret concilium Constantiense, an contra illius imperia propagari deberet, donec schisma penitus excinderetur, in quarta sessione trigesima martii die nova sanctio lata ud

sy-

synodi Constantiensis pro redintegranda ecclesiarum conjunctione congregatae adversus Pontificem, & duos pseudopontifices decertantes de pontificatu corroborandum authoritatem, quam ipsi Christo nullius medii beneficio retulerunt conceptis hisce verbis: *Declarat quod ipsa synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, generale concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiae Dei, in capite & in membris* [1]. Quae verba si suis librentur ponderibus ad Constantiensem synodum restringenda sunt cum eo tempore apud Christifidelium multitudinem non ita constaret, quis trium insignia pontificia gerentium jure fultus esset, utque aliunde constaret tributum a Domino Ecclesiae, ad schismata evellenda, fidemque tuendam, & creandi non ambigui Pontificis authoritatem; animadvertendum enim imprimis, ut observat Joannes Cardinalis Turrecremata (a), Constantiense concilium pro varia temporum ratione contemplandum, atque augustioris modo, modo angustioris fuisse authoritatis: nam quo tempore editum fuit superius decretum, an oecumenicum esset, magna lis erat apud catholicos, cum synodo adfuissent tantum ii, qui Joanni parebant: crevit deinde authoritate in sessione XIV. quando Gregorius Joannis Dominici Cardinalis legati opera illud confirmavit, sed quae adhuc in controversiam adducebatur. Cum vero Hispani demum Constantiensibus praesulibus se junxere, aucta tum maxime illius dignitas, ut non dubitaretur amplius apud catholicos quin oecumenicum esset. Non promulgasse etiam illos eum eu, quae adhiberi consuevit in conciliis maturitate, superiorem functionem memorant nonnulli, ut cum excitatas turbas narrat Rodericus episcopus Calagurritanus, in dialogo de authoritate & potestate Romani Pontificis, qui hoc se ab iis, qui interfuere concilio, accepisse affirmat, atque a Campegio (b) adducitur: *Decretum illud*, inquit, *praeter id quod factum fuit a sola obedientia Joannis XXIII. nec etiam concorditer factum ab omnibus ejusdem obedientiae, cum reclamaverint complures S. R. E. Cardinales, complures praelati & doctores, affirmantes decretum minus juridicum fore, daturumque quandoque occasionem schismatis; contradixerit & ipse Joannes XXIII.* Effudisse illum graves querelas apud Caroli Regis Francorum oratores, qui ipsum convenerant, refert Turrecremata (c): *Cum*, inquit, *post recessum suum a Constantia Scaphusae constitutus audiret praefatam declarationem conclusam dominis oratoribus Christianissimi Regis Franciae visitantibus eum, videlicet domino duci Bavariae, domino Nicolao de Calavilla, aliisque eorum collegis amaro animo conquestus est, falsa quaedam & erronea adversus authoritatem Romani Pontificis decreta per aemulos suos, post recessum ejus, esse conclusa.*

Sed Joannes adducere concilium in invidiam nitebatur, quasi suam auctorita-

Sessio IV.

Concilii auctoritas supra controversos Pontifices.

(a) Turrecr. summa de eccl. l. 2. c. 9.

Constantiensis concilii auctoritas varia fuit secundum varietatem temporum.

(b) Thom. Campeg. de potest. Rom. Pont. c. 23. §. 6.

Superiori decreto plures intercessere.

(c) Turrecr. sup. c. 95.

Questus est Joannes falsa post suum discessum decreta prolata.

Sessio V.

NOTAE [1] QUod celebre illud decretum in hac primum concilii sessione IV. editum & in sequenti iterum vel sancitum vel auctum, vel confirmatum multus est annalista; majora & luculentiora dedit Cl. Schelstratus in erudito opere, quod de hoc argumento elaboravit, inscripto. *De vero sensu sessionis IV. & V. concilii Constantiensis*. Cujus laboris scopus is est, ut demonstret nihil in iis canonibus sancitum fuisse nisi quod concilium superiorem obtinebat potestatem in his & similibus circumstantiis, in quibus de legitimo pontifice ambigeretur. Quin & in hanc sententiam an satis legitime convenerint patres ambigendi ratio succurrit. Primo enim in quarta illa sessione cardinalis Florentinus quaedam pro arbitrio mutavit, iis neglectis, de quibus convenerant nationes in coetibus illis quibus se parabantur, quae dein ab universo concilio approbanda erant. Ita enim palam testatus fuit author *cedula* pro valvis *palatii episcopalis Constantiensis die Lunae VIII. martii* (lege Aprilis) *exposita*, vulgatae a Martene Anecdot. to. II. col. 1620. *Iste cardinalis Florentinus cedulam, quam nationes concordaverant in sessione, quae facta fuit penultima martii, decurtavit & detruncavit*. Insuper verba illa. *reformationem generalem ecclesiae Dei in capite & in membris* furtim in acta edita hujus sessionis irrepsisse ex eo suspicari licet quod desint in novem MSS. codicibus Schelestrati aliisque sex Martenio, qui Concilii Constantiensis acta cum amplissima veterum documentorum appendice non ante multos annos vulgavit. In decreto vero quintae sessionis fateor equidem verba illa legi, sed quid statuendum sit de hac sessione discere licet ex iis quae in MS. codice D. Schelestratis narrantur. Scribit enim author ille anonymus, sed quantum ex indiciis colligitur praesens, *dominos cardinales & oratores regis Franciae* antequam in concilium se conferrent *protestationem secrete praemisisse, quod propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi his quae audiverant in ipsa statui debere*. Igitur decretum illud in quarta quidem sessione de pontifice nihil statuit; in quinta vero licet de pontifice disposuit, patrum tamen assensu destitutum fuit.

Nec est cur mihi reponatur facto ipso demonstrasse concilium, quae patrum omnium fuerit de praestantia concilii supra pontificem sententia, cum Joannem, quem legitimum pontificem agnoscebat, deposuerit. Neque enim ad sententiam depositionis antea processum fuit, quam ipsum se pontifex arbitrio concilii permiserit, lataeque de se sententiae ipse subscripserit. MANSI

tem Pontificibus sine ullo discrimine præ-tulisset; quocirca præsules Constantienses idem decretum in sessione v. (a) cum jam Joannes Scaphusa Laffembergum abiisset, renovarunt repetitis iis verbis: *In hie, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis*, quæ demonstrant de iis tribus locutos, qui pontificia insignia per id tempus gerebant, quorum tum apud plerosque controversa erat auctoritas: cujus quidem sanctionis vis exercita est, cum Joannem ab jure pontificatus depulere, ubi Gregorius una cum suis, papali dignitate deposita, se Constantiensibus conjunxit, & proximo anno postquam Hispaniarum ecclesiæ se illis etiam aggregassent; quo tempore œcumenicum concilium summo omnium consensu agnitum est, iterum eadem sanctio suum robur tenuit, cum Petrum e Luna decretoria sententia damnarunt; is enim pertinaciter contendens Pontificem, quamvis ambiguum difficillimi schismatis tempore œcumenico concilio non subesse, anathemate ab illo est perculsus: quæ sententia iterum in Senensi synodo corroborata est.

(a) *Acta conc. Constan. sess.* 5.

Contrahere patres decreti vim ad tempus schismatis.

Petrus e Luna contendens Pontificem quamvis ambiguum non subesse concilio.

VIII. Bellarmini insignis sententia.

Fuisse porro dictis jam limitibus circumscriptum decretum Constantiense, quo asserta est ipsius adversus ambiguos Pontifices auctoritas, nitide Robertus Cardinalis Bellarminus (b) astruit: *Non definivit*, inquit, *absolute concilia generalia habere a Christo potestatem supra Pontifices, sed tantum in casu, id est tempore schismatis, quando nescitur quis sit verus Papa, nam dubius Papa habetur pro non Papa, & proinde habere super illum potestatem non est habere potestatem in Papam.* Et infra: *Et si concilium sine Papa non potest definire nova dogmata fidei, potest tamen judicare tempore schismatis quis sit verus Papa, & providere Ecclesia de vero pastore, quando is nullus aut dubius est; & hoc est, quod recte fecit concilium Constantiense.* Hæc Bellarminus secutus Turrecrematam (c), qui ante adeptos cardinalitios apices Constantiensi concilio interfuit, Sanderum (d), & Campegium, qui decretum id controversum ita interpretatur (e): *Putamus decretum illud robur obtinere, nec imminutam auctoritatem Romani Pontificis, quoniam si is (quod Deus avertat) in hæresim lapsus sit, non in eum habet concilium potestatem, qui sit Pontifex, sed in eum qui fuerit Pontifex, quod hæresis omni eum auctoritate & potestate spoliaverit: in casu vero schismatis, cum scilicet duo vel plures de pontificatu contendant, cum ignoretur quis eorum sit Pontifex, concilium in eos habet potestatem, qui pro Pontificibus non habentur: sicut enim quod nescitur consecratum pro non consecrato habetur, & consecratione eget cap. Veniens de presbyter. non bapt. cap. solemnitates de consecrat. dist. 1. sic qui ignoratur an verus sit Pontifex, habendus est pro non Pontifice & in eum habens potestatem non censetur habere potestatem in Pontificem. His adstipulantur verba cap. Si duo forte contra fas LXXIX. dist. & decreti, de quo est nobis sermo: ex quibus perspicue colligi potest illis duobus casibus concilio tribui potestatem in Romanum Pontificem. Nec te deterreant verba: Cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur; quoniam is Papa præmissis casibus in quem concilium potestatem obtinet, sic Papa nuncupatur, ut homo mortuus aut pictus homo appellatur, quod satis ex præmissis colligitur.*

(b) *Bellarm. l. 2. de concil. auctor. c. 19.*

(c) *Turrecr. sup. c. 40.*

(d) *Sander. de visib. monarch.*

(e) *Campeg. in oper. de potest. Rom. Pont.*

Tempore schismatis Papa dubius inferior concilio.

Præterea illi patres decretum illud locum habere voluerunt tempore schismatis, non autem cum fuerit unus verus & indubitatus Pontifex; & quod dicitur in secunda parte decreti: Item declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis, status, vel dignitatis, etiamsi papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus hujus sacræ synodi & cujuscumque alterius concilii generalis legitime congregati, &c. super præmissis, referendum est ad similem casum schismatis, aut hæresis Romani Pontificis, quo recte concilio subjicitur: nec quod dicitur, ad reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris, referendum est nisi ad deformationem ratione schismatis aut hæresis, cum desit verus Pontifex, cujus est Ecclesiam reformare; sic quod dicitur in capite & in membris, interpretandum de capite dubio & incerto, cum super eo concilium habeat jurisdictionem, non autem si certum fuerit & indubitatum. Hactenus Campegius. Probatur denique ex patribus Constantiensibus intellexisse ipsos contrahendum id decretum ad tempus schismatis, nam in ipso Pisano concilio ita senserant præsules illi de auctoritate concilii contra contendentes de pontificatu (f): *Declaramus*, & infra, *ipsum concilium convocare potuisse & hujusmodi convocationem ad dictum sacrosanctum concilium spectasse & pertinuisse, & spectare & pertinere hac vice in hac causa detestandi & antiquati schismatis.* Pariterque Cardinales Gregorio opponenti auctoritatem pontificiam concilio superiorem esse, responderunt disserte (g): *In causa de qua agitur quando scilicet sunt duo contendentes de papatu, ut est in casu præsenti concilium generale est judex ordinarius & superior utriusque: nam clarum est quod propter dubium unus non est superior altero nec ambo simul cum non possint esse duo capita & esset contra articulum fidei & in unam sanctam, &c. nec alter ipsorum per se habet in ista materia aliquam jurisdictionem, nec convocandi, nec ordinandi, nec aliquid statuendi, nam alias quilibet esset judex in causa propria de titulo sui papatus.*

Non ambiguus Pontifex superior concilio.

(f) *Ann. 1409. n. 77.*

Quid senserint patres Constantienses declarant per superiora decreta.

(g) *Ann. 1409. n. 42.*

De-

Basileenses schismatici male interpretari decretum Constantiense.

Detorsere postea in pravum sensum idem decretum plures Basileensis conventus seditiosi, adeo ut Constantiensibus patribus affingerent ab ipsis pronunciatum, concilia Romano Pontifici, de cujus fastigio non disceptatur in iis quæ ad mores spectent, jura dare, illumque gradu dimovere posse: quorum interpretationem ex eo falsam esse constat, quod controversia illa tum temporis non agitata esset, deque concilii authoritate adversus Joannem dubiæ dignitatis, qui illud dissolvere annitebatur, ac Petrum e Luna pertinacissime illud damnantem agebatur. Hactenus de vero sensu Constantiensis decreti, ex quo excitandorum motuum occasionem novatores sunt aucupati: nunc concilii historiam prosequamur.

Sancitum etiam in eadem quarta sessione fuit, Romanam curiam Constantia Joannis imperio non abducendam, sed suis muneribus pontificios administros in eadem urbe perfuncturos, & si quæ censuræ a Joanne infligerentur, eæ rescissæ sunt. Constitutum etiam, si quos Joannes sacra purpura donaret, eos in Cardinalium numero non habendos; quibus decretis omnes perversæ Joannis molitiones elisæ fuerunt. Ipse vero conquisitis coloribus fugæ suæ ignominiam fucare annitebatur: cumque antea vulgasset se metu permotum aufugisse, deinde Reginaldo archiepiscopo Rhemensi ab oratoribus Regis Galliarum ad rem componendam misso, interprete Cardinale e Salanco significavit (a), non metu adactum, sed ut cœlo clementiori uteretur.

(a) *Acta post sess. 4.*

IX. Parisienses doctores synodum urgent ad ecclesiarum pacem promovendam.

Excurrente ad proximam sessionem quintam temporis intervallo Parisiensis academiæ doctores de Joannis defectione certiores facti, congregatos ad synodum patres literis ad eam urgendam, ac ne egregie cœpto absisterent, donec ecclesias schismate laniatas sacro inter eas fœdere conjunxissent, literis suis (b) sunt cohortati. Cumque patres urgerent Joannem, ut vel rediret Constantiam, aut saltem Scaphusa non absccederet, mox ille Scaphusa in Basileensis agri oppidum, cui Lefemberch nomen est, se recepit xv. aprilis die ut ducis Austriæ patrocinio tutus delitesceret: *In quo itinere*, inquit Theodericus a Niem (c), *dum esset extra & prope Schaffusen accersivit tabellionem & testes, & coram illis publice protestabatur, quod quidquid ipse Constantiæ juravit, vovit, & promisit, illud vi & metu fecisset & non aliàs; & propterea illud efficere non teneretur; & eandem protestationem postea pluries repetiit in aliis locis, ad quæ devenit: tamen in quibusdam suis epistolis hinc inde directis scripsit appositum, scilicet quod de Constantia non fugisset ea de causa, ut unionem non faceret, immo quantum in ea esset ipsam facere* vellet. Extant eæ in actis concilii, ex quibus perspicuum fit, ipsum impostoris munus gessisse, quippe qui omnia crimina quæ Gregorio de propagato schismate inferre nisus erat, turpiter in se traxit, ac defectionem a Gregorio persuasisse Cardinalibus, non ecclesiarum conjunctionis studio, ut falso gloriabatur, sed potius ambitionis æstu percitum, atque inanis fastus cupidine atroces in Ecclesia Dei tempestates conflasse: conceptæ vero fuere ejusmodi ipsius literæ fucis plenæ hisce verbis.

(b) *Ext. in actis ms. conc. Constant. ep. 41. sess. 6.*

Joannis privato commodo inhiantis artes.

Joannis acta fallacia quibus se coactum cessionem promisisse ait.

Ut impostor contrarium literis promulgat.

(c) *Niem. in vita Jo. XXIII.*

Joannes, &c. universis & singulis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem.

Universitati vestræ & vestrum singulis præsentibus innotescat, cum propter metum qui merito cadere poterat in constantem, de civitate Constantiensi discessimus, & ad terram Scaphusensem Constantiensis diœcesis pervenimus, credentes exinde posse omnia & singula practicare, quæ forent ad pacem & unionem Ecclesiæ sanctæ Dei, quam de die in diem cordialius expectamus, eamsante humani generis hoste impedimenta supervenerunt talia, quod exinde feria sexta majoris hebdomadæ post celebratum officium ingravescente aeris tempestate permaxime oportuit nos ab inde discedere etiam propter metum, qui cadere poterat in constantem, & loco & tempore congruis & securis etiam in generali concilio, ubi & quando latius patebit accessus luce clarius ostendetur, & quamquam mors censeatur terribilium omnium ultima, illam, nec illa quæ nobis imminebant gravissima pericula tantum formidamus sicut hoc unum, ne ex hac occasione captata Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus Corario Gregorius XII. in eorum obedientia nominati allegantes impressionem nobis illatam se quoquomodo retrahentes a cessione juris quomodolibet in papatu & sic perturbarent affectus pacis & unionis hujusmodi, ad quorum verum & salutarem effectum suprema nostra desideria tendunt, & quantum in nobis est ad hoc, ut pax & unio subsequatur hujusmodi, in nulla cessabimus seu studia nostra quomodolibet subtrahemus. Dat. Lamfemberck Basileensis diœcesis pridie non. aprilis pontificatus nostri anno v.

Propter metum se aufugisse prædicat.

Injecta itaque ab eo universæ Ecclesiæ offensione gravissima, Constantienses patres encyclicis hisce literis (d) universis fidelibus totius rei gestæ seriem accuratissime significarunt.

(d) *Ext. in actis conc. post sess. 5.*

Sacrasancta generalis synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, universis Christifidelibus, &c.

X. a extinctionem

*Dudum Pisis, inclyta quidem & insigni civitate tam matura, libere, ac sincere celebrato concilio, prædicti acerbissimi schismatis * execrationi speravimus eorum, quæ*

ibi gesta sunt, sententiis, authoritatibus doctorum, SS. Patrum juriumque institutis comprobatum tantam apud homines habere authoritatem * totamque fidem sibi vendicare, at unio in Ecclesia Dei, nec longe sequi deberet: verum non eo res producta est, sed [quod dolenter videmus, & graviter patimur] adhuc in regnis & provinciis partim Petro de Luna Benedicto XIII. * Angelo Corario Gregorio XII. in suis obedientiis nominatis adhaerentibus, durissima ac perniciosissima scissura vulneratam Dei ecclesiam deploramus. Verum hunc lachrymabiliter * maestissimumque eventum citò probare * rerum gestarum sequi non debuisset, idem tamen Pisanum concilium malitia hominum evenire posse praevidit; quamobrem opportune statuit ad ad certum tempus aliud concilium sequendae unionis gratia in capite & in membris fieri debere. Unde talibus institutis astrictus dominus Joannes Papa XXIII. ac etiam a nonnullis principibus, praecipue a serenissimo Romanorum Rege excitatus, ut ad dictum sacrum concilium in loco habili honestoque festinaret: tandem habito super hoc cum praedicto Romanorum Rege solemni tractatu, loco quidem amoenissimo, affluentissimo, & ex omni parte idoneo id concilium tenere & incipere kal. novembris proxime praeteritis publicavit, ac in eodem ad reformationem Ecclesiae Dei tam in capite quam in membris professus est intendere: quam rem injunctam cum licentia * & animorum festivitate per singulas nationes homines intellexerint & audierint, putantes per hoc ad unionem Ecclesiae posse pervenire, exitus ipse docuit. Nam adveniente tempore tanta hic principum, praelatorum, doctorum, & magistrorum copia adventavit, ut numquam aliqui viderint, audierint, aut fere legerint tantam concilii causa convenisse; ita quod jam plene, omnium pene Regum & principum nunciis maximorum etiam praelatorum praesentia roboratum concilium sit, quemquam idem Joannes solum confirmationem Pisani concilii procuraret, & sic statum suum unitati Ecclesiae anteponeret; nos per prius ad ipsam unitatem intendentes nusquam a Pisani concilii procuraret * ordinationibus, & vestigiis recedere, sed illis potius inhaerendo viam cessionis horum trium contendentium tamquam faciliorem & securiorem pro habenda unione tentamus, in qua re summa cum charitate & mansuetudine processo tam ab omnibus nationibus concorde praelatorum judicio approbata decretaque exstitit, eamque denique viam idem D. Joannes Papa certo modo adimplere in publica concilii convocatione, postquam ad eam perficiendam coarctatur, expleturum se obtulit: cum tamen non plene satisfacere videretur, post multa habita hinc inde colloquia, alio modo pleniori & meliori per

* tantamque Constanticasiom Patrum litera.

* partim De Pisano concilio.

* lachrymabilem

* pro gravitate

Cur indictum sit Constantiense concilium.

* laetitia.

De conventus amplissimo celebritate.

* procurationibus.

Vt cessionis via communi consensu comprobata sit.

nos recepto, die 11. martii in publica sessione cedere promisit, vovit, & juravit, prout in suis literis apostolicis super inde confectis continetur. O quanta ea dies nobis gaudia obtulit! quanta toti populo Christiano commoda indicavit! nempe tot annos ab intimis * concordiis afflicta parvo momento videbantur. Ob id cuncti summa ad eundem Joannem devotione ferebantur, gratiae tanti muneris agebant; & quidem res ista cunctis Christifidelibus utilitatem quietemque, ipsi vero Joanni non solum honorem, sed etiam gloriam perpetuam ministrabat. Et iis sic gestis serenissimus Romanorum Rex cum dicti Petri de Luna oratoribus Regisque Aragonum, nec non Angeli de Corario ad prosecutionem hujusmodi tam desiderati negotii intendens, convocatione cum dictis Petri & Regis Aragonum oratoribus jurejurando firmavit, quod kal. junii proximi Niciam proficisceretur, unaque cum dicto Petro de Luna & Rege Aragonum personaliter conveniret ut rem praedictam tam piam tamque necessariam adimplerent. Haec tam magna arduaque negotia non solum utiliter ac prudenter, sed [quod in tanta multitudine mirum videtur] quiete, pacifice omni prorsus tumultu ac suspicione cessante gesta fuere.

* praecordiis

Ut Joannes maximo cum applausu cam sit amplexus.

XI.

Cum vero postea de praedictorum promissione votique executione debito honestoque modo fienda solliciti esse coeperimus, cumque mitius peragi res videretur, fictae hominum nequitia sive diabolica instigatione, aut utraque malitia operante *, ad aliquam fracturam ventum est. Nam cum ad aures nostras perlatum esset, quosdam ex praelatis hic concilii causa accersitos pro dissolvenda hujusmodi synodo tantum properare, spretaque populi Christiani religione & Ecclesiae unitate, spretoque licentia ad recessum intendere contra jam ordinata statutaque, eumdem serenissimum Regem exoravimus, ut taliam improbitas quodquam nocere posset, & nos a tanto bono diverteret, ut per custodiam portarum provideret, ne quis eu praelatis licentia non obtenta exire posset, quoad super hoc de remedio provideretur opportuno: suspicabamur enim, quod postea nobis clarissimus exitus demonstravit, ut excogitata quadam ambitio, impudentissimaque cupiditas id efficeret; idem autem nostra solum ductus exhortatione per mediam fere diem exitum abnegavit. Hanc rem laudabilem quidem idem D. Joannes molestissime ferens, quasi sua libertatis angustanda causa, & ne penitus de hoc loco recedere posset, attentatam increpabat scandalosam, & salvi conductus violativam inquirebat. Sed quis de suo recessu unquam cogitare potuisset, cum singulis diebus publice assereret usque ad unionis & promissionis jam factam conclusionem concilium Constantiense servaturum,

* operante

Nonnullorum pro dissolvendo concilio conatus.

Actum ut portae urbis clauderentur.

ac

ac: Deus avertat, *inquiebant*, quamvis perantea dissensio furorque fuerit, ut suspicandum esset: *quinimmo tanta nos ad ipsum non solum reverentia, sed dilectione ferebamur, quod cunctis apparere poterat evidentissime, nos ardentissime non solum unitatem Ecclesiæ, sed statum suum extollere: attamen, ut animus ejus puritissimus ab omni suspicione emundatus redderetur, advocata maxima principum, prælatorum, doctorumque multitudine D. Rex, quo jure, qua ratione extra volentibus portas inhiberi fecerat, maximo cum fervore humilitatis apud D. Joannem exposuit, & sincere professus est nullum suæ libertati securitatique præjudicium facere, sed tamen defensurum, si qui in personam aut statum perperam molirentur, ac obtestatus est ipsius domini Joannis arbitrio esse commissum stare recedereque si velit, aut si majorem securitatem expeteret se ex optima intentione concessurum: rursus si idem Joannes quoque eumdem Regem in prædictis non modeste processisse argueret, se & suo & totius concilii judicio parere consensit; iis D. Joannes tamquam non solum honeste, sed vere justeque propositis consternatus remansit.*

Exposuit Sigismundus causas.

Pariturum se concilio exhibet.

XII. *Ulterius ad unionis prosequutionem intenti habitis per singulas nationes maturissimis colloquiis summe intereste, ut idem D. Joannes procuratores ad cedendum juxta promissionem votumque constitueret, obtinuimus; etenim quamquam idem D. Joannes se Niciam iturum, nec non & personaliter impleturum assereret. Cumque ob eum accessum de dissolutione concilii deque ejus reditu ubique per illam conventionem res non sortiretur effectum, non parva suspicio haberi poterat; utilius arbitrabamur & pertinentius procuratoris usu, quam sua præsentia rem esse gerendam. Nos enim etsi ille modus cessionis oblatæ ad unionem Ecclesiæ nusquam profit, non tamen alias vias relinquere intendebamus, nec eas repudiavimus quibus ipsius D. Joannis præsentia erat plurimum necessaria. Cæterum de conclusione fienda facillime, simul de papatu certantibus in unum locum convenientibus, merito erat dubitandum, hoc enim alias experti fuimus, atque nobis ea evidentia demonstravit in hac re peragenda reddere debet cautos: denique ad extirpationem hæreticæ pravitatis intestinæ aut ne integritas fidei offenderetur intendimus, in quo opere plurimum summi pontificis auctoritas suffragatur. Aliis etiam movebamur rationibus, quas & literis non comprehendimus quasque ingeniorum vestrorum aculeis percipietis. Hæc plane hæc dulcissime humiliterque cum eodem Joanne Papa contulimus: nos hic quærere solum communem utilitatem pacemque totius populi Christiani, neque furere quopiam incedere, Deus novit; quinimmo ad hæc tractanda ejusdem D. Joannis judicio vocati esse putabamur, cum suis literis de fienda in capite reformatione tanta verborum efficacia denuntiavit quamquam super præscriptis modum adhibere videntur: nam in publica quadam... reverendissimus dominus Cardinalis Florentinus eodem D. Joanne præsente, & ne sic responderet, imperante, quod dictus D. Joannes de hoc loco nunquam discederet nisi ad sacri concilii beneplacitum, & si ob hoc mortis periculum eveniret, neque ad dicti concilii dissolutionem intenderet; immo illud cunctis conatibus augere verborum elegantia diserte insinuavit: quare per talem sermonis aciem quisque audivit non solum Joannem ad recessum non festinare, sed ubi abesset properare ad reditum credidisset; iis tamen duobus vel tribus diebus ab inde prolapsis, noctis tempore, habitu non solum transformatus, sed prorsus indecenti ab hac civitate Constantiæ discedens Scaphusensem locum per ducem Austriæ detentum die XXI. mensis martii profectus est. Vos igitur extimetis an quidquam potuit turpius damnabiliusque committere, gregem suum sub conducta sua auctoritate ab extremis mundi partibus proficiscentem, gravissimis sumptibus miro viarum discrimine, & non levibus periculis hic congregatum, ac in tanta rerum magnitudine sanctissimum derelinquit, seque ab eadem abdicat. Profecto ad lacrymas venire compellimur, nobismet & compati * ire possumus ubi nostrorum infœlicitate temporum tanto * pastore abusu fœdamur decoquimurque. Repetamus concilia hactenus celebrata, in quibus de flagitiis summorum Pontificum actum, apparet fuga eos non solum concilia non vulnerasse, sed humiliter se eorum sententiæ subjecisse, ut de Symmacho legimus, ut Sixtu, qui apud concilium de enormibus criminibus accusatus, quamquam evadere potuisset, voluit concilii judicio obtemperare ut clarissimum est.*

Ut Joannes spoponderit non dissoluturum concilium.

Paula post noctu se proripuerit.

* jure

* tanti pastoris

Sed nec satis eidem Joanni, quod nobis non solum, sed sibimet se subtraxerit videbatur, quinimmo edictis palam propositis curiales omnes, quorum potissimi hic unionis causa expectabantur, durissimis & crudelissimis pœnis impellebat, ut ab hinc discedendo infaustos tramites suos sequerentur: cujus rei causa multi eumdem comitari cœperunt, in re etiam furore eundem ex reverendissimis dominis Cardinalibus secuti sunt, licet minime omnes, qui pro majori parte redierunt. Hic autem in tali casu usus est humanitate Romanorum & Hungariæ Rex, ut statim ejusdem Joannis recessu audito nunciare publice fecerat, si quis eumdem sequi vellet, aut manere eligat, securus sit. Nulli itaque in tali ac tanto animorum anfractu quicquam molestum emersit: sed & procul dubio ipsius Joannis discessus tanquam per antea communi fama & multiplici rerum evidentia manifestius impediri poterat: nullus etiam sa- XIII.

XIII. Edictis jusserit aulicos ipsum sequi.

ne

Sigismundi responsum cum illi dictum esset Joannem discessurum.

na mentis ignorat multa eidem domino Regi circa id exposita fuisse; sed ut vobis innotescat: Malo, inquit, libero Joannes hoc loco abeat, quam adversum me de fide abrogata, de violata cujuscumque libertate infamiam irrogaret. Hæc verissima sunt. Hæc Deo testamur, cunctisque Christifidelibus; quinimmo quamquam idem D. Joannes per suas literas de metu illato, qui cadere poterat in constantem asseveret, tamen metum non solum illatum, sed nequam metus inferri solet, dum a quodam invito exigere quidquam volumus, sed nec proculdubio occurrere poterat a D. Joanne expectandum pro Ecclesiæ unitate, quod aut facere non deberet, aut si facere excusaverit, nos auctoritate nostra peragere non possemus. Forsitan de illo timore sentire videtur, quem omnis, qui apud judicem se excusat, debet merito formidare. Hæ inanes oblocutiones veritate non solum, sed veritatis conjectura carere noscuntur. Praterea per reverendissimum D. Cardinalem de Chalanto de Scaphusa venientem, ac reverendissimum patrem D. archiepiscopum Rhemensem ad nos per eumdem D. Joannem ex causis certis transmissos in publico prælatorum quasi omni conventu, ac præsente serenissimo domino Romanorum & Hungariæ Rege, &c. nunciatum est ullo unquam casu eumdem dominum Joannem dictum dominum Regem timuisse, ac se ab omnibus summa dilectione tractatum, neque Regis suspicionem recessui præbuisse occasionem; sed quod ex prælatis quosdam, quod maxime veretur, hoc idem dominus archiepiscopus, sicut refertur, in mandatis habuisse testatus est, prout de his omnibus publica habentur documenta. Nos igitur cum omnia diligenter pensamus, & maturo judicio deliberamus, nil aliud eumdem attentasse conspicimus, quam hujusmodi concilii dissolutionem, utpote ad unionem Ecclesiæ intendentis, & verissima sunt, & qui vidit testimonium perhibuit & verum est testimonium: novit ipse. Tandem, ne a Scaphusensi loco hic satis vicino discederet affectabamus, & solum ut facilius & commodius secum tractanda perficerentur: & cum ad eum nostros oratores remittere curavemus die veneris sancta, dum solemnia agerentur, ad castrum Loffemberch ab hinc per duas dietas remotum procedere nusquam pudnit, ibique paucis diebus accedens ad Friburgum ejusdem ducis Austriæ oppidum se contulit, ex quo omnis induceret quanta per tot varietates parentur ipsi unitati noxia, quot in posterum oriri poterunt impedimenta, si sic sub ambagibus tempus incassum ducatur. Cæterum hoc scripsisse voluimus, ne quorundam procacitas absurdaque loquacitas auribus vestris forsan obserpens in absurdam credulitatem, quod nusquam opinamur, forsan abduceret, ut in futurum intricatissimis obloquentium verbis & veritati prorsus insidiantibus fidem non facilem adhibeatis. Nos enim non propulsanda cujusquam injuria tot sumptibus, tot angustiis experimur, sed pro omni statu & sacrosancta Ecclesiæ firmitate. Denique non deerit qui eumdem D. Joannem humillima exhortatione ad reditum hujus loci, vel saltem vicini præstitis sufficientissimis securitatibus ad prosecutionem tanti boni excitet; ut pacifice, quantum fas erit, procedamus: quinimmo duos ex reverendissimis in Christo patribus, & dominis cum aliis prælatis ac venerabilibus viris transmittere ordinavimus, obsecrantes ac eum totis viribus inducentes, ut hoc tam sanctissimum opus & omnibus acceptissimum derelinquat, intendentes ex desiderio hujus sacri concilii, honestate, & rei convenientia illo abnegante & recusante ad juris remedia sine cunctatione procedere. Vos igitur sincere deprecamur in Christo, ut jejuniis & orationibus insistatis, quanto Deus per suam misericordiam nos ad tanti boni perducat effectum, & pacem offerat salutarem.

Decretu ad Joannem legatio.

Respondit ille non timuisse Sigismundum sed quosdam prælatos.

Rogatus ne Scaphusa discederet longius perrexit.

Hortati sunt illum patres ut rediret Constantiam.

XIV. Sessio v.

Habita est sexto aprilis die sessio quinta, in qua ad infringendas Joannis improbas molitiones iterum decretum in sessione quarta editum instaurarunt (a), ac pontificiæ curiæ munera obeuntes Constantia discedere vetitl. Præterea pronuntiatum præsules suis ecclesiis non pellendos vel ad alias traducendos, vel quoscumque suis exauthorandos sacerdotiis ob navata concilio studia; ad discutiendas vero mendaciorum de injusto metu aut vi illato tenebras, quas Joannes ad obscurandam veritatem offuderat, hæc promulgata sunt: *Item declarat, quod dominus Joannes Papa & omnes prælati & alii ad hoc generale concilium vocati, & alii in eodem concilio existentes in plenaria libertate fuerunt & existunt; ut visum est dicto sacro concilio, nec ad notitiam dictorum vocatorum seu dicti concilii contrarium deductum est: & hoc testificatur dictum sacrum concilium coram Deo & hominibus. Item declarat, decernit, statuit, & diffinit dicta synodus, quod dictus dominus noster Papa renuntiare tenetur, nedum in quocumque casu in schedula oblationis suæ comprehenso, sed etiam in quocumque, in quo sua renuntiatio afferre potest magnam & evidentem utilitatem ad bonum unionis Ecclesiæ Dei; quodque super hoc dictus dominus noster Papa declarationi & diffinitioni hujus sacri concilii stare tenetur.*

(a) Acta conc. Constan. sess. 5.

Promulgatum Joannem se abdicare teneri.

Item statuit, definit, decernit, declarat & deliberat dicta sancta synodus, quod si dictus dominus noster requisitus pro bono unionis per hoc sacrum concilium papatui renuntiare contempserit, vel plus debito distulerit, ex nunc prout ex tunc & ex

i·x

tunc prout ex nunc pro abjecto a papatu omnibus Christifidelibus habebatur, & omnis obedientia illi sit subtracta. Item statuit, definit, & decernit dicta sancta synodus, quod recessus dicti domini nostri Papæ a civitate Constantiensi clandestine factus fuit illicitus, bonoque unionis Ecclesiæ Dei præjudicialis & nocivus; quodque dictus dominus noster Papa requirendus est ex parte dicti sacri concilii, quod ad illud revertatur, facturus & adimpleturus, quod promisit, vovit, & juravit pro unione danda Ecclesiæ Dei, & cum intimatione, quod si infra terminum sibi ex parte dicti sacri concilii præfigendum, ad ipsum concilium redire contempserit, aut plus debito distulerit, contra eum tanquam fautorem schismatis & suspectum de hæresi procedetur, ut requirunt sacræ & canonicæ sanctiones.

Promissa Joanni securitas.

Item statuit, definit, decernit, & declarat dicta sancta synodus quod, si dictus dominus noster Papa ad ipsum sacrum generale concilium redire voluerit, & quæ promisit, vovit, & juravit efficaciter juxta deliberationem dicti sacri concilii pro dicta unione adimplere, eidem provideatur de bona securitate, quod nec ante renunciationem nec post capietur aut incarcerabitur, nec alias in persona vel bonis molestabitur; quinimmo in plena securitate & libertate tenebitur & per dominum Regem Romanorum serenissimum, & etiam per dictum generale concilium & ulterius de bono statu eidem domino nostro & suis familiaribus post dictam renunciationem habendo ad arbitrium quatuor per eum & aliorum quatuor per dictum sacrum concilium eligendorum provideatur. Nonnullis interjectis de Wicleffi & Joannis Hus hæresi comprimenda, quæ inferius cum aliis ad id spectantibus conjungentur, referunt acta propositum fuisse ab Andrea designato episcopo Posnaniensi videri dandas literas ad Reges ac principes de Joannis secessione, easque & Regis Romanorum & præsidum quatuor nationum sigillo consignandas: cui a patribus assensum est.

Expositum præterea fuit ab Andrea Posnaniensi patribus de exorando Sigismundo Rege, ut Joannem ad Constantiensem synodum reducendum curaret, & facta Ecclesiæ promissa impleret. Assurrexit tum Romanorum Rex, præfatusque ut Joannes Laffemburgi sub clientela Friderici Austriæ ducis ageret, addidit latere ipsum an ille Constantiam reverti velit, ac si velit, an Austriacus permissurus sit: daturum tamen Joanni fidem publicam, si reverti velit, ac invito & reluctante duce Constantiam reducturum; qua oratione a patribus commendata, subdidit Sigismundus, se principi Friderico Burgravio imperasse, ut Cardinalibus & aliis aulicis Scaphusæ agentibus fidem eandem, ad Constantiam repetendam traderet; eos vero respondisse, nec Joannem sequi, neque Constantiam reverti, sed Romam se conferre decrevisse.

De Joanne Constantiam revocando actum.

Describit varia Joannis itinera vel trepidas cursitationes Theodoricus Niemius (a), conscensis nimirum equis Lanffenbergio tribus tantum comitibus stipatum provolasse Friburgum, ac varias coitiones tentasse, ut opera ducis Burgundiæ Avenionem deduceretur: *Postquam*, inquit, *dictus Balthasar per aliquot dies mansit in Friburg, transtulit se ad oppidum Brisacum etiam super dictum flumen consistens, confisus ibi tractatus facere per medias personas cum duce Burgundiæ, qui habet terras non multum ab inde distantes, ut eum abduceret, seu abduci faceret de Alamania, conduceretque per partes Galliæ usque ad Avinionem; & super hoc jam erant conducti plures stipendiarii in propinquo existentes; & adventum dicti Balthasaris ad ipsos pluribus diebus & noctibus præstolantes; sed ecce interim detecta fuit quibusdam fidelibus dicti domini Regis potentibus in partibus illis. Quod cum sciret ipse Balthasar, non audebat se committere ipsis conductis gentibus, sed fugit etiam tunc habitu mutato consueto ad oppidum Nuenburg super eodem flumine consistens: sed illico superveniente rumore, falsa tamen, quod prædicti fideles ejusdem domini Regis Romanorum præfatum Balthasarem & suos curiales tunc secum existentes in eodem oppido Nuenburg obsidione constringere vellent, ipsi timore vano perculsi nullo per eos ordine observato, sicut oves errantes fugerunt ab eodem oppido, ambulantes illa die, & nocte immediate sequente, ab invicem dispersi iter agentes iterum ad dictum castrum Friburg: ad quod sic fugientes tandem reversi fuerunt.*

Addit auctor mox Friburgum accessisse amplissimos concilii legatos nimirum duos Cardinales, ac plures episcopos ad Joannem, ac postulasse; *quod constitueret procuratores in ipso concilio ad cedendum pro ee papatus & ipse eligeret si vellet aliquem alium locum in quo staret, quousque dictum concilium aliud de ipso pro publica utilitate Christianitatis ordinaret, aut dictum concilium contra eum ad privationem procedere vellet.* Subdit Niemius Joannem acerbe respondisse, ac procuratori abdicationis formulam per Bertholdum Ursinum comitem Constantiam misisse, sed non idoneam a concilio habitam fuisse. Cæterum sex Cardinales qui Schaffusiæ substiterant mutato consilio x. aprilis publicæ fidei syngrapham postulasse concessamque fuisse ut Constantiam redirent, inter quos erat Odo Columna, qui postea renunciatus est Pontifex in eodem concilio.

(a) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Die

XV. Die decimatertia aprilis agitatum est in loco, in quo nationis Germanicæ cœtus fieri solebat, de sponsionibus Joanni XXIII faciendis, si papalis dignitatis, at sacramento erat pollicitus, ornamenta poneret; atque ab archiepiscopo Genaensi propositæ fuere eæ pactiones, ut Cardinalitia dignitas illi in primis assereretur (a), atque Italica vel Avinionensis legatio toto vitæ flexu ipsi committeretur: tum annua triginta aureorum millia attribuerentur, & plura alia petita: *Quæ*, inquit Niemius (b), *a concilio præstari non poterant*. Composita (c) tum formula est de abdicanda procuratoris opera ab Joanne pontificia dignitate controversa, quæ formula in sessione sexta XVII. aprilis die a patribus confirmata est, ac pronuntiatum (d) Joanni ab ea sponsione discedere non licere, quæ in actis typis cusis fais concepta verbis extat, temporis nota postea a Joanne (si synodalibus monitis pareret) consignanda: tam etiam ex singulis nationibus designari procuratores, quos Joannes constituturus foret. Renuntiati etiam oratores, qui a Joanne exigerent ut designatos procuratores, ejus nomine papales apices ea concepta formula abdicaturos edito diplomate confirmaret. Præterea jussi oratores Joannem urgere, ut Constantiam rediret, vel Ulmam, vel Ravenspurgum, aut Basileam ad omnia, quæ ad conjunctionem ecclesiarum redintegrandam spectarent, ad optatum exitum perducenda. Sancitum quoque concilii ac Regis Romanorum nomine, at de fide publica Joanni danda, conscriberetur syngrapha, ab oratoribus ipsis deferenda: si synodo obtemperasset, intermissum iri cœptam in illum judiciariam actionem, atque ipsius dignitati & splendori consulendum.

(a) *Acta ms. concil. Constant. post sess. 5.*
(b) *Niem. in vit. Jo. XXIII. Sess. VI.*
(c) *Acta ms. post sess. 5.*
(d) *Acta typis cusa sess. 6.*

Designata loca, ad quæ Joannes se conferret.

XVI. Actum postea in Joannem Wicleffum, Joannem Hus, & Hieronymum Pragensem de quibus inferius. Censuræ etiam ecclesiasticæ iis inflictæ, qui satyricos libellos ad carpendam alienam famam conscriberent. Lectæ etiam in eodem cœtu datæ a Parisiensi academia ad nationis Italiæ præsules Constantiæ congregatos literæ (e), ut Joannem ad Constantiam repetendam permoverent, cum non sine maximo rei Christianæ discrimine diffidere posset; tum aliæ (f) ad Joannem, ut posita papali infula ad ecclesiarum componendum fœdus incumberet, ex quibus hæc gravioris ponderis argumenta delibamus: *Si vera mater probatur per Salomonem (g) quod maluit materno carere titulo, quam puerum permittere funestæ sectioni, quanto magis summus Pontifex paternam affectionem patefecerit, si Ecclesiæ jamdiu lamentabiliter divisæ redintegrationi suum dominatum posthabuerit atque præsidentiam? Itaque non modo cum mente & intentione sacri concilii, verum etiam cum piis desideriis totius Christianitatis & cunctorum mortalium, quos nulla hic agitat vesania, his votis atque juramentis vestra sanctitas videtur egisse, non quod in hoc facto ejectis de papatu sit deferendum, quamvis & eorum animas in Domino lucrifacere satagere debetis; sed quia tot populis & regnis ac nationibus illos sequentibus, & fortassis in alterationem immensæ discrepationis alias ventura consuli oportuit, quorum salutem vestra præsidentia in vestris votis & juramentis prætulisse videmini. Quod si opus ab effectu probatum prosecutumque fuit, quandiu terrenum orbem mortale genus accolet, vestras laudes celebrabit omnis ætas, & pro abdicatione honoris momentanei, cum merito præmii sempiterni erit vobis paratum nomen cæteris longe gloriosius.*

(e) *Extant ejus lit. in act. Const. concil. sess. 6.*
(f) *Ext. ibid.*
(g) *3. Reg. c. 3.*

Grave argumentum pro abdicatione contendentium urgenda.

Verum, beatissime pater, in hac re nos unus movet scrupulus, quod audivimus vestram sanctitatem a Constantia Scaphusam secessisse, non enim est ille locus potior ad amplitudinem sacri concilii ad tantam rem gerendam. Deinde Constantia per vestram sanctitatem fuit electa & per vestram obedientiam humiliter recepta: cæteris etiam gratior videbatur, utpote gravis, locuples, ornata civitas: nec videtur quomodo tali vulneri medelam afferre possit hæc mutatio. Postrema in ea urbe vestra sanctitas habebat amantissimum, Christianissimum, & invictissimum Imperatorem, qui tranquillitatem & securitatem præstare poterat, & injurias omnes propulsare: habebat sacrum collegium Cardinalium, quod non modo pro securitate vestra, verum etiam pro honore vestro atque gloria usquequaque decertasset: habebat denique totam Ecclesiam sibi obedientem, longe cæteros superantem, in qua erat non minima Gallicorum natio, quæ non minimo quidem verbo vestram sanctitatem offendi permisisset. Ubinam igitur, sanctissime pater, persona vestra celebrius, securius, atque devotius tractabitur, quam in urbe vobis devota, per vos electa, cum Ecclesia vestra, cum Imperatore Christianissimo, & cum cæteris de vestris votis & juramentis sanctissimis vestræ clementiæ omni die congratulantibus. Non est aliquis tam ignarus rerum, tam rudis in re Christiana, tam nihil unquam de publica pace, ac salute cogitans, quin intelligat ubi in sacramento pacis dandæ manebit sanctitas vestra, concilium sacrum, ac ejus partes universas omnem reverentiæ cultum, quem mortalem mortali præstare fas est, vestræ personæ præbituras. Postea cogitet sanctitas vestra clementissime pater, quid est in tractatu quærendæ pacis a sacro concilio discedere, quid diffidere? An primum suspectum, an secundum damnatum: & si probabilis discedendi caperetur occasio, nulla tamen inveniretur diffidendi, paucisque interjectis verbis subdunt: *Absit beatis.*

Discessus Joannis reprehensus.

Pisani conventus exemplo admonitus ne a Constantiensi dissentiat.

tissime pater, ut in tanta re sanctitas vestra a sacro concilio discordet, hoc enim esset ab Ecclesia Dei discordare: absit a gloria nominis vestri quod sacrum concilium sine præsentia vestra rem tam grandem tractet, vel terminet. Vestri est, sanctissime pater, ut nullum in hac re habeatis priorem nec perseverandu fortiorem, &c. Dat. Parisius in congregatione nostra generali apud S. Bernardum super hoc specialiter celebrata die XI. *mensis aprilis.* Nun doctorum Parisiensium monitis, nec præsulum studiis Joannes flecti potuit, ut Constantiam rediret: cujus odio allatas in prædicta sessione scata ab uno e præsulibus novas propositiones de excludendis concilio, Joanne & Cardinalibus, atque schedas perlectas, refert Gobelinus (a) quæ in actis typis cusis vel MS. non reperiuntur, [1] ac plura seditiosa & periculi plena continebant: *In sexta sessione*, inquit, *per unum de prælatis avisamenta ista proposita fuerunt.*

(a) *Gobel. in Cosm. at. 6. c. 94.*

Propositiones pro emendandis Pontificis & Cardd. defectibus.

Prima veritas est, quod nequaquam in hoc sacro concilio seu tractatibus qui fiunt, in ipso, Papa & Cardinales debent interesse: ratio quia ibi agendum est de reformatione Ecclesiæ in capite & in membris scilicet in Papa & in Cardinalibus; sed illi non possunt, nec debent esse judices in proprio facto.

Secunda veritas est: cum idipsum Cardinales electores domini Joannis Papæ scientes eum esse talem, prout fuit & est, nihilominus elegerunt ipsum in Papam, ubi optimum debebant elegisse vel saltem mediocriter bonum & utilem, abusi sunt potestate eligandi, & debent privari electione, & alias graviter sunt puniende, quia per talem abusivam electionem ipsorum totam Ecclesiam scandalizaverunt: & sic nullatenus hujusmodi concilio & ejus actibus debent interesse.

Contra Cardd. qui Joannem sunt secuti.

Tertia veritas est; quod cum ipsi domini Cardinales dictum dominum Joannem Papam post ejus turpem fugam de Constantia, per quam totam scandalizavit Ecclesiam, illico etiam per hujusmodi concilium secuti fuerint, & eo ipso reddiderint se suspectos vehementer prædicto concilio, ex tunc non poterant nec possint eidem concilio & actibus interesse. Nun sine causa effusæ sunt querelæ in Cardinales, qui Gregorii pontificatu deturbandi studio Alexandrum V. delegerant, inque illius locum Joannem moribus contaminatissimum, spreto Gregorio probitate vitæ conspicuo, sufsecerant; Joannisque factioni addicti non dabant operam, ut schisma tolleretur.

Quarta veritas est, quod, cum ipsi Cardinales, vel plures eorum huc reversi post eamdem fugam, & etiam aliqui eorum, qui hic remanserunt, publice asseruerint, quod per recessum dicti domini Joannis a Constantia dissolutum fuerit concilium prædictum, ita quod ex tunc non fuit concilium, sed conciliabulum, videntur enormiter errasse, & per consequens ipsi sic dicentes seipsos excluserunt a concilio & actibus antedictis, & cateria.

Controversum an Joanne absente valeret concilium.

Quinta veritas est, quod interim, quod non revocabuntur, vel suspenduntur potestates papalis & dignitatum, numquam poterit Ecclesia reformari in capite & in membris per quemcumque etiam ingeniosum vel potentem, nec per ipsum concilium, quaniam ipse dominus Joannes inveniet sibi semper faventes & potentes, ut lac fugant, idest aurum de ipso, invenietque semper emptores dignitatum in copia, & ab eis habebit aurum copiose. Quæ omnino rejecta fuere, utpote novas motura turbas, nec levia allatura pericula; quamobrem neque in actis editis neque in MS. longe uberioribus reperiuntur. Judiciario vero ordine in Joannem agendum visum est, utpote qui concilii judicium nullatenus declinare posset, cum Pisani conventus authoritate illius pontificatus fundamina niterentur.

Judiciaria actio instructa in Joannem.

Coactis itaque ad publicam sessionem septimam die XI. maji præsulibus, in Joannem, ut propagatorem schismatis (b), edicti formulam proposuere (c), quo ipsi objecta sanctionum canonicarum severitate diem dixere, ut patrum consessui fide publica accepta se sisteret; quod edictum hac temporis nota consignatum est. *Dat. Constantiæ provinciæ Maguntinæ in sessione publica in ecclesia majore Constantiensi solemniter celebrata die jovis* XI. *mensis maji indictione vero* VIII. *anno Domini MCCCCXV. pontificatus præfati domini Joannis Papæ* XXIII. *anno* V. Postulatus deinde est impietatis reus Hieronymus Pragensis Hussitarum signifer, atque in sessione (d) proxima, quæ octava fuit celebrata die quarta maii; Wicleffi memoria cum suis dogmatibus damnata. Sed his intermissis referendisque opportuniori loco, ad Joannem redimus. Præsidebat in Friderici ducis Austriæ, cum quo ante Constantienses conventus cœptos nefarias cui-

Sess. VII.

(b) *Acta concil. Const. sess. 7.*

(c) *Ext. ib.* Dies illi dicta.

Sess. VIII.

(d) *Acta sess. 8.*

NOTÆ [1] DOgmata illa seditiosa quæ in sessione VI. concilii exposita fuisse annalista ex Gobelino scribit, ante aliquot a sessione dies seditiosus aliquis in folio descripta palam in valvas ædium episcopalium proposuerat. Folium illud totum vulgavit Martene Anecdot. to. II. col. 1620. hoc titulo: *Cedula affixa ad valvas palatii episcopalis Constantiensis, die lunæ VIII. mensis martii* (lege aprilis, ut ex indice diei constat) *1415.* Propositiones sunt XVIII. in quibus ad depellendos cardinales, abrogandumque pontificem patres incitantur. MANSI

(a) Ext. in actis ms. ea de re conc. lit. (b) Acta conc. Constan. post sess. 8.

coitiones fecerat (a), armis concilii piam sollicitudinem eludere: sed Sigismundus Romanorum & Hungariæ Rex pio studio accensus bellum Austriæ intulit (b), causasque in celeberrimo præsulum, & oratorum Regum & principum cœtu habito die quinta maii exposuit his verbis.

XVII. Fredericus Austriacus in crimen Joannis abducti vocatur.

Primo ex eo quod idem Fredericus scandalizasset ecclesiam & concilium Constantiense in hoc, quod abduxerit Joannem Papam XXIII. noctis tempore, & quod nec remansit per eos quin totaliter concilium per talem abductionem, & Papæ fugam fuisset dissolutum. Item ex eo, quod nonnullas episcopos de suis sedibus expulisset, & abbates de eorum monasteriis, retinens abbatias & episcopatus in manibus propriis. Item ex eo quod viduas & orphanos spoliasset bonis hereditariis, quorum multi propter hoc irent mendicatum per mundum. Additur Fredericum belli mole territum pacem ab eo petiisse, seque ad excipienda concilii imperia paratum obtulisse, quod confirmat Theodericus e Niem (c) his verbis: *Rex infra paucos dies congregavit multitudinem maximam bellantium equitum & peditum, forsan quadraginta millia vel circiter numero, de quibus fecit fieri sex exercitus, quos direxit de diversis locis dominii dicti ducis ad obsidendum, & capiendum terras ejusdem ducis, prout fecerunt, de multis quas infallibiliter omnes expugnassent prout apud nos fama est, nisi subito dux ipse se & sua eidem domino Regi dedisset, prout fecit, ut præfertur. Quo facto dominus Rex de præconcepta ira aliqualiter placatus dictos exercitus revocavit; eundem tamen ducem arrestando sub juramento præstito, ne de ipsa Constantia recederet, nisi cum voluntate dicti domini Regis & omnia, quæ sibi promiserat efficaciter implesset, quorum aliqua dux adimplevit, quædam autem forsan adimplere nequivit; impediente domino Ernesto fratre suo: & ea de causa adhuc hic remanet in arresto; & sic Rex ipse in hoc secutus est illud: sit itaque rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæviens; sit pietas, sed non plus quam expediat parcens.*

(c) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Missi itaque fuere a concilio quatuor præsules, qui Fridericum ad regium conspectum venientem consociarent. Adductus vero ille ad Sigismundum in genua provolutus, veniam de concilio Regeque læsis flagitavit, seque ac universam ditionem regiæ potestati permisit, pollicitus Joannem Pontificem & aulicos Constantiam se reducturum, quorum tamen incolumitati, rebusque cautum deprecabatur: quæ publicis etiam literis ab eo firmata fuere, interque ea hæc continebantur.

Veniam poscit a Sigismundo.

Debemus etiam & volumus facere & procurare Papam Joannem ad Constantiam, seu alibi, quo dominus noster Rex voluerit præsentare, aut facere præsentari, ad manus & potestatem dicti domini Regis & sacri concilii, quod præsentialiter Constantiæ celebratur; sperantes quod juxta verbum regium desuper nobis factum, quod dictus Papa Joannes & omnes secum venturi Constantiam, aut ad alium locum deputandum suarum vitæ & rerum ad eos pertinentium, quas secum ad hujusmodi locum duxerint, sint securi, & si dictus Papa Joannes de papatu depositus fuerit vel cessaret, tunc in voluntate præfati concilii stabit quomodo eidem de statu suo provideatur. Nos etiam volumus & debemus in hostagio Constantiæ manere, quousque Papa Joannes Constantiam aut alibi, quo præfatus dominus Rex deputaverit, pervenerit, &c. Quibus a quatuor nationum præsidibus assensum est.

Pactionum de Joanne capiti.

Miratur Niemius subitam hanc rerum conversionem, ac divinam quandam vim rexisse concilium Constantiense suspicit, cujus opera Joannes ad officium redigi potuerit, (d): *Quare, inquit, celebrentur generalia concilia aliquantulum in sequentibus patet, & potissime ut corrigentur in illis ecclesiastici excessus enormes, quorumcumque Christianorum sint, etiam illi quantumcumque potentes. Ad quod certe faciendum unus solus, quantumcumque statu sublimis vix aut unquam sufficere posset: quis enim a papatu in Italia dictum Balthasarem Papam actualiter deposuisset executione subito subsecuta, attentis etiam potentiis, divitiis, & astutia, quibus tunc excellebat? quis enim Friderici ducis Austriæ principis ita potentis in divitiis & terris, ita etiam quod potenti Regi æquiparari videretur, pro eo quod ipsum Balthasarem in gravem contumeliam & offensam concilii generalis, quod tunc celebrabatur & adhuc celebratur Constantiæ, & serenissimi principis domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ Regis, & multorum principum & forensium aliorum, quorum non erat numerus, eis inconsultis & inscitis clanculo & nocturno tempore præsumpsit abducere pro certa pecuniæ quantitate sibi per eumdem Balthasarem, tunc Papam, in castro Schafausen postea ex conventione mutua persoluta, audaciam tam repente refrænasset, sicuti contigit utrique illorum, nisi dictum Constantiense concilium, Domino cooperante, hoc fecisset? Ut sit memorabile omnibus nunc & semper, ne in eorum potentia, astutia, & divitiis confisi similia forsan attentare præsumant, & ne cadant a statu eorum, & quasi ad nihilum etiam approbriose suis tamen culpis exigentibus redigantur.* Ut vero redactus demum fuerit in potestatem concilii Joannes, qui Burgundicis armis in Gallias evadere se posse putaverat, dicetur inferius.

(d) Niem. in vit. Joan. XXIII.

Joanni potentia artesque non profuere.

Mira vis Conciliorum ad pacandas ecclesiæ turbas.

Interea cœpta in eum judiciaria actio

ur-

Sessio IX. (e) *Acta Conc. Constan. sess. 9.*

urgenda (*a*) visa est; in sessionn itaque none XIII. die maii ea lis repetite, nec Petrus Camerecensis, Guillelmus S. Marci presbyteri, Franciscus Florentinus diaconus Cardinales, quos Joannes rogerat literis, ut procuratorio nomine pontificiam causam in synodo tuerentur, id onus admittere voluerunt: atque a synodi causarum actore propositum est eam causam procuratorio nomine non agendam, sed ipsummet Joannem ad purganda imposita crimina producendum: in ecclesiæ igitur valuit judiciario ritu ad comparendum postulatus est concepta hisce verbis

Citationis in Joannem editæ formula.

formula: *Authoritate sancta synodi Constantiensis requirimus Joannem Papam XXIII. citatum & sequaces suos & fautores, si sint hic, veniant coram dicta sancta synodo responsuri super contentis in citatorio.* Trina vice sonora voce eadem repetita verba, & nemine comparente id in publica e'ta redactum: dein renuntiati fuere a concilio judices ad cognoscendam Joannis causam: tum e singulis nationibus lecti viri conspicui, qui exauctorendi Joannis causas in sua capita distinguerent. Proximo die XIV. maii

Sessio X. (*b*) *Acta sess. 10.* Interdictus pontificatu.

repetiti superiores judiciorum actus (*b*) in Joannem fuere sessione decima, eoque non comparente lata synodalis sententia, que pontificio munere exercendo interdictus est, sancitumque urgendam ad illum gradu depellendum judicialem causam.

XIX. Accusationum in Joannem capita. (*c*) *Acta conc. Constan. sess. 10.*

Quia nobis, inquiunt (*c*), *legitime constat dominum Joannem Papam XXIII. a tempore, quo fuit assumptus ad papatum, usque nunc papatum ipsum & politium, in scandalum notorium ipsius & Ecclesiæ male administrasse, rexisse, & gubernasse, vitaque sua damnabili ejusque nefandis moribus populis exemplum vita mala prabuisse & prabere, & insuper ecclesias cathedrales, monasteria, prioratus conventuales, & catera beneficia ecclesiastica, pretio appretiato simoniace notorie distribuisse, bonaque & jura Romana, & aliarum ecclesiarum plurium notorie dilapidasse, quodque charitative monitus a pramissis desistere noluit, sed continue perseveravit & perseverat, Ecclesiam Dei in præmissis notorie scandalizando, ea propter per hanc nostram sententiam pronunciamus & decernimus & declaramus dictum dominum Joannem Papam ab omni administratione papali spirituali & temporali ex causis pramissis fore suspendendum, & suspendimus: eique administrationem ipsam interdicimus in his scriptis, criminaque pramissa contra eum super mala administratione simoniaca & dilapidatione notoria, ac ejus mala vita Ecclesiam ipsam scandalizante, prout præmittitur, proposita notoria existere, ac de & super eis tamquam de & super notoriis procedendum fore & procedi debere ad finem ejiciendi eam a papatu, prout jure fuerit, declaramus, &c.* Præcipitur universis fidelibus, nullo dignitatis discriminne Joanni contra hujusmodi sententiam

Illius studiosis legum severitas intentata.

obsequantur juriumque acerbitas ejus studiosis, ut schismetis propagati reis, intentata. Ascripte demum sunt sententiæ hæc verba. *Dat. Constantia provincia Moguntinensis in sessione publica, in ecclesia majori solemniter celebrata, die martis XIV. mensis maii anno Domini MCCCCXV. indict. VIII. pontificatus prafati domini Papa Joannis XXIII. anno V.* Tum decima sexta maii propositum est publicum edictum (*d*), quo Joanni denunciatum est,

(*d*) *Acta ms. post sess. 10.*

ut testibus de iis, quæ in accusationis libello exarata erant, interrogandis, præsens adesset, causamque diceret, ob quam eo judiciorum ordine in ipsum agendum non foret. Extat illud in actis MS. hisce verbis conceptum.

Nos Jordanus miseratione divina episcopus * *Albanensis de Ursinis vulgariter nuncupatus & Guilelmus tit. S. Marci presbyter S. R. E. Cardinales, Antonius Dei gratia Concordiensis, Stephanus Dolensis, Jacobus Tercensis, Joannes Lubfeldensis, Nicolaus Merburgensis episcopi, Andreas electus Poznoniensis, Thomas B. Maria extra muros Eboraci, & Nicolaus S. Lupi Tecensis abbates, nec non Joannes de Thomariis de Bononia & Guilelmus Malegin sacri palatii apostolici causarum auditores judices & commissarii causarum & causa ac partibus infrascriptis a sacrosancta synoda Constantiensi universalem Ecclesiam repræsentante specialiter deputati, peremptorie citamus dominum Joannem Papam XXIII. quatenus hodie hora vesperorum, & deinde singulis diebus non feriatis ex nunc infra octo dies proxime futuros, instantibus de mane hora sexta, & post meridiem hora secunda personaliter & in ejus proprio persona Constantia in palatio apostolico, seu episcopali infra communitatem*

* Sabinensis.

Testium dicta adversus Joannem publice excepta.

ecclesia Constantiensis in sala majori in judicio eorum nobis ad videndum & audiendum produci, recipi, admitti, & jurare nonnullos testes super nonnullis positionibus & articulis hodie hora vesperorum antedicta proparte venerabilium virorum magistrorum Henrici de Piro licentiati in decretis, & Joannis de Scribanis de Placentia procuratorum promotorum & instigatorum ejusdem sancta synoda contra dictum dominum Joannem Papam dandis & producendis, vel ad dicendum causam rationabilem, cum pramissa fieri non debeant, alioquin in causa & causis, qua vertitur & vertantur, seu verti & esse sperantur coram eadem sancta synoda inter prædictum dominum Joannem citatum ex una, & promotores procuratores & instigatores prædictos de & super nonnullis criminibus, simonia, hæresi, dilapidatione & alienatione rerum & bonorum Romana & aliarum ec-

clesiarum, incorrigibilitate, fautoria schismatis, & scandalis notoriis quibus delatus existit, aliisque rebus in causa & causis hujusmodi latius deductis & deducendis & eorum occasione parte ex altera; alioquin ad præmissa & alias, prout juris fuerit & rationis, ulterius procedetur domini Joannis Papæ absentia seu contumacia in aliquo non obstante, &c. Dat. Constantiæ anno Domini MCCCCXV. indictione VIII. die vero Jovis XVI. mensis maii.

XX. Referuntur vero a Gobelino (a) & accusationum capita Joanni objecta, quæ in libello ab Henrico Petro & Joanne Scribanio concilii causarum actoribus compacto insertoque sessionis XI. actis describuntur, ad quæ probanda se admitti petunt hisce verbis adjectis: *Citra onus superflua probationis.* Ac primum ducto a Joannis adolescentia exordio, atris illum pingunt coloribus, adduntque eum ad curiæ Romanæ munera Bonifacio IX. Pontifica irrepsisset, simoniaca arte ingentes struxisse opes, eademque labe Cardinalitiam purpuram sibi peperisse: ornatum Bononiensi legatione exercuisse tyrannidem: papatum variis dolis post Alexandri mortem eblanditum. At in MS. actis adjecta est de parata Alexandro nece accusatio (b) his expressa verbis: *Item quod dictus Joannes, tunc Balthasar legatus Bononiæ existens, ad papatum illicitis mediis anhelans, in mortem bonæ memoriæ domini Alexandri Papæ V. extitit machinatus, & ut tam ipse, quam medicus suus magister Daniel de S. Sophia, artium & medicinæ doctor veneno extinguerentur, prout extincti sunt, operam dedit, sicque ut prædicitur, fuit dictum, creditum, tentum, & reputatum dicitur & tenetur, creditur & reputatur, atque fuit & est de præmissis in civitate Bononiensi atque extra per totum mundum publica vox & fama, fuitque & est graviter & notorie diffamatus.* Objectum præterea est, illum ab omni pietatis sensu abhorrere demonstrasse, jejunia ecclesiastica ac preces canonicas sprevisse, pontificium manus gessisse flagitio, atque libidinum fœditate contaminatissimum extitisse, adeo ut apud nonnullos, qui ejus mores norunt, indutus humana carne dæmon diceretur. Additum his in actis MS. hoc caput.

(a) Gobelin in cosmod. æt. 6. c. 4. Sessio XI.

Simoniacas fraudes astruxisse objectum.

(b) Acta concil. Const. post sess. 10. Gobel. sup. rap. Sustulisse veneno Alexandrum V.

Item dominus Joannes Papa cum uxore fratris sui, cum sanctimonialibus incestum, cum virginibus stuprum, & cum conjugatis adulterium, & alia incontinentiæ crimina commisit, propter quæ ira Dei descendit in filios, & de aliis graviter & publice diffamatus & scandalizatus est: sic fuit & est verum.

Impurissimam vitam duxisse.

Item quod ex tunc dominus Joannes Papa, videns concilium hujusmodi & totum mundum ad sanctæ Dei Ecclesiæ jam triginta octo annis, vel circa scissæ & devisæ unionem & redintegrationem, nec non extirpationem hæresis & vitiorum ac ipsius Ecclesiæ reformationem in capite & in membris anhelare, diabolico spiritu instigatus hoc sacrosanctum concilium dissolvere quærens, ut reformationem hæresum, atque schismatum extirpationem prædicta evadere & impedire posset, & suam malam vitam continuare, ad præterita vitia & ambitiones reincidens contra vota professa, promissa, ac Deo & Ecclesiæ jurata id facere renuit, & nuper hoc anno Domini MCCCCXV. die mercurii XX. mensis martii in noctis tenebris habitu indecenti & dissimulato, laicali more, non ut Romanum decuit Pontificem gregem sibi commissum, ut mercenarius deserens, ab hoc sacro Constantiensi concilio contumaciter se absentando aufugit & recessit in scandalum totius generalis concilii & totius populi Christiani. Ita fuit & est verum, publicum, & notorium atque manifestum, &c.

Ejus conatus ad dissolvendum concilium.

Interea Fridericus Austriæ dux, ut sacramento se obstrinxerat, Joannem e fuga revocavit (c), atque ad Cellam Rudolpi Constantiensis agri oppidum perduxit, ut illum in concilii potestate poneret, de quo hæc Theodoricus Niemius refert (d): *Die XXI. mensis maii præfati prædictus Balthasar, tunc Papa, pervenit ad oppidum Celle distans a Constantia per duo milliaria Alamanica. Illuc deductus de Friburg de mandato & ordinatione concilii prædicti, & ipse Rex Romanorum recepit in suam potestatem dictum oppidum Friburg cum octo aliis sibi adjacentibus oppidis sive castris quæ erant prius ducis sæpedicti, & in eodem castro Celle bene fuit custoditus diu noctuque dictus Balthasar, prædicto concilio disponente.* Conquestus est Joannes de Cæsare, quod datam ab eo fidem publicam de libero accessu recessuque a concilio violata fuisset: nec tamen ejusmodi querelæ justæ concilio sunt visæ, cum data fides ad præsentem casum non protenderetur, quippe non retracto ex fuga Joanne redintegrari ecclesiarum conjunctio non potuisset. Ex Cellensi vero custodia Joannes ad Sigismundum demissas ac plenas officiorum lenociniis literas (e) die XXVI. maii ad colligendam ejus benevolentiam captandamque misericordiam dedit: legati vero ad illum Cellas lecti ex omnibus nationibus insignes viri fuere, singula accusationum capita & dicta testium ipsi exhibitari, ut ad ea responderet: XXVII. die maii reversi oratores Constantiam gestæ legationis seriem exposuere (f), utque accusationes inspicere non curasset Joannes, seque concilii sententiæ ad insignia dignitatis deponenda subderet, posceretque, ut illius acerbitas temperaretur, de quibus hæc tradit Theodericus e Niem (g): *Die XXV. dicti mensis ma-*

XXI.

(c) S. Ant. 3. p. tit. 28. c. 6. §. 1. Naucler. gen. 38. ex actis conc. In concilii potestatem redactus.

(d) Niem. in vit. Jo. XXIII.

(e) Ext. in actis post sess. 11.

(f) Acta mr. post sess. 11.

(g) Niem in vita Jo. XXIII.

maji, quo incipit sextus annus pontificatus ipsius Balthasaris, fuit facta sessio solemnis Constantiæ in qua fuerunt publicati quinquaginta quinque articuli criminosi omnia peccata mortalia, & innarrabilia crimina continentes & etiam probati contra ipsum Balthasarem tunc Papam. Eodem die fuerunt destinati certi oratores per dictum concilium ad eumdem Balthasarem, certificando eum de illis, quæ ipsa die facta fuerunt in sessione prædicta, certificantesque ipsum etiam, quod depositionis sententiam contra eum ferre vellent: & ut fama est, in hoc consensit quod fieret; rogavit tamen obnixe, ut quanto honestius fieri posset honori & statui suo prædictum concilium provideret; quod & factum fuit. Extant ea de re in actis typis cusis publica monumenta (a), in quibus fertur Joannem eodem usum responso, implorantemque misericordiam recensuisse quæ pro Ecclesia gessisset; tum suum turpem recessum damnasse, culpamque sibi morte acerbiorem esse professum: *Dominus Joannes Papa,* ajunt acta, *dixit & verba proposuit, ipsum pro Dei Ecclesia & ejus unione plura fecisse etiam antequam in Papam fuisset assumptus, præsertim tempore errorum.* Designatur id tempus, quo Cardinales a Gregorio discesserunt, quo cum Petro e Luna colloquium facere non posset, & *circa concilium Pisanum & ante hujus sacri concilii Constantiensis congregationem, in quo etiam liberam cessionem sui papatus obtulit, prout in schedula per eum in eodem concilio in publica sessione tunc lecta & publicata plenius continebatur; subjungens tristi vultu, ut apparuit, quod a Constantia & dicto sacro concilio post ipsius schedulæ cessionem turpiter recesserat, quod bene recognoscebat, immo quod maluisset illa die sine animæ suæ præjudicio mortuus esse, quam ita turpiter recessisse. Espropter idem dominus Joannes Papa successive respondit, quod ipse contra superius recitata nullam defensionem facere volebat, immo prout per dictam schedulam sua manu subscriptam, quam pridie ejus ex parte ob oppido, quo supra,* nimirum Cellensi, *Cardinales superius recitati,* scilicet de Ursinis, de Salancho, de Saluciis, Cameracensis, & Florentinus, *ad concilium portaverunt continebantur, volebat & præsentialiter stare promisit, in omnibusque se conformare omni ordinationi, deliberationi, & determinationi dicti sacri concilii: & insuper omnimodum processum per idem concilium contra eum habitum ratificabat, & ratum habebat, asserens quod non aliter voluit prædictis articulis respondere, affirmans concilium Constantiense sanctissimum esse, errareque non posse, ac Pisani concilii fore continuationem; & quod ipse sacro Constantiensi concilio nunquam contradicere vellet, etiam si in Bononia aut alio quovis loco sibi magis accepto personaliter jam esset; cum id sibi minus non esset, quam publice fateri, se in papatu jus nullum habere.* Et infra: *Omnimoda defensione hujusmodi præterquam, ut hic subsequitur, expressius renuntiata, concilio prædicto se submisit adjiciens: Volo quod concilium sit defensio mea, quod scio errare non posse, nec alia defensione quacumque uti volo; supplicans se humillime per commissarios prænominatos eidem concilio sinceriter recommendandum fore.* Cum vero denuntiaretur illi, ut proxima die vigesima nimirum octava maii Constantiæ sententiam accepturus adesset, hæc ipsum addidisse recensent acta: *Ut apparuit, comparere non curans respondit: Summe mihi placet sententia ipsa, quam supplico, quam citissime sit mihi deferatur, quam cum omni reverentia etiam cum birreti mei depositione recipiam, eamque, quantum in me fuerit, confirmabo, approbabo, & emologabo, prout & dictum processum, ac omnia contra me, ut superius est expressum, in concilio gesta ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc ratifico, approbo, & confirmo, promittoque contra eam me aliquo processu temporum non venire, &c.*

(a) Acta typis cusa post. sess. 12.

Præferendam fuisse mortem fugæ profitetur.

Se concilio pie submittit.

XXII. Cum itaque hæc ad quatuor nationum præsides referrentur, ea Joannis demissione deliniti, sententiæ acerbitatem mitigandam, consulendumque illius honori censuerunt; habent enim hæc acta MS. (b) *Quibus propositis & auditis erat deliberatum per deputatos omnium nationum, quod, ex quo non poterat haberi sessio in brevi, quod idem legati seu aliqui eorum reverterentur ad eum ad intimandum sibi prorogationem prolationis sententiæ in die mercurii proximi, & hoc propter ejus honorem, & ex quo grate respondit quod non vellet appellare, propterea sententia limitetur, nec ita rigorosa, prout concepta fuit, proferatur.* Detracta exinde putamus acerbiora accusationum capita, quæ in actis typis cusis sine testium probatione aliis quinquaginta quatuor adjecta sunt; quæ tamen non eo ordine, sed permixtim una cum aliis in actis MS. inferuntur. Cæterum præsules, qui Joannis custodiæ apud Cellas præerant, concilii nomine ipsi significarunt (c), judicium decretorium ad vigesimam nonam maii diem extractum, quibus a Joanne ita responsum ferunt acta.

(b) Acta MS. post. sess. 12.

De mitiganda in Joannem sententia actum.

Dominus Joannes Papa recommendationibus dicto domino Regi & dominis de sacro concilio præmissis respondit, & dixit prout alias dominis deputatis se asseruit dixisse & respondisse, similiter per prorogationem & intimationem hujusmodi, & quidquid per dictum sacrum concilium jam factum fuerit, & die crastina vel alias quomodocumque fieret in futurum, gratum ex nunc habebat, & haberet pariter & gra-

(c) Extant de re instrum. XXVIII. edit. in act. ms. ibid. post sess. 11.

grata. Relata hæc universa fuere a Joanne Vaurensi episcopo congregatis patribus in sessione duodecima XXIX. maii habita, utque papales apices concilii sententiæ subjiceret. Deinde decretoria in eum Martino Attrebatensi episc. sententia perlecta. Quæ vero in eum fuerint sancita, perstringit Theodoricus Niemius (a), : *Die*, inquit, XXIX. *mensis maii prædicti fuit facta solemnis sessio Constantiæ, & in illa finaliter depositus idem Balthasar, & nec non carceri adjudicatus pro pœnitentia peragenda, quousque provisum esset Romanæ ecclesiæ de summo Pontifice, & quod ille de ipso Balthasare disponeret, prout sibi videretur; & quod interim bene tractaretur: & sic verificatum est illud, quoad ipsum Balthasarem: qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Et merito hæc passus est, quia Deum præ oculis non habuit, & quod fractum erat non alligavit, & quod abjectum non reduxit*. Porro concepta erat his verbis sententia.

Sess. XII. Plura ab eo pœnitentiæ signa edita.

(a) *Acta concil. Const. in sess. 12. ext. etiam apud Theod. a Niem. in vita Jo. XXIII.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

XXIII. Lata in eum sententiæ formula.

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata universalem Ecclesiam repræsentans invocato Christi nomine, solum Deum præ oculis habens, visis articulis in hac causa contra dominum Joannem Papam XXIII. formatis & oblatis, ac probationibus eorumdem factis, & ejusdem submissione spontanea una cum toto processu hujus causæ, habita matura deliberatione, super eisdem per hanc sententiam definitivam, quam fert in his scriptis, pronuntiat, decernit, & declarat, & recessum per præfatum dominum Joannem Papam XXIII. ab hac civitate Constantiensi & dicto sacro Constantiensi concilio generali clandestine & de nocte hora suspecta in habitu dissimulato & indecenti factam, fuisse & esse illicitum Ecclesiæ Dei, & dicto concilio notorie scandalosum, pacis & unionis ipsius Ecclesiæ turbativum & impeditivum, schismatis inveterati nutritivum, a voto, promissione, & juramento per ipsum dominum Joannem Papam Deo & Ecclesiæ & huic sacro concilio præstitis deviativum, ipsumque dominum Joannem simoniacum, notorium, bonorumque & jurium, nedum Romanæ, sed aliarum ecclesiarum plurium & aliorum locorum piorum dilapidatorem notorium, malumque spiritualium & temporalium Ecclesiæ administratorem & dispensatorem fuisse & esse, fuit detestabilibus, inhonestis, vitæ, & moribus, Ecclesiam Dei & populum Christianum notorie scandalizantem, ante ejus assumptionem ad papatum, & post usque ad ista tempora, ipsumque per præmissa ecclesiam Dei & populum Christianum notorie scandalizasse & scandalizare, postque monitiones debitas & charitativas iteratis & crebris vicibus eidem factas in præmissis malis & arrogantia pertinaciter perseverasse, seque ex hoc notorie incorrigibilem reddidisse, ipsumque propter præmissa & alia crimina in processu dictæ causæ contra eum deducta & contenta tamquam indignum & inutilem & damnosum a papatu, & omni ejus administratione spirituali & temporali amovendum, privandum, & deponendum fore, & eum hoc dicta sancta synodus amovet, privat, & deponit, universos & singulos Christicolas cujuscumque status, dignitatis vel conditionis existant, ab ejus obedientia & fidelitate & juramento absolutos declarando, inhibendo insuper universis Christifidelibus, ne eumdem, ut præmittitur a papatu sic depositum de cætero in Papam nominent, aut illi tamquam Papæ adhæreant, seu quoquomodo obediant. Et nihilominus ex certa scientia & de plenitudine potestatis, supplet dicta sancta synodus omnes & singulos defectus, si qui forsan in præmissis aut aliquo præmissorum intervenerant: cumque ad standum & morandum in aliquo bono loco, & honesto sub custodia tutu serenissimi principis domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ, &c. Regis, & universalis Ecclesiæ advocati, & defensoris devotissimi, nomine dicti sacri generalis concilii, quamdiu dicto sacro concilio generali pro bono unionis Ecclesiæ Dei videbitur condemnandum fore, & eadem sententia condemnat; alias vero pœnas, quæ pro dictis criminibus, & excessibus inferri deberent juxta canonicas sanctiones, dictum concilium arbitrio suo reservat declarandas, & infligendas, secundum quod rigor justitiæ vel misericordia ratio suadebit. In hac sententia non expressa est causa, ob quam Joannes pontificatu deturbari potuerit, cum Ecclesia catholica semper tenuerit primam sedem a nemine judicari posse, Romanosque Pontifices solius Dei judicio reservatos, neque conciliorum valere decreta, nisi a Dei vicario confirmentur: cujus defensionis clypeo Joannes quidem tueri se voluerat, sed is clypeus excidebat ipsi e manibus, cum mox ex eo responso convinceretur ipsum non esse Pontificem, sed Gregorium qui ex ejusdem Joannis principiis a Pisano concilio exauthorari non potuit. Itaque vera causa hæc fuit cur Joannes obnoxius fuerit concilio, nempe ipsum, ut sæpe reperiendum nobis fuit, vel non fuisse Pontificem, vel tantum ambiguum & propagati schismatis reum, & ambiguo Pontifice concilium superius esse, quandoquidem authoritatem præficiendi sibi non ambigui Pontificis a Deo acceperit Ecclesia. Lata porro ea sententia, Joannes episcopus Ostiensis Cardinalis Vivariensis concilii præses universos com-

Criminum capita.

Pontificatus jure privatur.

Aliæ pœnæ irrogandæ synodi arbitrio reservatæ.

pel-

pellavit, ut si quis celsioris inferiorisve dignitatis claro obscurove genere natus sententiæ adversaretur, assurgeret causamque diceret; secus ejus silentium consensus vice habitum iri: ac nemine contra mutire auso, Ostiensis episcopus sacri Cardinalium senatus nomine ratam habuit sententiam, nationumque præsides singuli earum auctoritate confirmarunt; tum productum est Joannis papale sigillum, atque imperio concilii ab Arnoldo aurifice diffractum, illiusque gentilitium stemma deletum, ac pristinum Balthasari nomen ipsi redditum: Joannes vero archiepiscopus Rigensis, qui ejus custodiæ nomine concilii præfuerat, eo munere solutus pronuntiatus est, cum jam id Regi *Sigismundo* demandatum esset.

Abolita Joannis insignia.

XXIV. Cardinales vetiti sine concilii imperio electionem tentare. Lecta Balthasari sententia.

In eadem sessione facta fuere duo decreta: alterum ne Cardinales sine concilii imperio ad novum Pontificem creandum suffragia ferrent, ac si tenderent contra denuntiatum, abrogatam ea in re fore ipsorum auctoritatem, alterum ne umquam Balthasar Cossa aut Angelus Corarius, Petrusve e Luna ad papales apices vocentur, & sacrum anathematis fulmen non parituris intentatum. Legati etiam ad Balthasarem ipsum fuere nonnulli præsules, ut decretoriam ei sententiam exponerent, ac si quid haberet, in illam objiceret: petito temporis intervallo ipsi assensit; qui libens de quocumque jure, quod ad pontificatum fingi posset, decessit, de quo publica confecta monumenta (a) hæc referunt; *Prout per dictum sacrum concilium lata & ab ipso concilio processerat, & dictata erat ex sua certa scientia approbabat, ratificabat, & emologabat, ac eidem processui contra eum ad ejus depositionem per concilium factum acquiescebat & consentiebat, apponendoque manus ad pectus ejus, assertione libera affirmabat, jurans corporaliter suo proprio motu, quod numquam contra eamdem sententiam contra ipsum sic, ut præmittitur, latam quidquam opponere, nec contra eam reclamare publice vel occulte, aut ab ea appellare vellet, seu super papatu quandocumque controversiam opponere, nec aliquo umquam tempore de eodem papatu se quovis modo intromitteret, immo eidem papatui & juri, si quod in eodem sibi qualitercumque competierat, seu quod sibi nunc competebat, pure, simpliciter, & absolute liberèque & sponte cedebat, & renuntiabat, & ibidem omni modo, via, & forma, quibus melius potuit, resignavit, cessit, & renuntiavit expresse; & in hujus signum jam de camera sua crucem papalem amoveri fecerat, ac si vellet mutatorias habuisset, omnia & singula insignia papalia, sicut disposuerant dicta die mercurii, qua dicta sententia fuit lata, tunc coram prælatis prædictis deposuisset; dixitque, quod nullo umquam tempore se pro Papa gereret seu nominaret, aut nominari faceret, voluissetque quod ad ipsum papatum numquam fuisset assumptus, quia ex post numquam habuit bonum diem; & si contingeret casus, quod in futurum religeretur; numquam suum præberet assensum, adiiciens tamen quod, si aliqua persona singularis post jam facta præmissa in sui personam quidquam criminis ulterius objicere vellet ad ulteriorem processum contra eum habendum, seu graviorem pœnam in ipsum infligendam, quod in hoc seipsum defendere vellet sub dicti concilii generalis protectione, quod pro suo judice & defensore recepit; supplicans humiliter, quod in hoc & in aliis concilium sacrum & regia serenitas ipsum haberent specialiter recommissum.* Hæc omnia in publicas tabulas redacta fuere, deque iis prima junii nationum præsides certiores facti (b). Balthasar (c) vero a Sigismundo traditus est Ludovico comiti palatino Rheni, a quo in munitam aliam arcem traductus est, sepeusque custodia; de quo hæc Theodoricus e Niem.

(a) Ext. in actis post sess. 12. Ab ipso confirmatur.

Crux Pontificis vexillum,

Profitetur Balthasar nullum diem transegisse in pontificatu.

(b) Gobel. in Cosm. æt. 6. c. 49. & alii.

(c) Ext. de eo in ms. actis post sess. 12.

Die ultima mensis maii prædicti dicebatur apud nos, quod dictus Balthasar ipsam sententiam approbasset: scripsit enim ipsi domino Regi Romanorum, eì supplicando & reducendo sibi ad memoriam plurima beneficia, quæ ei contulerat, quod eum benigne tractaret. Et infra: *Post hoc in principio mensis junii prædictus Balthasar ductus fuit ad castrum Getlenen prope Constantiam sub custodia prædicti concilii per aliquot dies & ibi licentiati fuerunt sui familiares, & ad Constantiam venerunt, ne illis cooperantibus evadere posset, &c. Quo stante aliquos Constantiæ tunc existentes sibi secretos per quemdam sibi secretum rogabat, ut sibi aliqua consolatoria scriberent sic afflicto: quod tamen ipsi facere non audebant, quod scripta coram ad notitiam dicti concilii pervenirent, & sic suspecti haberentur in illo: & quia etiam idem Balthasar hoc tarde postulabat, quia cum in honore esset atque potentia consiliaque prudentum & fidelium suorum sana sibi facta consilia, ut vitam suam emendaret & bene ageret, deridebat & efficere non curabat. Sensit igitur illud demum in effectu: Quid vultis? in virga veniam ad vos. Summus itaque locus bene regitur, cum is, qui præest, vitiis dominatur. Post hoc traditus & recommendatus fuit custodia domini Ludovici comitis palatini Rheni, qui est princeps probus, prudens, & bonæ famæ, & est hic apud nos positus ad custodiam prædicti concilii in absentia prædicti Regis Romanorum per dictum dominum Regem Romanorum, qui eumdem Balthasarem benigne pertractat, sibique providet de omnibus opportunis, & habet duos capellanos honestos secum dicentes officium*

Joannes exauctoratus custodiæ mancipatur.

Deseritur ab omnibus.

Honeste habitus in custodia.

& co-

& coram eo celebrantes, & quosdam honestos nobiles sibi in mensa ministrantes in loco spatioso & delectabili non catenatus, non constrictus : & ita de aliquibus audivi, qui bene sciunt.

XXV. Sess. XIII. Inducti a novatoribus ritus in porrigenda Eucharistia.

(a) *Acta sess.* 13.

In sessione XIII. peracta quintadecima mensis junii diu perorantibus concilii causarum actoribus adversus hæreses, quæ in nonnullis orbis partibus pullulabant, atque impios aliquos sacerdotes, qui laicis vetere ritu abjecto, sub utraque specie, vel etiam post cœnam nullo urgente morbo Eucharistiæ sacramentum porrigebant, coercendos synodali sententia postulantibus, sancitum (a) est illos, qui vetus Latinæ ecclesiæ institutum temerarent, constitutis in hæreticos pœnis afficiendos : *Hoc præsens concilium sacrum generale Constantiense in Spiritu Sancto legitime congregatum adversus hunc errorem saluti fidelium providere satagens, matura plurium doctorum tam divini, quam humani juris deliberatione præhabita, declarat, decernit, definit, quod licet Christus post cœnam instituerit & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quod hujusmodi sacramentum non debet confici post cœnam neque a fidelibus recipi non jejunis nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso : & sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, postea a conficientibus sub utraque & a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur; cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum integrum Christi Corpus & Sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri, unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis patribus rationabiliter introducta & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum tanquam hæretici arcendi sunt & graviter puniendi per diœcesanos locorum seu officiales eorum, aut inquisitores hæreticæ pravitatis in regnis seu provinciis, in quibus contra hoc decretum aliquid fuerit forsan attentatum aut præsumptum, juxta canonicas & legitimas sanctiones in favorem catholicæ fidei contra hæreticos & eorum fautores salubriter adinventas.* Decretum præterea, ut hæc sanctio ad ecclesiarum præsules, & eorum gerentes vices transmitteretur. De-

Integrum Christi Corpus sub qualibet specie latet.

Pœnæ hæreticorum in rituum violatores promulgatæ.

inde renuntiati fuere ex singulis nationibus lectissimi judices, qui causas eorum cognoscerent, qui de hæresi postularentur, ac Joannis Hus causa jam ante agitata excuti accuratius jussa.

XXVI. Sess. XIV. (b) *Acta sess.* 14.

In sessione decimaquarta productæ sunt Gregorii XII. literæ (b) exaratæ Arimini III. id. martii pontificatus anno nono, quibus ille Joanni Dominico tit. S. Sixti presbytero Cardinali, Joanni patriarchæ Constantinopolitano designato, nuntiis Wernero archiepiscopo Treverensi, Ludovico comiti Palatino Rheni, & Carolo Malatestæ Ariminensi toparchæ provinciam dederat ut concilium Constantiense confirmarent, ea lege ut Balthasar æmulus non modo illi non præesset, verum ab illo prorsus removeretur. Cum itaque prædicta rerum conversione id actum esset, Joannes Dominicus concilium Gregorii nomine coegit ex hac formula.

Difficillima petita a Gregorio pro confirmando concilio præter spem obtigere.

Quia sanctissimus dominus noster dominus Gregorius Papa XII. audivit, intellexit, atque multipliciter est informatus de celebri fama hujus sanctæ congregationis pro generali concilio Constantiensi in Christi nomine congregatæ, idcirco idem dominus noster avidus ecclesiasticæ unionis & reformationis & extirpationis hæreticæ pravitatis commissionem fecit, prout in ejusdem literis nunc lectis dignoscitur contineri : cujus quidem commissionis & mandati vigore ego Joannes miseratione divina tit. S. Sixti presbyter Cardinalis, Ragusinus vulgariter nuncupatus, pro me & collegis meis in hac parte hic existentibus, in nomine Patris, & Filii, Spiritus Sancti auctoritate ipsius domini nostri Papæ, quantum ad eundem spectat, ut prædicta sancta unio, reformatio, & hæreticæ pravitatis extirpatio, Deo authore, meliorem sortiantur effectum, & ut sub diversorum professione pastorum dissidentes Christiani in unitate sanctæ matris Ecclesiæ & charitatis vinculo conjungantur, istud sacrum concilium generale convoco, & omnia per ipsum agenda authorizo & confirmo juxta modum & formam prout in literis domini nostri nunc lectis plenius continetur.

Constantiense concil. a Gregorio auctoritatem accipit.

XXVII. (c) *Ext. in ms. sess.* 14.

Edita tunc sanctio fuit (c), qua fidelium multitudinem, quæ Joannem XXIII. agnoverat, & alteram quæ Gregorium XII. coluerat, sub uno capite Christo mutuo fœdere coalescere promulgatum est, eam legente Bartholomæo archiepiscopo Mediolanensi : *Cum principium cujuslibet rei potissima pars sit, ut principium decens & amabile Deo, & possibilis Ecclesiæ redintegratio fiat, sacrosancta generalis synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata Ecclesiam catholicam repræsentans, ut istæ duæ obedientiæ, videlicet illa, quæ profitetur Joannem XXIII. olim fuisse Papam, & illa quæ profitetur dominum Gregorium XII. esse Papam,*

Pars quæ Gregorium & quæ Joannem erant sequutæ conjunctæ sunt.

una-

uniantur una alteri, & altera alteri conjungantur sub capite Christo, dictas convocationem, authorizationem, approbationem, & confirmationem nomine illius domini, qui in sua obedientia dicitur Gregorius XII. nunc factas quantum ad ipsum spectare videtur, quia abundans ad certitudinem pro bona cautela nemini nocet, sed omnibus prodest, in omnibus & per omnia admittit, & amodo has supradictas obedientias conjunctas, & unitas esse decernit, & declarat in uno corpore Domini nostri Jesu Christi & hujus sacri universalis concilii generalis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Abrogatæ dein fuere sententiæ, quæ antea a Joanne in Gregorium & sectatores, vel ab hoc in Joannem latæ: tum pristina munera dignitatesque iis, qui Gregorium coluerant, confirmata. Sancitum etiam ut in publicis monumentis nulla de Romano Pontifice aut sede Apostolica facta mentione, annus Regis Romanorum ascriberetur.

His gestis Joannes Dominicus Cardinalium cæterorum osculo & amplexu exceptus, inter Franciscum Venetum & Antonium Aquilejensem presbyteros collocatus est. Deinde divina peracta re Carolus Malatesta, cui a Gregorio deponendi ejus nomine pontificatus commissa fuerat procuratio, perlecto ejusdem Gregorii ea de se diplomate, a concilio postulavit, an tum cedere gradu conduceret, an vero rem ad Petri e Luna abdicationem extrahere, rogatisque sententiis, responsum Constantiæ abdicationem eam faciendam antequam Niciensis colloquium celebraretur, experireturve synodus an Petrus e Luna pontificia insignia ponere vellet. Carolus itaque Malatesta habita oratione ex proposito themate: *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis*, hac formula Gregorium pontificatus jure abeuntem induxit.

Actum an abdicatio Gregorii foret extrahenda. Responsum non, differendam.

Ego Carolus de Malatestis Arimini & nonnullarum aliarum terrarum in temporalibus vicarius, nec non provinciæ Romandiolæ rector, pro sanctissimo in Christo patre domino Gregorio divina providentia Papa XII. & sanctæ Romanæ ecclesiæ generalis, atque ejusdem sanctissimi domini nostri Papæ procurator, habens ad infrascripta plenum speciale & irrevocabile mandatum, quemadmodum constat per bullam authenticam sanctissimi domini nostri prædicti proxime lectam, nulla oppressus aut coactus violentia, aut nullo ductus errore ut omnibus aperte pateat per effectum quanta sinceritate, quantaque cordis affectione sacram unionem & redintegrationem Christianorum in unitate sanctæ matris Ecclesiæ prosecutus fuit, prosequaturque per viam etiam renuntiationis inclusive, pure, libere, & sincere procuratorio nomine ipsius sanctissimi domini nostri Gregorii Papæ XII. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti renuncio & cedo expresse in his scriptis realiter & cum affectu juri, titulo, & possessioni quod, quem, & quam, ipse habet in papatu, & resigno nomine præfati domini nostri papatum & omne jus papatus, titulum, & possessionem, quod, quem, & quam habet coram Domino nostro Jesu Christo, qui Ecclesiæ suæ sanctæ est caput, & sponsus in hac sacrosancta synodo, & universali concilio sanctam Romanam & universalem Ecclesiam repræsentante.

Formula cessionis.

XXVIII.

Admisit eam Gregorii abdicationem synodus, & divinas laudes ob conciliatam feliciter conjunctionem Deo persolvit. De qua abdicatione meminit cum hoc insigni elogio S. Antoninus (a); *Gregorius, vir sanctus, utpote qui Ecclesiæ & unionem & reformationem semper optaverat, per Carolum Malatestam procuratorem ad hoc suum omni juri suo, quod in papatu habebat, renunciavit solemniter, hoc petentibus congregatis in concilio, & expedire unioni faciendæ indicantibus.* Cumque Cardinales novum Pontificem sine concilii assensu renunciare, ut vidimus, veriti fuissent, rogatus est Sigismundus Romanorum Rex, ut ad id regiam authoritatem adhiberet: quod ab ipso egregiis literis, (b) quas jam ante exararat, productis promissum. Confirmata etiam tunc fuere omnia Gregorii gesta, quæ a ratione non abhorrerent, ac pronuntiatum sanctionem de non eligendo iterum Gregorio non ad ipsius ignominiam tamquam idoneus pontificatui esse non posset, sed pro Ecclesiæ pace editam fuisse. Illum etiam, atque alios ipsius partium Cardinales, Aaronium episcopum Portuensem Gregorii nepotem morum probitate spectatissimum, Joannem tit. S. Sixti, Gabrielem tit. S. Clementis, qui in pontificatu Eugenii IV. nomen tulit, Græcosque Larinæ ecclesiæ conjunxit, Angelum tit. SS. Petri & Marcellini, Bandelium tit. S. Sabinæ presbyteros, & Petrum S. Mariæ in Cosmedin. diaconum cæterorum Cardinalium numero aggregavit. Publico vero diplomate idem Gregorius paucis post diebus cum Malatesta ejus nomine pontificatum posuit, necdum rei gestæ fama ad ejus aures pervenerat, cum cardinaliciam purpuram sibi reservavit (c).

(a) S. Ant. 3. p. tit. 22. c. 4. §. 2.

Commendatur Greg. a S. Anton.

(b) Ext. in act. sess. 14.

Gregorii gesta confirmata.

Ipsius Cardinales cæteris Cardinalibus aggregati a concilio.

Gregorius, &c. ad futuram rei memoriam.

Quia disposuimus pro extirpatione detestandorum schismatum, & redintegratione unionis Christianorum renuntiare juri papatus, ex qua causa non reperitur fuisse renuntiatum per aliquem Romanorum Pontificum, conceptumque fuit in conclavi, dum de præparatoriis tractaretur, quod tempore & loco congruis in casu renuntiationis ante

(c) Greg. XII. lib. ult. ep. cur. p. 47.

Gregorii sanctio qua sibi cardinalatum reservarat.

ante renuntiationem provideretur de statu congruo Pontifice assumendi, sicut decens videbatur, & ab omni mente rationabili pro honore papatus & Ecclesiæ est intuendum; nosque ad apicem summi apostolatus postea assumpti, ideo de consilio & assensu tunc venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium ante eorum recessum a nobis quasdam ecclesias nobis reservavimus, quibus propter schisma postea exortum caruimus, prout etiam nunc concepto in tali renuntiationis casu provideri debere nobis de dignitate cardinalatus Romanæ ecclesiæ in loco personalis conventionis ante renuntiationem ipsam si contingeret; quæ provisio sine nostra auctoritate procedere non poterat juridica. Ad removendum igitur oppositam indecentiam, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, & de plenitudine apostolicæ potestatis statuimus & ordinamus, quod renuntiantibus nobis jura papatus, ut præmittitur, per nos ipsos, vel procuratores sive procuratorem nostros, sit ex nobis realiter & actualiter cum honoribus & emolumentis dignitas & officium cardinalatus Romanæ ecclesiæ, quæ dignitas virtualiter includitur in papatu, sicque & intentionabiliter in nobis permansit in casu renuntiationis, & hinc per alias certi tenoris literas dignitatem hujusmodi cardinalatus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ de eadem potestatis plenitudine nobis in casu renuntiationis hujusmodi reservavimus, a qua fuimus assumpti. Nulli ergo, &c. Dat. in Montefloro Ariminensis diœcesis XVI. kal. augusti pontificatus nostri anno IX.

Nec solum cardinalitiam dignitatem, verum apostolici ærarii præfecturam, cum e papatu discessit, gerendam reservavit, quod munus antea Antonio episcopo Portuensi dicto Cardinali Bononiensi abrogarat (a), qua de ea constitutione edita hæc sanxit (b).

(a) Ib. p. 41. & 46. (b) Ib. p. 47.

Præfecturam etiam ærarii sibi adsciscit.

Gregorius, &c. Volentes etiam ulterius prout expedit, providere ex eisdem causis rationabiliter nos moventibus si contingat nos papatui per nos vel procuratorem aut procuratores nostros cedere, dicti camerariatus officii potestatem ac jurisdictionem & omnia ac singula ad ipsum de jure vel consuetudine aut alio quovis modo & forma spectantia ex nunc nobis tenore præsentium de plenitudine potestatis præfatæ constitutionibus apostolicis & consuetudinibus aut aliis quibuscumque contrariis non obstantibus integre reservamus, usque quo constiterit nobis de successore nostro futuro summo Pontifice canonice esse provisum & per ipsum de dicto camerariatu fore dispositum, quia intendimus ipsum non tenere ulterius nec habere ulla modo. Nulli ergo, &c. Dat. in Montefloro Ariminensis diœcesis VI. id. julii pontificatus nostri anno IX.

XXIX. Consultum magnificentius e concilio quam sibi Gregorius ipse consuluisset. Creatus perpetuus Piceni legatus.

Consultum fuit (c) amplior munificentia a synodo Constantiensi Gregorii dignitati, quam ipse cogitasset, cardinalitium enim munus Picena legatione exornarunt, ut refert præter alios plures S. Antoninus (d): *Patres*, inquit, *venerandum illum & omni laude dignissimum antiquum dierum, ex Gregorio ad Angelum primum nomen suum reversum, legatum instituerunt in Picentibus consistentem.* [1] Decretum id fuit (e) die julii quintadecima, ex quo nonnulla delibando conjungemus superioribus, ne eadem repetere cogamur: animadvertens itaque synodus pium Angeli facinus, qui antequam experiretur, an Petrus e Luna æmulus vellet honore abire, pontificatu se abdicaverat, ipsum agente Sigismundo Rege in episcoporum Cardinalium ordinem adscivit, ut principem locum post summum Pontificem teneret: si vero Petrus e Luna similiter cederet gradu, & ambos Constantiensi concilio interesse contingeret, controversiam, quam cum illo habuerant, diremptum iri: Legationem vero, quæ numquam revocari posset, his verbis decrevit: *Insuper dicta sancta synodus statuit, ordinat, & decernit quod dictus dominus Angelus, quoad vixerit, sit sanctæ sedis Apostolicæ in provincia marchiæ Anconitanæ & præsidatus Farfensis, cum provisione, salario, gagiis, muneribus & honoribus solitis Cardinalis legatus de latere in spiritualibus & temporalibus, atque vicarius generalis irrevocabiliter permansurus, cum omnibus & singulis facultatibus & auctoritatibus, hujusmodi legatorum, quæ legatis talibus concedi per sedem Apostolicam in forma plenissima consueverunt, quodque eidem domino Angelo favores, & gratiæ sedis Apostolicæ in præbendis, beneficiis, & aliis provisionibus largiflue impendantur.* Cavit etiam synodus Angeli quieti, ne ulla unquam lis de iis, quæ in

(c) Gobel. in Cosm. at 6. c. 94. (d) S. Ant. 3. p. tit. 22. c. 4. §. 2. (e) Act. sess. 14.

Amplissima illi stipendia attributa.

NOTÆ [1] GRegorius pontifex hoc anno die IV. julii pontificatu cessit, eo ritu & forma, de qua annalista hic. Id unum modo addendum superest. Pontificia destitutus authoritate Gregorius intra cardinalium ordinem substitit. Hanc vero posteriorem dignitatem ita tenuit, ut nulli tamen cardinalitio titulo adscriptus fuerit. Ideo in subscriptione epistolæ ad concilium datæ Racaneti die VII. octobris hoc se titulo ornat; *Angelus episcopus, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis*. Ex quo intelligimus episcopi Prænestini titulum non statim ab abdicato pontificatu obtinuisse. MANSI

Liberatus conciliari decreto respondendi in judicio onere.

in pontificatu gesserat, ipsi moveretur, omnique onere respondendi in judicio, absolutum pronuntiavit. His addit Theodoricus Niemius (a).

(a) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Gregorius solemni ritu insignia pontificia cum gaudio deponit.

Die tertia mensis augusti venerunt nova ipsi concilio quomodo Angelus Corarius olim Gregorius Papa XII. nunc episcopus Portuensis, postquam intellexit cessionem sui papatus per dictum dominum Carolum de Malatestis procuratorem suum ad hoc per eum solemniter constitutum publice factam, ut superius tactum est, convocatis suis curialibus & Cardinalibus, nec non prælatis & clero, qui sibi ut Papæ tunc adhærebant & credebant in partibus illis, in publico consistorio gaudenter & sponte approbavit, laudavit, & confirmavit omnia in ea parte gesta, pro ipso per dictum Carolum. Quo facto illico deposuit mithram pontificalem, necnon colobium, & omnia pontificalia, seu insignia papalia, etiam ibidem præsentibus omnibus, cum solemni protestatione, quod illa numquam de cætero resumere vellet, immo omni modo, quo posset procurare intenderet, quod præfata unio fieret in Ecclesia universali. Hoc ille facto eximio calumnias sibi aspersas detersit, larvamque Petro e Luna antipapæ detraxit, ut ab omnibus posthac impostor agnosceretur. Ipse vero, utpote senio confectus, haud diu post vivere desiit (b).

Pia ejus consilia.

(b) S. Ant. sup. §. 2. Naucler. & alii.

Patuere mendacia Petri e Luna schismatis culpam in Greg. rejicientis.

Petrus autem e Luna, qui antea tot mendaciorum fucis vulgaverat Gregorii culpa accidisse, ne in Saonensi indicto conventu pax Ecclesiæ restitueretur, quamvis Gregorius egregium demissionis exemplum ei præbuisset, aperto scelere schisma extrahere nisus est, adeo ut etiam suis fuerit horrori. Ad frangendam vero ejus pertinaciam in prædicta sessione XIV. edita sanctio est, quamvis Petrus ipse e Luna voluntariam abdicationem pluries nuncupato sacramento spopondisset, & etiamtum omnium expectationem delusisset, eum concilii nomine missis oratoribus conveniendum, ut excurrente decem dierum intervallo, nullis additis ambagibus pontificalia insignia poneret, ac si id abnueret, hæ in eum pœnæ decretæ fuerunt.

Petrus ipse in judicium vocatur e concilio.

XXX.

Si non fecerit, dicta sancta synodus ipsum dominum Petrum ex nunc prout ex tunc pronuntiat, decernit, & declarat fuisse & esse notorium schismaticum, antiqui schismatis nutritorem, defensorem, fautorem, approbatorem, incorrigibilem & pertinacem hæreticum, a catholica fide devium, promissionum, votorum, & juramentorum suorum transgressorem, & Ecclesiam Dei notorie scandalizantem, & propterea omni honore & dignitate, etiam papali, se reddidisse indignum, ipsumque per sacros canones fore abjectum, ejectum, privatum, & præcisum ab omni jure seu possessione & detentione, quæ habet, seu se prætendit habere in papatu, mandando, præcipiendo, & inhibendo eidem, ne se amplius pro Romano Pontifice gerere præsumat, omnibus Christifidelibus, etiam si imperiali, regali, cardinalatus, pontificali, aut alia quavis ecclesiastica, vel sæculari dignitate præfulgeant, ne eidem Petro aut ejus successoribus in hac parte postea obediant, pareant, vel intendant, aut auxilium, consilium, vel favorem præstent alio modo, sed eum tamquam schismaticum, ecclesiasticæ unionis perturbatorem, & hæreticum vitent & persequantur toto posse, bona fide, realiter, & cum effectu, & huic sacro concilio, ac futuro per Dei gratiam Romano Pontifici eligendo, contra dictum Petrum, ejus successores, fautores, atque sequaces, quos etiam dicta synodus tamquam schismaticos, & hæreticos vult persequi & haberi, assistant fideliter & cum effectu, &c. Ut vero Sigismundus cum Rege Aragonum & Petro e Luna in congressum & colloquium venerit, ut illum ad voluntariam abdicationem flecteret, dicetur inferius: nunc de justa in hæresiarcham lata sententia dicendum est.

XXXI.

Joannes Hus hæresiarcha comparet in concilio.

Non modo ad schisma extinguendum, verum ad Joannis Wicleffi & Joannis Hus hæresim excindendam omni studio patres incubuere. Accesserat Constantiam Joannem Hus, [t] ineunte novembri superioris anni, cum primum præsulum cœtus iniri

NOTÆ [t] JOannes Chrystaminus Hus, de quo sermo hic in annalibus, natus in oppido hujus nominis in Bohemia, Hus, dignitate sacerdotem, professione theologum in Pragensi universitate egit. Cum Hieronymus Pragensis ex Anglia libros Wicleffi secum tulisset in Bohemiam, & cum amicis communicasset hæresis virus Hussus ex eo fonte hausit, ait Andreas Ratisponensis in chronico. Quo semel imbutus late in populos spargere cœpit, illud ea occasione factum credo, cum ortu inter Theologos Pragenses dissidio, exteriorum cæterarum theologis inde abeuntibus, solis a Bohemia theologis tota Pragensis academia commissa est, quod accidisse anno 1408 Andreas ibidem affirmat, addens pariter dissidii hujus originem & fomentum Joannem Hus præbuisse. Fretus igitur victoria, & favore Winceslai regis Joannes hæresi suæ longe lateque per regionem illam propagandæ tandiu incubuit, donec ad concilium se contulit. Constantiam anno præcedenti pervenit ibique jussus continere se a novis dogmatibus spargendis, donec a concilio discuterentur, cum acquiescere recusasset traditus est in custodiam in cubiculo quodam palatii pontificii, ut legitur in diario Cerretani, oculati testis, apud Bzovium in annalibus. Dies capturæ designatur ibi XXVIII. novembris superioris anni 1414. & ex literis oratorum quos universitas Coloniensis ad concilium miserat, satis constat, die XVII. januarii hujus anni

intri cœpit sunt (accepta, ut ajunt, a Sigismundo fide publica) ut se in celeberrimo illo totius orbis Christiani theatro ostentaret; atque invidiam, quam in se ex impietate concitaverat, in adversarios detorqueret: sed illum insanæ spes fefellerunt; nam ut Cochlæus narrat (a): *Hus ubi Constantiam venit, & vidit longe alium ibi disceptandi rationem esse in cœtu doctissimorum ex omni natione hominum, quam Praga in capella Bethlem coram laicis novarum rerum cupidis, aut in aula coram nobilibus ecclesiasticorum censuum avidis, aut etiam in foro coram minaci & clero infesta plebe. Vidit item notos & sibi jam diu infensos e clero Bohemico adversarios ad accusandam paratos & instructos, cœpit de fuga circumspicere, facile considerans se patribus de tot excitatis in Bohemia adversus clerum & omnem religionem malis satisfacere non posse nisi per publicam revocationem & pœnitentiam, ubi adversariis suis liceret libere & absque omni metu, & furentis plebis terrore dicere, ac testari contra ipsum de omnibus injuriis clero templisque & universa catholicæ religioni per ejus prædicationes illatis. Ut igitur fuga omne periculum evaderet, hanc fugiendi rationem adinvenit; quippe conduxit currum rusticanum, in quem clam ascendens, abdidit sese straminibus undique tectus.* Addit ex Ulrico Reichental (b) oculato teste, aliam arreptæ a Joanne Hus fugæ caussam, illum nimirum in hospitio suo divinam rem sæpius peregisse magno populi concursu: quod cum episcopus Constantiensis comperisset, vereretur que ne vir pestifer, qui etiam anathemate devinctus non sine ingenti flagitio sacra attrectabat, gregem inficeret, ut in eo loco sacrorum præses sacra ipsum operari vetuit, populoque præcepit, ne operanti interesset; cumque Hus mandata episcopi infringeret, eumque subita ecclesiasticæ severitatis formido invasisset, recurrente dominica tertia quadragesimæ, qua canitur sacer versiculus: *Oculi, &c.* se in curru Henrici Latzemboch fœno & stramine onusto condidisse. Henricum autem ipsum, cui Joannis Hus observandi cura demandata erat, consulem urbis adiisse, questumque de fuga Joannis Hus. Ex

(a) *Cocl. hist. Huss. l. 2. Jo. Nauel. p. 12. gen. 48. & alii.*

Non ferens varietatis splendorem fugam captat.

Straminibus rectum se abducendum curat.

(b) *Ulricus Rechent. apud Coclæ. l. 2.*

Constantiæ ausus divina profanare.

Imperia episcopi infringit.

NOTÆ anni 1415. carcerem jam subiisse; ita enim in literis illis ea die scriptis ad universitatem: *De Joanne Hus capto & detento per concilium, suo tempore scribemus.* Si igitur fugam ille tentavit die III. martii & ab ea retractus iterum custodiæ traditus fuit, qua de re dubitare nos minime permittit Ulricus de Reichental oculatus testis apud annalistam hic; fugam hanc molitum illum oportet cum jam clausus carcere detinebatur. Neque enim sive cum annalista hic hæretici detrusionem in carcerem retrahere post fugam illam possumus; neque cum Pagio in vita Joannis XXIII. pro die 3. martii legendum in Reichental ducimus diem XXIII. novembris, neque tandem cum Jacobo Lenfant in Historia Gallica concilii Constantiensis fugam Hussi fictam, & commentitiam judicamus. Forte tamen retractum ex fuga Hussum cum minus caute custodiri posse in priori carcere patres arbitrarentur, transferendum illum censuerent in castrum Gotebliæ urbi Constantiæ vicinum ubi detinebatur die XVIII. maji anni hujus, ut ex literis oratorum Coloniensium ea die scriptis discimus.

Agendum hic esset de violata a Patribus securitatis fide a Sigismundo rege Husso data, sed cum hanc provinciam annalista occupaverit, & novi nihil occurrat, ideo lectores ad annales remitto. Verum nequis silentium hoc meum perinde accipiat ac ingenuam de culpa a patribus commissa confessionem, adnotasse juvat, Concilium eam securitatis fidem quam Sigismundus Husso concesserat, ideo neglexisse, quod Hussus, a concilio licet inhibitus, hæresim tamen audax prædicaret atque doceret. Quam sane præcepti transgressionem in re tanti momenti gravissime coercendam Patres merito censuerunt. Hæc pro se patres cum reponerent Husso, respondebant quidem Bohemi virum illum dum Constantiæ ageret quietum se domi tenuisse; quare nonnisi per summam impudentiam eam calumniam viro modestissimo imputari. Vere tamen opposuisse patres ex eo deduco, quod Hussus ne carcere quidem clausus ab hæresi docenda se continuerit. Hæc enim de illo scribit Laurentius Byzinius, Pragensis urbis tunc *cancellarius*, & Hussi studiosus in eo quod tunc scripsit, diario belli Hussitici, vulgato a Ludevvig Reliquiar. to. VI. *In ipsa captivitate multas epistolas & scripta utilissima* (ita de hæretico hæreticus) *scribebat amicis in Constantia præsentibus, quæ scripta ad Bohemiam caute destinabantur. Ibi scripsit de mandatis Dei, & oratione Dominica. Item qualiter committitur peccatum mortale; de cognitione Dei; de tribus hostibus hominis; de pœnitentia; de sacramento Corporis & Sanguinis Domini; de communione utriusque speciei.* Hæc scriptor, Hussitis minime suspectus, cujus testimoniis Hussus pervicaciæ reus tenetur, & Constantienses patres a calumniæ accusatione liberantur.

Hieronymus Pragensis, quem par cum Joanne Hus caussa in pœnam non dissimilem adduxit, vir fuit, teste Andrea Ratisponensi, laicus, natione Bohemus magister in artibus, librorum Wiklefi lectioni addictus, unde hæresim accepit, quam Bohemis palam tradere cœpit anno 1402. ut legitur in articulis contra illum datis, vulgatisque in actis editis concilii Constantiensis num. 17. Constantiam, postquam captum novit Joannem Hus, se contulit; sed cum Hussi caussam in dies abire deteriorem intelligeret, hospitium illud cautus deseruit; Ita ille de se testatus est in ea quam habuit, apud Patres concilii oratione apologetica. Sed fugiens misere incidit in ministrum quendam Joannis Bavariæ ducis, filii Ruperti regis olim Romanorum, a quo agnitus, & detentus juxta oppidum Hyrsavv, ait Andreas Ratisponensis, retractus fuit Constantiam patribus concilii judicandus. Oblatum fuisse concilio a duce Bavariæ, comite Palatino Rheni die XXIII. maii seu feria V. pentecostis ex epistula XII. oratorum Coloniensium discimus. Reliqua ex annalista petas. MANSI

Datam sibi a Sigismundo fidem publicam violavit.

Ex quo manifeste colligitur postulatum jam judicio fuisse Joannem Hus, atque illi imperatum, ne Constantia excederet, donec accepisset sententiam. Cum itaque a Sigismundo chirographum impunitatis obtinuisset, ut judicio eum adversariis experiretur, staretque sententiæ concilii (a), judiciumque antequam illa ferretur fuga eludere tentarit, patet eum ab ipso fidem publicam, quam Sigismundus ei dederat violatam, nec violatori servandam fuisse. Constantiensis itaque consul forensi satellitio stipatus fugientem insecutus est, atque in stramine latitantem comprehendit: cumque ad palatium episcopale duceretur, & acceptam ab Rege fidem prætexeret, illi a Latzembock responsum est, ut habet apud Cochlæum Ulricus Reinchental: *Ita decretum est, ut causam tuam justifices, ne sis hæretica, aut moriaris ni revoces*. Inter quas voces Joannes Hus ex equo, cui fuerat impositus desiliens, iterum in fugam se conjecit, turbæque Bohemorum confertæ immiscuit, sed a forensibus apparitoribus demum abreptus est, atque in Prædicatorum ædibus traditus custodiæ, ubi illum pii & docti viri adiere, ut ab hæresi ipsum revocarent.

(a) *Ext. l. 3. Bohemor. in actis ms. conc. Constant. sess.* 10.

Comprehensus in fuga.

Iterum fugam tentat.

In custodiam traditur.

XXXII. Hussitæ turbas movent pro eo liberando.

Interea ejus studiosi Bohemiæ & Poloniæ proceres excitarunt, ut illius causam sustentarent, questi nimirum non servatam esse datam a Sigismundo Rege fidem, atque etiam Sigismundum ipsum permovere, ut posceret datæ a se Joanni Hus syngraphæ jus non infringi, atque adeo causam ejus de fide orthodoxa cognosci, ac si quid contra divina oracula & fidem sentire convictus esset, concilii volentati se subjiceret. Sed cum patres magna consilii maturitate expendendam Joannis Hus causam, librandasque illius probationes suis ponderibus aestimarent, non ferentes moram Bohemiæ proceres, supplicem libellum (b) patribus porrexere, quo & causas accessus Joannis Hus ad synodum, traditæque a Sigismundo Rege syngraphæ exposuere: tum expostularunt Bohemicam gentem ab obtrectatoribus, ut ipsi mendaciis hæreticorum circumventi ajebant, in invidiam & crimen hæreseos adduci, quorum libelli potiorem partem ex MSS. actis decerpimus, cum exinde ad confutandas hæreticorum calumnias argumenta peti possint.

Postulat Sigismundus ut ejus causa de fide cognoscatur.

(b) *Ext. in act. ms. sess.* 19.

Literæ Bohemorum.

Reverendissimi patres & domini. Nobiles domini Bohemiæ, ac Poloniæ nationum hic præsentes coram vestris paternitatibus proponunt qualiter serenissimus princeps Sigismundus Romanorum & Hungariæ Rex, fama audita & dissensione in regno Bohemiæ, ipsiusque regni honori tanquam heres & dominus successivus volens succurrere, misit nobiles dominos Wenceslaum de Rabu & Joannem de Chlum hic præsentes, ut magistrum Joannem Hus inducere vellent & assecurare regio salvo conductu & nomine, quatenus pro expurganda dicti regni Bohemiæ & sua sinistra infamia sub salvo conductu ipsius domini Regis & sub sacrosancti imperii protectione & defensa patenter ipsi magistro Hus datis exhibitis veniret vellet ad Constantiense generale concilium, & ibi cuilibet parte se opponenti de fide sua publicam reddere rationem: quod & fecerunt prædicti domini una cum prænominato magistro Joanne Hus. Cum autem prætactus magister Joannes Hus sub dicto salvo conductu libere pervenisset, ex tunc captus est, & graviter nulla audientia prævia carceratus, & hucusque tam compedibus, quam fame & siti angustiatur; quamvis autem olim per Pisanum concilium damnati hæretici hic libere steterunt & demum libere recesserunt, ipse tamen magister Hus prædictus nec convictus nec damnatus, sed nedum auditus, sicut præmittitur, captus est; ubi tamen nedum hic Regum aliquorum seu principum electorum, sed & universitatum pro tunc erant ambassiata; & quamvis dominus Rex prædictus una cum dominis hic præsentibus cum magna postularet & rogaret instantia, ut eta ipsius salvi conductus provideretur honore, ut dictus magister Hus audiatur publice, & de fide sua reddat rationem; & si convictus fuerit pertinaciter quidquam contra Scripturam sacram & veritatem asserere, quod in eo dictamine & decisione concilii debeat subjacere, &c. addidere preces, ut in rogandis sententiis institueretur ordo.

Poscunt audiri Joannem Hus & convictum hæreseos subjici concilio.

Jactata tam multa fuere ad Joannis Hus efferendas partes, conflandamque synodo invidiam, ex quibus tamen facile æquitas patrum efflorescit, ac veritas historiæ magis enitet. Non violatam enim fidem publicam in Joanne Hus e fuga abducendo demonstratur, cum Sigismundus, ad quem Bohemicæ coronæ jura post Wenceslai obitum devolvenda erant, vindicandæ ab hæresi vel illius suspicione Bohemiæ sollicitus, procerum opera Joannem Hus novæ sectæ turbarumque omnium in regno subortarum authorem, data syngrapha allexit ad concilium, ut hæresis infamia se liberaret, ac si impie de fide sentiret, recte sentiendi normam ab synodo acciperet: non ita illius se incolumitatem tutaturum spopondit, at si novæ hæreseos author foret, neque ea damnata ex synodi œcumenicæ sententia orthodoxam fidem profiteretur, legum severitati non subesset: id quod ex ipsius Sigismundi supplici ad præsules libello constat, cum de fide tantummodo Joannem Hus vocari in judicium poposcit, qui si erraret, ex synodali decreto errorem deponeret: neque enim obstrinxisse se illi fidem noverat, ut in synodo hæresim profiteretur pervicaciter, spre-

Ad quid datum Joanni Hus chirographum impunitatis.

Infanam hæreticorum consilium.

spretisque concilii œcumenici sacrosanctis decretis, ad suos, quos impietate contaminarat, triumphatoris instar reverteretur. Si ergo Joanni Hus regia syngrapha non profuit, sibimet culpam ascribat: qui enim illam acceperat, ut se de hæresis crimine in Synodo purgaret, vel illius staret sententiæ, regiam fidem fefellit, illusitque Sigismundo, dum concilii sententiam contempsit, quocirca Rex idem tuendæ Hussi incolumitatis onere solutus est; neque etiam Bohemi alia lege pactionem de salute servanda a concilio contenderunt, quam ut ipse Joannes Hus synodalibus decretis obtemperaret, quippe quæ non alia de causa vel ratione facta fuisset.

Non cavebatur regio syngrapho, ut quævis scelera Constantiæ patrare posset.

Cum ergo Joannes Hus anathemate damnatus, contra Constantiensis antistitis imperia sacrum faceret, ut ait Ulricus Reichental, licuit eidem episcopo in illum lege agere: cumque etiam in celeberrimo patrum cœtu hæresim pertinacissime tueri non perhorruerit, ob id flagitium canonum severitati fuisse obnoxium patet: si enim intertimenti hominem regia syngrapha prodesse non debuerat quomodo tandem plura millia animarum interimere satagenti præsidio esse debuit? neque enim revocabatur in dubium, si evasisset, magnam illarum stragem facturum, denique ut concepta a Sigismundo fert, Sigismundum ipsum ab omni perfidiæ suspicione liberat egregie Coclæus, dum historiæ Joannis Hus hæreticum scriptorem refellit: *Addit, inquit Regem promisisse scripto salvum conductum, ad secure eundum illuc, redeundum inde in Bohemiam: Verum hoc non reperitur in formula salviconductus, quam mox subjungit: & quamquam in actis multas Joannis Hus querelas enterserat, & propria ipsius ad Regem supradictum verba, tamen nusquam reperio illum de violata sibi fide publica adversus Papam, Regem, aut concilium expostulasse. Quod autem nobiles quidam Bohemi expostularunt magis libertati militare, quam justitiæ aut disciplinæ ecclesiasticæ tribuerent, aut enim ignorarunt, aut dissimularunt Joannis Hus fugam, & mentis obstinationem. Sed esto, quod promiserit Rex etiam ad redeundum salvum per omnia conductum, non erat Rex major Deo, nec fide, nec justitia, neque concilio. Fecit erga quantum decuit, aut licuit.* Hæc ille.

Non questus est Joannes Hus de violata fide publica.

Sigismundus omni violatæ fidei labe immunis.

XXXIII. Hæreticorum calumniæ in concilium confutantur.

Quod ad concilii patres attinet, quos multis probris lacerant hæretici Hussiticæ impietatis successores; laude dignissimos fuisse constat, atque in primis salutis sponsionem Joanni Hus illos minime dedisse patet ex dictis superius, ac proinde fidem non violarunt: eumque in religionis causa Sigismundo authoritate antecellerent, quidquid ille tandem cum Joanne Hus pactus foret, non obstricti erant ad standum illi pactioni: quam enim ignominiam suscepissent, & non ne Dei causam prodidissent, si hæresiarcham elabi sivissent? non ne Sigismundus concilii proditor censendus fuisset, si Joannem Hus vocasset Constantiam, ut patribus & fidei insultaret, liberumque dein dimisisset, ac si Patres ab omnibus commendati sunt in Joanne XXIII. e fuga abducendo dum schisma extrahebat nunquid pari jure laudandi, dum hæresiarcham e fuga retraxerunt? & si nullus perfidiæ notam ob Joannem comprehensum, dum ab officio discedebat, quamvis ampliorem longe libertatis sponsionem accepisset, impegit: ita pariter in causa Joannis Hus, cum gravius delinqueret, aspergenda non est: ut vero in Joannem Hus legum æquitas servata sit, ex actis synodalibus referamus. Ascribit divinæ providentiæ Coclæus (a) Hussum ipsum in illa Joannis XXIII. e concilio Constantiensi fuga e carcere non evolasse, dum illius custodes qui e Joannis familia erant, magnaque a Bohemis sperare præmia potuissent, si eum vinculis solvissent, claves carceris Regi Sigismundo & concilio tradiderunt, quamvis magno hypocrisis lenocinio plures libellos in carcere de pietate Christiana ad ipsos demulcendos exarasset: sed fraudulenta consilia ex sententia ei non successere: *Quod, inquit Coclæus, singulari Dei nutu & providentia factum esse arbitror, ne Hus in Bohemiam rediens majora perpetrasset adversus clerum & Ecclesiam mala, quam unquam perpetraverat antea.* Joannis itaque Hus causæ cognitione ad concilium œcumenicum delata, Andreas Posnaniensis episcopus in sessione quinta (b), die aprilis sexta decretum de Wicleffi, damnanda memoria, & Joannis Hus excutienda causa perlegit

(a) Cocl. hist. Hussit. l.2.

Divina providentia ne Hus evaderet. Excussa in concilio ejus causa.

(b) Acta mt. concil. Constant. post sess. 5.

In sessione sexta renunciati (c) sunt judices e singulis nationibus ad ejusmodi causam cognoscendam spectatissimi viri, ex quibus constat non impetu, sed magna consilii adhibita maturitate excussam. Jussi etiam de singulis accurate inquirere, ac referre ad concilii patres; hæc enim in synodali sanctione habemus: *Prædicti commissarii recipiant relationem dominorum Cardinalium Cameracensis tit. S. Marci & Florentinensis de processu facta super condemnatione librorum & articulorum tam quadraginta quinque, in Parisiensi & Pragensi, quam etiam ducentorum sexaginta in Oxoniensi studiis facta, nec non super condemnatione memoriæ Joannis Wicleff, ac confirmandu sententia lata in concilio Romana super condemnatione & combustione librorum prædicti Joannis Wicleff, & relationem super præmissis faciant nationibus & huic sacro concilio: quam cittius commode*

XXXIV. Judices e singulis nationibus delecti.

(c) Acta conc. sess. 6.

Docenti & sexaginta articuli Wicleff damnati ab Oxoniensibus.

Hieronymus Pragensis in jus vocatus.

modo illam fucere poterunt. Denuntiatum tunc etiam est Joanni Hus pestiferæ Wicleffi doctrinæ satori, & Hieronymo Pragensi impietatis socio, ut decimaquinta dicti mensis diu concilio se sisteret.

XXXV.

(a) *Acta conc. sess.* 8.

XLV. articuli eorum damnati.

(b) *Cocl. l.* 2.

In octava dein sessione adversus Wicleffum, ex quo tum Joannes Hus, tum Hieronymus errorum putridam perfidiæ fæcem hauserant, patres (a) quadraginta quinque illius articulos damnarunt, ut Joannes Hus, quem eorum infamia attingebat, audita synodali sententia saluti animæ suæ & corporis consuleret, eosque revocaret, ut bene animadvertit Coclæus (b). Ii vero errores, quorum fœditas horrorem parit, dum inter alia refertur docuisse Wicleffum Deum dæmonis imperiis debere obsequi, sat ostendunt a quo fonte tanta impietatis colluvies emanarit. Recensent hos in actis Constantiensibus patres iisdem verbis quibus eos jam ante conceptos damnatosque adduximus (c). Præcipui erant illi Wicleffi errores inter plurimos alios, quos ex ejus libris excerptos doctores catholici in capita trecentora tria distinxere, ac deinde in classes quadraginta, petito a mysteriis, quæ oppugnabat, ordine; quas recenset Joannes Coclæus (d). Addidere patres plures alios pestiferos commentarios a Wicleffo conscriptos aliis permultis refertos erroribus, præcipueque dialogum & trialogum esse contaminatissimos, qui in Anglia & Bohemia cladem pietati Christianæ miserandam intulerant, quos tamen & doctores Oxoniensis & Pragensis academiarum, pluresque archiepiscopi & Apostolicæ sedis legati damnarant: in Romano etiam concilio a Joanne XXIII. celebrato, gravissima censura notatos dataque sacrorum in singulis locis antistitibus mandata fuere, ut severitate ecclesiastica libros hujusmodi venenatos perlegentes coercerent. Denique cum constituti a synodo fuerint judices, de excutienda eorum librorum impietate, pronunciatum est subjectis verbis, Wicleffum in scelere obfirmatum male periisse, ejusque ossa si ab aliis discerni possent, ex humo refossa procul a loco sacro projicienda esse.

(c) *Ext. A. C.* 1408. *n.* 69.

(d) *Cocl. hist. Hus. l.* 2.

Plures alii errores ab eodem Wicleffo sparsi.

Sententia Joannis XXIII. adversus Wicleffum confirmata.

Examinatis testibus super impœnitentia finali pertinaciaque dicti Joannis Wicleff per commissarios deputatos per dominum Joannem Papam modernum & hoc concilium, servatisque servandis, prout in tali negotio postulat ordo juris, de ejus impœnitentia, ac finali pertinacia per evidentia signa testibus legitimis comprobata fuit legitimo facta fides. Propterea instante procuratore fiscali, edictoque proposito ad audiendum sententiam ad hunc diem, hæc sancta synodus declarat, definit & sententiat eumdem Joannem Wicleff fuisse notorium hæreticum, pertinacem, ac in hæresi decessisse, anathematizando ipsum pariter, & suam memoriam condemnando: decernitque & ordinat corpus & ejus ossa, si ab aliis fidelibus corporibus discerni possint, exhumari & procul ab ecclesiæ sepultura jactari secundum canonicas & legitimas sanctiones.

XXXVI.

Post damnatum a concilio Wicleffum potuerat Jo. Hus sibi consulere.

Vidit etiam Petrum Dresdensem & Jacobellum damnatos.

(e) *Cocl. l.* 2.

Poterat ex eo decreto Joannes Hus facile colligere quid sibi agendum esset, atque ea Wicleffi magistri ignominia errorum fœditatem execrari; ipse tamen in tantam impietatem impudentiamque prorupit, ut postea in medio patrum consessu non perhorruerit Wicleffum beatorum sedibus receptum prædicare, neque ullum se in ejus libris errorem perlegisse: quæ perfidia ipsi exitium paravit, ut inferius dicturi sumus. Sociorum etiam suorum Petri Dresdensis & Jacobelli Misnensis de porrigendo laicis sub utraque specie sacramento in sessione decima tertia die quintadecima junii errores damnati sunt. (e) De industria autem Joannis Hus causæ cognitio extrahebatur, ut saniora amplecteretur consilia, erroresque damnaret, quemadmodum referunt acta (f), ipsumque aliquando damnandæ hæresis spem præbuisse: *Item, inquiunt, idem dominus Bertholdus Wildungen dixit, qualiter ipso Joanne Hus alias in castro Gotlebiensi Constantiensis diœcesis existente & ibidem detento, articuli memorati fuissent sibi ibidem præsentati per certos deputatos, inter quos ipse Bertholdus extiterat unus, & idem magister Joannes Hus fuit interrogatus, an vellet dictos articulos defensare aut confiteri: qui magister Joannes Hus tunc submisit se determinationi concilii: & subsequenter uno alio tempore similiter inter deputatos nationum, & in præsentia dominorum Cameracensis & Florentinensis Cardinalium similiter respondit*. His consentiunt ea, quæ apud Joannem Coclæum Ulricus Reichental (g), qui lingua Germanica historiam concilii Constantiensis scripsit, memorat: *Ulricus Reichental*, inquit Coclæus, *testis ocularis & civis Constantiensis affirmat & Joannem Hus & Hieronymum Pragensem promisisse doctoribus, qui eos in carcere visitaverunt, velle se & hæreses revocare, & contrarium prædicare; ob id itaque compulsatum fuisse tot omnibus in urbe campanis in signum lætitiæ loco cantici: Te Deum laudamus. Deinde, cum celebraretur sessio, conclusum fuisse, ut ambo retinerentur in Suevia, ne unquam reverterentur in Bohemiam, utrique autem provideretur honeste in aliquo Sueviæ monasterio, ubi singulis daretur sumptus pro suis personis; ita tamen, ut uterque manu propria contestaretur se errasse, & a recta fide declinasse, idque scriberent ambo in lingua quoque Bohemica: illi vero dixerant sese facturos cætera libenter omnia, verum scripturam in Bohemiam nollent mittere.*

(f) *Acta conc. sess.* 5.

Submittit se decretis concilii.

(g) *Ulric. Reichental. apud Cocl. l.* 2.

Ex Hussi & Hieronymi conversione celebrata publica lætitia.

Consultum est eos in Sueviæ monasterio honeste retinendos.

Postulatum, ut scripto Bohemico errores damnent.

XXXVII. Detrectant illud. Joannes Hus rursus ad impiam ingenium redit.

(a) Ext. in actis sess. 15.

Negat se prædicasse Vvicleffi articulos.

Ejus hypocrisis.

(b) Cocl. hist. Hussit. l. 2.

Reforbuit instar canis paulo post quæ vomuerat Joannes Hus & diffugia aucupans, cum ineonte julio urgeretur, ut errores, quos docuerat, execraretur, uti spoponderat, hanc schedam (a) vir perfidus obtulit fallacibus pietatis pigmentis delibutam : *Ego Joannes Hus in spe sacerdos Jesu Christi, timens Deum offendere, & timens incidere in perjurium, nolo abjurare articulos omnes & quemlibet ex illis, qui per falsos testes in attestationibus producti sunt contra me, quia, Deo teste, non prædicavi, neque asserui, nec eos defendi, sicut dixerunt me eos defendisse, prædicasse, & asseruisse. Item de articulis extractis de meis libellis, saltem qui sunt debite extracti, dico quod quicumque ex illis includit aliquem falsum sensum, illum detestor; sed timendo offendere Deum in veritate, & contra sanctorum sententiam dicere, non quemlibet eorum volo abjurare, & si possibile esset, quod toti mundo nunc vox mea pateret, sicut omne mendacium & omne meum peccatum in die judicii patebit, libentissime omnem falsitatem & omnem errorem, quem unquam ad dicendum conceperim vel dixerim, coram toto mundo revocarem. Ista dico & scribo libere, & voluntarie scriptum manu mea propria prima die julii.* Hæc Joannes Hus, qui lubricis & callidis verbis patrum judicium eludere nitebatur, viginti testibus productis scriptisque suis perfidiæ convictus est, quæ accurate Coclæus (b) edisserit.

Viginti testes contra ipsum producti.

Quam, inquit, *impudens fuerit ipsius Hus ad omnia fere objecta, quantumvis manifesta & notoria, tergiversatio, inficiatio improba, excusatio calva, aut cavillatio callida, ex ipsis actis, tametsi a magno ejus amico scriptis, conjicere licebit: ubi ea de re quemdam textum historiæ, ut jacet, ex Theutonico recitaverunt; ita enim habet: Hac contentione parumper sedata, ait Cardinalis Florentinus, Magister Joannes Hus, vos bene scitis scriptum esse, quod in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum, & videtis quod bene viginti testes sint contra vos doctores, prælati, aliique magna existimationis viri, quorum nonnulli ex auditu & communi fama, atque etiam aliqui ex propria scientia omnium justas judicant causas, & adversum vos testantur: quomodo igitur potestis contra eos omnes inficiari aut negare. Et respondit Joannes Hus: Cum Deus mihi testis sit & conscientia mea, quod ego ea, quæ illi adversum me testificantur, neque prædicavi, neque docui, neque in cor meum venerunt umquam, etiamsi omnes adversarii mei contra me testificentur, quid possum? immo ad extremum non nocebit mihi. Respondit Cardinalis: Nos secundum conscientiam tuam judicare non possumus, sed secundum ea, quæ hic contra te producta & probata sunt, & quæ tu ipse ex parte confiteris: arbitror vos velle omnes eos pro inimicis habere, qui super vos testificantur, & testimoniorum suorum legitimas causas ostendunt: illis certe nos credere oportet. Dixistis Stephanum Paletz vobis esse suspectum, qui tamen admodum benigne & amice habuit sese in illis articulis, quos e libris vestris excerpsit, quos & meliores posuit, quam habentur in libris vestris, itidem fecerunt & omnes alii doctores. Dicitis item cancellarium Parisiensem suspectum*, erat is Joannes Gerson, *vobis existere, qui tamen usque adeo superexcellens doctor est, qualis in tota Christianitate vix reperiri queat.* Addit Coclæus (c) ex cujusdam Hussitæ historia admonitum fuisse hæresiarcham a Cardinale Cameracensi, ut se concilii sententiæ subjiceret, atque in Cæsaris & fratris Regis Bohemiæ intuitu cum eo clementer agendum; ac si errores vellet defendere auditum & confutatum iri a doctoribus, & facile gravioribus erroribus involvendum: *Ad hæc*, inquit author, *Joannes Hus humiliter inclinato capite respondens ait se eo venisse, non ut pertinaciter quidquam assereret, sed ut a concilio informationem meliorem si erraret acciperet: cumque nonnulli dicerent ipsum callide loqui, quod velit subjectus quidem esse informationi concilii, sed non ejus sententiæ & correctioni. Immo ait ipse non solum informationi, sed & sententiæ & correctioni.*

Propriis scriptis convictum.

Joannis Gersonii encomium.

(c) Cocl. l. 2.

Monetur a Card. Cameracensi, ut subdat se concilio.

XXXVIII. Iterum in impietatem relabitur.

Negat articulos unquam tenuisse.

Profitetur se non docuisse panem remanere post consecrationem.

Urgetur a Sigismundo Rege ut damnet articulos quos ipse damnat.

Cum ita is putaretur ad orthodoxam pietatem traductus, mox ut anguis lubricus ad pristinum scelus evasit; subdit enim Hussitæ, de quo paulo ante memoravi, historia apud Coclæum: *Ad hæc respondit Hus, se quidem paratum esse, ut humiliter pareat concilio, sed rogare ne cogatur mentiri, ut eos abjuret articulos de quibus, teste Deo, & conscientia sua, nihil umquam scriverit, neque umquam illi in cor suum descenderint, tantum abest, ut eos umquam prædicaverit aut docuerit, licet testes de iis contra ipsum deposuerint præsertim de eo quod in sacramento altaris post consecrationem remaneat substantia panis materialis. Abjurare autem est, sicut quondam apud catholicon legi, inquit, si quis juret & revocet errorem, quem quondam tenuit*, sed impudentem hominem, autographis suis convictum visuri sumus, *cumque hac de re multis verbis disceptarent, ait ipse Rex ad Joannem Hus. Audi, Joannes Hus, cur non vis omnes erroneos articulos abjurare, quos adversum te male, ut tu dicis, deposuerunt testes? Ego tamen eos abjurare volo & abjuro jam omnes tuos errores, quod nullum eorum tenere volo, non quod ullum eorum tenuerim prius. Respondit Hus: Clementissime domine Rex, hoc verbum abjurare, non*

so-

sonat ad hunc casum. Tum Cardinalis Florentinus ait: Magister Joannes proponetur tibi sufficiens & idonea formula, secundum quam eos abjures articulos, & tunc poteris deliberare quid sis facturus; & Rex: Joannes Hus, ecce duæ, inquit, viæ propositæ sunt tibi, nempe ut abjures & revoces errores hic condemnatos, subdasque te gratiæ concilii; sic fiet, ut concilium aliquid gratiæ tibi exhibeat. Si autem dictos errores de cætero defendere volueris, concilium & doctores habent jura sua, quidnam tecum finaliter agere debeant. Et hoc altero quoque die repetens ait: Quod tibi heri dixi nunc iterum dico: non possum sæpe repetere: ætatem habes, si vis percipe. Audis dominos tibi duas proposuisse vias, primo ut omnino commendes te in gratiam concilio, & quanto citius tanto melius, atque revoces & abjures omnes eos articulos, qui in tuis scripti sunt libris, & alios quos tenuisti, de quibus sufficienter convictus es testibus, scimus enim Scripturam dicere: In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Jam multi adversum te testificati sunt super quibusdam articulis, & ii sunt viri præstantes ac docti, ac pro erroribus illis debes pœnitentiam corde contrito suscipere secundum quod tibi consilium proponet, & debes contra errores illos prædicare, docere, & scribere, & jurare, quod de cætero nihil velis pertinaciter tenere aut defendere, quod ejusmodi erroribus conforme esse queat. Si autem illos adhuc vis temerarie tenere ac defendere, concilium adversus te procedet juxta tenorem sacrorum canonum.

Prorogatum judicium pro flectendo Husso. Cæsaris ad Hussum pia admonitio.

XXXIX. Porro cum maximi interesses, ut Joannes ad Bohemos, quos hæresi contaminaras, ad fidem orthodoxam traducendos errores, quos docueras nefariis concionibus, aut venenatis commentariis consignaverat, damnares; prætermissa illa ipsius inficiatione pertinacissima, totam curam intendere, ut Joannem ipsum ad damnandos eos errores permoverent, ac formulam proposuere, ex qua improbaret hæresim; tum mitiorem etiam sententiam si resipisceret, ferendam scripsere: sed ille omnem resipiscentiæ suæ spem ademit (a); cum enim contra testes inficiatus esset objectos se errores docuisse, autographis suis convictus, negavit ab iis, quæ scripsisset, umquam se discessurum, ut acta judiciaria in illum confecta docent, additurque in tanta ipsum pertinacia obduruisse, ut cum jam faterentur errores eosdem se docuisse, contenderit malle exuri millesies flammis, quam eos revocare, ne illos, quos ea doctrina imbuerat exemplo suo offenderet. Constituta (b) est itaque judicii dies sexta julii, ut scribit Joannes Coclæus, cum antea missi fuissent quatuor episcopi & quidam proceres Bohemi, qui ipsum percontarentur

Tentatæ omnes artes ut damnet errores. Autographis convictus negat demum quæ scripsisset se improbaturum.

(a) *Acta conc. Const. sess.* 15.

Malle se exuri quam revocare ab errore quos decepit profitetur.

(b) *Cocl. hist. Hus.* l. 2.

an errorem damnaturus esset, an non, ipseque flens ac pietatis fictæ & demissionis specimen præferens ambagibus egisset & lubrico responso eos dimisisset. *Igitur per episcopum Rigensem e carcere ad principem ecclesiam Constantiensem sexta mensis julii eductus, & introductus in majorem ecclesiam Constantiensem, ubi plena erat sessio concilii, præsente etiam ipso Rege in habitu imperiali & regali corona circumstantibus sacri Romani imperii principibus electoribus juxta ordinem & officium suum cum sceptro, pomo aureo, & gladio, aliisque principibus & proceribus imperii pro more solemni, admonitus est iterum iterumque, ut erroneos Vvicleffi articulos, præsertim illos XLV. qui toties & in tam multis locis damnati fuerant, revocaret, & abjuraret. Ipse vero post longas ambages & excusatorias tergiversationes stulte in perniciem suam fatebatur se non posse, renitente conscientia sua, condemnare, præsertim tres istos Vvicleffi articulos: Silvester Papa & Constantinus Imperator erraverunt, quod dotaverunt Ecclesiam. Item si Papa aut sacerdos in mortali existat peccato, non ordinat, non consecrat, nec baptizat. Item decimæ sunt puræ eleemosynæ. His auditis in pulpitum ascendens episcopus Laudensis præclarum habuit sermonem ad patres concilii de hæresis, pulchre declarans, nihil in orbe terrarum pestilentius esse hæresi, proinde omnes Reges & principes Christianos maxime obligari ad hoc, ut ad hæreses extirpandas catholicis prælatis assistant operamque ferant.*

In concilio sistitur.

Ex XLV. articulis, tres excipit quos damnare non posse fit.

Habitam sacram illam orationem ab episcopo Laudensi tradunt acta (c) petito argumento ex Apostoli verbis (d): *Destruatur corpus peccati*; & inter divina lectam illam evangelicam lectionem: *Attendite a falsis prophetis*; Joannem vero Hus accusatum & convictum hæresiarcham, in celsiori loco collocatum, ut ab omnibus conspici posset; deinde lecta de servando silentio sanctione, propositis quoque gravioribus pœnis iis, qui strepitum facerent, injussive altiori voce loquerentur, lectæ sunt a Bertholdo Wildungen hæreses damnatæ a concilio, quæ a Wicleffo & Joanne Hus pervulgatæ fuerant, hoc ordine in scripta redactæ: *Sicut Christus est simul Deus & homo, sic hostia consecrata est simul corpus Christi ad minimum in figura, & verus panis in natura, vel* [*quod idem sonat*] *verus panis naturaliter & corpus Christi figuraliter. Cum mendacium hæreticum de hostia consecrata inter hæreses singulas teneat principatum, ut ipsa ab Ecclesia extirpetur, secure denuncio modernis hæreticis, quod non possunt declarare nec intelligere accidens sine subjecto, & ideo omnes istæ sectæ hæreticæ continentur in capitula ignorantium Joannis*

Laudensis episcopi oratio de extirpandis hæreticis.

(c) *Acta conc. Const. sess.* 15.

(d) *Rom.* 6.

Hæresis contra Euch. damnata a concilio.

ςv. Noc adoramus, quod scimus. Audutler prænostica omnibus istæ sectis & suis complicibus, quod non defendant fidelibus, quod Sacramentum erit accidens sine subjecto, antequam Christus & tota triumphant Ecclesia venerit in finali judicio equitans super statum angeli Gabrielis, Sicut Joannes figuraliter fuit Elias, & non personaliter, sic panis in altari figuraliter est corpus Christi, & absque ambiguitate hac est figurativa locutio : Hoc est corpus meum, sicut ista : Joannes est Elias. Hanc errorum fæcem a Wicleffo & Joanna Hus hausere nostrorum temporum novatoret. Quam vero fidam dictis suis adhiberi variet & inconstans Hus meruerit, neque pugnantia inter se dogmata docnarit, ostendamus.

Sophisma hæreticorum quod plures perdidit.

XL. Jn. Hus pugnantia inter se docuit. (a) Cocl. l. 2.

Producit Joannem Przibram Hussitam Coclæus (a) referentem Joannis Hus apistolam ad summam Pontificem datam, in qua fidem in pluribus profitetur, mortem prius se oppetiturum quam discessurum ab Ecclesiæ sententia, contestatus illam errare nunquam posse; panem cum vero Christi Corpore in Eucharistia commorari, sacerdotem lathali crimini obnoxium Christi corpus posse conficere, clerum nequa censibus spoliandum, vel decimis fraudandum, vel gladio percutiendam; & tamen in medio patrum cœtu & Wicleffum impium negantem Christi Corpus in Eucharistia contineri, ac sanctum prædicavit : prius maloir supplicio affici, quam Ecclesiæ sententiæ privarum sansum accommodare : negavit sacerdotem mortiferæ culpæ sibi conscium consecrare posse, Ecclesiam vectigalibus donandam non fuisse, nec decimas jure axigandas. Quod vero ad dogma de Eucharistiæ sacramento, & panis in corpus Christi transubstantiationem attinet; anplicuit specimen orthodoxæ sententiæ, dum in carcera hæc scripsit in opusculo ad Robertum (b). *Dixi alterias sæpea, quod Christus virtute propria & verbis propriis transubstantiat panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum, juxta cantum Ecclesiæ istum : Verbum caro panem verum, verbo carnem efficit, &c. Verbum caro, id est, Filius Dei existens homo, efficit verbo per transubstantiationem verum panem carnem, & merum, id est vinum, fit per transubstantiationem sanguis ; patet ista materia de consecratione dist. 2. per sanctum Ambrosium, Eusebium, & alios ; unde cantum supradictum appechetam ab Ecclesia, ab anna, quo tempi cantum discere, cantavi in scholis, & in ecclesiis, post legi in officio & in missis, & prædicavi in sermonibus, & nunquam prædicavi, quod in sacramenta altaris maneat substantia panis materialis, de quo me veritatis inimici mendaciter accusarunt.* Et infra : *Quia sub utraque specie manet totus Christus, ut canit Ecclesia.* Hæc Joannes Hus indutus hypocrisis larva, quam cum illi detraxissent patres, ac testibus & contrariis ejus autographis demonstrassent contrariam Wicleffi hæresim ipsum docuisse pervicaciter nimirum substantiam panis non desinere post sacerdotalem consecrationem : maluit perire cum Wicleffo, quam ejus hæresim improbare. Ad quam diffundendam, irretiendosque simplices mendaciis, commentus est patrata divinitus pro confirmanda doctrina Wicleffi prodigia, & cum anima Wicleffi versari exoptavit; cum infanda ipsum commenta prædicasse convictus est, ut refert Coclæus (c) : *Ulterius posuerunt contra Joannem Hus, quod Joannes Hus ad decipiendum simplicem populum temerarie dixerit, quod in Anglia multi monachi aliique magistri convenissent in quadam ecclesia dicta S. Pauli adversus M. Joannem Vuicleff, & non potuissent eum convincere, sed subito supervenerint fulgura & tonitrua de cœlo, quæ ecclesiam illam diruperint aufugientes in civitatem Londoniensem & dicebant ; Hæc dixit Joannes Hus, ut erroneam hæresim Joannis Vuiclephi probabilem credibilemque faceret, ideo in talia verba prorupit coram populo dicens : O utinam anima mea esset ibi, ubi est anima Joannis Vuicleph ; ad hæc respondit verum quidem esse, quod ante annos XXI. priusquam libri ejus theologici in Bohemia fuissent, maxime placuerint sibi ii libri, quos Joannes Vuicleff in artibus liberalibus scripsit, & quod aliter non sciat, nisi quod prædictus Joannes Vuicleff fuerit bonæ vitæ : Sed nescio, inquit, ubi sit anima ejus ; spero eam esse sanctam, & non timeo, quod sit forsan damnatus, vellem tamen in ista spe, ut anima mea esset ibi ubi est anima Joannis Vuicleph. Cumque hoc in concilio dixisset Joannes Hus, cœperunt omnes eum quam maxime deridere moventes capita sua.* Ex quibus & aliis pluribus patet Joannem Hus mendacissimum fuisse, atque in dictis suis secum pugnasse : quibus etiam consentanea in judicialiis adversus illum actis traduntur commentum scilicet esse id falsum miraculum ad conciliandam Wicleffi impiæ doctrinæ auctoritatem, armasse se fulminibus & tonitruis cœlum ad illam defendendam contra catholicos doctores Anglos; ac dicta testium referuntur, ut seduxisset populum nefaria hæresi, quod substantia panis post consecrationem maneret, atque e multis hæc decerpenda duximus : *Dictus Joannes Hus multis rationibus probabat opinionem, quam tenet Ecclesia de sacramento corporis Christi, non fore veram. Similiter per unum plebanum Pragensem de veritate dicentem se audivisse a dicto Joanne Huss, quod post consecrationem maneat panis materialis sive substantia panis in Sacramento; &*

In carcere transubstantiationem admittit. (b) Apud Cocl. lib. ... ex Przibram.

(c) Cocl. hist. Huss. l. 2.

Conficta a Joanne Hus miracula in gratiam Vicleffi.

Optat esse cum anima Vvicleffi.

Convictus Joannes docuisse panis substantiam remanere post consecrationem.

eam

cum idem testis replicasset allegando dicta sanctorum doctorum scilicet Gregorii, dixit idem Joannes Husz, quod beatus Gregorius esset unus joculator sive rigmarius, & quod dicta sua rigmotica composuisset. Per unum prædicatorem ecclesiæ Pragensis, qui dicit quod, cum quadam vice iste Joannes Husz fuisset in collatione cum aliis magistris interrogatus, quid sentiret de hoc articulo, scilicet de Sacramento dixit, quod Joannes Husz respondit, quod hoc possit esse bene, quod post consecrationem maneat panis: & cum correptus fuisset per testem, tunc dictus Joannes Husz extraxit quemdam librum de manica sua, & nitebatur probare, quod maneat panis post consecrationem sicut ante, quem ibi legebat, in quo error prædictus continebatur, & inter cætera legebat in eodem libro, dicens: Invenerunt ipsi unum vocabulum inusitatum videlicet transsubstantiationem, ut simplices decipiant: & ex tunc etiam idem Joannes obtulit se velle omnibus prædictum librum concedere. Per unum præpositum, qui videtur concordare cum proximo supranominato teste, qui ab eo audivit, quod post consecrationem maneat panis per unum ministrum pœnitentiarium ejusdem ecclesiæ Pragensis, qui dixit se semel interfuisse sermonibus Joannis Husz, & hoc de anno Domini MCCCCVI. in æstate, ubi magister Joannes Husz ad populum prædicando dixit: Ecce scribitur in biblia: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, &c. & hoc in vulgari Bohemico percutiendo manu librum, oportet quod hoc excidam: Ego sum panis; & ego dico, quod est Deus & panis post consecrationem, quia vides albedinem, rotunditatem, saporem panis, & fracturam audis, &c. per unum Prædicatorem, & pœnitentiarium, qui dicit se audivisse in sermone magistri Joannis Husz in capella de Bethleem: Ego dico vobis, quod ibi accidentia cum subjecto manent, ut in exemplo homo in tunica & anima in corpore, sic Deus in pane per unum doctorem in theologia Pragensem, qui optime de veritate di hoc deposuit: similiter per unum plebanum, qui dicit articulum fore verum, quia audivit ab ore ipsius Joannis Husz, & similiter deposuit de tempore, & loco; similiter per unum alium plebanum magistrum in artibus, qui dicit se audivisse ab ore ipsius Joannis Husz quod non esset determinatio Ecclesiæ, quod accidentia starent sine subjecto, & multa alia deposuit. Hæc fuse adducenda sunt visa, ut hunc hæresiarcham Lutheri & aliorum impiorum magistrum mendacissimum fuisse, ac secum dissensisse constet, de quo hæc Coclæus (a): *Grave certo dedecus & sempiternum opprobrium & sibi ipsi & omnibus suis peperit, dum sibi ipsi contrarius seipsum proprio condemnavit judicio: licet id vitii omnibus hæreticis commune & familiare sit, Apostolo teste, qui ait (b) hæreticum hominem devitandum esse, quia delinquit proprio judicio condemnatus.*

Transsubstantiationem irrisit.

Docuit alias Christum esse cum pane.

Mendacissimus & imprudentissimus fuit.

Proprio judicio damnatus est.

(a) Cocl. l. 2.

(b) Ad Tit. 3.

XLI. Afferuntur in actis Constantiensibus alii errores, quos Wicleffus a Joanne Hus adeo commendatus confinxerat: parvulos sine baptismalibus sacris defunctos, salutem consequi posse ritus sacramenti confirmationis, quæ ab episcopis confertur, a dæmone confictos; inductam esse ab Innocentio exomologesim auricularem, neque concepta tantum pectore crimina sacerdoti propalanda: sacramentum ordinis non ab episcopo initiante, sed e gratia divina & vitæ sanctimonia pendere: matrimonium inter provectiores ætate non contrahi: adjecta plura horrida contra primatum Romani Pontificis; & illum Christi vicarium putandum, qui cæteris virtute antecellat: non ex pontificio diplomate, sed charitatis amplitudine dignitatum gradus obtineri: nil cuiquam donandum, dum peccato lethali devinctus est: nullum principem, dum eo est infectus jure dignitatem gerere: religiosos ordines dignos vituperio, & claustralia vincula abrumpenda: clerum suis exuendum vectigalibus: habendas ludibrio censuras ecclesiasticas: divini Numinis potentiam suis circumscriptam esse limitibus, neque orbem majoris minorisve molis condi, vel aliquid creatum ab eo redigi in nihilum posse: pariter animas hominum creandas certo ita numero definitas, ut ad plures efformandas divina vis porrigi nequeat: universa mera necessitate contingere, nec reprobatum a Deo pœnitere posse.

Errores Wicleffi adversus baptismum.

Et confirmationem.

Et sacramentum ordinis.

Et hierarchiam ecclesiasticam.

Et omnipotentiam.

His Wicleffi erroribus alios Joannes Hus partim addiderat, partim eosdem verbis impiis subornatos coluerat, qui recensiti ac damnati fuere: I. *Unica est sancta unica universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas, universalis sancta ecclesia tantum est una, sicut tantum est numerus unus omnium prædestinatorum.* II. *Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quosdam actibus ecclesiæ malignantium consimiles.* III. *Præsciti non sunt partes ecclesiæ, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidet, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidit.* IV. *Duæ naturæ divinitas & humanitas sunt unus Christus.* V. *Præscitus, etsi aliquando sit in gratia secundum præsentem justitiam, tamen numquam est pars sanctæ Ecclesiæ, & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.* VI. *Sumendo Ecclesiam pro convocatione prædestinatorum sive sint in gratia, sive non, secundum præsentem justitiam isto modo Ecclesia est articulus fidei.* VII. *Petrus*

Non agnovit Husius aliam ecclesiam quam prædestinatorum. Hos numquam peccare voluit quantumvis peccare viderentur.

Negavit Petri primatum.

trus non fuit nec est caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ. VIII. *Sacerdotes quomodolibet criminose viventes, sacerdotii polluunt potestatem, & sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cærimoniis, & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione reliquiarum, indulgentiis, & ordinibus.* IX. *Papalis dignitas a Cæsare inolevit, & Papæ præfectio & institutio ab Cæsaris potentia emanavit.* X. *Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esset caput particularis sanctæ ecclesiæ, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ ecclesiæ.* XI. *Non oportet credere, quod iste quicumque est particularis Romanus Pontifex sit caput cujuscumque particularis ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.* XII. *Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter a Deo recipiat procuratoriam potestatem, quia ad illud officium vicarii requiritur & morum conformitas & instituentis auctoritas.* XIII. *Papa non est manifestus & verus successor principis Apostolorum Petri, si vivit moribus contrariis Petro; & si quærit avaritiam, tunc est vicarius Judæ Iscariotis: & pari evidentia Cardinales non sunt manifesti, & veri successores collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum servantes consilia & mandata domini nostri Jesu Christi; & doctores ponentes, quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus si corrigi noluerit, judicio sæculari est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices scribas, & pharisæos, qui Christum nolentem eis obedire in omnibus, dicentes nobis non licet interficere quemquam, ipsum sæculari judicio tradiderunt, eo quod tales sunt homicidæ graviores, quam Pilatus.* XV. *Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiæ præter expressam auctoritatem Scripturæ.* XVI. *Divisio immediata humanorum operum est, quod sint vel virtuosa vel vitiosa, quia si homo est vitiosus & agat quidquam, tunc agit vitiose & si est virtuosus & agat quidquam, tunc agit virtuose, sicut vitium, quod crimen dicitur, & sicut peccatum mortale inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.* XVII. *Sacerdos Christi vivens secundum legem ejus & habens notitiam Scripturæ, & affectum ad ædificandum populum, debet prædicare non obstante prætensa excommunicatione.* Et infra, *Quod si Papa vel aliquis prælatus mandat sacerdoti sic disposito non prædicare, non debet obedire subditus.* XVIII. *Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante.* XIX. *Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat antichristo: signum autem evidens est, quod ab antichristo tales procedant censuræ, quas vocant in processibus suis fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam antichristi, quam clerus maxime pro se usurpavit.* XX. *Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc ut Judas Apostolus est diabolus, fur & filius perditionis, & non est caput sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.* XXI. *Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.* XXII. *Papa vel prælatus malus & præscitus est æquivoce pastor, & vere fur & latro.* XXIII. *Papa non debet dici sanctissimus etiam secundum officium, quia alias Rex etiam deberet dici sanctissimus secundum officium, & tortores & præcones dicerentur sancti, immo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei,* XXIV. *Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritum & legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam, nam Judas Scarioth rite & legitime est electus a domino Jesu Christo ad apostolatum, & tamen ascendit aliunde in ovile ovium.* XXV. *Condemnatio quadraginta quinque articulorum Joannis Wicleff per doctores facta est irrationabilis, & iniqua, & malefacta; & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.* XXVI. *Non eo ipso, quo electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus & manifestus vicarius vel successor Petri Apostoli vel alterius Apostoli in officio ecclesiastico; unde sive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere, nam eo ipso quo quis copiosius operatur meritorie, ad profectum Ecclesiæ habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.* XXVII. *Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus, regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conversetur.* XXVIII. *Christus sine talibus capitibus monstruosis, per suos veraces discipulos, sparsos per orbem terrarum, melius suam ecclesiam regularet.* XXIX. *Apostoli & fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam antequam Papæ officium fuerit intro-* du-

Confusam omnem Hierarchiam ecclesiasticam voluit.

Vim coërcivam detraxit Ecclesiæ.

Censuras ecclesiasticas contempsit.

Ineptæ argutiæ quod Papa non debeat dici sanctus.

Asserti ob eosdem quadraginta quinque Wicleffi articuli.

Electiones omnes rescidit.

Politicam civilem evertit.

ductum, sic facerent deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem judicii. xxx. Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.

XLII. Excerpserat eosdem fere errorum articulos ex libris Joannis Hus Alenus episcopus Leonensis, qui una cum Vitele Tolonensi in Bohemiam a patribus concilii missus (*a*) fuerat, ut de Joannis Hussi causa inquireret, eosque recenset Coclæus: cum vero tot tentetumque hæreseon virus eiicere ex animo detrectaret, ut quos perverterat resipiscentia fœlici ad ecclesiam traduceret, neque e Sigismundo ipso Rege Romanorum legum severitatem incutiente flecti potuisset, pronunciata est ab Antonio episcopo Concordiensi synodalis sententia: *Reperta*, ut ajunt acta (*b*), *Joannem remanere in perversitate sua & dicentem, quod propter homines, quos docuit de opposito, non vellet abjurare, sed millesies comburi, quia per vias abjurationem generaretur scandalum illis, quos docuit de opposito*. Cujus quidem sententiæ præcipuam hanc partem afferendam duximus.

(*a*) Cocl. l. 3. hist. Huss.

Propter sequaces abnuit Hussus errores objurare.

(*b*) Ext. in actis sess. 15.

Præfatum Joannem Husz hæreticum fuisse & esse hæc sancta synodus pronunciat, & tanquam hæreticum judicandum & condemnandum fore judicat & condemnat per præsentes, dictamque appellationem tanquam injuriosam & scandalosam & illusoriam jurisdictionis ecclesiasticæ reprobando, ipsumque Joannem Husz populum Christianum maxime in regno Bohemiæ in prædicationibus suis publicis & scripturis per eum compilatis seduxisse, ac ejusdem populi Christiani non veracem prædicatorem evangelii Christi secundum expositionem sanctorum doctorum, sed fuisse verius seductorem. Verum quia per ea, quæ hæc sacrasancta synodus vidit & audivit, cognovit eundem Joan. Husz pertinacem & incorrigibilem, & adeo totaliter, quod non cupiebat ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redire, neque hæreses & errores per eum publice defensatos & prædicatos velle abjurare; ideirca hoc sacrum concilium Constantiense eundem Joannem Husz ab ordine sacerdotis & aliis ordinibus, quibus existit insignitus, deponendum & degradandum fore declarat, & decernit, committens nihilominus reverendis in Christo patribus archiepiscopo Mediolanensi, Feltrensi, Astensi, Alexandrino, Bagarensi, & Vaurensi episcopis, ut in præsentia hujus sacrosanctæ synodi dictam degradationem, secundum quod ordo juris requirit, debite exequantur. Hæc sancta synodus Constantiensis Joannem Husz, attento quod Ecclesia Dei non habeat ultra quid gerere valeat, judicio sæculari relinquere, & ipsum curiæ sæculari relinquendum fore decernit.

Lata in eum sententia.

Sacerdotali dignitate exauctoratur.

Addunt acta Mediolanensem archiepiscopum una cum Constantiensi & Bagnorensi episcopis solemni ritu sacerdotalibus illum insignibus exuisse: *Joannem*, inquiunt, *degradarunt legenda verba ad hoc ordinata de libro pontificali incipientia. O Juda, amovendo ab eo tanquam ab indigno calicem; & subsequenter solemnitatibus ad quodlibet exhibitis exuebant eum casula, stola, tondentes sibi crines, & similiter amovendo ab eo omnia sacerdotalia & clericalia.* Sed prius, quam sacro illum ritu exauctorarent, monuere ut hæresim damnaret; at cum pertinax in flagitio concitare seditionum fallacibus verbis niteretur, silere jussus est, atque e celsiori loco abductus. Addunt acta hæresiarcham solemni ritu exutum sacerdotii insignibus traditum Cæsari, ut justitiæ exemplum in eo statueret.

Prius admonitus ut hæresim ejuraret.

Rex, inquit Coclæus (*c*), *ait ad ducem Bavariæ Ludovicum electorem, qui pomum aureum tenebat: Vade, recipe eum; qui recipiens illum tradidit eum lictoribus capite tonsum, & alta pileo papyracea coronatum, cui inscriptum erat: Hic est hæresiarcha;* nonnullisque interjectis de signis e scelesto hypocrita adulterinæ pietatis editis, fusisque in testes querelis falsis, addit: *Suis a lictore exutus vestibus, ligatis post tergum manibus affixo in terram palo alligatus est in medio rogi: priusquam vero rogus accenderetur adequitarunt dux Bavariæ Ludovicus, & dominus de Papenheim, admonentes eum, ut adhuc revocaret ac suæ parceret vitæ*. Ex his constat navatam omnem operam a patribus & a principibus, ut perfidum hæresiarchem ab exitio eruerent; sed iis vanam tantum hypocrisis ostentationem ipsum explicuisse ad sectatores suos in impietate confirmandos. Cum itaque hæresim improbare nollet vivus exustus est, ejusque cineres a lictoribus in Rhenum projecti; de quo hæc Theodoricus e Niem (*d*), qui aderat.

(*c*) Cocl. hist. Huss. l. 2.

A Cæsare traditur Bavaro ducendus ad supplicium.

Mithra papyracea inscripta nomine hæresiarchæ illi imposita.

Antequam rogus accenderetur monitus ut damnata hæresi vitæ parceret.

Cineres illius projecti in Rhenum.

(*d*) Niem in vita Jo. XXIII.

Nuper scilicet VI. die mensis julii prædicti, fuit per prædictum concilium condemnatus, degradatus, & tandem curiæ sæculari traditus, & demum igne combustus est quidam pertinacissimus hæresiarcha natione Bohemus vocatus Joannes Huss magister in artibus & in sacra theologia, non obstante, quod sub salvo conductu dicti domini Regis Romanorum de Bohemia huc venisset, & ipso domino Rege tum etiam præsente; quia dictum concilium, quod sic ipse Joannes Huss condemnandus foret convictus, nec errores suos volens revocare, per longum processum præhabitum determinavit & conclusit. Alter vero pertinax hæreticus etiam natione Bohemus, nomine Hieronymus hic captus detinetur, & quod idem judicium de ipso fiat, sicut factum fuit de altero, ut præfertur, præstolatur, ut quorum communis fuisset excessus contra Deum & fidem catholicam, etiam

com-

communis fit interitus : citius enim mori etiam morte sævissima elegerunt, quam vellent a suis erroribus desistere, illosque juxta sanctiones canonicas abjurare : & sic ipsa Constantia facta est hoc tempore quoddam purgatorium perversorum.

Meritum hoc supplicium jam ante Joanni Hus prænunciarat Stephanus Palete Bohemus theologus; cujus verba refert
(a) Cocl. ib.
Coclæus (a) : *Revera*, inquit, *si non esset tibi periculum, quo multipliciter contra sanctam Ecclesiam insolescis, aliud hoc solum horrendæ præsumptionis scandalum ad limina tibi sufficeret digna ultionis, & notabilem disciplinam; puta enim & firmiter æstimo, quod cum tibi defecerit omnis tua non tam rationis, quam irritationis, non tam disputationis, quam dissipationis concertatio, antequam humilitatis revoce revocanda, de tuæ sublimitatis descendens pestilenti cathedra, ut sic tuorum lapidea corda confirmes sequacium, trades te potius flammis ultricibus concremandum.*

Prædictum illi fuerat prius exustum iri quam resipisceret.

Ementitæ porro pietatis signa, quæ referunt Hussitæ in medio supplicio ab ab illo ostensa, nihil ipsi profuisse demonstrat Coclæus : *Ante ipsum*, inquit, *erat in regno Bohemiæ unus in Christo populus, idipsum dicebant omnes idem de fide & religione sapiebant omnes, in eodem sensu de Christo & sanctis ejus consentiebant omnes, idem erat per omnes ecclesias ubique ritus, una fides, eadem cerimoniæ, eadem sacramenta : Hus vero pulcherrimam illam unitatem ita scidit ac dispersit, ut in hodiernum usque diem miseranda permaneat in Bohemica gente divisio. Est autem divisio illa tam grande scelus & immanis culpa, ut vel mille rogi aut mortes hanc maculam eluere, aut expurgare nequeant. Si ergo Hus opera illa non ficte in hypocrisi propter vanam gloriam, sed vere & ex animo & cordis devotione fecit, miserabilis profecto est sua infelicitate, quod tam multa & gravia pertulit frustra, dum misere a Wiclepho deceptus putaret se bene agere in tanto divisionis scelere : sin vero ficte & in hypocrisi sic fecit, sive ut laudem & vanam gloriam captaret, ut ab hominibus videretur constans vir aut sanctus ac martyr Christi, justam recepit fictionis mercedem : sive ut per hæc sectam suam in sua doctrina & in odio contra clerum confortaret, dignum nequitiæ exitum invenit. Quocumque autem fecit & passus est animo culpa æternæ mortis ei semper adhæret, nam sive vere*, nimirum falsa opinione deceptus, *sive ficte sic fecit, pertinax in sensu suo & in divisionis scelere in mortem usque permansit, peccans per hoc in Spiritum Sanctum finali impœnitentia. Nullam igitur spem salutis ipse sibi reliquit.*

Publica ob eum Bohemiæ pax sublata.

Illius infelicitas.

Cum vero ex Wicleffi, & ex Joannis Hus, & Joannis Parvi pseudotheologi Sorbonici sentina teter vapor efflaret, quo populi ad cædes principum concitabantur hoc pernicioso dogmate : *Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vasallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramento seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato judicis cujuscumque* ; Constantiensis synodus ad errorem, qui plurium mentes imbuerat excindendum, hoc decretum edidit ; *Hæc sancta synodus*, & infra, *præhabita deliberatione matura declarat, decernit, & definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide & moribus, ipsamque tamquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit, & definit quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sunt hæretici, & tanquam tales juxta canonicas sanctiones puniendi.*

Pestiferum dogma seditionum fons.

Decretum tyrannos non propria auctoritate necandos.

XLIII.

Soliciti etiam patres in revocandis ad doctrinam orthodoxam iis, quos Joannes Hus sua & Wicleffi pestifera doctrina inquinarat, encyclicas dedere literas ad Bohemos ; quibus ipsis significarunt Wicleffi impietatem non modo in academiis florentissimis, verum in Romano & Constantiensis conciliis damnatam, sumptasque de Joanne Hus hæresiarcha justas pœnas exposuere (b). Tum ad sectatores ab hæresi abducendos hæc addidere : *Improbissimum ac periculosissimum sanctæ Ecclesiæ virum quemdam Joannem Hus ejusdem Wiclephi in multis damnatissimis articulis imitatorem, non solam ad debilitandam sed enervandam quasi militantis Ecclesiæ disciplinam, fidem etiam catholicam elidendam tendere manifestissime cognovimus ob hoc, quod gentibus præclari regni Bohemiæ Catholicis pro tam nefanda, tam noxia labe repellenda plurimum, ut percepimus, excitatis, ac etiam maximis jurgiis & concertationibus exortis, ingenti studio & maturo judicio tractavimus, quo pacto prædictum regnum a talibus hominibus perditissimis liberare valeremus, &c.* Nonnullis interjectis Joannis Hus extremo supplicio affecti exemplo ab hæresi submovere universos ita nituntur : *Sciant igitur, si qui ausu temerario hanc nostram sententiam Deo gratissimam totique Christiano populo salutarem, quoquomodo tentaverint impugnare, ac in eadem damnatissima hæresi perstiterint, aut persistentes in ea juverint, aut quomodolibet defenderint, ultra divinam vindictam, quam debent verisimiliter expectare, nos in eosdem debito modo juxta sanctiones canonicas processuros : ut sic talium correptio, & correctio aliis transeat in exemplum. Dat. Constantia anno*

(b) Ext. apud Cocl. l. 3. data epist. & cler. Wrat.

Sententia contra Hussi sequaces eum defendentes.

ao Domini MCCCCXV. indictione VIII. die xxvi. mensis julei sub appensione sigillorum præsidentium quatuor nationum.

Jo. Hus a suis ut martyr cultus.

Invaluerat adeo arror apud Bohemos, ut ne quidem hisce literis ad sanam fidem traduci potuerint, sed a magistro impietatis decepti, illum ut martyrem coluerint: *Audientes hac*, inquit Theodoticus Niemius (a), *alii baretici in civitate Pragensi, qua est caput regni Bohemia, qui errores ipsorum duorum bareticorum sequuntur & fovent, ut apud nos fama est, & sunt valde multi & potentes, illico insimul irruentes domos quamplures catholicorum presbyterorum Praga, & omnibus eorum contrariorum impetuose destruxerunt, ipsorum aliquos in gladio peremerunt, & quosdam in flumen Multa, quod penetrat Pragam, submerserunt: domum archiepiscopi Pragensis circumvallarunt, tamen dictus archiepiscopus manus eorum sed vix evasit; & multa alia sæva & horribilia contra Dei ministros & ecclesias temere commiserunt. Et ecce sic necessarium est, quod fiat unio vera in Ecclesia universale temporibus istis, etiamsi non esset alia causa, quam multiplicatio istorum bareticorum & schismaticorum in diversis provinciis atque regnis.* At de his inferius repetenda erit uarratio.

(a) *Niem. in vit. Jo. XXIII.* Excitata Pragæ seditio ab hæreticis. Plures sacerdotes necati.

XLIV. Sef. XVI. (b) *Acta sess. 16.*

Interea habita (b) est undacima julii die sessio decimasexta, atque actam in ea da Petro a Luna permovendo, ut pontificia insignia poueret, renuntistique oratores viri insignes, qui illum ea de re œcumenici concilii nomina appellarent: instituti judices, qui racedentes e concilio proposita dignitatum abrugatione revocatent: ut adicta in curia apostolica dari solita nomine concilii imprimerentur: ut Cardinalibus & præsulibus egentibus ex ærario pontificio sumptus suppeditarentur; incussæ censuræ iis, qui Caroli Francorum Regis oratores, & aos qui a concilio, ac Sigismundo Rege Romanorum ad Carolum missi erant, in Lotharingia atrocibus injuriis affecerant: tum publica monumenta da Joanna aoncilii sententiam in ipsum latam ratam habente, & literæ Gregorii pontificio jure abeuntis describi jussa.

XLIV. Sef. XVII.

Decimaseptima sassio celebrata ast die quiuradecima julii, in qua, dum Sigismundus Rea Romanorum in Aragoniam ad colloquium cum Ferdinando & Petro a Luna faciendum esset profecturus, post divinam rem peractam: *Litaniis dictis*, inquiunt acta (c), *Rege in loco suo genibus flexit stante, prælibatus reverendissimus pater dominus Joannes episcopus Ostiensis, & præsidens legebat. Ut Ecclesiam tuam & Imperatorem electum hic præsentem Ecclesiæ advocatum & defensorem ad perfectiorem redintegrationem unitatis Ecclesiæ præfata iter arripientem dirigere, protegere, & conservare digneris, chorus respondebat; Te rogamus audi nos. Subsequenter legit; Ut Ecclesiam tuam & eumdem Imperatorem ab omnibus inimicis visibilibus & invisibilibus præservare & defensare digneris: Te rogamus, &c. Tertio legebat: Ut eumdem Regem Imperatorem ad nos incolumem reducere digneris; chorus; Te rogamus, &c. Tunc officium litaniarum ulterius more solito fuit completum per cantores sive chorum; quo finito idem Dominus revolvit se ad Imperatorem legendo preces ad versiculum: Salvum fac servum tuum Domine: respondit: Deus meus sperantem in te; subsequenter. Nihil proficiat inimicus in eo, respond. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Esto Domine ei turris fortitudinis; respondit. A facie inimici. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Ultimo legebat collectam ad ponendam pacem in Ecclesia Dei.* Lecto dain diplomate de delata legationa Picena Angelo Corario, qui pontificatu abierat, ut jam dictum est, decrata est solemnis supplicatio habenda instructo agmina religioso die dominica ad perfectam ecclesiarum conjunctionem a Deo obtinandam, & Sigismundo prosperum & felix iter comprecandum; Deinde sanctio promulgata qua anathematis sententia lata est in eos, qui Sigismundo Regi molestiam aliquam exhibuissent, utque prædictum colloquium optatum exitum haberet, constitutum ast, ut singulis hebdomadis solemnis obsecratio religioso instructo agmine fieret, propositaque sunt indulgantiarum præmia iis, qui interfuissent, ac precem dominicam & salutationam angelicam pro ajus incolumitate pia recitassant.

(c) *Acta sess. 17.* Solemnes preces editæ pro Sigismundo Rege ad Aragoniam profecturo.

Intentatum anathema iis qui aliqua ipsum afficerent injuria.

Sessio XVIII. (d) *Acta conc. Const. ses. 18.* Acta Joann. XXIII. modo non aperte injusta corroboranda.

Decima saptima augusti die coacta (d) est sessio decima octava, in qaa delecti sunt judices ad causas delatas ad concilium cognuscendas dirimendasque; ac litatas synodi bulla consignatas eadem fide & authoritate ac pontificias valere promulgatum, tum pœnæ constitutæ in illos, qui ipsas adulterare audarent: sancitum etiam Joannis olim XXIII. diplomata, antequam munera pontificio interdictus essat, exarata, ni ab æquitate abhorrerent, valitura: creati etiam nuntii, in quibus Mediolanensis & Ragusinus archiepiscopi erant, ad Angelum Corarium episcopum Cardinalem olim Gregorium XII. & alios Cardinales qui cum ipso senserant ad ecclesiarum initam conjunctionem confirmandam.

XLV. Sess. XIX. Hieron. Pragensis hæresim revocare pollicetur.

In decimanona sessiona, quæ vigesimatertia die mensis septembris coacta ast, Hiaronymus Pragensis, qui jam ante ob dissemioatos Wicleffi arrores in judicium vocatus fuerat, & in carcerem ex

con-

concilii sententia conjectus, ut patrum severitatem eluderet, hæresim se improbare velle simulavit. Quo vero ritu fuerit gesta res describunt acta (a): *Missa & letaniarum officiis cantatis & solemniter peractis, levavit se reverendissimus pater dominus Petrus Cardinalis Cameracensis unus ex deputatis & commissariis per concilium in materiis fidei, & proposuit qualiter nuper magister Hieronymus de Praga accusatus & delatus de hæresi & super hac incarceratus per concilium alias ad redeundum ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ & fidei orthodoxæ* * *sermonem loco sessionis se revocare omnem hæresim, quam incidisset in sermonibus, collationibus, & sequela Joannis Hus propter hæresim combusti per concilium, & protestatum fuisse prout in quadam cedula pergameni manu ipsius magistri Hieronymi conscripta, quam tunc de verbo ad verbum perlegit: sed ex quo illud non videbatur sufficere, quia non fuit in sessione publica factum illud, ideo supradictus magister Hieronymus iterum venisset ad præsentem sessionem, volens illa, quæ tunc proposuit & allegaverat clarius, quam tunc, profiteri & revocare, & tunc ipse magister Hieronymus de Praga sæpefatus ascendit ambonem, in quo edicta, decreta & ordinata statuta seu publicata fieri solent præmittendo premisit quandam brevem & solemnem protestationem recommendando per eam reverendissimos patres dominos deputatos & commissarios super materia fidei de eorum bona atque salubri doctrina & pia tractatione, & de aliis bonis sibi per eos impensis, qua protestatione finita levabat unam cartham in pergameno manu sua propria conscriptam, ut dixit revocationem errorum & doctrinæ contentorum in articulis Joannis Wicleff & Joannis Huss, protestans, faciens, & dicens, ut in eadem cedula, cujus tenor inferius est insertus, plenius continetur, ipsa namque charta sive cedula lecta protestatus fuit, quod si habuisset cognitionem, per prius, quam hodie, nunquam tenuisset, neque fecit pertinaciter sed disputative, & tanquam non informatus tunc de veritate: etiam dixit quod prædictam protestationem & revocationem ac abrenunciationem non fecit propter detentionem, immo si in libertate constitutus esset habendo cognitionem, quam hodie habet, vellet facere & gubernare se secundum quod legit & scripsit in cedula asserens animam suam tanquam adolescentulam sponsam Christi videlicet Ecclesiæ sanctæ, recommendans se omnibus dominis Cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, prælatis, & toti concilio, regratiando ipsis de eorum bona doctrina, reductione ejus de erroribus suis ad fidem rectam & Ecclesiæ unitatem.*

(a) *Act. ms. conc. Const. sess. 19.*

* unionem.

Servati in publica sessione ritus.

Contestatur veritatem antea ignorasse.

Gratias agit de ea sibi patefacta.

Elegans ejus oratio.

Refertur a Cochlæo (b) habita ab Hieronymo coram patribus oratio, in qua ex textu Exodi (c) de iis, qui partim argentum, aurum, uniones, purpuram, byssum, hyacinthos, partim pelles pilosve caprarum obtulerant, petito exordio, hæc addidit: *Vos igitur præcellentissimi viri vobisque consimiles tanquam veri Salomonis principes, in hoc sacro templo vestræ fulgidæ sapientiæ, aurum, vobisque minores divinorum eloquiorum argentum, cæterique inferiores, per varias virtutum species varias & distinctas operationes, tanquam coccum, byssum, purpuram, & hyacinthum ad faciendum speciosa vasa templi, ad reformandum militantis hierarchiæ sarta tecta, diu jam est, quod offertis, atque obtulistis. Ego per vos tot, tantos, talesque gloriosos viros, qui in comparatione vestri nihil sum, omni genere vitiorum habens caput fere abruptum, quid offeram? Ne tamen in hoc sacro templo constitutus coram Domino & vobis totaliter vacuus appaream, saltem velles bestialium actionum mearum, & fœdarum operationum hispidos pilos cum procinctu libere ex animo offeram, multo genere precario obsecrans vos singulos atque universos, ne despiciar totaliter, aut contemnar, neque cum his oblegiis a templo Domini, quod estis vos, expellar & ejiciar.* Nonnullisque interjectis, hac formula hæresim damnavit.

(b) *Cocl. hist. Huss. l. 3.*

(c) *Exod. c. 35.*

Ego Hieronymus de Praga artium liberalium magister, cognoscens veram catholicam Ecclesiam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt & tenuerunt Joannes Wicleph & Joannes Hus in suis opusculis, libellis, seu sermonibus ad clerum & ad populum; propter quam causam prædicti cum suis dogmatibus & erroribus damnati sunt ab hac Constantiensi synodo tanquam hæretici, & eorum doctrina prædicta similiter damnata, maxime in nonnullis articulis expressis in sententiis per hoc sacrum concilium contra ipsos latis: consentio autem sanctæ Romanæ ecclesiæ & Apostolicæ sedi, & huic sacro concilio, & ore ac corde profiteor in omnibus & per omnia, & præsertim de clavibus, sacramentis, ordinibus, officiis, & censuris ecclesiasticis, indulgentiis, & reliquiis sanctorum, & ecclesiastica libertate, ac etiam de cerimoniis, & aliis omnibus ad religionem Christianam pertinentibus, prout ipsa Romana ecclesia & Apostolica sedes & hoc sacrum concilium profitentur, & specialiter quod prædictorum articulorum plures sunt notorie hæretici, & dudum a sanctis patribus reprobati, quidam vero blasphemi, alii erronei, alii scandalosi, quidam vero etiam piarum aurium offensivi, & ipsorum nonnulli temerarii & seditiosi, & pro talibus fuerunt prædicti articuli per hoc sacrum concilium au-

Damnat hæresim.

De sacramentis, indulgentiis, reliquiis, ac ceremoniis cum ecclesia se sentire profitetur.

Improbat XLV. Wicleffi articulos.

nuper condemnati, & inhibitum omnibus & singulis catholicis sub anathematis interminatione, ne de cætero dictos articulos seu eorum aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, vel tenere præsumeret.

Cum etiam Hieronymus inter alia sua deliria in schola philosophica in propugnanda universalium realium opinione figuram triangularem induxisset, quam scutum fidei appellabat, ita rem in catholicum sensum traxit, ut divinam essentiam in tribus suppositis adumbraret; qui articulus catholicæ veritatis clypeus sit, & fundamentum. Multis etiam verbis levare sese infamia, qua ob adjunctum ad suam necessitudinem Joannem Hus inustus fuerat, conatus est. *Credidi*, inquit, *eum virum bonum esse, nec in aliquo obviare traditionibus sanctæ matris Ecclesiæ, ac sanctorum doctorum. Immo etiam cum nuper in hac civitate mihi fuissent oblati articuli per eum positi, & per hoc sacrum concilium damnati, prima fronte non credidi suos esse, saltem in ea forma: cumque ab aliquibus egregiis doctoribus ac magistris in sacra pagina audivissem affirmari, quod sui erant, postulavi pro mea plena informatione mihi ostendi libros manus suæ, in quibus dicti articuli continuri dicebantur: quibus mihi ostensis, manu propria ejusdem scriptis, quam ut meam propriam bene cognosco, dictos articulos omnes & singulos, in ea forma qua damnati sunt, reperi esse conscriptos; unde eum immerito comprehendi & comprehendo ipsum & suam doctrinam cum eorum sequacibus per hoc sacrum concilium damnatam, & reprobatam fuisse tanquam hæreticam & insanam & hæc omnia supradicta, dico pure & sine conditione.* Ex quibus Hieronymi verbis constat Joannem Hus in se ipsum mentitum, dum testes falsa ipsi affinxisse querebatur, quem jam autographis convictum, ea revocare detrectasse diximus: adjunxit Hieronymus se concilii sententiam adversus doctrinam Joannis Hus ac Wicleffi latam probare: tum veniam erroris deprecatus est, quod dixisset in Ecclesia triumphanti fidem esse.

Excusat familiaritatem cum Husso.

Articulos illius damnat.

Concilii sententiam in ipsum & Hussum amplecti testatur.

Declaro, inquit, *quod numquam fuit intentionis meæ, quod ibi esset fides sub ratione fidei, sed cognitio fidem subæquivalenter excedens: & generaliter quidquid ibi vel antea dixerim, refero & subjicio humili corde determinationi hujus sacri concilii Constantiensis. Insuper juro & per sanctam Trinitatem & per hæc sacrosancta evangelia me in veritate Ecclesiæ catholicæ semper & sine dubio permansurum & omnes qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus suis æterno anathemate dignos esse pronuncio. Et si ego ipse aliter [quod absit] aliquid consentire, aut prædicare præsumpsero, canonum severitati subjaceam, & æternæ pœnæ obligatus inveniar. Hanc autem confessionem, & professionis meæ paginam coram hoc sacro concilio generali, & voluntarie porrigo, & eidem me propria manu subscripsi, & hæc singula conscripsi.* Hactenus Hieronymus, cujus chirographo ait Coclæus (a) veterum, novorumque (qua voce Lutheranos designat) Hussitarum frontes inuri, & flammeo rubore quoties repugnant Ecclesiæ confundi: ut vero Hieronymus impietatem iterum sit professus extremoque affectus supplicio, dicetur inferius: nunc reliqua in decimanona sessione gesta prosequimur.

Damnat adversantes concilio.

(a) Id. ib.

XLVI.

Edita (b) sanctio est ad restituendum in sacro Minoritarum ordine pristinæ sanctitatis splendorem. Decretum etiam nullum impunitatis chirographum ab Imperatore sive Regibus quibusvis concessum valere, quin ob hæreseos crimen in jus vocati a judicibus legum severitati subjiciantur, si errorem suum deponere recusarint, quamvis accepta publica fide freti ad concilium accesserint, neque concepta contraria spe essent accessuri, neque illos, qui eam dederint, ulique religione teneri devinctos, cum id quod potuere præstiterint. Hujusmodi vero decretum, quod multis proscindunt calumniis hæretici, a patribus totius concilii summa prudentiæ maturitate, unanimique omnium consensu promulgatum est: *Idem statutum*, inquiunt acta, *fuit approbatum, per dominos episcopos nomine quatuor nationum ac reverendissimum patrem dominum Cardinalem episcopum Ostiensem nomine collegii Cardinalium per verbum: Placet*: Decreti præterea fuere judices ad cognoscendum Hussitarum, Bohemorum, & Moravorum causam, qui judicio fuissent arcessiti, nullo dignitatis immunitatisve habito discrimine. Datum sacerdotibus, qui concilio navarent operam, ut sacerdotiorum censibus potirentur, ac si in ecclesiis suis divino cultui vacarent.

(b) Acta conc. Const. sess. 19.

Sponsio indemnitatis facta hæreticis ni hæresim damnent non valet.

Accessisse etiam hoc tempore ad concilium Constantiense Samagitarum, qui recentes sacris Christianitatis initiati fuerant, oratores narrat Theodericus a Niem (c): *Die*, inquit, XXVIII. *mensis novembris intraverunt ambaxiatores Samagitarum de novo conversorum ad fidem catholicam, sexaginta vel circiter numero, viri satis proceræ staturæ, qui habitant inter Livoniam & Lituaniam prope Prussiam, & terra eorum, quam inhabitant, vocatur Semigallia, omnibus bonis referta, excepto quod non crescit ibi vinum, & sunt sub regimine constituti Vitoldi alias Alexandri ducis Lituaniæ.*

Samagitarum legatio ad concilium.

(c) Niem. in vit. Jo. XXIII.

In sessione XX. peracta vigesima prima novembris Fridericus Austriæ dux de vexata Tridentina ecclesia, ejusque juribus occupatis postulatus est, gravesque ei

Sessio XX. Austriacus ob vexatam ecclesiam Trid. in judicium vocatus.

ei pœna indictæ, ni peremptoria die sacro patrum tribunali se sisteret, ac synodalibus jussis obtemperaret.

XLVII.

His litibus concilii præsules tempus impendebant; dum Sigismundus Romanorum Rex, cum Petro e Luna Regeque Aragonum agitatum, ut vidimus, diu ante colloquium faciebat, cujus historiam ex publicis schismaticorum monumentis (a) excerpsimus. Narrant illa Sigismundum una cum oratoribus Constantiensis concilii vigesimaprima septembris die Perpinianum ingressum, omnibus precibus a Petro e Luna petiisse, ut pontificalia insignia abjiceret: illum vero respondisse viæ se justitiæ semper inhæsisse, (quem tamen ab ea revera semper aversum fuisse, suis locis ostendimus) deinde postulasse, ut concilii Pisani sententia rescinderetur: postea duas concordiæ confirmandæ rationes proposuisse. Prima erat, ut ipsi utpote creato Cardinali e Gregorio XI. renuntiandi Pontificis authoritas ea vice concederetur (quasi ob Urbani sententias jus illud abrogatum non esset) Secunda ratio multis ambagibus erat implicita, ut nimirum Cardinalibus utriusque partis compromissum fieret, variisque legibus confundere omnia annisus est, ad Sigismundum eludendum, serendasque novas discordias.

(a) Ext. in ms. cod. Franc. Barberini to. 2. de schism. p. 1.

Deliramenta Petri e Luna pro confundenda ecclesia.

Addunt acta schismaticorum, fuisse hæc repudiata ab eodem Romanorum Rege, atque ab internunciis concilii Constantiensis, qui Petrum e Luna vehementissime urserint, ut pontificalia insignia deponeret. Quomodo autem verum responsum a perfido homine retulerint, ita subjiciunt: *Fuit ibidem responsum, quod ob salutem animarum & ad evitandos errores, & ut vera unio in Ecclesia sequeretur, oportebat ipsum debite providere & quod nisi sic fieret, non satisfaceret Dei servitio, bono universalis Ecclesiæ oblationibus per se factis de via renunciationis, quæ modum & finem unionis habent annexos, neque sacris canonibus, per quos via renunciationis suis casibus ideo commendatur, quia sic a fine bono, quod sequitur, exciderent, & debito sui officii, cum providere super hoc ad eum spectet ex jure & prærogativa Apostolicæ sedis, immo ad hoc compellant ipsum divina jura pariter & humana.* Hos & alios antipapæ dolos Romanorum Rex ac synodi Constantiensis oratores sprevere. Obfirmatum itaque in pertinacia Petrum e Luna Ferdinandus Rex Aragonum ab illo revocare pertentavit; addunt enim acta: *Deinde decatertia novembris anni prædicti*, nempe *MCCCCXV. tradita fuit eidem domino nostro Papæ, ex parte dicti domini Regis Aragonum, quædam cedula tenoris sequentis.*

Urgetur ut pontificalia insignia ponat. Fingit non posse sine animarum periculo.

Est visum serenissimo domino Ferdinando Regi Aragonum, & aliis de obedientia domini nostri Papæ Benedicti hic congregatis cum domino Rege, quod pro habenda unione in Dei Ecclesia sunt fienda sequentia. Primo quod aliquibus personis notabilibus, bona conscientia, ac providis & discretis, & majori parti eorum concordandis, inter dominum nostrum Papam & dictum dominum Regem, dominus noster Papa Benedictus conferat plenum posse renunciandi papatui, & omni juri, & possessioni sibi pertinenti in eodem pacto abjecto, ampliori modo, quo dictari possit, mediante stipulatione vallato, ac juramento roborato, quod nequeat dicta potestas revocari. Item conferat eisdem plenum posse convocandi concilium generale, & auctorizandi, approbandi, & confirmandi per ipsum concilium peragenda: quæ convocatio poterit fieri de iis, qui sunt in congregatione Constantiæ, & de ambaxiatoribus Regum, principum, & prælatorum & aliorum istius obedientiæ, qui illuc destinabuntur, prout inferius continetur, de aliis istius obedientiæ, qui illuc accedent. Item quod dictæ personæ sint fulcitæ potestatibus antedictis, una cum ambaxiatoribus Regum, principum, & aliorum istius obedientiæ, habentibus posse ad intercessendum in dicto concilio, accedant ad civitatem Constantiæ, & recognoscant, ac videant tam ipsi, quam dicti ambaxiatores, si est materia præparata ad extirpandum schisma, & habendam unionem in Ecclesia Dei, & tractent: ac si eis videbitur materia præparata, concordent & finiant, prout eisdem personis & ambaxiatoribus, vel eorum majori parti videbitur cum existentibus in congregatione, quæ est in Constantia de habenda generali concilio, & de unione habenda, & de renunciatione jam dicta facienda, ac modo futuræ electionis summi Pontificis, & omnibus aliis & singulis quomodolibet tangentibus principaliter, vel incidenter dictam unionem, aut eis connexis, vel dependentibus, incidentibus, aut emergentibus ex eisdem. Item reverendissimi domini Cardinales domini nostri Papæ constituant procuratores dictas personas, vel alias idoneas & legitimas, concordandas per ipsum dominum nostrum Papam & dominum Regem, ad transferendum ista vice titulo donationis, commissionis, aut compromissi seu alias, prout ipsis procuratoribus videbitur posse, eligendi Papam cum vacaverit papatus, per mortem aut renunciationem domini nostri Papæ, pacto adjecto mediante stipulatione vallato, ac juramento roborato, quod nequeat revocari. Item provideatur debite & honeste ac plene, circa statum, honorem & securitatem personæ domini nostri Papæ in casu renunciationis. Item serenissimus dominus Sigismundus Romanorum Rex, & alii, qui sunt hic

Postulat ut oratores ad ponenda pontificalia ornamenta, &c. designet.

Et ad eligendum cum aliis novum Pontificem.

hic de congregatione Constantiensi, qui tamen habeant esse fulciti, legitima potestate, assecurabunt hic quantum fieri possit, & ad idem assecurari faciant per congregatos in Constantia, quod dictæ personæ, quibus dabitur dictum posse per dominum nostrum Papam, & ambaxiatores supefacti ac procuratores dictorum Cardinalium ac alii de ista obedientia, qui accedent dicta vatione ad Constantiam, possint libere, tute, & secure ire, stare, & reverti ad Constantiam, in Constantia, & ubi voluerint: & quod nequeant compelli & distringi dictæ personæ, quibus dabitur posse, & dicti ambaxiatores ad aliquid faciendum, de iis, quæ eisdem commissa existunt; sed quod semper in iis & aliis agendis per eos perfruantur plenissima libertate. Supplicem hunc libellum Ferdinandi Regis Petrus e Luna fallaci hoc responso elusit.

Petita regia a Petro e Luna illusa.

XLVIII. *Respondet, quod sibi & dictis dominis Cardinalibus interdicenda non videtur facultas personaliter interessendi, tractandi, concludendi, & exequendi in negotio dictæ unionis, cum nullæ sint aliæ personæ, quarum magis interesse versetur, & negotium ipsum arduissimum sit tum propter intricationem materiæ, tum propter interesse magnum universalis Ecclesiæ, tum propter animarum pericula & errores irreparabiles, quæ si, quod absit, negotium non debite fieret, sequerentur: nec ulli venit in dubium, quod cura, sollicitudo, & onus hujus tam ardui & tam periculosi negotii ad dominum nostrum spectat, & suis incumbit humeris ex commisso sibi ab alto officio, a quo quidem onere urgente conscientia se liberare non posset absolute personis aliis dimittendo. Item dicta practica magno discursu temporis indigeret propter discussionem, quæ fieri haberet per prædictas personas ad videndum, an esset dispositio ad unionem, vel non, & propter convocationem personarum hujus obedientiæ ad illam congregationem, quæ ibi dicitur concilium generale. Item dicta practica in eo, quod vult unum generale concilium fieri de hac obedientia & obedientia Constantiensium, periculosa est universali Ecclesiæ, & vergens in divinam offensam, quia catholicorum & schismaticorum communia seu conventio in unum concilium damnosa est etiam de jure divino; immo catholici sic se conduminantes schismaticos crimine schismatis se inficerent; unde sequeretur, quod volentes universale concilium vel Ecclesiam unam facere, & sub uno universali Pontifice unionem inducere, conciliabulum facerent seu schismaticorum conventum, & populo Christiano proponerent idolum seu intrusum. Et si forsan contendat aliquis, neutram partem dictarum obedientiarum esse schismaticam, quod sibi non est concedendum, urgente tamen conscientia fa*tetur oportet, quod saltem sunt indubii & formati schismatici illi, qui a domino nostro Papa, vel prædecessore suo fuerant ad prælaturas promoti, & ante gesta damnata conciliabuli Pisani ab obedientia domini nostri Papæ recesserunt, vel fuerunt principales actores seu directores eorum, quæ facta & gesta fuerunt contra dominum nostrum Papam in dicto conciliabulo, propter quod meruerunt præcedentibus legitimis processibus per dominum nostrum judicari & declarari schismatici & pro talibus denuntiati fuerunt annuatim in processibus solemnibus die jovis sancta. Negari etiam non potest quin sint formati schismatici illi, qui dicunt & fatentur dominum nostrum Papam esse verum papam, sed nihilominus sibi inobediunt, alteri obedientiæ adhærentes, cujusmodi sunt multi prælati, quarum quidem personarum quæ, ut præmittitur, non sunt a schismate excusabiles, multæ (ut notorium est) hodie sunt in congregatione Constantiensi, & in ea de majoribus & principalibus reputantur. Et si hic non obstantibus adhuc circa materiam dictæ conventionis dictarum obedientiarum ad invicem in unum concilium aliquis forsan contrarium opinetur, saltem tamen videre potest dictus serenissimus Rex Aragonum, quod sine divina offensa in tali dubio status universalis Ecclesiæ non est tanto discrimini & periculo submittendus, quin potius practica certa & secura sit eligenda, prout eligit & jam obtulit dominus noster Papa, ut continetur in sua cedula infra inserta. Item civitas Constantiensis quam dicta practica ad dictam unionis negotium utitur approbare, non est locus idoneus & securus ad ea, quæ fienda sunt pro Ecclesiæ unione, nec posset dominus noster eam acceptare sine reatu divinæ offensæ multis consideratis, & inter cætera attento quod omnes in Constantia constituti essent sub manu & potentia dicti serenissimi domini Regis Romanorum domino nostro Papæ non obedientes, cujus voluntatis & imperio nullus ex iis auderet contradicere. Constat etiam ex relatione fidedignorum, quod propter locum non tutum aliqui de dicta congregatione fugerunt, & aliqui protestati sunt super loci mutatione, unde non immerito & verisimiliter est timendum, quod procuratores domini nostri Papæ, dominorum Cardinalium & personæ aliæ, quæ pro hac obedientia ibi essent, non gauderent libertate: ex quo sequeretur, quod omnia, quæ fierent in dicto negotio, essent invalida atque nulla; & quod ille, qui de novo crederetur assumptus in Papam, non esset Papa, sed potius intrusus. Neque super prædictis provideretur sufficienter per prætensas in dicta practica securitates, maxime propter multa ibi contra nonnullos notorie perpetrata; unde super non libertate eorum, quæ in dicto lo-*

Fingit hæc se demandare non posse oratoribus.

Negat congregari posse unum concilium ex variis obedientiis.

Perstringit Constantiense concil. ut schismaticorum conciliabulum. Refellit opinantes neutram obedientiam fuisse schismaticam.

Contendit ipso se abdicante futurum ambiguum statum ecclesiæ.

Calumniatur concilium non esse liberum Constantiæ.

Futura omnia irrita.

loco fierent, apud multos etiam, qui ibi de principalibus sunt, opinio & infamia insurrexit. Per prædicta ergo videre potest serenitas regia, quod dominus noster Papa non potest absque offensa Divinæ majestatis & evidenti periculo universalis Ecclesiæ prædictam practicam acceptare. Porrigit ad suam honestiori fuco colorandam pertinaciam obtrudere superiores concordiæ ineundæ ementitas rationes, quas a nuntiis Constantiensis concilii & Sigismundo Rege Romanorum, ut fallaces & improbas spretas vidimus, & crimen a se in Sigismundum transferendo, addit: *Tractatus rumpendo, a dicta villa Perpiniani die quinta jam dicti mensis novembris recessit, ejus recessu eidem domino nostro Papa minime intimato: quos facto præfatus idem dominus noster Papa nuncios prætensos dictæ congregationis Constantiensis ad recessum præcinctos die septima dicti mensis novembris per certas notabiles personas ab eodem domino nostro Papa sufficienti potestate munitas, eos quos reperire potuerunt etiam in via rogari, hortari, moneri, & requiri fecit in scriptis, ut acceptarent aliquam de viis per eumdem dominum nostrum Papam oblatis, vel aliam seu alias rationabiles aperirent.*

Fingit actum virtutis esse peccatum.

Offensus antipapæ pertinacia Sigismundus abit.

XLIX. Ad frangendos Petri e Luna dolos, iterum porrecto gravi libello Ferdinandus Rex Aragonum nona die novembris hujus anni una cum Castellæ & Navarræ Regum, atque Armeniaci Fuxique comitum oratoribus interpellavit ipsum, ut missis ambagibus, ambiguo pontificatus jure cederet, tum Gregorii & Joannis æmulorum exempla, tum impendentia ipsi cedere detrectanti pericula tum vota totius Christiani orbis proposuit. At æquissimis postulatis non assensit antipapa, sed duodecima novembris die scripta fallacia composuit, in quibus longis circuitionibus & anfractibus iterum Sigismundi Regis Romanorum & Constantiensis synodi oratorum cum ipso gesta, ac data iis inania responsa percensuit, turpiterque mentitus est, consentaneas a se concordiæ rationes propositas, neque offensionis, quam passus esset Rex Romanorum, vitium sibi ascribendum; demum subdidit opera interpretis: *Sed veniendo ad conclusionem requisitionis prædictæ respondet dictus dominus noster, quod renunciare papatui sic simpliciter, sicut petitur, non debet, prout late superius est deductum: sed paratus est renunciationem facere de suo jure papatus: observata tamen una ex practicis supra insertis, vel alia justa & rationabili practica, quam nunquam exclusit, neque intendit excludere, pro dicta unione Ecclesiæ consequenda.* Addunt acta Petri e Luna, ipsum suæ incolumitati diffidentem Perpiniano XIII. novembris Illiberim abiisse.

Porrectus iterum Petro e Luna supplex libellus a suis.

Inanes illius excusationes.

Discedit Perpiniano Petrus e Luna.

De hac illius fuga hæc relata ad Constantiense concilium memorat Theodoricus Niemius (a): *Quartadecima die mensis decembris multæ literæ missivæ ad nos productæ fuerunt, aliquæ de Perpiniano, aliquæ de Narbona, in quibus continebatur, quod Rex Romanorum voluit recedere de Narbona, & iter ad nos redeundi arripere: sed Hispaniæ, Aragoniæ, & Navarræ Reges, nec non Fuxi & Armeniaci comites, & ambaxiatores Regis Scotorum, atque multorum aliorum magnatum adhuc existentium in Perpiniano per eorum nuntios ipsi domino Regi Romanorum directos ad Narbonam dictum dominum Regem Romanorum strictissime rogarunt, ne ita repente recederet sine fine; sed suos oratores cito eis destinaret, cum quibus sperabant invenire bonum modum & ordinem pro unione prædicta, & quod ipsum Petrum de Luna cedere suo papatui oporteret: quod si non faceret, sibi obedientiam in regnis & partibus illis subtrahere, eumque terra marique persequi vellent; de quo ipse Rex Romanorum gavisus, misit e vestigio quosdam suos solemnes oratores ad Perpinianum; quibus illuc advenientibus, & cum magno desiderio nobilium & popularium receptis, ordinatum & conclusum fuit, quod daretur dilatio XV. dierum præcise ipsi Petro, infra quos haberet cedere, aut ut hæreticus in persona & rebus suis persequi deberet. Ipse vero Petrus hoc sentiens quosdam illarum partium potentes donis & promissis subpeditavit pro se more suo creando quatuor eorum charos in magnos antistites, & unum eorum in Cardinalem, & quibusdam ex eisdem potentibus, qui pro se aut suis nolebant habere tales ecclesiasticos honores, dedit aliquas pecuniarum summas in promptu, quod eum juvarent, ut tutus ab inde per mare recedere posset, prout fecerunt. Et postquam pervenit cum galeis suis ad castrum Colibriæ maritimum, insecuti fuerunt eum ambaxiatores illarum civitatum, scilicet Barcelonæ, Cæsaraugustæ, Valentiæ, Majoricæ, Dertusæ, Geronæ, Perpiniani, & quarumdam aliarum magnarum civitatum secus mare consistentium usque ad dictum castrum Colibriæ, & ibi obsederunt eum & realiter spoliarunt, seu nudarunt ipsas galeas remis, & aliis instrumentis inibi repertis, quod ab inde ulterius recedere non poterat. Quid autem subsecutum sit, ignoramus. Sed quod dicti ambaxiatores earumdem civitatum in hoc conclusissent essentque concordes, quod nollent amplius stare sub obedientia dicti Petri sive cederet sive non; ipsi nihilominus huic concilio intenderent adhærere, dictumque persequi pro eo, quod toties sponte jurasset & vovisset Deo & sanctis ejus solemniter & in scriptis ante perversum ejus papatum, & in illo etiam, quod* ipse

(a) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Sigismundus ob pertinaciam Petri e Luna reditum meditatus.

Rogatur ab Hispanis ut subsistat.

Spondent cedat eum deserturos & persecuturos.

Petrus e Luna nonnullos magnates Aragonios subornat. Illiberim fugit.

Obsidetur ab Aragoniis.

Exprobrata illius perjuria.

ipſe ſemper paratus eſſet, velletque ſponte cedere dicto ejus papatui, quotieſcumque ſuper hoc requireretur, & ſibi adhærentibus, & aliter vel alii alterius & aliarum obedientiæ vel obedientiarum nominatus ſeu nominati in ejus vel eorum obedientia ſeu obedientiis, Papa vel Papa etiam ſponte cedere vellet vel vellent & iterum contra juramenta & vota ſua prædicta temere veniret ad nolendum adimplere, ſubterfugia quærendo & ne ipſa unio fieret, fugiendo.

Die proximo ab ejus in portum Illiberitanum appulſu referunt dicta repetitas ab Rege Aragonum ſuperiores preces; iiſque adjecta hæc fuiſſe.

Beatiſſime pater,

Tertius Ferdinandi Regis libellus ſupplex.

Quia urgentibus cauſis & motivis in dictis ſupplicatione & requiſitione expreſſis non peratur opportunius, quam a die ortu ſchiſmatis uſque nunc ad conſequendam Eccleſiæ unionem; nam facta per ſanctitatem veſtram ceſſione, de qua extitit ſupplicatum, ſperatur veriſimiliter, quod in concilio generali univerſalis Eccleſiæ, quod breviter dante Domino congregabitur, providebitur ſanctæ matri Eccleſiæ, per eos ad quos pertinerat, de unico, indubitato, ac univerſali paſtore, forte per aliquod de prædictis jam apertis, vel per alias aut aliter, prout in eodem concilio per eos, ad quos pertinebit, dirigente Spiritu Sancto diſponetur, & ordinabitur, cum aliter nequeat in prædictis legitime provideri; extirparique ſperatur ſchiſma peſtiferum, & ſic obviabitur ſcandalis & diviſionibus ob dictum ſchiſma uſque nunc pullulatis, & quæ timentur oriri in poſterum, niſi dictæ renunciationis remedio occurratur: ideirco, beatiſſime pater, Raimundus de Plano, Bonanatus Petri legum doctor, ac Petrus Serra decretorum doctor ambaxiatores & procuratores illuſtriſſimi domini Ferdinandi Regis Aragoniæ & Siciliæ, &c. filii veſtri devoti cum debita reverentia veſtræ ſanctitatis, videntes per veſtram reſponſionem ſupplicationi & requiſitioni prædictis non fuiſſe, ut debuit, & congruit neceſſitati unionis Eccleſiæ, ſatisfactum; ſtantes & perſeverantes in ſupplicatione & requiſitione jam factis cum repetita reverentia ob Dei ſervitium, & dictum beneficium unionis, & ex cauſis ſupradictis & aliis pluribus notiſſimis, ac etiam toti mundo, ſupplicant ſanctitati prædictæ ſemel, ſecundo, & tertio ac ſæpe ſæpius, & inſtanter, & cum geminata inſtantia, & dictis vicibus cum dicta reverentia pariter eamdem ſanctitatem obſecrant & requirunt quatenus exequatur & impleat operis per affectum per ſe vel ſuos procuratorem ſeu procuratores, ad id plena & irrevocabili poteſtate ſuffultos. Alioquin, beatiſſime pater, ſi veſtra ſanctitas ſupplicata & requiſita (quod non creditur) realiter non exequatur, dicti ſupplicantes & requirentes, ſolum Dei ſervitio innitentes, cui prius obligati exiſtunt, & zelo unitatis ſanctæ matris Eccleſiæ & totius reipublicæ omnium Chriſtianorum, & quieti pacificæ eorumdem cum eadem ſanctitate repetita reverentia proteſtantur de omni jure univerſalis Eccleſiæ, ac ipſius ſupplicantium, & alterius cujus interſit, & de recurrendo ad remedia licita, juridica, & honeſta.

Rogatus Petrus e Luna ut olim promiſſa tandem compleat.

Cæterum, beatiſſime pater, quamvis poſſit concilium generale Eccleſiæ univerſalis in hoc caſu tantæ neceſſitatis Eccleſiæ congregari, & in ea poſſint & valeant convenire omnes tam obedientiæ veſtræ, quam obedientiarum olim Joannis & olim Gregorii, qui alias conſueverunt ad concilium congregari, quorum dictarum obedientiarum olim Joannis & Gregorii magna pars ſit ad præſens in Conſtantienſi congregata & ab aliquibus curioſis in dubium revocetur, quamvis dubitandum non ſit, an valeant illi dictorum duorum obedientiarum ſimul cum illis de veſtra obedientia in concilio generali Eccleſiæ univerſalis congregari, pro extirpando hoc nefario ſchiſmate, & unione jam dicta conſequenda, & debite providendo de unico & indubitato ſummo Pontifice univerſalis Eccleſiæ; ideo ex ſuperabundanti cautela & ut tollatur omnis dubitationis ſcrupulus, eidem ſanctitati ſupplicant dicti ambaxiatores & procuratores, quatenus alicui ſeu aliquibus perſonis, de quibus merito confidere debeat dictus dominus Rex & alii Reges & principes veſtræ obedientiæ, qui totis conatibus proſequentur & proſequi intendunt extirpationem dicti ſchiſmatis, & aſſequutionem dictæ unionis, committere dignemini vices veſtras, & plenum poſſe dare convocandi dictum concilium generale, & auctorizandi, approbandi, & confirmandi per ipſum concilium, peragendi ac tollendi, irritandi, abolendi, atque caſſandi omnes & ſingulos proceſſus, ſententias qualeſcumque, ac pœnas factas, latas, decretas, & promulgatas in obedientiis dictorum olim vocatorum Gregorii & Joannis, & ſingulares eorumdem occaſione vel ex cauſa dicti ſchiſmatis, & omnem maculam ſive notam juris aut facti exinde contractam, & omnes & ſingulas perſonas dictarum duarum obedientiarum habilitandi, & cum eis diſpenſandi, quantum opportunum ſit aut indigebunt, & providendi & ordinandi quod non poſſit excipi de dictis ſententiis aut pœnis contra intervenientes in dicto concilio, nec contra perſonas deputandas in dicto concilio, nec contra eligentes Papam, nec contra eum, qui fuerit in Papam electus, ipſaſque perſonas ad prædicta omnia & ſingula habilitandi, & omnia alia & ſingula faciendi, quæ erunt neceſſaria, expedientia, ſeu opportuna circa prædicta & alia

Significatum poſſe Conſtantienſes eo repugnante Pontificem præficere.

Conſultum ut eidem concilio ſe conjungat.

Cenſuras olim latas diſſolvat.

alia dependentia, incidentia, aut emergentia ex eisdem, & mandare dignemini eidem personæ seu personis fulcitis dicta potestate, quatenus ex quo vestra beatitudo recessit ab hac villa, ubi tractatur ad præsens de præparatoriis dictæ unionis residentes in hac villa, & redeant alibi, ubi disponetur per Reges & principes & alios de vestra obedientia hac ratione prædicta congregatos, & poterunt facilius per alium vel alios vestra potestate suffultos expedere, quam, pater sancte, per vos personaliter, attentis ætate & gravitate personæ vestræ & statu vestræ eximiæ dignitatis. Verumtamen ubi sanctitas vestra nolit id committere, supplicant eidem sanctitati, ipsumque exhortantur, obsecrant, & reverenter requirunt, quatenus illico revertatur ad villam Perpiniani, ubi de dictis præparatoriis, & negotio unionis tractatur, & prædicta omnia & singula, quæ essent ut præmittitur, per dictos commissarios fienda & exequenda, faciat & exequatur: offerunt se iidem supplicantes, quod per se & etiam una cum aliis ratione prædicta congregatis providebunt & provideri facient per eos, ad quos pertineat, de salvo conductu & securitatibus tam V. S. suo caveat, quam etiam suo cautela dictarum personæ seu personarum. Hæc quidem sunt utilia, opportuna, & etiam commoda tractatui & negotio dictæ unionis, & quietivon conscientiarum omnium, signanter illorum, qui sunt de vestra obedientia; & sic etiam facta fuere per commissarios dicti olim vocati Gregorii habentes ad id posse legitimum, tempore quo procurator ipsius Gregorii nomine ejusdem renuntiavit prætenso juri, quod idem Gregorius in papatu se habere dicebat; & iterum etiam prædicta sic fieri supplicant, obsecrant, & reverenter requirunt: alias enim protestantur de omni jure universalis Ecclesiæ & alterius cujusvis. Paulus secretarius. *Et similes requisitiones factæ fuerunt pro parte dictorum Castellæ & Navarræ Regum, & comitis Fuxi.*

Rogatus ut ad Perpinianenses cœtus mittat oratores.

Propositum Gregorii exemplum quod imitetur.

Jus universalis Ecclesiæ ei denunciant Hispani.

L. Respuit antipapa salubria consilia.

Justa Regum Hispaniarum petita contempsit Petrus e Luna; ajunt enim ejus gesta: *Non videtur necessarium ad supplicationem & requisitionem die quartadecima ejusdem mensis & anni,* scilicet novembris MCCCCXV. *in Quoqualibero Elnensis diœcesis præsentatum, in quantum cum primis supplicatione & requisitione concordant, pro nunc aliud respondere.* Et infra: *In quantum vero in supplicatione & requisitione prædictis subjungitur protestatio de jure universalis Ecclesiæ, &c. huic protestationi idem dominus noster, ut ponitur, non consensit, quæ nec jure nec ratione fulcitur, immo ipse, cui ex officio incumbit omne jus universalis Ecclesiæ defendere, & animam suam pro illo defendendo ponere, protestatur pro se & ipsius Ecclesiæ, nomine de suo & ejusdem Ecclesiæ interesse, & de jure ipsius Ecclesiæ conservando, ac de providendo, si opus fuerit, per constitutiones factas & faciendas pro illius tuitione ac defensione, & per remedia juridica necessaria, ac etiam opportuna, nec non per pœnas spirituales & temporales, contra quascumque personas, cujuscumque status & conditionis existant, contrarium attentantes, aut eis in attentando hujusmodi dantes auxilium, consilium, vel favorem, etiamsi cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, imperiali, regali, aut quacumque alia ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.* Interjectisque nonnullis, fucatis coloribus intempestivum Perpiniano discessum ita excusat: *Rex Aragonum mirari non debet de recessu sibi per eundem dominum nostrum per antea intimato, nam & si omni tempore & in omnibus causis deceat Romani Pontificis libera provenire consilia, & ipsius in nullo vacillare judicia, isto tamen tempore & in tanto negotio ubi omnimoda libertas requiritur necessarium summe videtur, quod in tali loco negotia pertractentur, in quo ipse & tota curia sua fruantur omnimoda libertate: & cum idem dominus noster adhuc non pervenerit ad locum, ad quem pro persona sua securitate ire decrevit; sed adhuc sit in via, propterea omnibus aliis in supplicatione & requisitione prædictis Regis contentis singulariter respondere de præsenti non potest, &c.*

Censuras obicit sibi repugnantibus.

Libertate omnimode se non potiri ostendit.

Paniscolam se recepit antipapa, ac cum die XII. decembris ejusdem anni MCCCCXV. Aragonum, Castellæ, & Navarræ Regum, comitumque Armaniaci & Fuxi oratores tertio flagitarant ab eo, ut posito pseudopontificatu concordiam restitueret Ecclesiæ repetitisque superius cum eo gestis, & de recessu intempestivo questi, hæc illi denuntiarunt.

LI. Paniscolam se subducit.

Beatissime pater,

Raimundus Xatmar miles & Petrus Bassetti legum doctor consiliarius ambaxiatores & procuratores dicti domini Regis Aragonum vestræ intimant sanctitati, quod ob non factam renunciationem supradictam, quam eadem sanctitas facere debuit de jure divino pariter & humano, & quam offerre nudo verbo non fuit sufficiens, & ob non implementum aliorum quæ supplicata & requisita fuere, dictos Reges & principes, licet invitos, cum sciant se reddituros rationem pro Ecclesia, quam Christo tuendam susceperunt, quia sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per dictos principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati Ecclesiam tradidit tuendam: urgente quoque zelo fidei & necessitate ac opportunitate perveniendi ad unitatem universalis Ecclesiæ, quæ ab initio prædicti schismatis usque nunc attingi non

Instant oratores Hispani apud Petrum e Luna ipsum teneri honore abire.

po-

potuit; apparebit pro defensione juris dictæ universalis Ecclesiæ, pro Dei servitio & exoneratione suæ conscientiæ, ac respectibus aliis tam in iis quam in aliis supplicationibus & requisitionibus positis, uti debitis remediis licitis & permissis, & licet amplius supplicare aut requirere non sit necessarium; ad uberiorem tamen cautelam non interdicta facultate utendi suo casu dictis remediis cum dictis Regibus & principibus visum fuerit vestra sanctitatis responsione ullatenus expectata, immo omni facultate retenta, iterum & iterum, ac quantis possunt geminatis vicibus supplicant & requirunt cum debita reverentia sanctitatem vestram, quatenus pro Deo principaliter & pro beneficio celeriori perveniendi ad unionem sanctæ matris Ecclesiæ, ac compatiendo tanto animarum discrimini & infinitis occurrendo scandalis per effectum operis, hic supplicata per ambaxiatorem dictorum Regum & principum, seclusa omni mora, adimpleat significata eidem sanctitati, quod illustrissimus Rex Romanorum & aliæ personæ missæ per concilium Constantiense, vel tempore suæ missionis erant & sunt in Narbona, & continue per suos ambaxiatores tractant seu tractabant in dicta villa cum dicto domino Rege Aragonum & ambaxiatoribus aliorum Regum & principum pro bono, juridico, compendioso, & concordi remedio ad extirpandum schisma pestiferum, & pro veniendo ad beneficium unionis: aliàs dicti ambaxiatores & procuratores nominibus supradictis in dictis supplicationibus persistentes cum debita reverentia, ad effectus expressos in dictis prima & secunda supplicationibus & requisitionibus & ad omnes & singulos alios effectus necessarios seu utiles actus sanctæ unionis jam dictæ protestantur quod dicti Reges & principes utantur remediis debitis licitis, & permissis & turbare naviculam S. Petri amplius, quantum in eis fuerit, non permittent. Et similis requisitio facta fuit pro parte ambaxiatorum dicti domini Regis Castellæ: & nominati ambassiatores dicti domini Regis Aragonum in prædicta cedula nominati dixerunt, quod dictum fuerat eis, ut facerent similem requisitionem ex parte dicti Regis Navarræ.

Preces ingeminant ut paci Ecclesiæ consulat.

Denunciant ei excussuros se ipsius jugum.

LII. Blasphemat Petrus e Luna in Constantiense concilium.

Paniscolæ conciliabulum indicit.

Obsurduit ut antea Petrus e Luna ad has voces, multaque adversus synodum Constantiensem temere effutiit, mentiens impudentissime illam in exitium Ecclesiæ congregatam: atque pertinaciæ socios sibi compararet, conventiculum suorum Paniscolæ coegit, quod in mensem februarii anni MCCCCXVII. extrahendum promulgavit. Cum vero efferretur superbia, quod duo æmuli jam pontificia insignia posuissent, atque ad alendum in Ecclesia vetus dissidium per summam hypocrisim jactaret, numquam a se Ecclesiam desertum iri, Ferdinandus Aragonum Rex S. Vincentium Ferrerium consuluit, quid in tanta rerum perturbatione agendum esset: qui (a) divino lumine collustratus respondit, deserendas illius partes si trina vice postulatus, voluntaria abdicatione Ecclesias in pristinam concordiam reducere detrectaret. His consentanea refert Theodoricus, e Niem nimirum illum (b) publicis concionibus in Petrum e Luna, ut pravum hominem fallacemque declamasse: *Asserunt*, inquit, *aliqui quod quidam frater Vincentius ordinis fratrum Prædicatorum eloquens valde, & sermocinator egregius, nec non theologus profundus, habens gratiam & favorem communis populi, qui libenter audit sermones ejusdem qui per multos annos in Latinis & vulgaribus sermonibus publice prædicavit quod dictus Petrus esset verus Papa, & quod libenter pro bono unionis prædictæ sponte suo papatui cedere vellet; cum ad hoc conspiceret tempus optimum, quia sic dictum fratrem & alios plerosque decepit. Sed videns noviter ipse Vincentius, quod dictus Petrus fidem verbis & promissis ejus hujusmodi non daret in eodem tempore opportuno, totaliter declinavit ab ipso, prædicando publice per dictum regnum in diversis provinciis & locis per quæ transitum ex tunc fecit & facit contra eundem Petrum, quod sit vir pravus & fallax & fictus, decipiendo populum Dei; quodque juste persequendus sit usque ad mortem ab omnibus Christianis & persequens aut interficiens eum mereatur.* Hæc postrema Theodoricus ex vulgi sermone addidit; porro nulli licet quemquam auctoritate privata interimere: *Et hunc sequitur in hoc maxima turba, quocumque vadit, devotorum Christianorum, ut audiat hujusmodi sermones, & divinis eloquiis per ipsum sedulo informentur.* De eodem viro sancto hæc tradit Petrus Ranzanus (c) in ejus vita: *A multis tam ecclesiarum prælatis, quam terrarum principibus res omnis fidei B. Vincentii commissa est, tanquam hominis, qui verax prudensque & esset & haberetur, nec quæreret gloriam terrenæ dignitatis: propter quæ unusquisque arbitrabatur neminem inter mortales reperiri posse, qui tantum negotium, vel diligentius, vel prudentius, vel melius perficeret.* Et infra: *Consuluit*, nimirum Petro e Luna, *ut potius in summa inopia ageret vitam, quam quod propter terrenam dignitatem suam inter populos Christianos discordia foveretur, &c.* Longe aberat ille ab hac pietate, nam potius Ecclesiam laceratam, atque ab ejus communione ejici, seque nunquam desituris suppliciis addicere, quam antipapales apices abjicere maluit. Tradit idem auctor maximos labores a B. Vincentio Ferrerio pro tollendo schismate susceptos, gestasque ad plures Reges, atque ad Petrum e Luna ea de

B. Vincentius Ferrerius consultus ab Arag. Rege.

(a) Surit. l. 12. ann. cap. 55.

Respondet deserendum fore, si ter in jus vocatus Ecclesiæ non pareat.

(b) Niem in vita Jo. XXIII.

Declamat se deceptum fuisse a Petro e Luna.

Illum ut pravum impostorem traducit.

(c) Ranzan. l. 2. c. 3.

Consilium a B. Vincentio Ferrerio datum Petro a Luna.

(a) Eod. lib. c.4.

de causa legationes: jussum (a) vero antea a Christo ex Avinionensi aula ad populos evangelica doctrina erudiendos discedere, oblatumque a Petro e Luna cardinalatum respuisse.

(b) MS. Franc. Card. Barber. to.2. de schism. p.17.

Hispani concilio Constantiensi adhærescunt.

Igitur consilio habito Perpiniani a Ferdinando Aragonum Rege cum oratoribus Regum Castellæ, Navarræ, & Fuxi comitis, qui etiamtum Petro e Luna adhæserant, unanimes decreverunt (b) spreta ejus contumacia incumbendum ad ecclesiarum conjunctionem redintegrandam, atque hanc iniere rationem, ut partes Constantiæ congregati Petri sectatores, atque hi vicissim Constantienses appellarent de habenda Constantiæ synodo, cujus cogendæ hæ designarentur causæ ad unicum pastorem universæ ecclesiæ præficiendum, moresque Christianorum emendandos: prius tamen Petrus e Luna honore vel sponte abiret vel a concilio & sacris legibus deiiceretur: in quem cum ferenda esset sententia, vel ii qui ex ipsius sectatoribus ad concilium profecturi essent, vel saltem major eorum pars assentirentur, dandam operam ut anathematismi ab adversarum partium Pontificibus promulgati abrogarentur, & gesta a Petro in conferenda ecclesiarum administratione confirmarentur: & si ii qui cardinalitiam purpuram gerebant, conjunctique eidem Petro e Luna erant, discederent ab ejus obsequio, in cæterorum Cardinalium numerum admitterentur: quæ ea ipsis eorum actis perstringenda visa sunt.

Concordiæ pactiones initæ.

Conclusiones recepta per dominum Regem Aragonum cum consilio suo in Perpiniano cum absentia domini nostri, dum erat Paniscolæ.

LIII. Hispanorum decreta pro abolendo schismate concepta.

Pro extirpando schismate quod proh dolor! diu viguit in Ecclesia Dei, & assequenda unione domino Regi & ambaxiatoribus illustrissimorum Regum Castella & Navarra, ac egregii comitis Fuxi videtur, quod sint fienda sequentia. Primo quod debeat congregari & convocari concilium generale omnium obedientiarum tam domini nostri Papæ Benedicti, quam olim vocati Joannis, & olim vocati Gregorii contendentium de papatu, ita quod congregati nunc in Constantia seu habentes posse ab eis vocent Reges, principes, & prælatos ac alios consuetos vocari ad concilium generale qui sunt de obedientia domini nostri Papæ Benedicti, ut certa die hic præfigenda fiat in civitate Constantiæ provinciæ Maguntinæ pro celebratione dicti concilii, & pari forma Reges, principes, & prælati istius obedientiæ, qui hic sunt congregati, etiam vocabunt Reges, principes, & prælatos alterius obedientiæ, &c. & in eadem civitate Constantiæ, &c. Item convocatio fiat ob causas sequentes & non alias; videlicet pro extirpatione jam dicti schismatis, & assecutione dictæ unionis, & pro fienda electione, & in standa fieri electionem unici futuri summi Pontificis per illos, ad quos pertinere debeat, vacante tamen prius papatu per renunciationem dicti domini Papæ Benedicti, aut ejus electione per sententiam, & etiam pro procedendo contra eumdem dominum nostrum Papam Benedictum nolentem aut subterfugientem renunciare per illas vias, per quas reperitur de jure posse procedi in tali casu, & etiam pro reformando statu universalis Ecclesiæ tam in corpore quam membris, & pro aliis causis inferius denotatis una cum dependentibus, emergentibus, & connexis & etiam ex prædictis & infrascriptis, ita quod pro causis præexpressis necnon & infrascriptis, tantummodo non pro aliis convocetur & congregetur dictum concilium generale: & ii, qui venerint de hac obedientia ad dictum concilium, ingrediantur dictum concilium solum pro dictis causis, & non pro aliis, & eodem modo, & non alio per alios recipiantur & admittantur; hoc expresse addito, quod ad aliam procedi non valeat, & si procederetur, quod non valeret: & ista declarentur & assecurentur meliori & validiori modo, quo fieri posset. Item quia Reges & principes & alii sua obedientia non possent obedire, alium eligendo in Papam universalem totius Ecclesiæ, nisi iste dominus noster Benedictus renunciarit papatui, vel fuerit judicialiter ac rite & legitime ejectus a papatu, & interest Regum, principum, ac omnium istius obedientiæ, quod super iis debite provideatur, quod interesse non cadit in aliis obedientiis, quia non habent eum pro Papa, ideo est necessarium quod serenissimus dominus imperator, & habentes posse a congregatione Constantiæ assecurent, quantum fieri possit, Reges & principes, ac alios istius obedientiæ, quæ in processibus, provisionibus, ac sententiis, quæ fient ac proferentur contra eumdem dominum nostrum Papam Benedictum, habeant semper intervenire illi, qui de dicta obedientia ibunt ad dictum concilium, vel major pars eorum, & habebant ipsi, vel major pars procedere, providere, & sententiare, quæ fuerint rationis prædicta procedenda, providenda, & sententianda contra dictum D. N. Papam, itaque absque prædictis, vel majore eorum parte nihil possit procedi, &c. contra dictum D. N. Papam, &c. de qua securitate, & etiam de securitate, quod non possit ad alia quam supra expressa & infrascripta per dictum concilium procedi, tractabunt aliqua pro parte domini Regis cum ambaxiatoribus serenissimi domini Imperatoris, & cum ambaxiatoribus concilii Constantiæ. Item est providendum qualiter tollentur, revocabuntur, & irritabuntur quæcumque sententiæ per olim Gregorium & olim Joannem & suos præ-

Ut mutua ad concilium convocatio perficienda.

Causa concilii convocandi.

De judicio exercendo in Petrum e Luna.

De majori parte Hispanorum quæ ferendæ sententiæ consentiat.

ten-

tensos prædecessores, a tempore exorti schismatis citra, contra dominum nostrum B. prolata in hac obedientia & homines ejusdem approbent, laudent, & confirment, & etiam meliori modo, quo fieri posset, plenissime firment omnes & singulas concessiones & gratias factas per D. N. PP. B. quibusvis personis intus suam obedientiam de quibusvis dignitatibus, archiepiscopalibus, episcopalibus, aliis officiis, & beneficiis in & alias quibuscumque, & quascumque infeudationes, investituras, & alias concessiones, & gratias factas quibusvis personis etiam sæcularibus cujusvis excellentiæ, dignitatis, & conditionis existant: ista sunt largius dictanda, & omnia & singula acta intra suam obedientiam, quod alias ad Papam pertinere dignoscantur. Item est providendum quod Cardinales domini nostri PP. B. si voluerint adhærere opinioni dictorum duorum Regum & principum istiae obedientiæ, habeant reputare, recipi, & admitti in dicto concilio, in Cardinales sanctæ universalis Ecclesiæ, & debet provideri circa titulos Cardinalium. Item erit providendum circa officiales curiæ Romanæ, quibus per dictum Papam sunt collata officia. Item est providendum de securitate illorum istius obedientiæ, qui ibunt in Constantiam pro celebratione dicti concilii, & aliis supradictis. Hispani demum eam secuti sententiam, ambiguum Pontificem, vigente schismate difficili, concilio œcumenico subesse, oratores Constantiam decrevere, ut in Petrum e Luna una cum cæteris præsulibus legibus animadverterent, quibus de rebus proximo anno agendum erit. Cæterum memorant plerique scriptores superiora etiam fuisse Narbonæ conventa in ecclesia principe, cum Sigismundo Imperatore & concilii legatis XIII. decembris, sed ampliori forma, quæ in actis post sessionem XX. extant, aguntque de iis congressibus Gobelinus (a), S. Antoninus, (b) Surita (c) Mariana (d), & alii.

De edictis Gregorii & Joannis in Hispanos obrogandis. Et recipiendis in consortium honorum Cardinalibus Petri e Luna.

Hispani amplexi sententiam ambiguum Pontificem subesse concilio.

Captam a patribus ingentem lætitiam de Hispanorum pertinacissimum antipapam suum deserentium ad Ecclesiam catholicam reditu, narrat hisce verbis Theodoricus Niemius (e): *In festo S. Thomæ Cantuariensis infra festa natalis Domini,* & infra, *prælectis dictis literis, statim fuit facta lætitia magna præsentibus, & ipsa nova grata audientibus, & campanæ ecclesiarum Constantiensium in augmentum lætitiæ hujusmodi pulsabantur, fuit etiam tunc magnus concursus illico ad magnam ecclesiam per ipsam Germanicam & alias nationes. Hic etiam existentes in celebratione concilii memorati, quorum valde multi præ nimio gaudio plorabant, cæteri vero una voce: Te Deum laudamus; devotissime concinebant; Retulerunt etiam in publico sive coram ipsis nationibus bajuli earumdem literarum, quod non poterant ore promere, aut dicere quam ingens & celebre gaudium factum fuit in partibus Hispaniæ & Aragoniæ, nec non vicinis regionibus toti populo & omnibus habitatoribus in partibus ipsis de illa jucunda conclusione universalis pacis & unionis Ecclesiæ prædictæ, si datum sit desuper, ut speramus, subito subsequenda. Die lunæ infra eadem festa natalis Domini Constantiæ solita hora facta fuit solemnis processio, in qua fuerunt domini Cardinales & alii etiam prælati inferiores illic ad generale concilium congregati, qua peracta fuit celebrata in majori ecclesia, cum non modica frequentia, ac lætitia cleri, & populi Constantiensis missa de Spiritu Sancto, multis etiam tunc præ gaudio flentibus illic, ac ceteris & aliis pro tanto bono Deum collaudantibus, ex quibus nobis fertilis spes datur a Domino, quod dicta unio fieri debeat in universali Ecclesia cito, prout in præcedentibus recitatur.*

(a) Gobel. in cosm. æt. 6. c. 95.
(b) Ant. 3. p. tit. 22. c. 4. §. 3.
(c) Sur. an. l. 12. c. 53. 55. 56.
(d) Marian. de reb. Hisp. l. 20. c. 7.
(e) Act. Constant. concil. sess. 20.

Dum Aragonii, Castellani, Navarræi, Armeniacenses, & Scoti ad Ecclesiæ conjunctionem redire parant, plures Bohemi ab ea se divulsere, & priorem lætitiam confudere, ut narrat idem Theodoricus Niemius (f): *Eadem die venit huc de Bohemia quidam familiaris prædicti Hieronymi Bohemi apportans de regno Bohemiæ quandam literam patentem scriptam, & quadringentis, & quinquaginta duobus sigillis sigillatam, & totidem Bohemorum, inter quos sunt plures barones, ac milites, militares, nec non armigeri populares, & plebeii, qui omnes unanimiter erant, & sunt de secta quondam Joannis Huss etiam Bohemi, & archihæretici hic propterea alias combusti. In qua quidem litera reprehenderunt hoc sacrum concilium de hoc, quod dictus Joannes authorizante præfato concilio, & eo nolente suos errores abnegare totaliter judicatus, & punitus fuit, asserentes, quod ipse erat vir sanctus, & justus, nec similis sibi reperiatur in bonitate, & sanctitate, quodque per hoc dictum concilium peccavit, & male fecit; & propterea ipsi noluerint, nec velint adhærere, & obedire. Et adeo multiplicati sunt prædicti hæretici in partibus illis, ut publica fama laborat, quod etiam reverendus pater dominus episcopus Luthomislensis, qui licet sit magnus, nobilis, & etiam potens opere, & sermone in regno prædicto, & alias fuerit per ipsum concilium ad dictum regnum destinatus ad exstirpandas hæreses hujusmodi, de illo, & illic veniens cum literis multis dicti concilii; ac, non adhibita per eum omni diligentia ad expurgandum dictum regnum de hæreticis, & hæresibus hujusmodi, & reddendum domino plebem perfectam; veruntamen in hoc hucusque proficere non potuit, nec potest: sunt enim adeo dicti hæretici contra*

Plures Bohemi recedunt ab ecclesia.

(f) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Impias literas mittunt ad concilium.

Luthomislensis episc. missus a concil. in Bohem.

Ab hæreticis adductus in discrimen.

cum sibique adhærentes pertinaciter coadunati in eorum perfidia, quod vix audet exire, & satis dubitat de persona, & bonis ipsius. Et sic modicum profecimus, mittendo ipsum ad procurandum salutem in natione perversa, quæ ipsum Joannem Huss prædicat, & concelebrat pro apostolo seu martyre glorioso populus stultus, & insipiens, utinam intelligeret, & novissima provideret. Et ecce quantum periculum est in Christianitate, cum capita præsidentium ad invicem obliquantur: vel qualiter prudenter, & bene procedunt, dum singulis sibi supposita non respiciunt diligenter.

Principiis non obstitisse nocuit.

Ad excindendam hanc hæresim antequam viribus, & audacia magis confirmaretur, opus erat expedito exercitu crucesignato, cum Wenceslaus ob inertiam hæreticos non coerceret. Verum Sigismundus Cæsar patrio amori morem gerens Bohemis, ut videbimus, nimium indulsit.

LIV. Sigismundi Cæsaris profectio in Gallias.

Digressus ex eo Hispanorum colloquio, cui etiam Francorum & Angliæ Regum oratores interfuere, Sigismundus Rex in Gallias profectionem paravit, ut refert Gobelinus (a), ad ortum inter Henricum V. & Carolum VI. Reges ingens bellum rei Christianæ exitiale sedandum; Henricus enim, cum res Gallicas, impote mentis Rege, & Aurelianensi Burgundoque ducibus inter se diffidentibus, male administrari perspiceret, occupandi regni illius consilium susceperat, ac literis (b) publicis quinta augusti die exaratis professus est, Gallicam se expeditionem ad vetera Anglica jura ex Gallorum (c) manibus avellenda conficere. Trajecisse eum mare mille ac sexcentarum navium classe, atque Aræfluctum nobilem portum in Normannia ad deditionem coegisse, refert Monstreletus (d). Ea urbe potitus ad subjiciendam provinciam circumtulit victricia signa Rex Anglus, ac vigesima quinta (e) octobris die Gallos apud Blangium prælio (f) fudit fugavitque.

Anglum cum Gallo componere aitur.

(a) Gob. supr. c. 95. Diar. ms. Ven. hoc ann. Vualsing. in Henr. Paul. Æmil. in Carol. Monst. vol. 1. c. 147. & Harpsf. hist. eccl. Angl. sæc. 15. c. 3.

Hoc bellum ita recensetur a Theodorico Niemio: (g) *His, nimirum Constantiæ, nova scribimus, quod Rex Angliæ cum maxima navium classe intrasset Normanniam, accepisset violenter maris portum oppidi Herflot, quod est fortissimum, & tunc fuit sub ditione Regis Francorum consistentium, & per ipsos Gallicos valde multis armigeris & defensoribus communitum; qui omnes capti ad Angliam captivi perducti fuerunt, eodem oppido sub ditione Regis Angliæ remanente: sed infra dies paucos litargia exercituum ejusdem Regis Angliæ illic horribiliter invadente, ita quod exinde valde multi dietim morerentur, dimissis custodibus in eodem oppido sufficientibus, & expulsis exinde indigenis Gallicis, Rex ipse Angliæ cum sexaginta millibus, præter rectores curruum & carrucarum, qui erant numero duo millia, vel circiter, per terram, & reliqui per mare in Angliam revertebantur. Sed dum Rex ipse venisset prope *... qui quidem locus distat a Celesio per ... milliaria, & interim quod sic per terram iter egit, principes, magnates, & militia Gallicana se adunarunt cum quibusdam finitimis nobilibus, & etiam habentes in eorum exercitu ultra mille Italicos, quorum capitaneus erat Butigaldus, qui dudum rexit Januam pro eodem Rege Francorum, & idem exercitus Gallicorum continebat, ut fama est, ad minus centum millia pugnatorum: & commisso prælio, sicut prædictum fuerat, tempestive Anglici fuere victores: quamvis infra triduum ante nisi panem pro cibo & aquam pro potu habuissent, ubi fuerunt quinque millia quingenti & ultra Gallici inter magnates nobiles & armigeros interfecti, mille & quingenti capti, & ad Angliam ipsam perducti: inter quos sunt plures duces, comites, & barones, ac milites quorum ducum duo, ut dicitur, pro liberatione suarum personarum a captivitate exhibent quadraginta millia Francorum. Ipsi enim Gallici, more suo, alacriter bellare inceperunt, sed invenientes Anglicorum respective paucorum fortem resistentiam, & ipsos cum sagittis acutis jaculantium, de bello turpiter fugerunt, nunc mille, nunc plura millia non educentes gladios vel sagittas contra se pugnantes Anglicos sæpedictos; unde tantum non fefellit illud antiquum dictum, videlicet: Gallorum multa sunt & repentina consilia. Item: Ad bella suscipienda Gallorum alacer & promptus est animus, sed mollis & minime resistens ad calamitates ferendas.*

(b) Ext. apud Monstrel. vol. 1. c. 141.

Maximi Henrici classis. Progressus in Normannia.

(c) Id. sup. c. 142.
(d) Id. c. 147.
(e) Ead. cap.
(f) Cap. 148.
(g) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Anglici exercitus multitudo.

* Blangium.

Gallicus exercitus quantus fuerit.

Cur victi Galli.

Parta ea victoria Henricus VI. novembris die in Angliam rediit, ut novum bellum summa vi appararet: quem Sigismundus Romanorum Rex proximo anno digressus ex Gallica aula Londini convenit, ubi ipsum honorificentissime exceptum fuisse refert Monstreletus, atque in insigni crucem cineritii coloris prætulisse, adjecta inscriptione: *O quam Deus est misericors!* De hoc Sigismundi itinere piisque consiliis hæc tradit Theodoricus Niemius, de quo paulo ante memoravi: *Placuit sibi ad Franciam transitum facere, prout fecit, tamen hoc debito tempore, ut confidimus, reversurus; & si poterit, auxiliante Domino & ejus pia opera confirmante, ad faciendam pacem & treugam longam inter ipsos contendentes Reges Franciæ & Angliæ hoc tempore procurare, tunc velit ex toto corde laborare apud omnes Reges occidentales & alios principes sæculares de viis & modis expedientibus pro refrenatione Saracenorum & infidelium, & liberatione catholicorum a jugo miserabili, & invasionibus eorumdem, & forsan etiam*

Sigismundi studia pro Gallis & Anglo conciliandis.

pro terrestri liberatione a manibus infidelium prædictorum per passagium generale, (hic creato novo Pontifice) si annuat divinitas hic indicendum, sicut factum est in civitate Claromontensi in Alvernia.

Turcarum in Ungaricam excursio.

Dum ex mutuis Anglorum Gallorumque dissidiis Christianus sanguis funditur, Turcæ ex Sigismundi Regis longinqua peregrinatione, occasione in Pannoniam irrumpendi captata, miserandam Christifidelibus cladem intulere. Allatum Sibinico triste nuncium Venetias, vigesima prima julii refert MS. diarium Venetum, ac vastatis quibusvis obviis sexdecim millia Hungarorum in servitutem abducta, in quibus viginti quinque proceres Hungari erant, cujus cladis auctor extitit Hervoia Spaletii dux, qui ad Turcas impie defecerat. Describit accuratius eandem Turcarum irruptionem prædictus Theodoricus Niemius (a), nimirum circa festum paschæ, dum Sigismundus Constantiæ agebar, præfectum Bosnæ, quem perperam auro corruptum a Venetis ait, excivisse Turcas, qui in Dalmatiam, deinde in Pannoniam, & fines Germaniæ excurrerint, agrosque ferro flammisque populati, ultra octo millia Christianorum in servitutem abduxerint; qua præda allecti iterum mense augusto irrupere, latiusque vastitatem intulerunt: *Circa festum*, inquit, *assumptionis B. Mariæ ad dictum regnum Bosnæ redeuntibus ipsis Turcis in manu forti, eis occurrebant multi nobiles de Hungaria, qui erant sex* millia vel circiter: ibi bello cum parte ipsorum Turcorum & illa victa, secundario eadem die pugnarunt cum alia parte, & illam similiter vicerunt circa horam vesperarum: & fuit inter eos ille capitaneus Bosnæ proditor & falsus Christianus, qui dolens de istis victoriis Christianorum seduxit eos inducens, ut tertium prælium committerent etiam cum Turcis ipsa die; quibus respondentibus, quod jam lassati erant, nec poterant ea die peramplius pugnare, respondit proditor, quod pauci essent in vicinia eorumdem Turcorum, quos de facili etiam pugnando cum eis vincere possent: quibus credentibus dictis hujusmodi proditoris, & eum sequentibus, accesserunt intrepide ad quemdam locum, ubi maximus numerus ipsorum infidelium fuerat congregatus, ita quod nulla proportio fuit inter Christianos quoad illum numerum & ipsos infideles. Qui quidem Christiani subito per Turcos ipsos circumdati, & omnes interfecti, ac eorum valde multi nobiliores victi in captivitate detenti fuerunt. Quo facto ad interiora partium Dalmatiæ & Sclavoniæ prædicti Turci victores, dantibus eis passum quibusdam capitaneis Christianis in partibus illis, usque ad terras comitis Ciliæ in Alamania & fines diœcesis Salzburgensis & terrarum ecclesiæ Aquilejensis pervenerunt, omnia loca, sanctas ecclesias, villas, terras Christianorum flamma & cædibus hominum, nullis eis tunc resistentibus Christianis, & ipsorum Rege tunc existente in partibus Gallicanis pro unione in Ecclesia facienda, devastarunt. Quibus peractis ultra triginta millia Christianorum secum in perpetua & miserabili servitute abduxerunt, & transitum facientes prope terras Venetorum, illas & earum habitatores non offenderunt. Et circa mediam mensis septembris iterum reversi sunt ad easdem regiones cum majori multitudine, quam prius unquam fuisse dicuntur, ad conquirendum totum regnum Hungariæ quod Deus avertat quibus tamen vadunt obviam multi Theutonici armigeri de locis finitimis insimul congregati pro defensione terrarum Alamanniæ, si poterunt a manibus hostium perversorum adhuc dicto Rege Romanorum agente ubi supra in partibus Gallicanis.*

(a) *Niem. in vit. Jo. XXIII.*

Allecti præda iterum irrumpunt. Gemino prælio victa prima & secunda acies.

* sexdecim.

Nefanda proditio præfecti Bosnæ.

Extrema internecione deleti demum Ungari.

Triginta millia Christianorum abducta in servitutem.

In Valachia etiam cui Sigismundus Stephanum Losoncium præfecerat, Daan vir princeps dominandi ambitione perciţus, se in Turcarum societatem afferens, post Bosnensem cladem Stephanum Losoncium & Hungaros Turcica ope delevit. Contigitque tunc in eodem Stephano in acie cæso ingens illud prodigium, quod narrat Antonius Bonfinius (b) hisce verbis: *In medio ecce ardore pugnæ Losoncius lethali vulnere confossus oppetiit: cadente duce, legionibus quoque cecidere animi. Extemplo acies inclinari cœpta, mox in fugam effusa, cæteri quoque palantes castris juxta atque impedimentis exuti partim inter fugiendum cæsi, partim capti sunt, pauci e tanta clade evaserunt. At illud incredibile, quod paulo post accidit miraculum silentio præteriri non potest: secundo namque tertiove anno, cum plerique in eum campum descendissent, ubi patratam stragem fuisse memorant, editissimumque cadaverum acervum spectarent, cum jam inter ossa subinde vocem exaudivere, sanctissima Jesu Christi salvatoris & D. Mariæ Virginis nomina resonantem. Admiratio simul & pavor hos incessit: cum ad verba subticuissent, eadem paulo post quasi difficulter expressa accepere. Dum vocis locum inter ossa disquirerent, pertenti desiderio succensi, loquax inter cadavera caput inveniunt, quod, ubi homines sibi adesse novit; Quid tam*, inquit, *stupedi hic statis viri? Christianus ego sum, & magnæ matri divæ Mariæ semper addictus, inexpiatus, inconfessusque in hoc bello occubui: magna Diva, in cujus tutela vitam degi, me æterni supplicii reum esse non patitur: hæc me adhuc linguæ compotem servavit, ut & delicta fateri & animam sacris ritu apostolico lustrare queam, promde sacerdotem, qui confessionem exaudiat & me expiatum reddat accersite, quæso.*

Stephanus Losoncius Valachiæ præfectus.

Cæsus a Turcis.

(b) *Bonfin. rer. Hungaric. dec. 3. lib. 3.*

Ejus anima in trunco capite divinitus retenta.

Poscit sacerdotem ut crimina expiet.

Beatæ Virginis precibus servatum se edicit.

Rogatus quid tantum a Diva beneficii promeruisset, respondit septena quotannis in vita sua festa [nimirum Virginis] reverentissime celebrasse, religiosissimeque jejuniis ex pane duntaxat & aqua decorasse: sacris fuisse quam studiosissime operatum, illi cunctas autem vices dedicasse. Accersito e paga proximo sacerdote, confessionem rite transegit, & impetrata omnium erratorum remissione, acceptaque novissima lustratione, id defuncti caput repente conticuit, perpetuoque quievit. Tam ingenti prodigio divina providentia hæreticorum, qui hoc tempore sacram exomologesim ut inanem, & cultum sanctis tributum ut idololatriæ affinem oppugnabant, confudit, piosque homines in orthodoxa religione confirmavit.

LV. Cæterum ad Mahometis, qui superiore anno imperium capessiverat (a), grassationes comprimendas navata est opera; tradit enim diarii ms. Veneti author auditis Hungarorum cladibus, Constantiensis concilii patres quatuor oratores ad senatum Venetum misisse, ut ipsum ad expeditionem sacram more majorum in Turciam suscipiendam excitarent, cum Turca quotidie in majorem assurgeret potentiam, & provincias Christianorum popularetur: quibus a duce Veneto responsum Venetos, qui numquam amplificandæ fidei vetustis temporibus defuissent, ita nunc arma pro tuenda Dei gloria cum cæteris conjuncturos. Nec modo in mediterranea ex continente effundebat Turca vires, verum & maritima comparata adversus Græcos classe vexabat: refert enim author, de quo paulo ante memoravi, Michaelem Fosculum sinus Adriatici præfectum certiorem fecisse senatum Venetum Turcam, cui nomen erat Chuchizi, classem, in qua triginta sex triremes instructæ erant, comparasse ut bellum Græciæ inferret, sed prius in Euboeam & Cretam ad eas insulas diripiendas facile excursurum: subditque post Turcicas illas grassationes XIII. septembris die vulgatam famam Franciscum Foscarum ad Imperatorem Constantinopolitanum oratorem missum, Venetam rempublicam & Græcorum Turcarumque Imperatores in concordiam redegisse: sed delusos fallaci pacis involucro Christianos proximo ineunte anno Mahometes I. direptionibus vexavit.

(a) Hier. Beck. in annal. Turc.

Veneti a concilio Constantiensi ut arma in Turcam expediant sollicitati.

Grassationes maritimæ a Turcis factæ.

Christiani a Turca fallaci spe pacis illusi.

LVI. Felicius in Africa gesta res est adversus Saracenos a Lusitanis; Joannes enim Lusitaniæ Rex ad propagandum Christianum imperium, Septam urbem, freto Gaditano objacentem, subegit; de qua expeditione hæc narrat Eduardus Nonius: *Ne ea senectute quidquam de gloriæ studia remittere videretur, & filiis aliquod disciplinæ militaris documentum daret, ad fidei hostes animum convertit, & maxima instructa classe contra Hollandiæ ducem iræ fingens, quem per simulationem provocaverat ob injurias ab ejus classibus illatas, Lusitanis Septam Mauritaniæ Tingitanæ urbem maximam & opulentissimam atque munitissimam in ora Gaditani freti sitam petivit, & uno die expugnavit magna Saracenorum strage anno MCCCCXV. die XXI. augusti. Erat ea urbs Africæ specula, atque propugnaculum Hispaniæ appositum atque objectum, e cujus portu classes emittebantur, quibus sæpe clades nostris illata est, & ingens illa Saracenorum multitudo ad nos transfretabat; unde non immerito Hispaniæ clavis Septa appellatur. Hodie episcopali dignitate fungitur.*

Primo impetu parta victoria.

Captam fuisse Septam impetu, cum inexpugnabilis videretur, describit Theodoricus Niemius (b), qui ea, quæ referebantur ad concilium literis consignavit: *Est*, de Septa loquitur, *magna ad instar Bononiæ, ut fertur, habens etiam tria fortalitia seu tres arces, & fuit opibus, & mercantiis valde repleta, & etiam multi Januenses mercatores causa exercendi merces nunc morabantur in eadem. Saraceni vero seu incolæ dictæ civitatis, videntes, quod dicti Christiani applicuerant eis pro magna parte, ne civitatem ipsam ingredi possent, defendendo se alacriter cum conchis, & sagittis aliquandiu restiterunt: sed demum victi, & pro magna parte interfecti per Christianos reliquis illico fugientibus, ad civitatem illosque insequentibus velociter Christianis, ipsi Christiani una cum prædictis fugientibus portas dictæ civitatis potenter, & viriliter ingressi sunt, & statim eam obtinuerunt, cum consilio dictorum Januensium præambulo, & firmato pacto inter eos, quod ipsi Portugalenses eosdem mercatores Januenses non læderent in personis, & rebus eorum: etiam ipsa tria fortalicia infra paucos dies viriliter expugnarunt; eaque & dictam civitatem eorum dominio subdiderunt, interficiendo Saracenos, illic repertos. Et sic ipsi Portugalenses de spoliis Saracenorum victorum vehementer ditati, ac illic suis navibus onerati, ad propria de mense septembri proxime præterito redierunt, dimissa sufficiente custodia pro civitate, & fortalitiis antedictis; quæ infra unum annum propter eorum fortitudinem, & victorum multitudinem per potentiam, ut fama est, non vicissent, nisi ita repente auxiliante Domino portam ipsam, ut præmittitur, ingressi fuissent, ejusdem civitatis habitatoribus, & incolis improvisis.* Enituit in hac expeditione Henrici ducis Visensis & Jesu Christi militiæ magistri virtus, qui oblata post Septam expugnatam latius evagandi occasione ad Africæ oras maritimas extra fretum lustrandas animum applicuit, de quo inferius. At barbari postea conatus omnes ad Septam recupe-

(b) Niem in vita Jo. XXIII.

Septa erumpentes Saraceni victi.

Ingressi urbem victores cum fugientibus.

Expugnatæ arces.

Henrici ducis virtus in hoc bello conspicua.

randam nhdibuere, qui divina ope compressi sunt, magnaque inde inter Lusitanos & Afros commissa prælin fuere, ac nonnulla adversa passi sunt Christiani: inter quæ Ferdinandus (a) princeps Joannis Regis filius virtutem exercuit, cum illum pater teneri a barbaris, quam dedi Septam mallet; de quo hæc Raphael Volaterranus (b): *Joannes nothus ex ordine, ac religione militari vocatus ad regnum animo ingenti civitatem Septensem ex Saracenis bello recepit: felix septena liberorum prole, inter quos Eduardus, Ferdinandus, Joannes, Petrus, Henricus, & Eduardus fuere, Ferdinandum vitæ abstinentia pariter & religione inter beatos referunt; is enim bello Sarracenorum captus ea patientia in custodia apud eos vixit, ut in versanda mola, ea enim vivere cogebatur, cum famula, quamquam per se sufficiente, suas partes abiret.*

(a) *Nider l. 4. formic. cap. 6.*

(b) *Raphael Volat. l. 2.*

Ferdinandus princeps ad molam damnatus a Saracenis.

Henric. Norveg. tria regna pro religiosa vita sectanda abjicit.

LVII. Cingendus æterno diademnre in cœlum abiit (c) hoc nnno III. id. martii Henricus Haquini Regis & Margaritæ filius, qui tria Daniæ, Norvegiæ, & Sueciæ diademata spreverat, ut paupere cultu tertiariorum S. Francisci ordinem professus, divinis rebus liberiorem animum adjiceret. Non is a matre Margareta, non a proceribus adduci potuerat, ut post patris, fratrisque Olavi mortem sceptrum capesseret, daretque operam liberis; sed in abditæ solitudinis recessum fugiens, & Deo & sibi vacavit. Conquisitum demum summa cum diligentia, reductumque in regnum a proceribus, mater sive illum ob maciem deformatum non agnosceret, sive cæca dominandi cupidine capta, flammis ut impostorem torreri jussit: verum ex medio incendio salvus divinitus evasit, regressusque iterum ad priora religiosæ & acerbioris vitæ instituta peregrinatum demum in Italiam venit, lustratisque liminibus Apostolorum, ac Assisinate templo S. Francisci sacro, Perusii diem extremum clausit; cum prius suum genus ac nomen aperuisset, quem pluribus Deus miraculis collustravit: ac licet historici (d) rerum Danicarum nonnulla cum his pugnantia literis mandarint, haud tamen paris sunt authoritatis, cum Perusinorum accepta a majoribus constanti traditione, & veteribus membranis, incisoque ipsius sepulchro epitaphio, in quo hoc etiam versus legitur, *Qui potuit Daciæ regna tenere tria*; ut potius eosdem authores hallucinatos censendum videntur.

(c) *Wadd. in annal. ex Marian. & Marc. hoc ann. nu. 9.*

Flammis injectus evadit incolumis.

Pius ejus obitus.

(d) *Crantzius l. 7. Dan. c. 41. & l. 6. Norveg. c. 8. & Erpold. in hist. Dan.*

Ineun-

I. Ferdinandus Rex Arag. se a Petri e Luna obsequio subducit.

INeunte anno post Christum natum sexdecimo supra mille quadringentos, indictione nona, sexta januarii die præsules Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ, tum Ferdinandus Rex cum gravissimis argumentis Petri a Luna nequitiam in schismate extrahendo, vexandaque Ecclesia percepissent, ex saluberrimo B. Vincentii Ferrerii consilio, impium jugum excusserunt (a), vetitique sunt a Rege Aragonenses eidem Petro obtemperare, promulgato hoc edicto.

(a) Surit. annal. l. 12. c. 55.

Quantis laboribus colloquium Perpinianense promotum.

Nos Ferdinandus Rex Aragonum, &c. silentio minime tradere volumus, quod pro celebrandis vistis, [idest colloquiis,] *inter sanctissimum dominum Papam Benedictum, & illustrissimum dominum Regem Romanorum fratrem nostrum charissimum in villa Perpiniani, prout exiterat concordatum, super factis unionis sanctæ matris Ecclesiæ, totius humanæ affectionis immemores, ut ita dicamus, habentes odio carnem nostram, valetudine corporali in civitate Valentiæ detenti, qua non diu ante nos usque ad mortis portus appropinquare coegerat, contra medicorum nostrorum opinionem nos mari commisimus. Et quamquam, operante Domino, propitius semper usque ad terminum loci nos ventorum flatus perpulerit, qualem tamen & quam gravem infirmitatem contraxerimus, nedum vicini populi, sed longe distantes insulæ senserunt: a qua licet auxilio erepti divino, non tamen adhuc omnino liberati sumus, nec nos ab inceptis mortis terror poterat retrahere, consummationem existimantes beatum, si illi diebus nostris contingeret finem dare, ubi pax Ecclesiæ Dei redderetur, & vere consequendo breviter a Deo benedicto fine votivo dubitandi locus minime videbatur, cum & dominus Angelus vocatus apud suos Gregorius, & dominus Balthasar a suis Joannes nominatus, post ipsius nominati Joannis condignam suis demeritis dejectionem pure & simpliciter cesserant omni jure, si quod forsan eis competeret, in papatu; eratque ideo impium suspicari, quod dominus Benedictus, qui se tot promissionibus, juramentis, & pollicitationibus ad prosequendum unionem sanctæ matris Ecclesiæ per viam renunciationis omnibus illam aliis præferendo, astrinxerat, ut pene universo notum est orbi; quique ut sæpius asseruit, adversarium suum, ut conveniret in unum ad mancipandum effectum, quem de cessione facienda promiserat, toties agitavit, quod per eum non stabat quominus veniret ad actum; aliter mente gereret, quam auribus verba sonarent.*

Studio paris contempta a Rege valetudinis pericula.

Conceptæ ab omnibus de Petro a Luna obedictionis spes.

II. *Hac igitur tam verisimili decepti fiducia, postquam dictus serenissimus Romanorum Rex frater noster charissimus pro Ecclesia Dei unione & pace sectanda, ad quam utique habere noscitur ardentem zelum, pro dictis vistis & factis unionis jam dictæ, hujusmodi nostram villam Perpiniani multis prælatis & viris egregiis ab iis, qui congregati sunt in Constantia, & quamplurbus ambasiatoribus Regum Franciæ & Angliæ, & quorumdam aliorum Christianitatis principum sociatus intravit, nonnullis supervacuis dilationibus locum dedimus, ut non sine magno totius Ecclesiæ ac negotii, de quo agebatur, discrimine, ut eidem domino Benedicto onus tolleret dissentiendi in materia, morem in diversis prerogationibus gessimus votis suis, adhuc credendo, quod similiter non deficeret tanto bono, aut quod de labiis processerat irritum facere vereretur; præsertim casu isto, ubi, etiamsi nulla præcedenti esset promissione astrictus, tenebatur, prout tenetur, de necessitate salutis jure divino pariter & humano simpliciter renunciare paratus, pro tot vitandis scandalis in Ecclesia Dei, tam evidenti utilitate ejusdem, etiam si de jure suo nullum dubium verteretur: sed res versa est proh dolor! in obliquam, nam difficile in facili se in promptu reduxit, & quod facile putabamus, difficile experti sumus. Quis enim dictum vocatum Joannem tanta inflatum potentia, ac tantorum principum obedientia communitum, sic dejiciendum credidit! aut tam sæculariter viventem, ut fertur, quantumcumque ejectum pure renunciaturum putavit? Quis dictum nuncupatum Gregorium, per quem, ut idem Benedictus asseruit, procuratum est retroacto tempore, quo minus cessionis via executioni debitæ mandaretur, jus suum cogitavit tam liberaliter in sui tanti nominis gloriam dimissurum.*

Variis ab illo captata diffugia.

Illusæ omnium res.

Nemo Joannem se abdicaturum putaverat.

Quis cunctis ex adverso ad dictæ Ecclesiæ Dei unionem sic se offerentibus, quam nedum homines procurare, sed vix cogitare potuissent, cunctis vere Christum confitentibus & eidem humili instantia supplicantibus, credet, quod prædictus dominus Benedictus cessionem suam ulterius differre tentaret, & sacrosanctam unionem Ecclesiæ, quam tam meritorie & gloriose prolatione unius verbi consequi poterat, tam periculose ac detestabiliter impediret? Nos autem, postquam novimus, quod ex nonnullis cedulis per eum in præsenti negotio datis, & aliis suis tractatibus nil aliud sequi poterat, nisi ruptura perpetua totius negotii, irreparabilisque populi Christiani, & cujuscumque fidelis horrenda scissura, habito maturo atque digesto consilio ambasiatorum diversorum Regum, & principum dicti domini Benedicti, multorumque prælatorum, baronum, nobilium, doctorum, in sacra theologia magistrorum, & nunciorum di-

Publica ardebat invidia Gregorius & tamen cessit.

Pacem Ecclesiæ restituere uno verbo potuit Petrus a Luna.

diversorum regnorum, & civitatum nostrarum, in dicta villa Perpiniani pro dictis negotiis sanctæ matris Ecclesiæ unionis præsentium, dilationem hujusmodi, quantam cum Deo possumus, imputare & alteri ac mentur diffugiis deliberavimus indulgere; & dicto domino Benedicto per inclytum Alfonsum primogenitum nostrum charissimum in nostri personam, cum nos tunc ægritudine teneremur, supplicare & ipsum requiri fecimus, & nos cum eo ambassiatores illustrissimi Regis Castellæ nepotis nostri charissimi, illustrissimi Regis Navarræ avunculi nostri præclari, & egregii comitis Armaniaci & de Faxo consanguinei nostri dilecti, eidem utique supplicarunt & ipsum requisierunt, quatenus omnibus supradictis attentis pro tanto sacrificio & bono prælibatæ unionis habendæ dignaretur dictam renunciationem facere pure & libere, prout utroque jure, ut supradicitur, tenebatur: cui quidem supplicationi responso nullo per eum dato de vacantibus in regnis & dominio nostro ecclesiis factis, ut dicetur, provisionibus quibusdam familioribus factis, deserto taliter dicto unionis sancto negotio, simulato metu, cum nulla causa timoris adesset, a dicta villa Perpiniani recessit, in cujus castri residebat tutela.

Porrectæ illi a principibus preces.

Conficta ab eo metus causa.

Quis vero tam formidolosus esse potuit, qui intra tam fortissimi castri claustra residens multisque armorum gentibus constipatus, vallatusque undique consanguineis, servitoribus, & amicis, intra metum proprium trepidaret [quod plus est] nemine sequente? Feriendi certe alios potius, quam timendi aderat ei facultas; in fugam potius agendi, quam occasio fugiendi maxime quod securitatibus, & guardatis, idest præsidiariis nostris solemnis juramenta vallatis ac cautionibus & juramentis multorum baronum, nobilium, & aliorum potentium ditionis nostræ, & gubernationis officialium, & consulum dictæ villæ fulcitus esset ad verum, quibus verisimile non erat coactionem, injuriam, seu compulsionem sibi aliquam irrogari: nam si [quod absit] in cor nostrum, aliqua contra personam suam cogitatio ascendisset, recessum suum potuissemus facile impedire, cum nulla, quam lacrymabili supplicatione nos obicere possumus. Et quidem licet jam discessione sua, nec immerito desperati, & ad alia remedia cum cordis anxietate pro prosequenda pace Ecclesiæ, nostræ figeremus considerationis intuitum, affectione tamen singulari, quam ad ejusdem domini Benedicti personam, honorem, ac statum semper in corde gessimus, inflammati ad finem, quod de consensu suo pax haberetur Ecclesiæ, & in tam evidenti casu, ac singulari articulo sui nominis gloriam exaltaret, continere minime potuimus quin missis ad eum, antequam navim seu galeam in Quoquolibero ascenderet, nunciis & procuratoribus nostris, ac aliorum Regum & principum prædictorum requisitionem & supplicationem prædictos eidem fecimus humiliter replicari; quibus infructuoso dato per eum responso in continenti ventorum ducatui se commisit: & denique percepto, quod intra nostrum dominium in castro de Paniscola idem dominus Benedictus derelicto mari descenderat, etiam per nuntios & procuratores nostros ac Regum & principum prædictorum requisitionem & supplicationem prædictos eidem fecerimus triplicari; sed minima supplicandi importunitas cor suum ad tuati boni, & rationis vehiculum blandiri potuit, quin propria pertinaciter adhæreret.

Nemine sequente vel terrente fugit.

Potuit facile a Rege capi.

Regis & principum precibus iterum pulsatus.

III. Attendentes itaque sic labores nostros debito fine frustrari quod omnes humani consilii noctes laborantes nullum potuimus boni operis manipulum ex tam prolixe seminatis tractatibus accipere, laxare de cætero retia decernimus, & invocato Christi nomine & ejus Virginis genitricis ex salubri super iis jam dictorum omnium præmissorum consilio, attento quod in civitate Constantiæ jam fere totus populus Christianus, qui sub obedientiis dictorum vocatorum Gregorii & Joannis prius erant, tam per principes & eorum ambassiatores solemnes, quam etiam per prælatos & alios quamplurimos nobiles viros congregatus existet cum affectione sancta, pura, & simplice obediendi summo Pontifici, quem universalis Ecclesia sibi canonice præficiendum decreverit; & quod nedum injustum, sed inhumanum utique videretur illos ulterius nostra communione privari, quos ad unitatem & pacem constat sic esse affectos, deliberavimus quod ambaxiatores Regum & principum prædictorum obedientiæ dicti domini Benedicti, & etiam omnes alii prælati & alii ecclesiastici viri qui ad generale concilium consueverunt vocari, ad jam dictam civitatem Constantiensem ire infra certum terminum teneantur, tractaturi una cum aliis ibidem, ut dictum est, congregatis ac etiam facturis, divino mediante præsidio quod una Ecclesia orthodoxa jam diu concupita sub uno indubitato, & ab universali Ecclesia recepto pastore legitimo habeatur, prout in certis super hoc capitulis inter serenissimum Regem Romanorum prædictum, & ambaxiatores congregationis Constantiensis, & diversos alios prælatos cum illis ex una parte, & nos ac alios Reges & principes supradictos obedientiæ dicti domini Benedicti, seu eorum ambassiatores ex altera concordatis, & firmatis dignoscitur contineri. Non parum adducti ad eam unionem nos illud novum bonum ab oriente fidei apicibus & relatione perductum, quod Græci suam in acta Latinorum defleantes scissuram, ardore Christi perfusi, dominico gregi, si eidem unum & indubitatum caput præesset, aggregari proponunt.

Omnium labores illusit.

Constantiensium patrum pietas proposita.

Pactiones inter Hispanos & eos initæ.

Græci flevere Latinorum schisma.

Ve-

Verum quia vanum esset deliberare salubria, nisi tollantur de medio ea, quæ minime venire deliberata permitterent ad effectum; considerantes quod prælibata tam sancta causa totius catholicæ fidei conservatæ provisio ac deliberatio non nostra, immo divina, nullatenus perduci ad condignum valeret effectum, quandiu prælati & alii subditi nostri sub obedientia dicti domini Benedicti existant, aut ejus jussionibus atque mandatis pareant; præsertim cum in responsione, quam fecit dictæ supplicationi & requisitioni ultimæ, convocaturum se omnes prælatos suæ obedientiæ asserat, ut ad celebrandum cum eo concilium per totum mensem venientem februarii, deliberaturi ibidem, ut asserit, quomodo respondeat dictis supplicationibus sibi factis, quas ipse jam expresse negavit, sed quod non ut cum eis deliberaret, sed tantum ne ire possint Constantiam hujusmodi vocationem ipse fecit: Et infra: *Unde convocatio hujusmodi exquisita de directo deliberationi, provisioni, & concordiæ per nos jam dictos factæ certissime contradicit, & unionem ac pacem Ecclesiæ Dei impedit manifeste.*

Conciliabulum e Petro e Luna indictum.

Quamobrem prædictis omnibus & aliis pluribus plene attentis, quæ aperte demonstrant quod tam salutifero, & evidenti progressu pacis sanctæ matris Ecclesiæ & in ejus inveterati schismatis æmulationis obedire dictus dominus Benedictus nos eius parere mandatis nocivum impedimentum adiiciat, de multorum prælatorum, comitum, baronum, militum, doctorum, & proborum, ac nunciorum hic præsentium diversorum regnorum, & civitatum nostrarum consilio providemus & ordinamus per nos & nostros successores, nec non per quoscumque ecclesiarum prælatos, duces, barones, comites, principes, ac quaslibet alias personas tam ecclesiasticas quam sæculares cujuscumque dignitatis, gradus, præeminentiæ, aut conditionis existant, nobis quomodocumque subditos aut intra regna seu ditionem nostram degentes prædicto domino obediendum non esse aliquatenus, nec parendum, ac præcipimus districtius & mandamus eisdem, quatenus domino Benedicto minime tamquam Papæ obedire, adhærere, seu in aliquo parere præsumant, nec ejus bullas, aut quascumque literas suas, vel suorum officiariorum ordinariorum & delegatorum, collectorum, subcollectorum, intra ditionem nostram præsentare ac collectoribus & subcollectoribus prædictis, seu privilegiis quibusvis aliis personis de fructibus sive redditibus ad cameram apostolicam quomodolibet spectantibus respondere, præterquam illos, ad quos nos ad hoc duxerimus deputandos: cum nostræ intentionis existat illos sic dumtaxat exceptis, quos in prosecutione unionis ecclesiæ expendere oportebit futuro unico & ab universali Ecclesia recepto summo Pontifici per fideles personas integraliter reservare: injungentes nihilominus ac etiam ordinantes quod omnes & singuli, qui beneficia ecclesiastica in regnis & terris ditioni ac dominio nostro subjectis obtinent, cujuscumque conditionis aut status existant etiamsi cardinalatus, aut pontificali dignitate præfulgeant, in suis ecclesiis aut beneficiis resideant, nullusque eorum præfatum dominum Benedictum aut ejus curiam sequi, seu in ea quovis modo morari præsumat: alioquin per illos, quos ad colligendum fructus cameræ apostolicæ duxerimus, ut prædicitur, deputandos omnes & singulos redditus beneficiorum, quæ obtinerent, præcipimus arrestari, donec super hoc aliud ordinetur: etiam districtius inhibentes universis & singulis subditis nostris tam ecclesiasticis quam sæcularibus, etsi pontificali præfulgeant dignitate, vel quovis alio titulo seu nomine censeantur, ne contra tenorem præsentium aliquid attentare, seu in aliquo contravenire præsumant, si pœnas graves cupiunt non subire, mandamusque demum omnibus & singulis gubernatoribus, vicariis, justitiariis, calmedinis, bajulis juratis, & aliis officialibus nostris ubilibet constitutis, quatenus servato tenore hujusmodi, prout ad eorum quemlibet pertinebit, quoscumque deprehenderint, aut noverint aliquatenus contraire, sub competenti custodia teneri faciant, nosque super hoc consultare non differant, facturi deinde prout receperint in mandatis. In cujus rei testimonium præsentes fieri jussimus nostro sigillo pendenti munitas. Dat. Perpiniani & propter indispositionem personæ nostræ signatum manu nostri primogeniti die VI. januarii anno a nativitate Domini MCCCCXVI. regnique nostri V.

Vetiti Aragones parere amplius Petro e Luna.

Intentatæ non parituris pœnæ.

Alphonsus primogenitus

D. Rex mandavit mihi Paulo Nicolai.

IV. Paruere facile Aragones huic edicto, qui Ipsum Regem ejusque proceres ad deserendum Petrum e Luna impulerant, ut refert Theodoricus e Niem (a) sic inquiens: *Die XXVIII. mensis januarii reversi fuerunt ad Constantiam oratores seu nuntii dudum per prædictum concilium cum præfato Rege Romanorum ad Regem Aragonum & Petrum de Luna destinati.* Et infra: *Plures alii diversarum nationum de Perpiniano venientes retulerunt qualiter ibi dicebatur, quomodo dictus Petrus, post adventum ejusdem Regis Romanorum ad partes illas, cum præfato Rege Aragonum & magnatibus regni Aragoniæ quasi communiter & secrete pertractasset, quod ipsi promisissent eidem quod eum non desererent umquam: & sub tali vana spe remanens ejus perverso papatui cedere noluisset. Quod cum ipse Rex Romanorum sentiret, dedignatus inde in præsentia omnium ibi congregatorum publica*

(a) *Niem. in vit. Jo. XXIII.*

Sigismundi Regis apud Aragones querelæ.

ea

eo dimisset, quod licet ipse pro bono unionis Ecclesiæ illuc venisset ordinatione concilii, & requisitione Regis Aragonum prædictorum, ad laudem Dei, regna sua in magno periculo dimittendo, attamen ibi diu frustra stetisset per ambages & promissiones partis alterius in elusionem catholicæ fidei dactus; unde totus populus & oratores, ac nuntii majorum civitatum regni Aragoniæ illuc missi commoti dixerunt, quod eidem Regi Romanorum assistendum & adhærendum esset in hac parte & sibi vellent astare seu assistere in hoc sancto negotio unionis sæpedicta, & ipsi Regi Romanorum publice quasi divinos impendentes honores, ac si sanctificatus existeret, tangere vestes, quibus indutus erat, per maxime confluxerunt; eo tamen quantum potuit, renitente. Videntes autem Rex Aragonia & sui magnates prædicti, quod soli essent contra totum populum sic ad factum unionis ejusdem uniformiter inclinatum, timuerunt de impressione aut seditione, scilicet an populus ipse in eos & dictum Petrum insurgeret, ac male perderet, clanculum eidem Petro consuluerunt, ut quantocyus ab inde recederet ad locum tutum pro ejus mansione, quia ipsi eum contra prædictum populum, ut timebant, tueri non possent. Percussum stupore gravissimo ex eo Petrum ipsum ferunt (*a*), comminatumque Ferdinando se regium jus illi abrogaturum Joannes Mariana narrat: confirmatque Hieronymus Surita (*b*) antipapam eidem Regi anathema diebus singulis infligere ausum, eaque permotum indignitate Ferdinandum, iter in Castellam instituisse, ut Regem illum, ac Reginam Catharinam ejus matrem ab ejusdem Petri veneratione abduceret. Imitatus porro est Joannes Castellæ & Legionis Rex Ferdinandi eximium exemplum, ac decimo quinto januarii die dato Vallisoleti edicto (*c*), in quo Petri e Luna perfidiam ante omnium clientum suorum oculos posuit, iterumque jussit omnes ab ejus cultu recedere, ullosve census ecclesiasticos ipsi pendere, aut referre accepta sacerdotia vetuit: quamquam moventibus controversiam Sancio Roias Toletano & Alfonso Exea Hispalensi archiepiscopis Petri e Luna sectatoribus illius promulgatio extracta est. Fuerat vero conventum, ut uno eodemque die non modo Aragonius & Castellanus, verum & Navarræus Reges, atque Armaniaci & Fuxi comites eumdem Petrum desererent, ut constat ex literis (*d*) Ferdinandi ad Sigismundum Regem Romanorum datis, quibus ipsum ea de re certiorem fecit: *Vobis*, inquit, *præsentibus intimamus, quod hodie data hujus, Dei nomine invocato, ad finem quod Dei Ecclesia unico apta sponsa, Christianusque populus, qui totis pene temporum naufragavit circulis, in pace quiescat, subtraximus & subtrahi jussimus ubique ditionis nostræ obedientiam domino Benedicta, dictamque subtractionem hic signanter & per alias etiam partes nostræ ditionis juxta ipsius formam, quam serenitati vestræ mittimus cum præsenti, solemniter fecimus publicari, credentes indubie id idem uno eodem die factum fuisse per illustrissimos Reges Castellæ nepotem & Navarræ avunculum nobis charissimos, ac etiam comites Arminiaci & Fuxi in eorum regnis & terris & civitatibus prout extiterat concordatum. Super aliis vero, quæ remanent exequenda tam vigili studio procedere curabimus quantum in nobis erit, &c. Signatum manu nostri primogeniti VI. die januarii.*

Aragones Ferdinandum & proceres ad deserendum antipapam adegere.

Insignis Petri e Luna pertinacia.

(*a*) *Marian. l. 20. c. 7.*

(*b*) *Surit. annal. l. 12. c. 60.*

Regem exauctorare ausus.

Castellæ Rex vetat coli in suis Petrum e Luna.

(*c*) *Ext. apud Surit. l. 12. annal. c. 61.*

(*d*) *Ext. in act. Conc. post sess. 20.*

Navarræ Rex etiam decernit abiiciendum Petrum a Luna.

V.

Permotos authoritate Vincentii Ferrerii Aragones a Petro e Luna discessisse memorat Joannes Gerson (*e*), qui ad eumdem virum sanctum, Petri e Luna concilium œcumenicum spernentis pertinaciam damnantem, hæc scripsit: *Reddunt tuæ charitati tuoque zelo patres ecclesiastica testimonium hoc insigne, hoc celeberrimum præconium, tum multi tum nominatim præfatus magister, ac dominus generalis, quod in inclyto Aragonum regno numquam fuissent concordata pacis capitula, numquam subtractio, quæ tam viriliter & legitime facta est, ab illo nimis proh dolor! erga matrem Ecclesiam obdurato Petro de Luna fuisset attentata, si non authoritatis tuæ pondus & consilii robur addidisses: cujus favoris tam egregii nos ipsi, sacro generali concilio præsentes, desideratissima pace, annis jam fere 40. miserabiliter exulantis, fructum & reditum proximum expectamus. Et, o te felicem, o te terque quaterque beatum! si præsentialiter adesses, si non auditu solo, sed propriis oculis coram cernere volueris, propinquam velut in januis summi Pontificis electionem, si videlicet efficaci celeritate, si positis interim turbis, jucundam tua præsentia faciem, huic eidem sacro concilio conspiciendum attuleris fructam (nisi fallor) ampliorem, & te tuisque moribus digniorem afferres, quam si hoc neglecta permanseris in incoeptis.*

(*e*) *Joan. Gerson. in lit. ad B. Vincen. Ferrer.*

Damnata a B. Vincent. Ferrer. Petri e Luna pertinacia.

VI.

Redierant (*f*) interea ex Aragonia Constantiam concilii œcumenici oratores, quorum princeps erat Jacobus archiepiscopus Turonensis, qui pactionum Narbonæ die decimatertia decembris superioris anni inter Sigismundum ac Ferdinandum Reges, sive Petri e Luna studiosos præsules & alios, qui Gregorio Joannive adhæserant, confectarum formulam (*g*) attulere: quæ cum perlectæ essent in celeberrimo cœtu die trigesima ja-

(*f*) *Acta conc. Constant. post sess. 20.*

Factæ cum Hispanis pactiones delatæ Constantiam.

(*g*) *Ext. ib.*

januarii habito unanimi omnium consensu confirmatæ fuerunt. [1] Ac tum navata est summa contentione opera ad Hispanos Constantiensibus coetibus aggregandos, ut in Petrum a Luna schismatis propagatorem ac perjurum sacrorum canonum severitatem adhiberent, atque adeo ex pactionibus superiori anno confectis cum Ferdinando Aragoniæ & Castellæ ac Navarræ Regum, cum Armaniaci & Fuxi comitum oratoribus literas februario mense ad præsules Aragones & Trinacrios his conceptos (a) verbis misere.

(a) Ext. in actis ms. conc. Constant. post sess. XI.

Literæ concilii ad Hispanos datæ. Quantis laboribus dissolutum schisma quod levissime conflatum fuerat.

Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diacones Cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, prælati in Constantia provincia Maguntina in Christi nomine congregati, reverendissimis, reverendis, & venerabilibus, qui in obedientia Petri de Luna Benedicti Papæ XIII. sic in eadem appellati, *patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, decani, præpositi, archidiaconi, aliique ecclesiarum & monasteriorum prælati vocantur*, & infra, *per regna, terras & dominia illustrissimi principis Ferdinandi Dei gratia Aragoniæ, & Siciliæ Regis constitutis salutem, & ecclesiasticam unionem feliciter intueri.*

Quamquam modum Domino neque mensuram ponere, neque ejusdem tempora diffinire possumus; attamen quos diligit compertum habemus quod flagellat, ut in tentatione proventum faciat, & probatos ampliori retributione prosequatur. Ipso quidem permittente, a triginta octo annis & amplius populus ejusdem peculiaris, qui Christiano nomine gloriamur, afflicti fuimus pestifera & execrabili schismate præsente, cujus occasione omnium pene vivendi modorum status confractus est. Ut cesset angelus percutiens Altissimum exoramus, & indefesse ad id sudores nostros & animos aptamus. Propitietur populo suo misericors & miserator Dominus. Deprecamur ut secundum altitudinem cœli a terra corroboret misericordiam suam super timentes se; unde quamquam varios perpessi fuerimus pro pace Ecclesiæ consequenda labores, & per anni circulum & ultra circa hoc vacavimus, nondum venit dies Domini, in qua pace frui optabamus: verum appropinquare speramus in ejus auctore, quia arras ipsius recepimus: nam dominus, qui Gregorius XII. in sua obedientia vocabatur, sua sponte cessit, sic & dominus qui Joannes XXIII. dicebatur facere voluit & fecit: hoc autem ut idem faceret Petrus de Luna qui Benedictus XIII. in sua obedientia nominabatur, legatos & nuncios ad præfatum Regem, & ipsum cum serenissimo Romanorum Rege venerabiles & reverendos patres & doctissimos viros archiepiscopum Turonensem & alios collegas destinavimus.

Ut Petrus e Luna jure divino & humano ad se abdicandum obstrictus fuerit.

Qui quidem dominus Petrus admonitus, rogatus, exhortatus, & requisitus humiliter a parte debite & juridice, cessionem per ipsum jure divino pariter & humano ac aliàs multipliciter debitam, facere

NOTÆ [1] DUM conventiones illæ Narbonenses, quarum hic meminit annalista, sancirentur, una cum cæteris Aragoniæ & Castellæ legatis Scotiæ pariter legatos interfuisse Niemius asseruit, cui fidem adstruere negant Spondanus & Pagius, rati Niemio, licet agenti tunc in Constantiensi concilio, id tamen memoria lapso oscitanti excidisse; cum quod per hæc tempora Rex Scotiæ in custodia regis Angliæ tenebatur; tum etiam, quod teste Boethio rerum Scoticarum scriptore, regius imperii illius administrator Benedicto seu Petro de Luna favebat; quamvis clerus adhærebat concilio ejusque potentia Minorita quidam a Benedicto eo missus turpiter e Regno depulsus fuit. Denique animadvertit Pagius inter eos, qui pactiones illas Narbonenses ad Concilium delatas, subscriptione sua munierunt recenseri *Comitem Armonia pro duce Britannia, rege Scotia, comite Norvegia, & comite Sabaudia*; ex quo deducit Scotos tunc non Benedicto, sed concilio favisse. Verum a Niemii testimonio ob rationes ab illis adductas minime recederem. Non enim hic agitur de legatis regis Scotiæ, quos interfuisse conventui Narbonensi plane nego; sed res est de legatis Scotorum, quos a præside regni illius, qui Benedicti partes sequebatur, Narbonam mitti potuisse non invitus admiserim. Nec est quod Pagius urgeat præsentiam legati regis Scotiæ in concilio. Nam admissa etiam sinceritate ejus lectionis, (quæ forte vitiata est cum pro *rege Scotia* forte legendum fuerit *Rege Suecia*) adhuc tamen non incongrue reputaremus Scotiæ regem in potestate regis Angliæ manentem coactum fuisse eas sequi partes, quas rex Angliæ probaverat. Interim vero regni Scotiæ publicus administrator suarum partium esse duxit oratores mittere ad cœtum Narbonensem, in quo de componendo fœdere inter Benedicti fautores & concilium agendum erat. Neque forte huic legationi Clerus Scoticus obstitit, cum id postularet concilium ipsum, cui favebat, & ad communem causam conduceret. Utcumque res habeat sese, constat Scotos nondum per hæc tempora adhæsisse concilio; quin & regnum illud partibus Benedicti adhuc utcumque favisse; nam ex literis oratorum universitatis Coloniensis vulgatis Anecdot. to. II. discimus Scotos ne quidem in exordio anni 1417. se conjunxisse concilio. Ita enim illi scribunt in epistola XXX. data Constantiæ anno illo die XVI. februarii: *De unione regni Castella ad nos, & etiam illorum de regno Scotia non dubitatur; non obstante, quod ille callidissimus serpens Petrus de Luna suis venenosis sibilis ab hac re istos, & illos retrahere nisus est.* Sedulo ergo inter regem Scotiæ & ipsum Scotiæ regnum distinguendum est. Rex per legatum suum concilio sese conjunxerat; Scoti, quamquam in concilium inclinabant, cum tamen nondum plane recessissent a Petro de Luna, legatos suos miserunt Narbonam, ibique nos cum Hispanis pacis conventiones cum Sigismundo imperatore, & legatis concilii Constantiensis signarunt. Quibus initis secessio a Benedicto facta, quam dein suo tempore missio legatorum ad concilium testata est. MANSI

cere noluit; sed hucusque distulit atque differt in totius Ecclesiæ scandalum ac populi jacturam, & animæ suæ detrimentum: quam quidem cessionem ut faceret, per dictum Regem Aragonum fuit dictus Petrus requisitus pluries, & principes, communitates, nobiles obedientiæ suæ. Ideo ut filii suæ matri pii compatientes, enitimur &, quantum in nobis est, nisi fuimus, pacem præfatam obtinere, & animos virtuosorum virorum ad hoc allicere, quatenus in illo, qui est Ecclesiæ verus sponsus congregati, unam simul Ecclesiam matrem indivisam uniamus & indecentia qualibet, quæ dicti schismatis occasione pullulabat, de medio auferatur. Hinc paternitates & nobilitates ac circumspectiones vestras obsecramus per viscera misericordiæ Dei nostri, per aspersionem sui pretiosissimi Sanguinis, & pretium redemptionis nostræ exoramus, requirimus, & monemus, quatenus ob Dei reverentiam, ad tractandum super infrascriptis una nobiscum veniatis, quo ad hoc vos vestrum quemlibet per præsentes convocamus, ut infra tres menses immediate sequentes præsentationem Perpinani aut Barchinone de præsentibus faciendam, concordata in capitulis die XIII. decembris proxime elapsi Narbonæ super materia unionis firmatis atque factis, de qua quidem præsentatione certificamur, in Constantia comparentis ob schisma sedandum, Ecclesiæ unionem procurandam, reformationem etiam ipsius Ecclesiæ tam in capite quam in membris complendam, & ejectionem dicti Petri effectualiter faciendam, & ad electionem Romani Pontificis procedendum, ac pro aliis causis & rationibus quæ ad generale concilium de jure pertinent, &c. Dat. & actum Constantiæ in ecclesia cathedrali dicti loci, in qua pro præmissis eramus specialiter congregati, III. non. februarii anno Domini MCCCCXVI. indictione IX. ipsa sede vacante.

Vocati Hispani ad concilium.

VII. Confecta harum literarum plura exempla.

Descriptas hoc exemplo viginti literas Joannes de Opizis decretorum doctor, & concilii orator pro regno Aragonum, totidemque in Castellam, decem in Navarram, quinque in Fuxensem, ac totidem in Armeniacensem comitatus transmittendas sigillis præsulum Constantiensium obsignatas curavit; scriptæque paucis immutatis fuere ad eosdem Reges (a) & principes literæ, ut oratores Constantiam mitterent. Idem etiam orator alia diplomata quibus conventa inter Sigismundum Ferdinandumque Reges confirmata erant, tum plures de publica fide danda syngraphas detulit, quæ publico, & judiciario ritu admissa ab Aragoniis, profitentibus a factis Narbonæ pactionibus se non discessuros. Allata deinde fuere quarta die aprilis a concilii oratore Aragoniis Ludovici II. Jerusalem & Siciliæ tum Caroli Francorum Regum, Delphini Viennensis, & comitis Sabaudiæ, fidei publicæ chirographa sigillis eorum obsignata.

(a) Ext. in act. conc. sess. 22. inscripta Ferdinando Regi.

Data fides publica.

Decima tertia februarii die coacti sunt patrum Constantiensium conventus (b), in quibus Nicolaus archiepiscopus Gnesnensis, Jacobus episcopus Placentinus, & Andreas clericus Posnoniensis Wladislai Regis Poloniæ & Witoldi ducis Lituaniæ oratores vocavere in jus apud eosdem concilii patres equestrem ordinem Sanctæ Mariæ Theutonicorum, ejusque magistrum. Tum vigesima februarii congregato patrum ipsorum senatu, Henricus e Piro synodalium causarum actor nonnullos Bohemos & Moravos impietatis postulavit, qui literis plurium sigillis consignatis sparserant Joannem Hus contra fas flammis injectum (c). Proposito itaque edicto (d) vocati in judicium fuere damnatæ Joannis Hus memoriæ cultores Bohemi Moravique ac Wicleffi sectatores.

(b) Act. ms. congr. gen. habita 13. febr.

Magister Crucifer. in jus vocatus.

(c) Acta ms. Const. congreg. gen. 20. febr.

(d) Acta ms. congr. gen. habita 20. febr.

Sacrasancta generalis synodus Constantiensis universis & singulis, & præsertim Alamaniæ & Bohemiæ nationum Christifidelibus, auxilium fidei in benedictione cælesti.

Ex retroactis tam in præcedentibus quam in præsenti Constantiensi generalibus conciliis non dubitamus per mundi climata auribus percrebuisse fidelium, quatenus sathanas quosdam hæresiarchas sive damnationis ministros, & maxime novis temporibus suscitaverit contra structuram totius ecclesiastici ædificii molientes evertere fidem catholicam cum legibus & Ecclesiasticis moribus a sanctis patriarchis traditis, & hactenus per viros catholicos tenaciter observatis, scilicet quondam Joannem Vvicleff & Joannem Hus hæresiarchas, sicut patet clare ex eorum scripturis & opusculis, qui minus caute appetentes magisterium, & apud plebeios legislatores novelli & rabbi vocari, sanæ quoque doctrinæ studiis & traditionibus ipsorum patrum contemptis, ad insanias falsas conversi, se usque ad summum damnationis erroribus implicarunt, adeo ut eorum plerique sathanæ sectantur vestigia, qui super omne, quod colitur etiam in cælo, se machinabatur extollere, a summo cælo ad inferni profunda dejectus est, quique secum quamplures in damnationis laqueos & devia traxit, & trahere non quiescit; sic & ille super Jeroboam militantes Ecclesiæ se suasque traditiones laborantes extollere, sibi quamplures adunarunt, etiam sacerdotali dignitate circumfultos, qui exemplo Theodæ Galilæi, se aliquos magnos novarum sectarum legislatores fore prætendentes, multitudines ad se pertraxerunt in devium, sicut ex Apostolorum actibus colligitur evidenter; & quod jam amplius stupendum est prænominatorum hæresiarcharum, currentibus temporibus ista

VIII. Concilii literæ ad Bohemos.

Wicleffum & Hussum fuisse hæresiarchas admoniti.

Plures proceres infecti hæresi.

adeo excrevit perversitas & multitudo, prout ad nostrum multorum relatione & fama publica referente, proh dolor! pervenit auditum, præsertim in regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, quod nonnulli, qui etiam nobilitatis secundum eorum titulo præeminere censentur, conspirantes insimul ad tenendos & defendendos tam Joannem Huss hæresiarcham prædictum, quam suos errores, se impietatis vinculo astrinxerunt; quique novissime apponentes iniquitatem super iniquitatem, detractionibus & superstitiosis fabulationibus eorum non contenti, etiam libellos famosos falsos calumniis jurgiisque refertos, ut asseritur, & copiosa insuper sigillorum diversorum appendentium multitudine munitos transferunt, in quibus eundem Joannem Huss, justo tamen Dei judicio, nostro quoque tam rite tam sancte promulgato provio sententiæ calculo, ignis voragine consumptum justificare & laudum præconiis extollere satagunt. Sic quoque publice hæresum execrandarum ejusdem & suorum sectatorum & suarum hæresum prædicationes usque ad effusionem sanguinis defensare volunt & publice profitentur, & ut de se monstruosum extremi deliramenti præberent spectaculum pariter & exemplum, consurgere mullatenus trepidaverunt, prout hæc & alia in eis venenosis & calumniosis literis in congregatione nostra solemniter exhibitis continentur.

Fundere sanguinem pro Husso velle professi.

Cum itaque miserandam tot talium que filiorum perditionem & fascinationem diabolicam nostra materna pietatis viscera absque amarissima compunctione doloris non possint neque debeant sustinere; unde in reducendis eisdem perversis obstinatioribus satellitibus diaboli, pro eorum sananda insania, nostra sollicitudo materna de contingentibus nil omisit, nam docendo, scribendo, legatos mittendo, dissimulando, blandiendo, etiam ultra quam expediens forsan extitit, expectando, solicite fideliterque impendimus misericordiæ officia universa: sed proh dolor! apud eos, ut puta conversos in arcum pravum, salubria pereuntem operantur: obedientiam enim spernunt, salutares doctrinas auscultare contemnunt, & prudentum pacem & veritatem evangelizantium sermonibus & consiliis sanis acquiescere nolunt; sed toti Ecclesiæ orthodoxæ se infestos reddere, & repugnare usque ad defensionem tam grandis peccati, ut etiam asseritur, damnabiliter & injuste præsumunt. Cum autem ex præmissis clare constet, omnes & singulos in dictis literis sive sigillis descriptos fuisse & esse laudatores, sectatores, & fautores prænominati Joannis Huss, & ejus damnatæ & perversæ doctrinæ, ideo nos, tales ex iis non immerito habentes de fide suspectos, contra eos in virtute sanctæ Trinitatis insurgere, & murum pro Ecclesia Dei opponere nos oportet, ne tanquam dissimulatores tantorum malorum, indignationem Altissimi, cujus res agitur, incurramus, pœnam ejus condignam præstolando, exemplo illius summi sacerdotis Heli, qui licet in se bonus existeret quia tamen filiorum excessus corrigere non curavit, in se pariter & in ipsis divinam vindictam finaliter animadversionis accepit, dum filiis ejus in bello peremptis, ipse de sella corruens fractis cervicibus expiravit. Quapropter via regia contra præfatos oberrantes procedere cupientes, & summaria informatione præmissa, & fidedignorum testimonio & depositionibus cognovimus Czenkonem de Vvesella alias de Vvartamberg supremum Burgravium Pragensem, Laczonem de Crajuvar capitaneum marchionatus & ceteros in duobus foliis (a) proxime præcedentibus descriptos in præmissis, fuisse & esse publice diffamatos, ac etiam de fide suspectos, ipsorumque & aliorum in dictis literis, & eorum singulis monitoriis, loca & domicilia tute adire non posse. Idcirco per hoc publicum edictum, in audientia publica literarum contradictarum legendarum ac in valvis seu portis S. Stephani Constantiensis, nec non Pataviensis, Ratisponensis, & S. Stephani in Vienna Pataviensis diœcesis ecclesiarum affigendum supranominatos Czenkonem, Laczkonem, Boczkonem Vvillelmum, Joannem, Henricum Joannem, Mizkonem, Henricum, Ulricum, Joannem, Smilonem, Henckonem, Batzkonem, Baldewinum, & alios suprascriptos peremptorie citamus, &c. Datum Constantiæ VI. kalend. martii anno Domini MCCCCXVI. Apostolica sede vacante.

Præcipui Hussi fautores.

(a) Ext. ibid.

In judicium vocati.

IX.

Cum vero ab iisdem pervicacibus hominibus belli terror immineret, Sigismundus Romanorum Rex literas (b) dedit ad præcipuos sectæ Hussiticæ signiferos Lazkonem de Gravuatn Moraviæ præfectum, Botzkonem Constat appellatum etiam Podiebrarium, & Czenkonem Wartembergium, & alios a concilio jam in judicium vocatos; questusque est ipsos magno regiæ Wenceslai fratris authoritatis damno coitiones moliri. De Joanne autem Hus capto se excusavit, sperasse se Joannem ipsum, qui tot in Bohemia tumultus concitaverat objectum hæreseos crimen diluturum, jureque in eum actum, neque criminationibus ac maledictis sanctam synodum proscindendam; ac si persistent in hæresi, in sacrum bellum adversus Bohemos universum orbem Christianum concitatum iri, his verbis exposuit: *In Constantia non sunt dumtaxat unus, vel duo clerici, verum sunt & stant de ista Christianitate Regum & principum ambasiatores, præsertim ex quo jam Reges & principes Petro de Luna obedientes nobiscum uniti sunt, tunc omnino aliud non tenemus, nisi quod hoc sacrum concilium bono & recto ordine procedit & gubernatur: & si*

(b) Ext. apud Cochl. hist. Huss l. 4.

Incepta a Sigismundo conjurati.

Admoniti totius orbis Christiani lumina Constantiæ versari.

fo-

Non fanum esse paucos se converso orbi opponere.

vellletis ita furiose & rigide partem Hus fovere & defendere, hoc esset vobis nimis difficile, quod deberetis vos totius Christianitatis congregationi opponere, & sicut audivimus tunc jam taliter incepistis, cum destinatione cujusdam literæ ad concilium multis pendentibus sigillis sigillatæ confundentes & calumniantes in concilium propter Hus supradictum, quodque concilium contra vos taliter provocastis, quod estis jam de facto citati pro oppositione supradicta, & fortassis rigore juris contra vos procedetur; & si non obtemperabitis, sicut obedientes filii, etiam fortassis & crucem contra vos obtinere poteritis. Ex quibus præmissis majora discrimina & scandala sequi possent & oriri, de quo cordialiter doleremus & si tunc ad tollendum hoc libenter vellemus partes interponere, timemus ne fortassis veniremus nimis tarde. Ideo affectuose a vobis omnibus & a vestra qualibet desideramus, rogantes quatenus consideretis quilibet sub conscientia & honore, utrum hoc sit congruum & honestum, quod propter præmissa inter vos debeatis disponere, quodque propter hoc regna & terræ periculis & devastationibus debeant subjici & desistatis a talibus ligis & conspirationibus, nam valde indignum arbitramur, sicut permittitur, quod aliquis cum aliquo præter sui domini voluntatem quoquo modo ligas inire & desponere debeatis, &c. Saluberrimis Sigismundi monitis non paruere Bohemi Hussitica peste infecti: nimio vero in suos Bohemos studio affectum Sigismundum ipsum obstitisse, ne cruce signatorum expeditio in hereticos decerneretur, antequam ab his opprimerentur catholici, visuri sumus: sed ad synodalia gesta redeamus.

Ni pareant crucesignatam expeditionem in ipsos indictum iri.

Desinant ergo novas molitiones conflare, Sigismundi monita spreta. Obsistit Sigismundus ne sectarii bello opprimantur.

X.

Secunda die martii coacti (a) sunt celebres conventus, in quibus Antonius magister ordinis, cui e mercede nomen est, orator Ferdinandi Regis Aragonum, literas regias patribus Constantiensibus attulit, Hispanosque præsules accessuros Constantiam ex confectis pactionibus significavit: *Fecit*, inquiunt acta MS. (b), *unam brevem collationem ibidem ad congregationem ipsam, recommendando Ecclesiam Dei concilio præsenti, quam Ecclesiam in processu suæ collationis comparavit civitati Jerusalem, ulterius introducendo in eadem collatione magnam affectionem domini sui Regis Aragonum, quam gessisset & gereret erga unionem Ecclesiæ Dei; & quomodo ad oculum cum serenissimo Rege Romanorum ad hoc laborasset & intenderet laborare, & ex quo eam restitueret rogavit habere recommendatos prælatos de Hispania & Aragonia. Supplicavit ibidem inter cætera toti concilio & synodo Constantiensi, quod non tæderet eos modicum expectare, cum indubie prælati illarum partium & ad minus ambasiatores illorum regnorum, venturi essent ad præsens concilium juxta concordata in Perpiniano per dictos Reges Romanorum & Hungariæ ac Aragoniæ, & ambasiatores concilii Constantiensis & juxta eorum possibilitatem.*

(a) Acta ms. Const. congreg. gener. hab. 20. febr. dis.

Aragones accessuros se concilio spondent.

(b) Acta ms. congr. gen. hab. 2. martii.

XI.

Ferdinandi Regis obitus.

Compositis ita egregie ad Ecclesiarum Latinarum pristinam redintegrandam conjunctionem rebus, Ferdinandus Rex (c), quem delapsum in morbum vidimus, II. aprilis die relicto sui bonis omnibus summo desiderio obiit, de quo Theodericus Niemius hæc tradit (d): *Die ultima mensis aprilis in sessione prædicta fuerunt lectæ literæ de obitu Regis Aragonum, nimirum Ferdinandi, quod decessisset prima die dicti mensis aprilis, & senior filius, is erat Alfonsus, successisset in regno, cui in extremis injunxisset, quod firmiter & constanter prosequeretur viam unionis universalis Ecclesiæ per eundem defunctum Regem una cum domino Rege Romanorum & oratoribus hujus sacri concilii inceptam, juxta capitula, ac vota, & promissa super hoc hinc inde facta; quodque dictus filius adhuc sit bene dispositus, ipsamque viam sibi super hoc datam per patrem prædictum fideliter persequi velit.* Intempestivo Ferdinandi obitu labefactata est res catholica, Castellaque nutare cœpit, Toletano archiepiscopo, nonnullisque aliis schisma in aliquot menses extrahentibus: neque emicabat in Alfonso paternæ pietatis ardor, quamquam Constantiensium patrum acceptis literis, quibus Hispani ad concilium vocabantur, illas pseudocardinalibus Petri e Luna transmisit (e), additis regiis precibus (f), ut Constantiam ad ecclesias in pristinam concordiam reducendas proficiscerentur.

(c) Sur. l. 12. annal. c. 60. Marian. de reb. Hisp. l. 20. c. 8. & alii.

(d) Niem in vita Jo. XXIII.

Commendat filio unionem ecclesiæ.

Succedit illi Alfonsus.

(e) To. 2. de schism. p. 70.

(f) Sur. c. 63.

Reverendis in Christo patribus dominis S. R. E. Cardinalibus amicis nostris charissimis Alfonsus, Dei gratia, Rex Aragonum, Siciliæ, &c. salutem, & ovili sub uno pastore Ecclesiæ contemplari.

Ejus literæ ad Cardd. Petri a Luna.

Quia ex concordia inter serenissimum Romanorum Regem congregationis Constantiæ diversisque Regum & principum Christianitatis ambaxiatores, multisque prælatos obedientiarum vocatorum olim Gregorii & olim Joannis ex una parte, & Reges nos, ac principes seu eorum ambaxiatores obedientiæ domini Benedicti ex altera in & super factis unionis sanctæ matris Ecclesiæ & sedando inveterato jamque marcescibili schismate, auxiliante Spiritus sancti gratia post multos labores juxta facta pariter & firmata inter alia est provisum, quod per dictos congregatos in Constantia tamquam majorem partem Christianitatis fiat vocatio ad concilium generale de omnibus illis obedientiæ dicti domini Benedicti, qui concilio generali interesse possunt & debent, sub forma, quam vobis novimus esse missam, ecce quod a dicta congregatione una cum salvis conductibus ne-

necessariis dictæ vocationis literas suscepimus, quas cum ista paternitatibus vestris mittimus præsentandas. Ideo paternitates easdem rogamus & per viscera misericordiæ Jesu Christi requirimus & monemus, & quo astrictius possumus, dicimus & hortamur, quatenus omni mora dispendio resecato die dictis literis assignata in dicta civitate Constantiæ comparentis pro causis in eisdem literis expressatis, tractandis, complendis, & efficaciter exequendis, absit enim, in Christo patres, quod aliquid quam magis legitima ratio accessum vestrum differat seu excuset: cum ibi de tanta salute fidelium agitur animarum; vobis, qui earum curam geritis, non sit fas trahere a laboris quantumcumque gravis horrore pedes vestros; immo omni deposita somnolentia totis conatibus insudate, ne dicat vobis Christus, Non potuistis una hora vigilare mecum? ipse quidem misericors, miserator, & justus suo compatiens populo Christiano, nunc vigilat, & pro pace suæ Ecclesiæ jam opera, ut videtis quæ non cadunt in homine, magna & mirabilia operatur, circa quæ si segniter vos gesseritis, in die illa tremenda de vobis saltulum negis exiget rationis. Præsentatio vero dictarum literarum fuit facta Barchinone XV. die mensis & anni infrascriptorum. Dat. in villa Aquilate die VI. aprilis anni a nativitate Domini MCCCCXVI.

Urget ipsos, ut Constantiam pergant.

Rex Alfonsus.

XII. Pseudocard. Lunani reluctantur.

Acceptis hisce literis pseudocardinales propagare schisma, vel Constantienses patres ad designandum Pontificem Petrum e Luna cogere meditati, doctique ab illo in ipsa imposturæ officina imposturas cudere, conflatis callidis mendaciis, synodum œcumenicam apud Alfonsum in invidiam adducere jussi (a) sunt, atque hæreticorum more Ecclesiam catholicam ad latebram Paniscolensum redactam jactarunt, seque ut sanctos & martyres commendantes, negarunt ad Constantienses conventus sese accessuros, ac pseudopontificis sui causam defendere non erubuere væsana declamatione (b), cujus partem subiicio: *Ideo deiiciendus dicitur, quia voluntati Regis Romanorum non paruit, & quia ecclesiam Romanam illius potestati non subjecit: ideoque dicitur scandalizare Ecclesiam, quia nimis prædicti Regis & Constantiæ congregationis non sedit, & tamen teste beatissimo Cypriano in propria materia sensu fere simili non ad hoc deponenda est catholicæ Ecclesiæ dignitas, & plebis intus positæ fidelis atque incorrupta majestas, sacerdotalis quoque authoritas & potestas, ut judicare se velle dicant de Ecclesia præposito extra Ecclesiam constituti, de Christiano hæretici, de sano saucii, de integro vulnerati, de stante lapsi, de judice rei, de sacerdote sacrilegi: justum equidem, o serenissime Rex, vestræ majestati videtur, quod inimici nostri sint judices, qui toties publice etiam in patris vestri præsentia fuerint excommunicati, anathematizati, judicati, schismatici, & tamquam hæretici puniendi.* Et infra: *Nec interest si dicatur, quod gens nostra, & pontifices nostri surgent in judicio contra nos, nam & si istud fecerint, quod de multis non est verisimiliter præsumendum, tamen recte cum eodem Cypriano dicemus: Non interest quis tradat aut sæviat, cum dominus tradi permittit & coronari, nec nobis ignominia est pati a fratribus, quod passus est Christus, nec illis gloria est facere, quod fecit Judas: & vere poterimus proclamare sanctissimum dominum nostrum, filios quos enutrivit & exaltavit contra naturam invenisse tortores, quos reperire debuit constantissimos defensores.*

(a) Surit. ubi sup.

Fingunt Ecclesiam latere Paniscolæ.

(b) Ext. in bibl. Barber. l. 2. de schism. p. 76.

Falso nituntur fundamento.

Jactant impie alios esse schismaticos.

Paratos se esse ad subeundam necem.

Finaliter itaque concludendo dicimus, quod ad congregationem Constantiæ ire non possumus nec debemus, nec fas est nos dimittere locum, ubi insespite terra fecunda dominici seminis puritatem centena fructu affert, & ad illum pergere, ubi falsis obruta frumenta in lolium avenasque degenerant: immo fugere nos oportet ab olla succensa, cujus faciem cernimus a facie Aquilonis, ex qua [nisi Deus avertat] pandetur omne malum. Vos autem, qui vexillarius Romanæ ecclesiæ estis, princeps serenissime, levare debitis vexillum super hereditate, quia malum visum est ab Aquilone, & confusio magna nimis: quod ut faciatis, sedem scilicet apostolicam in stricto regni vestri scopulo constitutam & crudeliter coarctatam, secundum quod obligati estis, specialiter protegendo, & vero Christi vicario debitos honorem & reverentiam impendendo, & vias cum perfectione per suam sanctitatem apertas pro unione Ecclesiæ veraciter consequenda magnanimiter prosequendo, vestræ regiæ majestati supplicamus, &c. Dat. Paniscolæ Dertusensis diœcesis die III. maii pontificatus sanctissimi nostri Papæ Benedicti XIII. anno XXIII. Fascinatus postea sui commodi lenocinio Alfonsus, schisma fovit: qui enim excindere penitus, redacto in Ecclesiæ potestatem Petro e Luna, & dissipato ejus conventiculo, illud poterat, liberos ad Paniscolam aditus permisit (qua de re ad illum Petri pseudocardinalis S. Angeli estant datæ literæ) (c) quamvis Ferdinandus Rex gravissimo edicto Paniscolæ conventus vetuisset, jussissetque præsules Constantiam proficisci. Eos vero Petri e Luna pseudocardinales discussa demum caligine perfidiam suam damnasse, atque, illo deserto, paruisse Martino V. inferius visuri sumus: nunc alia Constantiæ gesta, temporum secuti ordinem prosequamur.

Detrahunt de universa ecclesia.

Subornare nituntur Alfonsum.

Indulget ille nimium schismaticis.

(c) Lib. 10. de schism. p. 73.

Vi-

XIII. Adductus in judicium coram patribus Hieron. Pragen.

Vigesima septima aprilis die, habito omnium nationum cœtu (a), Hieronymus Pragensis in hæresim relapsus a concilii causarum actore ob pestiferam Wicleffi doctrinam in Hungaria, Bohemia, Polonia, Germania disseminatam in judicium adductus est. Objectum inter alia illi fuit quod cum Viennæ in Pataviensi diœcesi, ob hæreseos infamiam captum, cum sacramento spopondisset, se nonnisi post latam sententiam recessurum, clam fugam cepisse, anathemate perculsum a Duverco archiepiscopo Pragensi pluribus annis censuras ecclesiasticas contempsisse, scripsisse permultas satyras in Pontificem, in Arnestum Austriæ & Arnestum Bavariæ duces, tum in Ecclesiæ præsules, atque etiam in Sbinkonem archiepiscopum Pragensem populum concitasse: die Wenceslao Christi martyri sacta anno MCCCCXII. in monasterio Carmelitarum, sanctorum reliquias dejici jussisse a nonnullis flagitiosissimis hominibus, illorum monasterium invasisse; concionatorem, qui invectus erat in Wicleffi nefariam doctrinam, conjecisse in carcerem, & contumeliis, probris, aliisque modis vexasse: Minoritam explicata manu in os diverberasse; tumultus atque dissensiones in Polonia commovisse, judicum vero severitatem fuga elusisse: Lituanos & Ruthenos subornare molitum, ac schismaticam Ecclesiam catholicæ prætulisse: XLV. Wicleffi articulos propugnasse: panem post consecrationem in Eucharistia remanere contendisse: cum laicus esset, sacerdotalem cultum induisse, atque in Moravia, Polonia, & Lituania, in templis, in plateis, in angulis, in domibus Wicleffi pseudoapostolum egisse, atque Joannis Hus causam atque impietatem defendendam suscepisse: de hæresi postulatum crimen diluere anni unius flexu contempsisse: hæreticorum ecclesias lustrasse: Pragæ sediriones concitasse, compluresque impietatis satellites in clerum & populum Wicleffistas impugnantes duxisse: Joannem Hus ac sectatores a Wenceslao Rege damnatos justo supplicio variis artibus subduxisse: confinxisse literas adulterinas ad Wicleffi commendationem ab Oxoniensibus exaratas: concitasse viros principes ad invadendos ecclesiarum census, & clerum spoliandum, interque alios Wozonem Ratzcovum Robolum, ipsisque adhæsisse: plebem etiam ad sanctorum reliquias despiciendas, indulgentias ac censuras ecclesiasticas contemnendas impulisse: tum hæc falsa dogmata Parisiis, Coloniæ & Heydelbergæ sparsisse: *In Deo sive divina essentia non solum est Trinitas personarum, sed etiam quaternitas, verum & quinternitas. De potentia Dei absoluta Deus pater potuit non generare Filium, &c.* Hæc sibi objecta Hieronymus partim negavit, partim variis effugiis eludere visus est.

(a) *Acta mss. congr. gen. hab. 27. apr.*

Captus Viennæ dolo aufugerat. Satyras scripserat in Pontificem & principes. Sacras reliquias conculcarat. Catholicos concionatores vexarat. In Polonia tumultus moverat.

Hussum & sectatores damnatos liberaverat. Principes ad opes ecclesiasticas invadendas concitarat. Hæreses contra mysterium trinitatis finxerat. In Arrianismum lapsus erat.

At concilii causarum actor, adversus eundem Hieronymum plura accusationis capita percensuit, poposcitque in illum, agi judiciorum servata maturitate, ad vindicandam ab imminenti exitio rem catholicam: *Si*, inquit, *evaderet debita cautela non adhibita, nunquam perfidia Arriana in tantum nocuit ecclesiæ catholicæ, & religioni Christianæ, quantum faceret secta Vvicleffistarum*; de horum vero grassatione hæc subdit, ipsos ubi multitudinem susurris decepere, mox in sacerdotes catholicos facto impetu, hæreticos in eorum locum sufficere: *Vvicleffistæ nunquam alios diversos Christi fideles utriusque sexus in fide catholica desperant & decipiunt: clerum spoliaverunt, percutiunt, expellunt, & beneficiis ipsorum eos spoliant: alios Vvicleffistas ad ea intrudunt & intrudi procurant: claves & sacram Ecclesiam publice contemnunt, & suis prælatis & plebanis non obediunt: ad profanandum clerum obedientem Romanæ ecclesiæ compellunt: abbates, presbyteros, & alios clericos interficiunt: ecclesias vi executiunt, &c.* Additum crimini Hieronymum in Angliam profectum exscripsisse Wicleffi libros, eosque in Bohemiam attulisse, ac vulgasse: tum literis operam dantes ea infecisse doctrina, jactata Wicleffi commendationem ea voce, juvenes qui Joannis Wicleffi commentarios non revolverent, scientiarum cortices delibare quidem, ad veram autem scientiarum radicem ac vera fundamenta non pervenire: quamplures utriusque sexus a fide catholica abduxisse, qui iis irretiri erroribus ex hac luce abierant. permultos autem esse superstites, qui falsa dogmata ut evangelii & Christi oracula se tenere jactabant: toto etiam annorum decursu, qui a MCCCCII. fluxit, Bohemiam ac Moraviam ipsum lustrasse ad Wicleffi spargendam perfidiam, ac virginum, viduarum, & nobilium domos ingressum fuisse, seque impiis hominibus Joanni Hus, Christianio, & Jacobello conjunxisse: ab ipsis vero hæreticæ pravitatis studiosos in clerum & alios catholicos Pragenses fuisse summo fidei damno & piorum offensione insigni concitatos; & quamvis Wicleffi quadraginta quinque articuli in academiis Oxoniensi Pragensique, tum in Romano concilio damnati essent, illum ab Hieronymo ut sanctum cultum esse, ejusque imaginem gloriæ diademate redimitam adorandam propositam fuisse, cum tamen Christi imaginem sceleratissime stercore fœdasset.

Prædicitur si ille evaserit Vvicleffismum magis nociturum Ecclesiæ quam Arrianismum.

Vvicleffistarum insultus in clerum catholicum.

Profectus in Angliam Hieronymus ad hauriendam hæresim. Juventutem infecerat.

Bohemiam Moraviamque ad hæresim spargendam lustrarat.

XIV. Concionatores catholicos etiam armis est persecutus.

Interjectis pluribus, ut summa contentione hæresim propagasset propugnassetque; orthodoxos vero concionatores crudelissime persecutus Cultellum Fabbrii cæsum publice necasset, nonnullos Carmelitas

litas

litas onerasset vinculis, Nicolaum ex Prædicatorum ordine religiosum virum raptum e monasterio, vinctumque in Multaviam flumen præcipitasset, ac Pragæ & in aliis regni Bohemiæ locis ab evoluto retro anno MCCCCIV. hos errores venenatis concionibus diffudisset: *Quod in sacramento altaris post consecrationem remaneat panis materialis. Item quod panis non transubstantiabatur in Corpus Christi in sacramento principaliter & corporaliter, sed ut signatum in signo & ad sic credendum induxit & seduxit quamplures, qui adhuc damnabiliter in dicto errore perseverant, & sic fuit, & est verum, publicum & notorium. Item quod in hostia sive sacramento altaris non est vere Christus.* Interjectis ineptis illius argutiis Porphyrio, vel Celso dignis subditur.

Decepit plures dictitans Eucharistiam esse merum signum.

Item quod ad firmandum doctrinam damnatam dicti Joannis Vuicleff, & confundendum catholicam fidem, de annis & mensibus, ac diebus, ut supra, dixit, asseruit, docuit, ac publice prædicavit, quod nullus, quantum ad triumphum martyrii seu aureolam confessorum atque virginum, in cælis coronabitur, nisi credet, teneat, menteque & ore confiteatur fidem & doctrinam quam dictus Joannes Vuicleff scripsit, docuit, atque prædicavit, & in suis libris & opusculis continentur, nec extra illam est vera doctrina: & ita fuit verum, publicum, notorium, & manifestum.

Doctrinam Vuicleffi ut verum Evangelium coluit.

Item quod dictus Hieronymus statuens sacerdotes & alios literatos sibi contrarios in supra proximo errore, ad hoc ut suam hæresim executioni demandare posset, errores erroribus accumulavit, & de novo tenuit & asseruit, quod virgines & viduæ, immo cujuscumque status atque sexus rustici atque plebeii, doctrinam dicti Vuicleff credendo & veraciter defendendo, & realiter impugnando ea, quæ in studio Oxoniensi & synodo Cantuariensi, in studio Pragensi, & synodo Pragensi, & sancto Romano concilio generali sunt successivis temporibus in contrarium condemnata, post hanc vitam in cælis triumphatores repromisit: & ita fuit publicatum, & notorium, & manifestum.

Eam tenentibus cælestes triumphos promisit.

Item quod dictus Hieronymus per executionem suæ furiositatis in vulgari Bohemico fecit seu fieri procuravit cantilenas, & carmina continentes in sensu & effectu verba canonis constituta & ordinata ad consecrationem Christi, quas mechanicis dediceruat, & eas cantant & cum illis dicunt se posse conficere corpus Christi, quod perficere attentant de diversis horis; propter quod invaluit pessimus error, & maxima commotio contra sacerdotes, & illos de clero in partibus Bohemiæ & partibus circumvicinis, & sic fuit, & est verum, publicum, & notorium.

Verba consecrationis redegit in cantilenas. Laicis instillavit posse conficere Christi Corpus.

Item quod dictus Hieronymus ad confirmationem suorum errorum & hæresum, ut prædictos laicos in suo pertinaci errore confirmaret, & ut se habiliores & digniores reputarent ad præmissa, instruxit quantum potuit plurimos, & cantilenas confinxit, & composuit, in quibus textum bibliæ, & sacræ Scripturæ expressit, & capitula annotavit, ut ipsi soli videantur, & non ecclesia Romana, neque alii de clero sacram Scripturam intelligere, quæ ad confusionem illorum de Ecclesia, quando placet eis, publice de die & de nocte manifeste decantant.

Scripturam sacram redegit in rhythmos ad factionis ostentationem.

Item quod idem Hieronymus, postquam XV.
diversos laicos verba consecrationis & cantilenas hujusmodi docuit, tenuit, dixit, & prædicavit, asseruit, quod laici utriusque sexus videlicet viri, & mulieres de secta Vuicleffistarum existentes, & doctrinam Vuicleff firmiter devote tenentes possunt conficere corpus Christi, baptizare, confessiones audire, atque alia quæcumque ecclesiastica sacramenta conferre, dummodo proferant verba apta & ordinata ad consecrationem & sacramentorum collationem; & quod talia sacramenta fiant tantæ efficaciæ & virtutis, ac si per sacerdotes juxta formam Ecclesiæ conficerentur, & conferrentur; per hanc damnabilem hæresim volens taliter enervare potestatem, & auctoritatem Ecclesiæ in damnationem animarum: ex hoc & corpus Christi posse confici per eos quandocumque vellent, & quacumque hora etiam asseruit, & publice dixit; & sic fuit, & est verum, publicum, & notorium.

Sacerdotalem ordinem evertit.

Item quod dictus Hieronymus de anno Domini MCCCCIX. die dominica proxima post festum assumptionis Mariæ virginis, in civitate Pragensi & diversis aliis locis, & specialiter in capella Bethlehem nuncupata, prædicavit, docuit, & asseruit similem hæresim, quam tenuit Joannes Huss, videlicet quod excommunicatio Papæ, episcopi vel cujuscumque alterius ministri Ecclesiæ non sit timenda, nec curandum de ea, nisi de quo constaret excommunicatum prius a Deo, ut propterea excommunicationes latæ in loco Pragensi contra defendentes doctrinam Vuicleff & interdictum in loco appositum authoritate Apostolica in nullo esse tenendum, neque de excommunicatione curandum, quia nec Papæ nec alicui alteri ministro Ecclesiæ erat, neque unquam fuerat talis neque tanta potestas attributa a Deo; & propter hoc de facto in pluribus locis & civitatibus diœcesis Pragensis fuerunt compulsi presbyteri & sacerdotes per potentiam laicalem celebrare, & divina ministrare, non obstante interdicto authoritate apostolica posito in civitate Pragensi: & ita fuit, & est verum, publicum, & notorium.

Docuit temnenda anathemata.

Interdicto infringi curavit.

Item dixit & prædicavit prædictus Hieronymus in sua nequitia persistens, & er-

Negavit indulgentiarum vim.

& errores Vuicleff & Joannis Huss seminando & defendendo, quod nulla potestas dandi indulgentias resides apud Papam, neque episcopos; quodque literis Apostolicis neque episcoporum continentibus indulgentias nulla fides sit adhibenda, & quod indulgentiæ tales de nihilo proficiunt, prædicantesque indulgentias impedivit, & desistere fecit, quando præsens fuit, prout de anno Domini MCCCCXII. & de mense augusti in oppido nova domo Pragensis diœcesis, &c. Subditur impium ejus facinus, ut indulgentiaram concionatores armis persecutus sit veluti impostores & Pontificem mendacem, hæreticum, & fœneratorem per summam calumniam appellare sit ausus. Pergunt acta.

XVI. *Item quod idem Hieronymus publice asseruit & dixit in contemptum clavium, & sedis Apostolicæ, quod bullis papalibus non esset credendum, quia nullæ essent, nec etiam Papa posset indulgentias aliquas dare aut concedere; & hoc in contemptum & vilipendium sedis Apostolicæ, & etiam Romanæ curiæ, cujus caput est Papa: & sic fuit, & est verum, publicum, & notorium.*

Docuit licere cuilibet prædicandi munus sibi arrogare.

Item quod dictus Hieronymus dixit, tenuit, & asseruit tam in civitate, & diœcesi Pragensi, quam extra, contra determinationem Ecclesiæ, quod licitum est cuique laico literato, vel alias intelligenti, ubique & quolibet loco sive in ecclesia, sive extra, & sine Papæ, episcopi, curati, aut cujuscumque alterius licentia prædicare verbum Dei, prout idem Hieronymus pluries in diversis diœcesibus & regnis fecit publice tam in Bohemia, quam in Moravia cum longa barba publice & notorie, laicus existens, verbum Dei prædicans sine cujusquam episcopi vel alterius presbyteri licentia, eo quod videntur licentiati a Deo vocati, aut missi: & sic fuit, & est verum & manifestum.

Quamvis laicus publica prædicandi auctoritatem corripuit.

Item quod idem Hieronymus in Hungaria in Buda coram serenissimo principe & domino Sigismundo Romanorum & Hungariæ Rege in capella regia castri Budensis de anno Domini MCCCCX. in cœna Domini, laicus existens, & in habitu laicali cum longa barba, in præsentia domini Regis & multorum RR. patrum episcoporum & aliorum prælatorum, & etiam aliorum diversorum statuum, supra & infrascripta ac multa alia scandalosa & erronea in fide, & etiam hæretica de sacramento altaris, & alia contra statutum ecclesiasticum, & piarum aurium offensiva, ex quibus possent sequi seditiones & commotiones populares contra clerum per dominos temporales, nulla potestate suffultus, sed errores Joannis Vuicleff publice prædicavit, & sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Plures sparsit hæreses.

Item quod propter propter præmissa prædictus dominus Rex fecit dictum Hieronymum capi, & cum domino Strigoniensi captivum præsentari, & sic fuit, & est verum, publicum, & manifestum.

Captus evasit.

Item quod dictus Hieronymus indulgentiarum prædicationem impedivit, quando præsens fuit, & quando præsens non esset, deputavit certos prætensos laicos, qui discurrebant per Ecclesias civitatis Pragensis, dum ibi sermocinaretur, & prædicationem indulgentiarum impediverunt, & turbaverunt, de mandato & inductione dicti Hieronymi clamantes & dicentes dictos prædicatores esse mendaces, deceptores, & seductores illorum de populo, quæ quidem indulgentiæ, ut dicti laici publice asserebant, non proficiebant in aliquo populo Christiano: & sic fuit & est verum.

Immisit laicos ad turbandas catholicorum conciones.

Item quod dictus Hieronymus pro executione suæ furiositatis, præmissis malis non contentus, sed pejora malis accumulando, de anno Domini MCCCCXI. feria tertia infra octavam pentecostes literas apostolicas indulgentias continentes exhortatorias ad pia & meritoria opera, fecit capi, ac recipi in quodam curru cum meretricibus, quibus hujusmodi bullæ ad mamillas appendebantur, & procuravit palam, ac publice de minori civitate & per antiquam civitatem Pragensem duci, circumstantibus juxta currum Vuicleffistis armatis cum fustibus & gladiis juxta ipsius Hieronymi ordinationem, clamantibus & præconizantibus, quod bullas & literas unius hæretici & ruffiani ducerent ad comburendum: & sic in nova civitate Pragensi in platea prope mediastinum, tamquam hæreticas, & velut continentes errores juxta sententiam Joannis Vuicleff & Joannis Hus hæreticorum, eas publice comburi fecit, seu fieri procuravit & disposuit: & sic fuit & est verum, publicum, notorium, & manifestum.

Papales indulgentias uberibus meretricum appendi per ludibrium jussit.

Dein flammis exussit.

Item quod dictus Hieronymus, in sua perfidia persistendo, dixit & asseruit, & publice prædicavit, suscitando errorem alias per Ecclesiam damnatum, quod imagines ad repræsentationem Christi, effigies crucis, Virginisque gloriosæ, vel cujuscumque alterius sancti canonizati in ecclesiis nec in aliis locis non sunt pingenda nec ullatenus veneranda, sed hoc facere est hæreticum; non attendens, quod Ecclesia talia voluit fieri, ut per objectum talium imaginum repræsentantium sanctum, in cujus memoriam picta sunt, moverentur interiores potentiæ & excitarentur ad devotionem, & quod sunt scripturæ laicorum, maxima fama vivificæ crucis, qua terretur dæmon, & procul fugit.

Iconoclastarum renovavit hæresim.

Item quod dictus Hieronymus sperabat, ut verisimiliter creditur, posse divertere populos a continuatione & visitatione ecclesiarum detestando & condemnando ima- XVII.

Eandem Christi Crucifixi fœdavit stercoribus.

giner sanctorum, credens etiam per hoc quod ipsum libentius sequerentur & audirent doctrinam ejus: & videns quod per hoc non proficeret, quadam die de mense martii anni videlicet MCCCCXV. accessit ad monasterium fratrum Minorum sancti Jacobi in majore civitate Pragensi, & imaginem Crucifixi ligneam extra ecclesiam in angulo ex opposito domus S. Kreiſſe, ad quam consuevit esse cursus hominum causa devotionis ob memoriam passionis Christi, invasit & insultavit in eam, & stercoribus humanis & vilitatibus undique maculavit, dicendo hæreticum esse depingere imaginem Crucifixi, & cujuscumque alterius sancti, per quod fuerant quamplurimi multum scandalizati, & sic fuit & est verum. At idem Wicleffi radiato diademate redimiti imaginem colebat, ut ex eo pateat quo spiritu duceretur. *Et illud idem voluit, & disposuit fieri dictus Hieronymus de anno prædicto die sabbati proximo ante dominicam: Domine ne longe; in dicto monasterio S. Jacobi per quemdam fabrum Vvicleffistam de nova civitate Pragensi de Portzicz, qui accedens prædictam imaginem Crucifixi cum stercoribus humanis infra sermonem, dicendo hæreticum esse depingere imaginem Crucifixi; per quod fuerant quamplurimi astantes multum scandalizati: qui quidem laicus fuit ibidem publice detentus, & recognovit quod ex inductione dicti Hieronymi facere voluit: & sic fuit & est verum, publicum, & notorium. Et illud idem fecit & procuravit fieri dictus Hieronymus in die veneris sancti in monasterio B. Mariæ in arena in civitate nova Pragensi per quemdam laicum sectæ Vvicleffistarum, qui crucem, coram qua sancta crux sub effigie prædicta ipsius venerabatur, stercoribus deturpavit, ac totaliter maculavit: & ita est verum publicum & notorium.*

Suos ad idem facinus instigavit.

Idem flagitium in aliis locis patratum.

Item quod dictus Hieronymus, persistendo in erroribus Vvicleffistis specialiter Joannis Hus damnatis, & eos defendendo dixit, asseruit, & prædicavit, quod nullo modo reliquiæ sanctorum sunt reverendæ nec adorandæ; & hoc pluries & sæpe, ac etiam publice, & notanter in civitate Pragensi, in cujus cathedrali ecclesia velum, & peplum Virginis gloriosæ habetur ac reverenter veneratur a Christifidelibus, dixit quod non plusquam cutis illius asini in quo Christus insidebat, debeat in reverentia haberi: & de mense septembris anni MCCCCXII. in die S. Vvenceslai in monasterio prædicto S. Mariæ in arena ipse & quidam laici Vvicleffistarum quasdam reliquias repositas in quodam altari, de facto extraxerunt, & ad terram viliter projecerunt pedibus conculcando: & asseruit idem Hieronymus & publice tenuit, quod venerari & adorare reliquias sanctorum, aut eas adornare auro vel argento, est hæreticum; quod fuit & est in enervationem fidei & destructionem religionis Christianæ, & in scandalum totius Ecclesiæ: & sic fuit & est verum, publicum, & notorium.

Reliquiæ sanctor. ab eodem conculcatæ.

Item quod dictus Hieronymus tenuit, asseruit & dixit ac prædicavit, veram Ecclesiam catholicam esse apud observantes sectam & doctrinam Vvicleffistarum & Joannis Huss; quodque illi, qui pro sustinendo & defendenda dictam doctrinam moriuntur, sunt veri & gloriosi martyres Christi: & propterea tres nequissimos viros dicto factoque obstinatos in ea decapitatos in Praga de anno Domini MCCCCXII. de mense junii Hieronymus cum suis sequacibus cum aromatibus, & incenso ad tumulum fecit seu procuravit portare processionaliter cantando: Isti sunt qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt ad supplicia; ad firmandum per hoc hæreticos illius sectæ in eorum errore, & perfidia: & sic fuit & est verum, publicum, & notorium.

XVIII. Prædicavit Hussitorum conventiculo esse veram Ecclesiam.

Scelestos affectos supplicio coluit ut martyres.

Item quod dictus Hieronymus in crastinum tumulationis dictorum hæreticorum in capella dicta Bethleem a multitudine illius sectæ cantari procuravit & fecit pro eorum memoria missam de martyribus, & incœpit officium: Gaudeamus; & subjunxit in honorem sanctorum martyrum, de quorum effusione sanguinis gaudent angeli; crimen crimine damnabilissime adjungendo videlicet idololatria, & sic venerando sacrilegos damnatissimos, & usurpando auctoritatem sedis Apostolicæ, sine cujus auctoritate & approbatione nullus pro sancto debet haberi, vel venerari, & in tantum excitavit cultum virorum & mulierum illius sectæ, quod per quatuordecim dies vel circiter successive, post decapitationem prædictorum singulis diebus erat concursus quadraginta aut quinquaginta venientium ad prætorium dictæ civitatis Pragensis prope locum, in quo fuerunt, dicentes quod veri martyres erant, & pro vera Christi fide mortui, parati similem mortem subire pro eadem fide, ut dicebant; ex qua fuit grave scandalum contra fideles catholicos, & horror maximus atque turbatio in civitate Pragensi exorta: & sic fuit & est verum, publicum, notorium & manifestum. Objectum etiam Hieronymo, præter excitatas in regno Poloniæ turbas, etiam Ruthenos in veteri errore conatum confirmare.

Seditionem concitavit contra catholicos.

Polonos tentavit inficere. Et Ruthenos in schismate confirmare.

Addidit adversus Hieronymum concilii causarum actor ex superioribus ejus gestis, nullam adhibendam fidem blandis ipsius verbis, quibus mulcere judices & priores errores, capta fuga, repetere consueverit, idque pluribus exemplis demonstravit; accersitus enim in judicium in Parisiensi academia, cum Wicleffi errores spargeret, interque alios æterno Numini redigendæ in nihilum alicujus rei vim adimeret, jussusque errorem revocare, fuga evasisse: pari fuga delusisse Heidelbergenses, cum refertas hære-

XIX. Collocata in luce ejusdem perfidia. Accusatus Parisiis quod divinæ omnipotentiæ detraheret aufugerat.

hæresibus theses proposuisset; a Cracoviensibus etiam academicis ob sparsum pestiferum impietatis virus perquisitus inde avolasse: profectum postea Viennam, atque hæresis infamia inustum, & in custodiam traditum, cum ad frugem bonam se rediturum simulatis verbis spopondisset fracta fide Pragam abiisse: ut autem confirmaret in perfidia suos, publicis scriptis propositis, Pragæ & in aliis Bohemiæ locis vulgasse, se Constantiam iterum ad Wicleffi ejusque sectatorum defendendam doctrinam, neque alia de causa Constantiæ inscriptis Romanorum Regi & concilio literis sparsisse ad purgandam suspicionem hæreseos, & incorruptæ fidei puritatem illustrandam accedere, seque concilii authoritati subjicere, non quod errorem deponere cuperet, sed ut fictæ religionis umbram consectaretur, atque ad suos reversus victoriam se de piis viris reportasse, ac sectam Wicleffi justam, sanctam, & catholicam esse jactaret: post revocatos vero superiori anno vigesima tertia die septembris Wicleffi & Joannis Hus errores in sessione publica, cum esset pollicitus literas se ad Wenceslaum Regem, Reginam, & academiam Pragensem daturum, quibus Joannem Hus & Wicleffum una cum ipsorum impia doctrina jure damnatos profiteretur, pollicitis defuisse, immo postea Joannem Hus elogio commendasse; ad hæreses autem objectas, quamquam publico scripto se responsurum jam antea vulgasset, negasse nuncupato jurejurando respondere.

Ejus artes pro confirmandis sectariis.

De ejuratis erroribus negavit dare literas ad Pragenses.

Ad eliciendam vero ab eo veritatem an pie vel impie sentiret, Henricus e Piro partibus hæc proposuit: *Pro parte instigatoris humiliter exponitur, quod dictus Hieronymus in dicta custodia sic tenetur comessationibus & crapulis se ingurgitat, & epulis vitam plus exorbitantem, quam si liber existeret, ducit.* Et infra, *Nonne Christus ante passionem suam quadraginta diebus jejunavit? Moyses legislator, Elias in cælum levari, Daniel leonum triumphator per abstinentiam fieri meruit: quare petit dictus instigator quatenus vestra reverendissima paternitates eumdem Hieronymum jejuniis afficiant, quæ sunt tormenta clericorum, & maxime hæreticorum: deinde illo non sufficiente, cum laicus sit & pro laico sæpe se gessit, & in habitu laicali, & cum longa barba semper incessit, & pro tali se habuit, tenuit, gessit, & reputat, & talem in publica sessione notorie se ostendit, respondeat sufficientius articulis, quibus nondum sufficienter respondit; & articulis sibi de novo datis respondeat per verbum credit, vel non credit sub tortura, ne sub hypocrisi fugam, vel relaxationem consequatur tamquam Pharao induratus plus suos sequaces in suis erroribus confortet, cum de omnibus & singulis supradictis rationabiliter poterit convinci, vel saltem probatio inferri, quod merito sufficere poterit, quod si negaverit fecisse aut commisisse aliquid de præmissis quod legitime probatur, & probatum fuerit, & contumaciter perseveraverit in negatio hujusmodi, tunc fiat mora dispendio tamquam pertinax hæreticus incorrigibilis relinquatur curiæ sæculari juxta sacrorum canonum constituta.* Non tortus (a) est, sed multa cum illo humanitate actum, qua abusus perfidiam palam effundere non perhorruit.

In carcere dedit se crapulæ.

Actum an tormentis interrogandus foret.

Summa in eum clementia usi patres concilii.

(a) Jacob. Lauden. in orat. apud Cocl. l. 3. hist. Hussit.

XX.

Vigesima tertia, & vigesima sexta maji, habiti sunt patrum cœtus, in quibus idem Hieronymus, qui publice audiri exambiverat, in judicium adductus, testiumque contraria assertione convictus est, ut testantur acta (b) [1]; *Lectis ipsis articulis & responsionibus reverendus pater dominus Joannes patriarcha Constantinopolitanus ex voluntate collegarum suorum resumpsit materias generaliter propositas, contra ipsum magistrum Hieronymum quadrupliciter de hæresi convictum, sed ex quo petiisset sæpe sæpius audientiam publicam sibi dari, ideo fuisset generaliter advisatum & concessum, quod audiri deberet ipse Hieronymus in publico ad convincendum omnem obloquutionem inanem; quapropter dixit ipsi magistro Hieronymo si aliquid vellet dicere, in præsentia concilii posset, cum præsens congregatio non propter aliud fuerit facta, & si aliqua vellet dicere proponere sive allegare pro defensione juris sui, posset etiam si vellet revocare errorem suum, concilium tamquam pium, & misericorditer procedens, eum vellet recipere ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ, cum multi hæretici fuissent in Ec-*

In judicium adductus.

(b) Acta ms. congr. gen. hab. ult. april.

Arguitur convictum esse hæreseos quadruplici capita.

Data illi potestas ut jus suum defenderet.

Expansus sinus si vellet redire ad ecclesiam.

NOTÆ [1] EA omnia quæ in causa Hieronymi Pragensis acta sunt uno constanti sermone ex Niemio hic ab annalista narrantur. Hæc tamen cum diverso non mense tantum, sed & anno gesta fuerint, distinguenda hic arbitror. Igitur quæ hic leguntur de Wikleffi dogmatibus ejuratis a Hieronymo ad annum superiorem pertineat. Territus enim supplicio Joannis Hus Hieronymus sub carcerationis suæ exitu palinodiam recinuit, quam & palam a se signatam exhibuit in sessione habita die XXIII. septembris anni 1455. Postmodum vero, nescio quo spiritu ductus, iterum studia priora resumpsit, quæ de re annalista hic. Tempus ejurati dogmatis hæretici promit Joannes patriarcha CP. unus ex judicibus a concilio in ea causa deputatis, qui eo quoque nomine damnandum Hieronymum censuit ut legitur in additione ad sessionem XXI. concilii quam e Barberinis schedis suppeditat collectio Veneto-Labbeana to. XVI. col. 412. MANSI

classe, qui revocassent eorum errores & emendarunt eorum vitam, & receperunt pœnitentiam de peccatis, quæ peregerunt: & in casu quo hujusmodi vellet facere & talia spernere, oporteret, quod juxta juris dispositionem procederetur contra eum.

Impetrata tunc dicendi libertate Hieronymus, cum adversus testes plura effutivisset, demum in semet accusatorem & testem egit, præter enim omnium expectationem, quos damnaverat superiori anno Joannis Hus & Wicleffi errores publice est professus, ut habent acta, quæ ipsius orationem referunt.

Impia & seditiosa concio Hieronymi Pragensis.

Recenset alia venenatæ illius concionis capita Theodoricus Niemius, nempe cum Wicleffum ac Joannem Hus laudasset, invectum esse in Cardinales ob divitiarum splendorem: in Germanos declamasse veluti arrogantes: hortatum Bohemos ad magnanimitatem, ut Germanos contunderent: jactasse se plures manibus suis submersisse atque interemisse, & sauciasse alios, qui ipsius sententiæ adversati essent: arcanis artibus Wenceslaum impulisse, ut Germanos doctores Bohemia pelleret: *Et in hoc*, inquit Niemius, *ostendit se, & publice confessus est, quod tam ipse, quam dictus Joannes Hus de vilissimis plebeis geniti & rustici quadrati, tamen in universitate studii Pragensis, tunc indigni & pauperes clericuli, pietatis intuitu informati seu instructi fuerunt per nobiles magistros & graduatos, maxime in sacra theologia & artibus nationis Germanicæ, qui dictam universitatem ab ejus institutione primæva usquequo, ipsis Joanne & Hieronymo eorumque sequacibus & hæreticis procurantibus, nullis ipsorum magistrorum & graduatorum exigentibus demeritis, sed stimulante malitia & invidia ipsorum Bohemorum, nondum octo annis elapsis turpiter & violenter expulsi fuerunt, pro eo quod ipsi Alemani nolebant ipsis erroribus implicari, nec eos fovere; sed ipsis Bohemis errantibus in hoc pro viribus etiam publice in scholis & ecclesiis, & alias ubilibet restiterunt: & ecce retributionem, quam ipsi errantes & magistri Bohemi eorum instructoribus & magistris, scandalizando etiam & destruendo per hæc & alia eorum flagitia permaxime dictam universitatem retribuerunt.* Hæc & plura alia Theodoricus. Addunt autem acta, quæ gesta sint post nefariam Hieronymi concionem.

Illius & Joannis Hus ingratus animus.

Germani doctores ejecti Praga ob defensam fidem.

Profitetur incendii metu se errores antea revocasse.

In processu causæ fuit sibi persuasum per magnos viros, ut reduceret se ad concilium, & submitteret se legi ipsius, cum speraverit, quod benigne tractaretur per concilium; ipse namque Hieronymus tanquam homo timens ignem, cujus succensionem & ardorem crudelissimum dixit esse, acquievit persuasionibus & abjuravit, & scripsit in Bohemiam ejus abjurationem, & consensit in condemnationem librorum Joannis Vuitleff & Joannis Hus, & eorum doctrinæ adjungens quod credit tamen contra conscientiam fecisse, cum doctrina Joannis Hus sancta, & justa esset ejus vita, sui vellet inhærere, & tenere eam firmiter; & ad hoc confirmandam revocavit literam, quam scripsit Pragæ, & in ea revocationem opinionis & doctrinæ Joannis Hus: ulterius dixit de libris Vuitlef & ejus doctrina, quod nunquam vidit hominem ita bene & profunde scribere, cui scriptura similiter vellet inhærere, & male fecisset contradicere, quia illud quod fecit quoad revocationem opinionis & doctrinæ Joannis Vuiclef, & Joannis Hus, non fecit quod vellet desistere ab eorum doctrina & opinionibus, sed ex metu ignis; sed ulterius ubi ipse Joannes Vuicleff & Joannes Hus quoad sacramentum altaris dixerunt contra doctorum ecclesiasticorum opiniones, quoad illam partem, non sequitur, neque eam tenet, immo tenet sicut quatuor doctores Ecclesiæ & alii, qui hodie tenent per Ecclesiam. Postremis hisce verbis secum ipse pugnabat: qui enim transubstantiationis doctrinam in Eucharistiæ sacramento veram profitebatur, qua tandem ratione Wicleffi & Joannis Hus doctrinam illi mysterio adversantem veluti sanctissimam commendare potuit? iis vero auditis, quorum etiam omnium Regum Christianorum oratores testes erant, de ferenda in eum sententia actum est, quæ in penultimam diem maii extracta fuit.

Doctrinam Vuicleffi approbat.

Circa sacramenta altaris professus est idem se tenere cum Ecclesia. Secum veluti insanus pugnat.

XXI.

Celebrata itaque est die trigesima maii sessio vigesima prima, in qua Jacobus Laudensis episcopus ad Hieronymum prolixam orationem habuit, quæ apud Cochlæum (a) extat, in ejusque oculis positis ingentibus malis, quæ Bohemiæ & Ecclesiæ intulerat, subjecit: *Attendite, quæso, catholici domini, quanta fuit horum virorum scilicet Joannis Hus & Hieronymi hujus præsumpta temeritas, ut homines viles, plebei, infimi, ortuque ignoti auderent nobile regnum Bohemiæ totum concutere, barones & principes ad lites & dissensiones incitare, milites provocare, regimina antiqua immutare, convocare cohortes, dividere populos, inter cives dissensiones maximas commovere, catervas ducere, satellites habere, armatos tenere, homicidia perpetrare, vel procurare, spoliare ecclesias, & altaria prophanare. O beatum regnum Bohemiæ, si natus non fuisset homo iste! valde quippe detestandum est, quod homines ecclesiastici sub cujusdam prætextu sanctitatis, qui deberent Deo vacare, diu noctuque precibus insistere, pro peccatis populi cujus bona comedunt orare, tempus suum orationi impendere, non verentur Regum & principum*

Sess. XXI. Exposita publice Hieronymi scelera.

(a) Cocl. hist. Huss. l. 3.

A vilissimis homunculis Bohemia eversa.

curias

curias infestare, lites commovere, decreta regnorum velle pro libitu immutare, litibus insudare. O quanti mali radix fuit horum duorum rusticorum præsumptio: ex qua quot sunt ab utraque parte occisi, quot solemnes clerici detrusi, quot exilio, & violenter expulsi, quot spoliati, quot verberibus cæsi, quot desolatæ ecclesiæ, quot profanata altaria, quot destructa monasteria? Et si volebas, Hieronyme, malos persequi clericos, cur bonos afflixisti? Quæso te, quia pridie usus fuisti, Hieronyme, exemplo eodem, & nunc velles uti, & dicere: Væ mihi mater mea, cur genuisti me? virum rixæ, virum discordiæ in universa terra uti scribitur Jeremiæ XV. Non pigeat te meminisse illorum sanctorum virorum de Praga Carmelitarum, quorum prædicatorem capi, & monasterium spoliari vos in animarum vestrarum perniciem procurastis. In unam te percussi maxillam, præbe mihi & alteram, in qua benignitatem tuorum dominorum judicum, ut perpendas attende: sciunt aliqui, sed non amant.

Quanta ab his gesta mala.

Debeo & ego scire rigorem & modum, qui circa hæreticos vehementer de hæresi diffamatos debeat breviter observari: nam debent diligenter inquiri & capi, ac carcere mancipari: debent contra eos articuli recipi, & testes quicumque contra eos admitti, etiam si sint infames & usurarii, ribaldi, & publicæ meretrices, debent de veritate dicenda judicio astringi; quam, si præfati hæretici dicere contempserint, debent eculeo torqueri, & variis tormentis extendi; non debent aliqui ad eos, nisi magnæ necessitatis causa, intromitti: non debent quoque publice audiri: si resipuerint, debet eis misericorditer venia impendi: si autem pertinaces extiterint, debent condemnari & tradi brachio sæculari.

Ut tractari debeant hæretici.

Certe non isto rigore tecum actum est, licet fueris de hæresibus permaxime diffamatus, quia non tantum Arius, non Sabellius, non Faustus, non Nestorius, non quisque alius fuit hæreticus in vita sua tantum, quantum tu, diffamatus; quia in Anglia, in tota Bohemia, in Francia, in Hungaria, in Polonia, in Lituania, in Russia, in Italia, & in tota Alemannia de hæresi tua pervolavit infamia. Fuisti captus (ut debent similes) ad concilium que deductus, & sola necessitate urgente reclusus. Super qua reclusione reverendissimi domini mei Cardinales de Ursinis, Aquilejensis, Cameracensis, Florentinus personaliter quæsierunt si posses alio magis commodo loco collocari, & si tuam fugam non fuissent veriti, quia sæpius fugeras, nedum in eorum domo, sed mensa & camera te unusquisque eorum benevole pertractasset. Contra te non fuerunt nisi probi testes admissi, utpote sacræ theologiæ magistri, & sacrorum canonum doctores, baccalaurei quoque plurimi solemnium ecclesiarum curati, & omnes alii venerabiles viri, qui coram te juraverunt, & quorum neminem reprobasti. Articuli quoque contra te adducti fuerunt pro maxima parte de veritate probati. Tortus non fuisti [& utinam fuisses] quia vel sic humiliatus omnes errores tuos penitus evomuisses: pœna illa tuos aperuisset oculos, quos culpa præcluserat. Ad te etiam quicumque pervenire voluerunt ad tui consolationem, fuerunt intromissi: recogita quam benigne, quam dulciter reverendissimi domini Cardinales, quamplures alii te fuerint exhortati, & tibi ex corde compassi, ut velles resipiscere, quoties supplicarunt? audientia quoque publica pluries tibi ad tui concessa est libitum, quam utinam non habuisses: timeo namque ne illa audientia tibi nimiam præstiterit audaciam. Et infra: *Joannem Hus, quem prius tuo testimonio, ac juramento anathematizaveras, postmodum laudare non fuisti veritus. Quæso te, qua fronte, qua audacia, qua quoque inverecundia potuisti attollere virum seditiosum, hæreticum & homicidia procurantem? Memini te aliquando dixisse, illum non fuisse ebriosum, vel fornicarium; sed quid prodest, pessimi domini, vinum non bibere & ira, odio, superbia, & contentione inebriari? quid est vinum servare, & sanguinem effundere non vereri? aut quid est non inebriari vino, & dentibus dilaniatum sanguinem spargere, & proximorum carnem immaniter laniare, & incessabili persecutione interimere? Dixisti illum non fornicarium; utinam dixisses non hæreticum, nulla enim major fornicatio, quam illa, qua hic fuit catholica fornicatus a fide, &c.*

Maxima Hieronymi Pragensis infamia.

Nocuit illi non fuisse acerbe tortum.

Vane ejus hypocrisis patefacta.

Cum peroraffet Jacobus, ac formulam perlegisset, ex qua Hieronymus Wicleffi & Joannis Hus errores damnarat, perstitit (a) in priori scelere vir perfidus, auditaque ejus impia confessione, urgente synodi causarum actore, hæc sententia (b) in ipsum lata est: *Sancta synodus eundem Hieronymum palmitem putridum, aridum, in vite non manentem, foras mittendum decernit, ipsumque hæreticum & in hæresim relapsum, excommunicatum, anathematizatum pronunciat & declarat, atque damnat.* Quæ sententia ab universa synodo confirmata est: *Ipsa fuit*, inquiunt acta ms. *per universalem synodum approbata per deputatos nationum, videlicet Antonium Concordiensem, Nicolaum Merseburgensem episcopos, per verbum, Placet, Vitalem, Tholonensem & Patritium Carthaginensem, item per reverendissimum patrem dominum Joannem Ostiensem.*

Lecta coram eo prioris objurationis formula.

(a) *Acta ms. congr. gen. hab. die XXVII. april.*

(b) *Ext. in sess. 21.*

Percutitur anathemate a concilio.

De merito autem ipsius supplicio hæc refert Theodericus e Niem: (c) *Tandem ipse Hieronymus digna digna recipiens hic finaliter condemnatus de hæresi, & etiam*

(c) *Niem. in vit. Jo. XXIII.*

Crematur igne.

curia saculari traderat, & ipso die, qui fuit sabbati xxx. mensis maii hora x. spiritum igne combustus misere exflavit: & dum ligatus duceretur ad mortem, cantavit publice symbolum, videlicet: Credo in unum Deum, &c. licet tarde & continue loquebatur quousque decessit, seu os ad loquendum potuit aperire, obstinatissimus in predictis suis erroribus in vita & in morte prasumptione diabolica & damnabili perseverans. Pertinacia illa pro constantia habita est ab hæreticis; qui tamen gloriari non possunt illum pro ea, quam ipsi profitentur, religione supplicio affectum: nam, quod spectat ad Eucharistiam, dissensisse a Lutheranis & Calvinistis constat ea sententiæ formula, in qua habetur ipsum in ea controversia adversas Wicleffistas professum fidem orthodoxam: *Idem Hieronymus de sacramento altaris & transubstantiatione panis in corpus professus est, se tenere & credere, quod Ecclesia tenet, dicens se plus credere Augustino & ceteris Ecclesia doctoribus, quam Joanni Wicleff & Joanni Hus.* Idem in prædicta sessione vigesima prima cum Jacobo episcopo Laudensi perfidiam exprobranti responderet, inter alia hæc dixisse testantur acta (a): *Item dixit tenere articulos: item dixit cerimonias missarum, officiorum, jejuniorum.* Ad objecta vero de spretis sacris indulgentiis ita illum respondisse tradunt (b): *Respondit indulgentias Papa, & Cardinalium, esse rite datas & concessas, & fieri posse.* At invectus est in eos, qui indulgentiis ad quæstum abutebantur: *Sed indulgentias emptas, prout Papa communiter mittit quæstuarios suos ad partes alienas ad extorquendum donarios S. Petri, qui communiter quastuarii emunt prima a Papa ad extorquendum majores summas, & deinde pradicant illas in partibus, in quibus eorum quastus fieri debet, quod illa indulgentia non sunt indulgentia, sed abusiones indulgentiarum.* Ex quibus perspicue enitet aliter de sacris etiam indulgentiis, quam sentiunt hujus temporis hæretici, Hieronymum sentire videri voluisse: quamvis omnia hæretici hominis spernenda sint testimonia, cum secum ipse dissentire soleat. De eo hæc scribit Poggius Florentinus in literis (c) ad Leonardum Aretinum datis: *Non laudo si quid adversus Ecclesia instituta sentiebat: doctrinam admiror, rerum plurimarum scientiam, eloquentiam, dicendi suavitatem, & argutiam respondendi: sed vereor ne hac omnia in pestem suam sibi fuerint a natura concessa. Datum deinde spatium pœnitendi biduo, multi ad eum accesserunt viri eruditissimi, ut ipsum a sententia sua dimoverent, inter quos Cardinalis Florentinus eum adiit, ut illum flecteret ad rectam viam: sed cum pertinacius in erroribus perseveraret, per concilium hæresis damnatus est, & igni combustus.*

Pertinacia Hieronymi in morte.

Tenendo transubstantiationem dissensit a novatoribus.

(a) *Act. ms. in sess. 21.*

Ritus sacros & missam & jejunia coluit.

(b) *Ead. act. post sess. 20. in congr. gen. hab. 23. die maii.*

Quid circa indulgentias senserit

(c) *Pog. Flor. ep. ad Leonard. Aretin. p. 516.*

Quod vero hæretici vulgo in synodum latrare, violatæque Hieronymo præstitæ fidei publicæ crimen illi affingere consueverunt, facile eorum calumniæ depelluntur, cum Hieronymus publico eo scripto (d), quo adversarios ad synodum œcumenicam provocabat, hæc addiderit: *Ego pro innocentia mea paratus sum aperte & publice coram toto concilio, ut scripsi, respondere, & puritatem fidei mea orthodoxa ostendere: & si compertus fuero in aliquo errore aut hæresi, ex tunc non recuso publice pati pœnam, prout erroneum seu hæreticum decet.* Cæterum Hieronymum neque a concilio neque a Sigismundo Rege ullum impunitatis chirographum eblandiri potuisse, ostendunt sociorum ipsius literæ (e) querelis plenæ; quamobrem cum formulam illam, quam promulgarat, ad jactantiam, velle meritas pati pœnas, si male de fide sentiret, loqui detrectaret, in fugam se conjecit, atque in judicium vocatus non comparuerat (f), donec demum reniten a fuga a præfecto Joannis Bavariæ ducis retractus (g) est; ex quibus synodum ab omni calumnia vindicatam esse constat. Hactenus de Hieronymo Pragensi: nunc a viro impio, meritis reservato suppliciis, ad pios quorum gloria multis collustrata miraculis concilium permovit, ut de consecranda eorum memoria ageretur sermonem convertamus.

(d) *Ext. in act. ms. congr. gen. hab. 27. april. an. 1416.*

(e) *Ext. in act. congr. gen. hab. 27. april.*

Non data fuit Hieronymo fides publica.

(f) *Ead. act. ibid.*

(g) *Hieron. Prag. apud acta congr. gen. hab. die 26. maji.*

Editæ sunt in prædictis solemnibus conventibus habitis xxvi. aprilis die literæ, quibus synodus ab Erico Sueciæ Rege excitata, Aboensi, Abanensi, & Vexionensi episcopis provinciam dedit, ut de Nicolai Lincopensis, tum Brinulphi Scarensis olim episcoporum, ac Nigridis sanctimonialis rebus gestis & miraculis inquirerent. XXII.

Sacrosancta & generalis synodus Constantiensis venerabilibus fratribus Aboensi, Abonensi, & Vexionensi episcopis salutem, & omnipotentis Dei benedictionem, &c.

Cum pro parte charissimi Ecclesia filii Erici Suecia, Dacia, Norvegia Regis illustris, & venerabilium fratrum Upsalensis, Lundensis, & Nidrosiensis archiepiscoporum nec non suffraganearum episcoporum provincia Upsalensis, ac quorumdam capitulorum & conventuum ecclesiarum & monasteriorum, nec non procerum, & nobilium, & communitatum quarumdam civitatum regni Suecia, juxta seriem quarumdam literarum per Regem, archiepiscopos, episcopos, capitula, conventus, nobiles, & communitates hujusmodi Balthasari, tunc Joanni Papa XXIII. ante ejus depositionem a papatu, suis exigentibus demeritis per nos rite factam, super hoc specialiter dire-

directarum, coram nobis post depositionem eamdem, cum ipsæ literæ dicto Balthasari dum adhuc præesset papatui, non fuissent præsentatæ, sit expositum quod celebris & recolendæ memoriæ Nicolaus Lincopensis, Brinulphus Scarensis episcopi, & Nigridis monialis monasterii monialium Olitroningen ordinis S. Augustini sub cura &

Nicolaus Lincopen. Brinulphus Scaren. episcopi clari sanctitate. Nigris monialis religione illustris.

secundum instituta fratrum Prædicatorum viventium Lincopensis diœcesis, dum in hujus ærumnosæ peregrinationis exilio mortali vita potirentur, non humanis favoribus obsequi, sed puro corde sinceraque mente divinis oculis complacere studuerunt, ut per austeritatem jugis pœnitentiæ corporis artus suo spiritui servire cogentes, lubrica totius contempserant illecebras, declinaverunt a voluptatibus, pudicitiæ conjuncti sunt, & spreta fugaci fallacique gloria mundi per devota orationis exercitium & laudabilium virtutum opera summo judici Deo famulatum impendere, & sibi ipsis & aliis ad æternæ vitæ merita proficere conati sunt indefessa verbis pariter & operibus; quibus re & conversatione se pios, prudentes, & humiles, sobrios & castos, erga Deum summa veneratione devotos, vitra erga pauperes & larga pia charitate non ficta largifluos, constantes in fide, sacra spe plenos, & aliis virtutibus claros esse comprobaverint: propter quod mirabilis Deus in sanctis suis, & faciens mirabilia magna solus pro gloria eorumdem Nicolai, Brinulphi, & Nigridis meritis, tam ipsis in humanis agentibus, quam etiam post eorum felicem transitum ex hac luce in variis locis Sueciæ diversisque temporibus plura mirabilia dignatus fuerit operari; quamobrem pro parte Regis & aliorum sic exponentium prædictorum nobis fuit supplicatum, ut aliquibus S. R. E. Cardinalibus, & aliis prælatis, in hoc sacro Constantiensi concilio existentibus, fide, vita & meritis prædictorum Nicolai, Brinulphi, & Nigridis ac hujusmodi miraculis informarentur, & ea quæ per hujusmodi reperirent informationem, nobis referre curarent, ut deinde sufficientibus & exquisitis meritis ad hoc suffragantibus ipsi Nicolaus, Brinulphus, & Nigridis sanctorum catalogo adscribi, & aggregari possent, committere dignaremur.

Fulsere virtutibus.

Plura edidere miracula.

Nos ad eorumdem Regis & exponentium & supplicantium devotam instantiam, devotissimis Ecclesiæ filiis Petro tit. S. Chrysogoni alias dicto Cameracensi presbytero & Odoni S. Georgii ad velum aureum diacono ejusdem ecclesiæ Cardinalibus, ac venerabili fratri Jacobo Laudensi episcopo, nec non dilectis ecclesiæ filiis Joanni de Gersono cancellario ecclesiæ Parisiensis, Lamberto de Gelria, Petro de Pulca, Vuillelmo Kluit, & Joanni Boltuvel in sacra theologia professoribus in dicto concilio præsentibus vivæ vocis oraculo commisimus, ut literis authenticis, nec non libellis & instrumentis publicis per Regem & alios exponentes prædictos super hoc destinatis, per eos visis & examinatis, super præmissis omnibus & singulis se diligenter informarent, & ea, quæ per eamdem reperirent informationem, nobis fideliter referre curarent. Qui quidem commissarii, procuratoribus Regis & aliorum exponentium prædictorum negotium hujusmodi prosequentibus, eisdem literis, libellis, & instrumentis publicis, per eos diligenter visis & examinatis; nobisque per ea, quæ exinde reperierunt apparebat de vita & meritis, nec non de fama & devotione populi, & miraculis tam in vita quam post mortem eorumdem Nicolai, Brinulphi, & Ingridis, quæ ipse Deus ad ipsorum preces ut credebatur, operatus fuerat, & in dies operatur, seriosius retulerunt.

Instituta de iis inquisitio.

Nos igitur attendentes, quod de fama prædictorum ac populi devotione, nec non de vita & meritis dictorum, Nicolai, Brinulphi, & Nigridis, & miraculis supradictis per hujusmodi informationem receptam plene liquere non potest, ac etiam considerantes, quod Ecclesiæ militanti difficillimum redditur agnoscere spiritum claruiscentem in Ecclesia triumphante, & quod propterea expediens videtur in talibus ea gravitate procedi, quod ipsa non decipiatur Ecclesia militans, & virtutum mater justitia non lædatur, sed in re tanta cum abundantiore cautela, & majori maturitate procedatur, quapropter cum pro parte Regis & aliorum exponentium præfatorum nobis cum omni instantia & debita reverentia fuerit supplicatum, & cum ipsis præmissa probandi incumbat necessitas, & testes ad præsens in humanis agentes, per quorum depositiones probationes ipsæ sufficienter fieri posse sperantur, seu eorum aliqui, si quod absit hujusmodi negotio executionem nimium contingat protelari, interim de medio possent submoveri in negotio ipso absque mora dispendia, ad ulteriora procedere dignaremur; nos hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitatibus vestris, de quibus in iis & aliis gerimus in Domino fiduciam specialem, per nostra scripta committimus & mandamus, quatenus ad loca, in quibus præfati Nicolaus, Brinulphus & Nigridis fuerunt, dum in humanis agerent, conversati: & illa, ubi eorum corpora requiescunt personaliter accedentes, de fama præmissorum, ac devotione populi, vitaque & meritis antedictis & miraculorum hujusmodi crebrescentium, veritateque & eorum circumstantiis universis juxta datam vobis a Deo prudentiam a testibus diu, quoniam humana sunt fragilitas, exceptionibus majoribus exactis, diligenter, fideliter, & prudenter secundum articulos & interrogatoria

Accuratius examen fieri jussum.

Jussi tres episcopi accedere ad loca in quibus patrata sunt miracula.

ria, qua sub bulla nostra vobis mittimus interclusa inquiratis perpensius veritatem: super quibus universis & singulis præmissis vestras conscientias oneramus, testesque hujusmodi, qui fuerint nominati si gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, &c.] Addidere imperio, ut testium dicta de illorum rebus admirandis in tabulas publicas quam diligentissime referenda curarent, & episcopalibus sigillis obsignata vel concilio vel renunciando Pontifici mitterent.

XXIII. Post sessionem vigesimam primam, ultima die maii, publicum edictum in principe ecclesia Constantiensi datum est, quo præsules, qui nondum Constantiam accesserant vocati, rogatique principes fuere, ut oratores mitterent, cum Hispani proximo tempore concilio aggregandi essent ut communi omnium consensu, ad Petrum a Luna gradu & Christifidelium cœtu pellendum, cujus perfidia etiam ipsis Aragoniis horrori esset, ferretur sententia (a).

(a) Ext. in act. me. post sess. 21.

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis ad futuram rei memoriam.

De Petro e Luna synodali sententia percellendo actum.

*Quantum Ecclesia sancta Dei calamitatibus, quandiu pestifero lacerata schismate laboraverit, cuncti Christifideles non solum notitia, sed malorum experientia didicere: & insuper quam multi in irritum catholicorum labores ad illud tollendum extirpandumque, multa propterea secundum casum fuerunt tentata remedia, forte ideo quia, irato nobis Deo propter peccata nostra, nondum salutis tempus advenisset, nulla hominis solicitudo, nulla studia, nulla suffecere consilia; quinimmo velut in contrarium versa, pejora omnia fieri videbantur. Sed tandem post multos labores misericordis Dei pietas ad Ecclesiam suam prospexit, effecitque quod in ejus spiritu, qui ubicumque vult spirat, in hac civitate Constantiensi sub apostolica vocatione & * Christiani principis domini Sigismundi Romanorum Regis tuitione convenimus; ubi, ipso operante Sancto Spiritu, pro unione & pace ipsius Ecclesiæ deinceps meliora nobis omnia quotidie successerunt. Nam post olim domini Joannis Papæ XXIII. sic in sua obedientia nuncupati canonicam depositionem, ipsoque insuper post sententiam nostram, cui acquievit, & expresse consensit spontanea papatus cessioni; dominus ille, qui in sua obedientia vocabatur Gregorius XII. Papa, per procuratorem suum legitimum coram nobis in sessione solemniter congregata omni juri, quod prætendebat in papatu, & ipsi papatui sponte cessit: & cum restaret tantum dominus Benedictus, sic in sua obedientia nominatus, ut solemnem faceret cessionem, & quod præter juramenti religionem qua astrictus erat, de jure divino humanoque tenebatur, ad id sibi suadendum & eundem requirendum prædictus Rex Aragoniam accedere disposuit, ut in tempore & loco, sicut jam oratoribus illustrissimi principis domini Ferdinandi Regis Aragonum, ac ipsius Benedicti, qui hue ad ipsum Romanorum Regem ab eis missi venerunt præfixerat; cum eisdem Rege Aragonum & Benedicto conveniret, & nos, reverendos patres & venerabiles viros archiepiscopos & alios literatos & doctos viros ex sacro concilio oratores nostros ad idem peragendum, & prosequendum nonnulla alia ad unionem pertinentia cum dicto domino Romanorum Rege sufficienti potestate suffultos destinavimus: siquidem prædictus Romanorum Rex pro Ecclesia Dei solita pietate accensus, postpositis imperii & regnorum suorum urgentissimis, quæ sibi imminebant negotiis, per longa laboriosaque itinera alienas terras peragrare non dubitans, Perpinianum accessit, commeantibus secum oratoribus nostris prædictis: ipse vero Rex Aragonum, qui tunc Valentiæ gravissima ægritudine morti proximus tenebatur, contra valetudinem medicorumque consilia, ut ipse jam ta promissa tanto Dei & Ecclesiæ negotio non deesset, se mari cum magno vitæ periculo committere non expavit. Mira quidem tantorum principum pietas, qui suammet salutem voluerunt pro Ecclesiæ salute negligere.*

* Christianissimi

Sigismundi Cæsaris in Aragoniam accessus.

Ferdinandus morbo liberatus divinitus ut tollendo schismati operam daret.

Immensi labores pro tollendo schismate exantlati. Divinitus congregatum Constantiense concilium.

Convenientibus autem prædictis Regibus & ipso Benedicto ac ipsis oratoribus nostris, & prædictum Benedictum requirentibus, ut sicut promiserat, juraverat, & tenebatur, cederet, instantibus pariter requisitione hujusmodi illustrissimorum Regum Franciæ, Castellæ, Siciliæ, atque Navarræ honorabilibus oratoribus, ac magnificis & potentibus dominis comitibus Fuxi & Armeniaci, nec non aliis nonnullorum principum eorumdem regnorum civitatum procuratoribus, post multa subterfugia, quibus eos idem Benedictus eludere conatus est, suam tandem duritiem patefecit: non enim illum Dei timor, non religionis vinculum, non honestatis consideratio, non denique tantorum principum authoritas, nec populorum supplicantium, nec totius Christianitatis tamdiu per dictum schisma divisæ & laceratæ calamitas mollire potuit, ut ad dandum Ecclesiæ pacem inclinaretur: sed in priore duritia obstinatissimus, omnibus spretis delusisque a Perpiniano recessit, morique devectus se in Paniscolæ arce, quam ipse sibi diu ante præmunierat, pro perfidia sua cautela, recondidit; Regum vero & principum ac populorum, qui ibi convenerant, legati, qui antea eidem Benedicto tamquam Papæ obedierant, tunc pertinacem illum detestantes

Celeberrimi cœtus Perpinianenses pro pace.

Petri e Luna fuga in castrum Paniscolense.

*stantes, cum & relinquere, & Ecclesiæ Dei unioni cohærere sanius proposuerunt; & sub certis honestis & æquis modis, cum præfato Romanorum Rege & ipsis oratoribus nostris conventionem inierunt, & statuerunt quod prælati, videlicet ipsorum regnorum, ac terrarum & locorum obedientiæ ipsius Benedicti, per certas tenorum literas a nobis requirendi, infra certum temporis spatium in sanctam synodum Constantiensem convenirent, nobiscum ad procedendum contra ipsum Benedictum secundum canonicas sanctiones, de papatu, quem prætendit dejectionem & damnationem, ut exinde de unico pastore Christi vicario Ecclesiæ suæ sanctæ provideretur, & ad alia, quæ pro pace & tranquillitate ac reformatione ipsius Ecclesiæ visa fuerint statuenda. Qui jam, Deo propitio, sinceram suam mentem, actionibus prosequentes, ac vocationem nostram magno unionis zelo prævenientes, eidem Benedicto obedientiam universalem subtraxerunt: ex quo & aliis ipsorum Regum, prælatorumque diligentiis firmissime speramus, quod habitis literis nostris, per quas hodie juxta contenta eos duximus requirendos, absque mora aliqua nobiscum, in hac civitate Constantiensi in unum corpus & unum concilium promissa convenient. Cum autem ipsis venientibus nihil aliud restet, quam quod contra obstinatam duritiem ipsius Benedicti synodali authoritate procedatur; cum jam principes & prælati, omnis denique Christifidelium populus in ipsius Ecclesiæ unitate consentiat, ne prælati alii jamdudum apostolica authoritate vocati, & qui hactenus venire neglexerunt, in ipso articulo & conclusione deficiant, sed omnes ad hoc sanctum opus Deoque acceptissimum undique conveniant, eos etiam, licet non sit opus amplius vocare, cum alias fuerint apostolica authoritate sufficienter vocati, tamen diutius * requirendi.*

Excussum inde ab Hispanis illius servitutis jugum.

* rursus

Omnes igitur & singulos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, & cæteros ecclesiarum & monasteriorum prælatos; nec non ipsos & aliquos, licet paucos, Romanæ ecclesiæ Cardinales, ab hac synodo absentes, & abundanti & sine præjudicio prioris vocationis, sed potius eam confirmando, hortamur in Domino, eosque requirimus & monemus, ac ejus in virtute sanctæ obedientiæ authoritate sacri concilii tenore præsentium præcipimus & mandamus, quatenus personaliter; illustrissimos vero principes, Reges, duces, marchiones, & alios, quos hujusmodi concilio adesse æquum est, vel qui in eo prodesse possunt quoquomodo, per viscera misericordiæ Jesu Christi invitamus & hortamur, quatenus per se vel solemnes suos oratores, infra certum mensium spatium, ipsi Constantiensi concilio intersint præsentes, ut sic congregata fidelium multitudine, quæ in eodem concilio decernenda, disponenda, expediendaque fuerint, adjutore Deo salubrius ordinentur, &c. additum est si venerint in eo statu quem tum synodus tenuerit admissum iri. Nulli ergo &c. Dat. Constantiæ xi. kal. junii anno a nativitate Domini MCCCCXVI. Apostolica sede vacante.

Vocata pars quæ parebat Petro a Luna ad Constantiense concilium.

XXIV.

Tertia junii die coacta est (a) solemnis præsulum congregatio, cui Romanorum & Pannoniæ, Galliarum, Angliæ, Aragonum, Neapolitani, Cypri, Poloniæ, Norvegiæ, Daniæ, Sueciæ Regum, pluriumque aliorum principum oratores interfuere; in qua Bohemi & Moravi illi, qui Joannem Hus merito affectum supplicio ut insontem publicis literis prædicarant, postulati hæreseos apud Constantiensis synodi subsellia, cum tempore constituto non comparuissent, contumaciæ damnati fuere, debitisque pœnis affecti. Lectæ deinde Sigismundi Regis Romanorum literæ, quibus celeris accessus spem dabat, atque universos rogabat, ut quamvis linguis cultuque dissoni essent, mutui tamen inter se amoris & concordiæ conspiratione consentirent. Aliæ postea Joannis archiepiscopi Maguntini recitatæ quibus querebatur delatum se apud Cæsarem ab obtrectatoribus fuisse, ipsum in ecclesiam Romanam atque imperium conjurasse.

(a) Act. ms. conc. Constan. in gener. congr. hab. die 3. jun.

Vocati in jus Hussitæ.

Moguntinus archiep. ab imposito flagitio se purgat.

Quinta junii die coacto patrum senatu accessere (b) Lusitaniæ Regis oratores atque elegantem in illius principis laudem & commendationem orationem habuere: quorum verba episcopus Sarisberiensis excepit, cumulatisque in Regem pluribus elogiis confirmavit.

(b) Act. ms. in congr. gener. hab. 5. jun.

Lusitaniæ Regis oratores accedunt ad concilium.

Vigesima septima die junii solemnibus initis patrum cœtibus Argentinensis episcopi designati causa disceptata (c) est, deque conciliandis cum eo Argentinensibus actum.

(c) Gen. congr. hab. 6. jun.

Quarta julii reperiri (d) sunt patrum cœtus, in quibus Franciscus Cardinalis Florentinus de mutua piorum hominum conjunctione peroravit: proposito eo argumento sacro petito ex cap. XVII. Joannis: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.* Lectæ deinde fuere Alfonsi Regis Aragonum literæ (e), quibus de tardiore oratorum suorum ad synodum Constantiensem accessu se purgabat, revocandæque pristinæ ecclesiarum conjunctionis pium desiderium suum explicabat.

(d) Ead. acta in congr. gen. hab. 4. jul.

(e) Ext. ibid. in ms. actis ejusd. congr.

XXV.

Cum, inquit, juxta capitula concordiæ inita & firmata inter serenissimum Romanorum Regem & ambassiatores vestros ex una parte, & nos aliosque Reges, principes, prælatos, & cæteros hujus partis ex altera convocatis ad generale concilium pro unione in Ecclesia Dei habenda, dictisque negotiis & aliis causis legitimis irre-

Missurum suos pollicetur Aragonius.

Paterna conventa servaturum spondet. Rerum mole retardatum ne prius mitteret oratores.

titi ambasiatores nostras in numero pleniori, prout de præsinti mittimus, destinare nequivimus, eo quod existimemus, quod infra terminum jam præfixum ob ipsius proximitatem attingere non possent, ad ibidem comparendum, hoc idem paternitatibus vestris, ut excusationi consulere valeamus, duximus intimandum rogantes, ut si dictorum ambasiatorum adventus tam celer esse non poterit, velint prædictas legitimas causas attendentes, cum patientia mansuetudine tolerare. Dat. Barchinone, sub nostro sigillo secreto die decima junii anno a nativitate Domini MCCCCXVI. Rex Alfonsus. Qui his literis alias (a) addidit, quibus rogavit patres Constantienses, ut Antonio Teaal religiosi ordinis, cui B. Mariæ (b) e Mercede nomen est, magistro, oratori fidem adhiberent: cui auctoritatem tribuit ut apud concilium ipsius culpam excusaret, si quam in mittendis tardius oratoribus commisisset, cum varia illum magnæ molis negotia post flendam patris mortem implicuissent, evoluto enim unius mensis intervallo venturos; easdemque preces Castellæ & Navarræ Regum, & Fuxi atque Armeniaci comitum nominibus reperiit.

(a) Ext. ibid.

(b) Ext. ibid. ex de re publ. tab.

Idem pollicitum Castellæ & Navarræ Reges.

XXVI. Admisit Alfonsi excusationes concilium, atque ad redintegrandam cum iis Regibus ac principibus conjunctionem paratissimum se obtulit, regioque bonori hoc diplomate prospexit.

Patres concilii de mutuo fœdere iterum postulant Hispanos.

Sacrosancta & generalis synodus Constantiensis, &c. Pro parte hujus sacri concilii respondetur reverendo patri domino magistro Antonio ambaxiatori domini Regis Aragonum, quod domini de concilio credunt, quod prædicti domini & maxime prædictus dominus Rex Aragonum, quantum in eis fuerit, observarunt & ita observabunt omnia & singula prædicta capitula, & in eis contenta: & sic etiam dictum concilium observavit, dispositum est observare, & ex nunc si ipse dominus ambaxiator, vel aliqui alii, aut aliquis pro parte dictorum dominorum voluerint seu voluerit se cum dicto concilio unire, secundum formam in dictis capitulis concordatam, parati sunt ad hoc, & ita se offerunt, inhærendo semper in dictis capitulis & contentis in eis & eorum singulis de quibus recedere non intendunt: & quantum ad excusationes prædictas propositas per reverendum patrem dominum generalem; dicitur pro parte dicti concilii, quod eas admittit, in quantum de jure tenetur, non præjudicando prædictis capitulis, quibus etiam non dubitat, quod idem dominus Rex Aragonum & alii Reges & principes, atque dictus dominus generalis præjudicare non intendunt, & de prædictis conficiantur publica instrumenta. Dat. &c.

Decima octava die julii in celebratis patrum conventibus privatæ tantum causæ agitatæ (c) sunt: quarta vero septembris coacto eodem sacro senatu, nonnulliorum Bohemiæ & Moraviæ procerum Joannis Wicleffi & Joannis Huss lue infectorum contumacia a causarum concilii actoribus accusata est, ac repetita omnia in eos gesta & confecta publica monumenta lecta; renuntiati deinde ex omnibus nationibus fuere judices, qui eam causam cognoscerent.

(c) Act. ms. congr. gen. hab. 18. jul. & 4. sept. In Hussitas actum.

Aragoniorum oratorum adventus ad concilium.

Decima septembris (d) Alfonsi Regis Aragonum oratores Raymundus Floch comes Cardonæ, Raymundus eques auratus, Antonius de quo paulo ante memoravi, Gundisalvus de sancta Maria Spera in Deo Cardonæ, Michael Navers a patribus sunt excepti, qui jam Constantienses cœtus synodi œcumenicæ nomine insignire cœpere, cum antea illos congregationis tantum verbo notarent, suique adventus has causas attulere: *Expaluerunt*, inquiunt acta, *quibus de causis illustrissimus dominus Alfonsus Rex Aragonum misisset ad congregationem præsentem, nominando sacrum generale Constantiense concilium congregationem ultimam, primo pro extirpatione schismatis & hæresum, & pro unione Ecclesiæ Dei, & reformatione status ecclesiastici in capite & in membris, ac electione unici summi Romani Pontificis*. Produxere hac de re literas (e) regias, quibus Alfonsus ad ea peragenda potestatem ipsis dederat, suntque hac temporis nota consignatæ. *Dat. & actum Barchinone decima die julii anno a nativitate Domini MCCCCXVI, regnique nostri primo*.

(d) Act. ms. congr. gen. hab. 10. septemb.

(e) Ext. in eisd. actis ms.

XXVII. Amplissimis ergo fulti mandatis Aragonii oratores promptos se exhibuere ad ineundam sacrorum societatem, Joannes vero Ostiensis episcopus Cardinalis Vivariensis, elegantem concilii nomine orationem habuit, qua & Ferdinandi Regis defuncti pium ardorem & Alfonsi in paternis sequendis vestigiis studia extulit: tum in perjurum Petrum e Luna invectus est, qui tot promissa de ponendis controversis papalibus insulis, solemni ritu, Avenione, Massiliæ, Genuæ repetita infregisset: deinde ad oratorum commendationem deflexit, quibus totius concilii singularem benevolentiam spopondit. Tum Franciscus Cardinalis Florentinus eosdem oratores pro concione est adhortatus, ut mutua studiorum consensione cum patribus concilii ad removendum ab Ecclesia schisma, pacemque redintegrandam conspirarent. Subjecit illius verbis Antonius Texal orator regius suo & sociorum nomine, eam quidem ob causam ipsos accessisse, atque in id operam omnem impensurus; prius tamen Cardinales honoris causa convenire decrevisse, atque ita actis utro citroque gratiis concio soluta est.

Laudata nomine concilii Aragoniorum pietas.

Perfidia Petri e Luna exposita.

Con.

Jacobi Regis & Joannæ Neap. oratores accedunt ad concilium.

(a) Act. mf. congr. gen. hab. 16. septemb.

Congregati fuere decima sexta septembris die solemnes cœtus (a), in quibus de excipiendis Jacobi Regis Neapolitani Joannæque Reginæ oratoribus actum est. Cum vero sibi titulos controversos asciscerent, quos partim Sigismundus Romanorum Rex, partim Ludovicus Andegavensis sibi vendicabant, nonnihil dissensionis subortum est, atque in primis orator Ludovici comitis Palatini & Bavariæ ducis, qui concilii custodiæ Sigismundi Regis nomine præerat, ejusdem Regis nomine peroravit, Jacobi Regis & Joannæ II. oratores nonnulla dicturos, atque etiam in medium prolaturos literas, in quibus Hungariæ, Dalmatiæ, & Croatiæ regnorum titulos illi sibi arrogarent; ac ne quid ex eo damni Sigismundi Regis dignitati afferretur, publice intercessit. Assurrexit deinde Guillelmus tit. S. Marci presbyter Cardinalis orator Ludovici Andegavensis, qui de Jerosolymitano & Neapolitano regnis cum Joanna II. certabat, ac pariter regium jus opposuit, ne, cum Romana ecclesia non alii quam Ludovico regnum Neapolis jure fiduciario contulisset, quippiam ex dicendis a Jacobi & Joannæ oratoribus, ipsius Ludovici apicibus ac juri detraheretur. Ad hanc vero sedandam controversiam, edita est hæc sanctio (b).

De variis titulis mota lis.

(b) Ext. ib. in ejusd. congr. mf. actis.

XXVIII. *Sacrosancta synodus Constantiensis declarat, statuit, & decernit, quod per quoscumque actus nominationis, intitulationis, honoris, exhibitionis, tam in sede, quam in aliis quibuscumque dictis & factis, dicendis & fiendis in hoc sacro concilio per quoscumque prælatos, vel eorum, aut Regum, principum, ac universitatum quorumcumque nuntios vel legatos, seu ipsis, aut de ipsis vel eorum altero in eodem sacro concilio, nullum jus seu possessum de novo acquiratur; nulliusque præjudicium generetur, nulliusque jus, quodcumque in proprietate vel possessione lædatur, & per præmissa vel hujusmodi legatorum admissionem; jus, vel titulum alicujus approbare minime intendit.* Hoc prolato decreto, oratores Regis Jacobi, suggestum conscendere, ac perlegere illius literas (c), quæ hisce titulis insignes erant: *Jacobus & Joanna II. Dei gratia Hungariæ, Jerusalem, Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex & Regina, Marchiæ, Castrensiumque, Provinciæ & Folqualquerii ac Pedimontis comites.* In iis vero literis Laurentius Augustinianus designatus Aversanus episcopus & Joannes de S. Prageto castrorum magister, & alii quatuor instituti erant oratores, *ab sacro concilio*, ut habent publica eadem monumenta (d), *seu dicto sanctissimo domino summo Pontifici*, nimirum futuro, *& collegio dominorum Cardinalium, ipsos dominos Regem Jacobum & Reginam Joannam, tanquam humiles & reverentes filios & vassallos sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, devote & humiliter recommendandum, & recommissos faciendum, optimamque intentivam & sinceram dispositionem, ac voluntatem, quas habent erga prædictam sacrosanctam Romanam matrem ecclesiam, dictumque sacrosanctum concilium, & prædictum sanctissimum dominum summum Pontificem circa ejus statum, fidelitatem, obedientiam, gloriam, & honorem; nec non erga prædictum collegium dominorum Cardinalium & eorum statum, narrandum & pariter declarandum, & liberales & promptissimos offerendum eosdem dominos Regem & Reginam ad omnia & singula quæcumque concernentia fidelitatem & statum, exaltationem, gloriam, & honorem dictæ sanctæ matris ecclesiæ, & futuri summi Pontificis, præfatique sacri concilii & collegii dominorum Cardinalium prædictorum:* Consignatæ vero erant hac formula eæ literæ: *Dat. in castro novo Neapolis per virum magnificum Jordanum Formerii de Lemoniano dominum de Villeta juris civilis professorem, cancellarium regni nostri Siciliæ, collateralem consiliarium, & fidelem nostrum dilectum anno Domini MCCCCXVI. die XIII. mensis julii nona indictione, regnorum nostrorum prædictorum Regis anno I. nostræ vero Reginæ anno II.* Additæ his aliæ (e) erant, concilii rogatu, quibus felicem ecclesiarum conjunctionis redintegrationem comprecabantur.

Pronuntiatum a concilio ex titulis jus nemini comparari.

(c) Ext. ib. Titulus mandati procuratorii.

(d) Ext. ibid.

Jacobus & Joanna se ac sua commendant concilio.

Et obsequia spondent.

(e) Ext. in eisd. actis mf.

Ceterum cum is titulorum ordo, & Sigismundi Regis & Ludovici Andegavensis oratoribus ingratus foret, iterum ut prius intercessere, uti prædictæ congregationis acta testantur: *Levavit se*, inquiunt, *dominus Augustinus de Pisis nomine dicti serenissimi principis Romanorum Regis, protestando quod nullum præjudicium ipsi Romanorum, & Hungariæ Regi fiet per titulos, quos ascribit sibi dominus Jacobus, quoad regna Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. & alias protestatus fuit, ut supra proxime fuit protestatus, nihilominus & reclamavit adversus dictam subscriptionem ipsarum literarum, missarum, & præsentatarum statim per ipsos dominos ambasciatores, in quibus titulis ascribit sibi titulos in dictis regnis. Similiter protestatus fuit prælibatus reverendissimus Guillelmus Cardinalis S. Marci, tamquam ambasciator, procurator, & nuntius illustrissimi principis Regis Ludovici, quoad titulos regnorum Jerusalem & Siciliæ, quos dixit fore ascribendos domino suo Regi Ludovico, qui est investitus per Romanam ecclesiam, & non ipse Rex Jacobus, nec sciret aliquem investitum de eisdem, nisi prædictum dominum suum. Super quibus protestationibus prædicti domini Augustinus, Cardinalis, & episco-*

Iterum eorum titulis intercedit orator Cæsareus.

Intercedit etiam Ludovicus Andegavensis.

piscopus Anicirafis, *petierunt a notariis sedis Apostolica & aliis scribis concilii unum & plura, publicum & publica instrumentum & instrumenta ad perpetuam rei memoriam*. Ad hæc Ardecinus Jacobi & Joannæ oratorum nomine subjecit, se vehementer mirari contra hujusmodi honorum apices ab æmulis intercessum fuisse, neque enim se Constantiam ad disceptandum de iis, sed vocatos primum a Pontifice, deinde a synodo, & ab ipso Sigismundo Romanorum Rege, pro ecclesiarum fœdere sanciendo accessisse, atque a concilio contendit, ut ex superioribus intercessionibus, nullum damnum regiis Jacobi & Joannæ apicibus afferretur.

Instat contra orator Neapolitanus ne ea intercessio fraudi sit.

Quibus peractis Laurentius orator Jacobi Regis proposito orationis argumento; *Gaudete quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*, cum in priori parte invictam Constantiam concilii Constantiensis commendasset; in secunda Jacobum ac Joannam, eorumque regna Romanæ ecclesiæ obsequio & mutuæ conjunctionis amplificationi sacravit; quibus de rebus nomine concilii a Francisco Cardinale Florentino actæ gratiæ.

XXIX. (a) Ext. in actis ms. congr. gen. hab. 16. septemb. (b) Ext. ib. Inducia Pruthenos inter & Polonos. Sæva Tartarorum in Russiam irruptio. (c) Chrom. rer. Polon. l. 18. (d) Ext. in actis ms. congr. gen. hab. 16. septemb.

Lectus in eodem patrum cœtu Wladislai Regis Poloniæ tum Michaelis (a) Chochimester equestris ordinis S. Mariæ Theutonicorum magistri, tum academiæ Cracoviensis doctorum (b) literas tradunt acta: initæ enim fuerant inter Polonos ac Pruthenos feliciter induciæ concilii, Sigismundi Romanorum & Caroli Francorum Regum rogatu magno rei Christianæ incremento; paulo enim antea ex Pruthenorum Polonorumque dissensionibus occasione captata Tartari in Russiam duce Ediga irruperant (c), & Kioviensem agrum ferro, flamma, rapinisque fœdaverant: ipsum etiam Kioviam diripuerant ac diruerant, arce tamen non erant potiti. Cum vero ex iis malis recreari induciarum beneficio res Christiana posset, gratissimæ de sedatis discordiis Wladislai Regis hæ literæ (d) concilio fuere.

Sacrosancto generali Constantiensi, concilio in Spiritu Sancto congregato, Wladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, Lituaniæ princeps, & heres Russiæ, ea quæ ad pacem sunt, & de felicibus universalis Ecclesiæ successibus licet in Domino gloriari.

Treugas pacis sicuti conceptæ & prorogatæ sunt, non obstantibus quibuscumque nostris dispendiis, suscepimus fide inconcussa observandas: nusquam enim credimus contra pacis quæcumque fœdera cuiquam hominum irrogasse injuriam, sicut nec de præsenti intendimus, nec volumus integritate fidei nostræ in aliquo derogare. Ceterum, patres præstantissimi, fides vestra constantia mundo annunciatur universo, ex eo quia a vinea Domini palmites pestiferos, sectas scilicet hæreticos, Scripturarum sarculo sapienter præcidentes in ignem mittitis. Verumtamen nos, qui non tantum decorem Domini diligere, sed etiam contra hostes fidei consuevimus audacias militare, quantum nobis congruit & fidei expedit catholicæ, pervigilem commisimus fieri custodiam, ne clam nec palam regnum nostrum cæteraque dominia nostra lupi rapaces sub ovina diploide subintrantes, tanquam serpentes pestiferi callide tandem adinvicem colligati virus effundant mortiferum, oves quoque dominicas pseudodogmatibus inficientes mortificent. Et licet portæ regni nostri talibus sint vetitæ, nihilominus si quempiam talium, ad dogmatizandum aliqua contra fidem orthodoxam, & sanctorum patrum decreta, intrare fecerit importuna præsumptio, tales per eandem viam, sed nec per aliam in suam revertentur regionem.

Graves de hæreticis querelas fundit.

In eos se animadversurum profitetur.

Gaudeamus præterea in Domino, quod sicut fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi, sic & vos gentes, quæ Deum ignorant, filios scilicet.. ad pura veritatis lavacra fideliter convocetis, dotat enim nobis intelligi & scribitur quomodo gentes dictæ multitudine instincta divino allectæ sint ad eam ad sanctissimum suam matrem Ecclesiæ aggregandam, quemdam reverend. patrem de gremio dominorum S. R. E. Cardinalium illuc Christo duce debere proficisci, junctis sibi RR. PP. Leopoliensi archiepiscopo & Vilnensi, qui reductis ad fidem dictis infidelibus, quot forent necesse, tam cathedrales quam parochiales ecclesias ac loca religiosa in nomine Domini, & sacri generalis Constantiensis auctoritate concilii erigant, erecta ædificari plantarique faciant, plantata sacrarum scripturarum doctrinis irrigent, & usque ad solidarum virtutum incrementa perducant, ad quæ nos una cum inclyto principe fratre nostro Alexandro, alias Vitoldo, magno duce Lituaniæ, tamquam ad optimam orthodoxæ fidei propaginem, quantum nobis de sursum a Patre luminum largitum fuerit, in iis, quæ ad fidem & exaltationem sanctæ matris Ecclesiæ, dictarum gentium, & aliorum quorumcumque & qualiumcumque sedi Apostolicæ rebellium quandocumque fuerint sibi necessaria, aut quomodolibet opportuna, concurremus: nisi enim tot guerrarum impediti fuissemus anfractibus, jam diu dictæ gentes & aliæ de ritu Græcorum, ad sinum sanctæ Romanæ ecclesiæ numerosa multitudine convolassent. Mittite ergo, precamur humiliter, quos missuri estis in agrum Domini operarios, ubi messis multa, operarii vero pauci, qui post messem colligendos fide, spe & charitate, exaltantes reportent manipulos, qui tandem dimissa mortalitatis palea ad cœlestis regni horreum colligantur; & hæc ad illius gloriam & honorem, qui suam

Postulati legati ad constituendas in Russia ecclesias.

Revocandorum a schismate Ruthenorum spes injicit.

am illibatam sponsam sanctam matrem Ecclesiam, tamquam in vastitate hostili positam, tot annorum lustris, proh dolor! constitutam scissuram, quæ vestris assiduis laboribus vult, ut speramus & oramus, iis diebus ad decus pristinum integritatemque reducere, sibique unica unicam indubitatam & utinam ut Aaron vocatam, & electam pastorem, & animarum nostrarum episcopum desponsare, quæ non sine ingenti mentis jubilo expectamur, recommittendo vestro dignissimo ac futuro summo Pontifici nos, regnum, terras, cæteraque nostra dominia, & signanter cathedralium conventualiumque ecclesiarum prælatos & clericos, supplicantes humiliter, quatenus ipsorum absentiam ob longa discrimina ac alia quamplurima incommoda, velitis nostra contemplatione pro hac vice habere excusatos, &c. Datum in castro nostro Chavinaii die 11. augusti anno Domini MCCCCXVI.

Expectati unius non ambigui Pontificis desiderium explicat. Se suaque omnia illi commendat.

XXX. (a) *Act. ms. congr. gen. 19. sept.* Reversi ex Hispania Constantienses legati. (b) *Ext. in iisd. act.* Navarræus & Fuxensis significant Petri e Luna jugum a se dejecisse. (c) *Ibid.*

Decima nona septembris die celebrati sunt iterum solemnes cœtus (*a*), in quibus oratores a concilio jam ante in Aragoniam, Castellam, Navarram, ac Fuxensem & Armeniacensem comitatus missi gestæ legationis ordinem exposuerunt, & Caroli Navarræ Regis literas (*b*) Stullæ avt. julii excurrentis anni exaratas tradidere, quibus ille Navarræos Petri e Luna, ob ejus perfidiam in alendo schismate, partes deserere jussit, utque Rex ipse Constantiensi concilio adhærere vellet. Alias etiam Joannis (*c*) Fuxi comitis literas tradidere, quibus ipse quoque clientes suos Petri e Luna jugum excutere imperarat: in quarum exordio præfatur, ut, ad tollendum schisma, cum aliis principibus junxisset studia, eamque ob causam ad eumdem Petrum e Luna se contulisset. Præterea retulere oratores ut Regi Castellæ concilii literas porrexissent. Dein a patribus confirmandæ concordiæ gratia omnes sententiæ vel a Gregorio XII. vel Joanne XXIII. ineundæ sacerdotiorum possessionis causa in Ludovici comitis Palatini Rheni, Joannis, Stephani, & Othonis ducum Bavariæ, Henrici & Willelmi ducum Brunsvicensium & Luneburgensium, tum Hermanni & Ludovici Langraviorum Hassiæ principibus fuerant inflictæ, edita sanctione (*d*) revocatæ sunt. Habita est die decimoquinta octobris vigesima secunda sessio in qua Regis Aragonum oratores, repudiato jam antea Petro e Luna, Constantiensi (*e*) concilio ex pactionibus Narbonæ confectis se conjunxere, admissique sunt a patribus hoc ritu: *Nos miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi Cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, prælati, & cæteri hic congregati supradictam unionem vestram acceptamus: & e converso nos vobis procuratoribus prædictis dicto nomine juxta tenorem dicti capituli unimus. Et sic tam prælati, quam ambasiatores prædicti dixerunt submissa voce. In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti; & super præmissis, petierunt instrumentum & instrumenta hinc inde: & præsidentes pro nationibus, ac Cardinalis Ostiensis pro collegio Cardinalium responderunt: Placet.*

(d) *Ext. in iisd. MS. actis* Sess. XXII. (e) *Acta conc. Constant. sess. 22.* Aragonii se Constantiensibus patribus conjungunt.

XXXI. De honoris gradu inter oratores Regum certatum. (f) *Act. ms. sess. 22.* (g) *Ibid.*

Collocati postea Aragonii fuere inter medios Regis Francorum oratores; alterno ordine, ut primus Joannes Gerson Gallus, dein comes Cardonæ Aragonius sederent: quod pacis studio factum, oratores Gallici in synodo denuntiarunt (*f*), ne inde jus aliquod dignitatis sibi Aragonius vendicaret: Jacobi pariter Regis Neapolitani & Joannæ II. oratores (*g*), qui post Francorum Regis oratores, Castellanis absentibus, debebant considere, post Anglicos oratores pacis ecclesiasticæ gratia sedes posituros, ita tamen ut ea res coronæ Neapolitanæ fraudi non foret. Datum publico decreto (*h*) etiam Alfonsi Aragonii oratoribus, ut tanto valerent pondere eorum suffragia in Hispana natione, quanto pollerent omnium præsulum & aliorum, qui ea omnibus ipsius regnis etiam ultramarinis ad concilium confluxissent, calculi: quo etiam beneficio Castellæ & Navarræ Regum oratores, qui venturi expectabantur, donati: verum adversus id decretum Ægidius Martini, & Velascus Petri Lusitani Regis oratores intercessere: ac prolixa oratione sunt conquesti, ea re Lusitani Regis dignitatem obteri, atque obsolescere authoritatem, cum Aragonius vocum numero potior, omnia moderaturus foret; inferri inde etiam injuriam Castellanis & Navarræis si dissentirent: si vero assentirentur eo magis Lusitanum nomen oppressum iri: Trinacriis, Sardis, & Corsis inuri injuriam, qui divellerentur e natione Italica, atque ad Hispanam traherentur, ac proinde omnia quæ inde forent consecuta, nullius futura roboris denuntiarunt: Aragones etiam contra fas omne eam pactionem Narbonæ firmatam extorsisse turpiter, cum nisi ea potirentur prærogativa, schisma dissolvere detrectarent, nec hujusmodi commentis Spiritum Sanctum gratiam influere. Revocatam postea a concilio fuisse quoad Sardiniæ & Trinacriæ regna memoratam prærogativam datam Aragoniis, atque inde vehementer Alfonsum exulceratum, ut etiam Petro e Luna faverit, visuri sumus. Editæ postea in eadem sessione fuere plures sanctiones, quibus uti conventum, erat, omnes censuræ jam ante latæ in Petri e Luna olim studiosos abrogatæ, confirmataque possessoribus sacerdotia a Petro ipso etiamtum collata.

(h) *Ext. in act. conc. Constant. sess. 22.* In distinguendis nationibus in concilio nonnihil certatum. Sardiniæ & Trinacriæ regna ad nationem Italicam revocata. Sess. XXIII. In Petrum e Luna inquisitum.

XXXII. (i) *Acta conc. Const. sess. 23.*

In vigesima tertia sessione celebrata quinta die novembris decretum est (*i*), nonnullos insignes viros e singulis nationibus se-

renunciandos, qui in Petrum e Luna de perjuriis, propagatoque ab eo schismate inquirerent, deque iis ad concilium referrent. Habita vero est ab Ardecino (a) consistorialium causarum patrono oratio in hæc verba: *Misereminì mei saltem vos amici mei*; & inducta Ecclesia, quæ patres Constantienses ad diuturnum schisma, quo vexata fuerat, dissipandum hortabatur. Movere (b) deinde Aragonii hanc litem, Anglos potiri eo privilegio non debere, ut ipsi nationis unius auctoritate in concilio excellerent: quam controversiam postea magis a Gallis auctam infra dicemus.

(a) Act. ms. in 23. sess.

(b) Ibid.

Sess. XXIV.

Vigesima quarta sessio celebrata est XXVIII. novembris die, in qua cum orta esset inter nationes, de dignitate loci, & ordine incedendi, contentio, lecta (c) est evangelica lectio: *Facta est contentio inter discipulos, quis videretur esse major*: tum re divina peracta, Franciscus Cardinalis Florentinus Petrum e Luna accusavit, quod toties a Regibus ac præsulibus rogatus, ut ex nuncupato sacramento controversos apices abiiceret, etiam tum in perfidia perstitisset: addiditque instructa acta judiciaria fuisse, testesque exceptos ab iis, qui a concilio causæ explorandæ præfecti fuerant, edictoque publico vocandum esse Petrum e Luna ad concilii Constantiensis subsellia. Lecta deinde est a Stephano Dolensi episcopo citatorii edicti formula, (d) quæ a singulis nationibus commendata est, ac dies septuagesima constituta, qua idem antipapa de hæresi & schismate judicium subiret.

(c) Act. ms. conc. Const. sess. 24.

Accusata ejus perfidia.

(d) Ext. in act. Const. sess. 24.

Constituta judicii dies.

XXXIII.

Sess. XXV.

(e) Act. con. Const.

Fuxensis comitis oratores in communionem recepti a concilio.

In sessione (e) vigesima quinta, habita die decimaquarta decembris Petrus Cardinalis e Fuxensi stirpe, Sanctius Olorensis, & Bernardus Adurensis episcopi oratores Fuxensis comitis, deserto Petro e Luna synodo Constantiensi se conjunxere.

Sess. XXVI.

Recepti etiam Navarræi oratores.

Sessio vigesima sexta celebrata est vigesima quarta decembris die, in qua Caroli (f) Regis Navarræ oratores se ritu solito concilio junxere, cum amplissima ad id potestate fulti essent, ut ex literis (g) regiis XII. septembris anni MCCCCXVI. datis constabat. Consultum deinde est publica sanctione mutuæ nationum concordiæ, ne ex iis, quæ gererentur in concilio, inter nationes novus ordo dignitatis constitueretur. Denique cum Leodiensis ecclesia schismatis occasione immensis calamitatibus attrita fuisset, & a Joanne Burgundiæ duce pressa servituro lugeret, Constantiense concilium illius clientelam hoc anno, pro libertate ecclesiastica asserenda, exaratis XI. kal. octobris literis (h) susceptis, atque Honorii III. pro immunitate sacri ordinis sanctiones valere edixis, Coloniensique archiepiscopo, ac Leodiensi & Trajectensi episcopis, dedit mandata, ut anathemate per-

Lites de honoris gradu inter nationes studio concordiæ obrogatæ.

Leodiensis ecclesia pristinæ libertati restituta.

(f) Act. conc. sess. 26.

(g) Ext. in act. ms. sess. 26.

(h) Formul. arch. bibl. Vat. sig. n. 80. sub fin.

culsos esse promulgarent omnes sine dignitatis discrimine, qui vel vectigalia Leodiensis cleri invaderent, vel ab iis aurum extorquerent. Eodemque anno gravissimi motus Neapoli adversus Jacobum Regem comitem Marchiæ concitati (i): siquidem Galli, quos secum adduxerat, gravissimam ob summam rerum administrationem gestam invidiam contraxerat: pro quo liberando Galliæ & Navarræ Reges ad Martinum Papam oratores decrevisse postea visuri sumus. Antequam hæc acciderent Theodoricus Niemius (k) audita dissidii fama scripsit Jacobum Regem, & Gallicos duces male excepisse Neapolitanos: *In hoc*, inquit, *modicum ad eandem dominam habendo respectum, & propter hoc domina & Neapolitani prædicti sunt malecontenti, nec non contra præfatam dominam Jacobum inceperunt murmurare. Igitur caveat sibi de ipsis, consula, si inter eos diu desiderat conversari*. Nec vana Theodoricus præsagiit, nam die XXVII. octobris oppugnatus Jacobus Rex a Neapolitanis Gallos dimittere exceptis paucissimis, & gubernacula abiicere coactus est, immo in liberalem custodiam traditus. At cum Neapolitani præclare se rem gessisse crederent, violato Regis Reginæque conjugali fœdere immunsis calamitatibus se mersere, nulla enim suscepta prole a Joanna Regina, cruentissima dein bella de regni successione gesta sunt. Tradit idem Theodoricus Niemius hæc de Anglorum Scotorumque bellis: *Quinta die mensis februarii alta nona dicebantur, scilicet qualiter Scoti hostes regni Angliæ ipsum regnum nuper intrassent iterata cum maxima multitudine armatorum, per mare solito more navigantes, & credentes Anglicos se posse in personis & bonis vehementer offendere. Ipsi autem Anglici de eorum adventu ad se tempestive provisi in magna fortitudine in eorum navibus etiam in mari hujusmodi Scotis occurrerunt, & durissimo bello inter partes hinc inde commisso, Scoti finaliter devicti & interfecti fuerunt*. Porro Gallia majoribus quam antea calamitatibus mersa est, aucto intestinis dissensionibus externo bello. Siquidem factionis Burgundicæ studiosi in miserum Regem regiæque procuratores conjurarunt (l), sumptoque de horum parte supplicio, pars alia proscripta Burgundi opibus & potentia fulta (m) per plures provincias omni maleficiorum genere sacra & profana ferro flammaque violavit: in quos edictum a Carolo Rege XXX. augusti hujus anni propositum affert Monstreletus (n). Addit Juvenalis Ursinus (o) pacem repudiatam ab Anglico senatu, & classem Gallicam, quam Burgundus Anglorum fœderatus clandestinus non juvit profligatam.

(i) Paradul. Collen. l. 5. Monst. vol. 1. c. 163.

(k) Niem. in vit. Jo. XXIII.

Scoti ab Anglis victi.

De Gallis Anglisque inter se conciliandis actum.

(l) Juven. Ursin. in Car. VI. hoc ann. & Monstr. vol. 1. c. 155. & alii.

Burgunda factio ingentium malorum causa.

Frustra consumpti a Sigismundo labores.

(m) Id. Mon. c. 153.

(n) Id. c. 158.

XXXIV.

(o) Juven. Urs. ubi sup.

Exantlavit toto anno Sigismundus magnos labores, ut inter Gallos Anglosque

que pacem componeret, quem a Carolo Gallorum Rege honorificentissime habitum scribit Theodoricus Niemius (a). Tradit etiam Monstreletus (b) illum in Angliam se contulisse, sed re infecta rediisse Constantiam; cujus optima consilia ex Theodorico ipso superiori anno retulimus, nempe ut post excissum schisma in concilio Constantiensi, pacatis Christianorum bellis, universalis expeditio ad Mahumeticam superstitionem delendam decerneretur, cum maxime a Mahomete crudelissimo tyranno oriens attereretur: idem vero miserum Græciæ statum his verbis describit. [t]

(a) Niem. in vit. Jo. xxiii. (b) Monstrel. vol. 1. c. 156.

Turcarum magni progressus.

Hoc autem tempore valde multiplicati sunt & fortificati Turcæ circa partes Albaniæ & Græciæ, nec non Romaniæ degentes; & in tantum, quod fere omnes illas & plures vicinas regiones Christianorum sibi per potentiam & crebras invasiones subdiderunt, & quia quamplures Christiani inter eos existentes, non habentes spem liberationis eorum a miserabili servitute, in qua existunt propter hujusmodi desperationem, a fide ipsa quomodolibet apostatarunt; nec non galeas & naves in adjutorium ipsorum Turcorum seu infidelium armarunt, cum quibus jam mare sulcant in magno numero valde: nec non terras & loca Christianorum prope ipsum mare consistentia violenter invadunt & derunt, ac solo coæquant, resistentes homines utriusque sexus abducunt, senes vero & debiles interficiunt, & ecclesias ac loca sancta in nihilum redigunt, & infinita alia mala contra ipsos Christianos quasi penitus derelictos impotentes attentant. Et vero nisi est cito ab eisdem Christianis resistatur viriliter & potenter, valde timendum est, ne alia loca & terras ipsorum Christianorum illuc consistentium, & quæ ipsi Christiani adhuc inhabitant, prædicti Turci & apostatæ Christiani cum eis, aut sibi subjiciant vel destruant, prout de aliis fecisse dicuntur. Hæc autem mala contingunt propter maximas divisiones, quæ sunt inter Christianos hodiernis temporibus; & quia subditi, præsertim in Italia, non bene recognoscunt dominos eorumdem, nec illis subesse curant, & in superbiam vehementer erecti, & quæcumque eis adjacent civitates & loca sibi subjiciunt, & illis per potentiam dominantur, nec ad Deum, nec ad hominem habendo respectum. Hæc Theodoricus e Niem in vita Joannis XXIII. vel potius sui temporis historia, quam accuratissime scribebat: qui cum adjectis pauciis aliis opus abruptum reliquerit, nec reliqua Constantiensis concilii gesta sit prosecutus, e vita hoc tempore migrasse videtur.

Plures Græci ex desperatione deficiunt ad Mahometem. Sæviunt deinde in alios Christianos.

Mutua nostrorum bella peperere.

Ex-

NOTÆ [t] Sigismundi regis ad concilium reditus cum sequenti anno componendus est. Totum enim hunc annum exegit in excursionibus e Gallia in Angliam; dein rediit in Galliam, ut pacem inter utramque gentem componeret. Cum frustra se obniti intelligeret regressus est tandem Constantiam, ubi solemni apparatu exceptus fuit die XXVII. januarii ejusdem anni 1417. ut constat ex fastis concilii Constantiensis a Cl. Vonder Hardt editis, recusisque in collectione Veneto-Labbeana to. XVI. col. 1437. &c. MANSI

I. Sessio XXVIII. Fridericus Austriacus Tridentinam ecclesiam opprimit. Sessio XXVIII. (a) Acta conc. Constan. sess. 27. (b) Ib. sess. 28.

EXtracta est in annum a Virgineo partu millesimum quadringentesimum decimum septimum indictione decima Constantiensis synodus, cujus sessio vigesima septima, februario mense est celebrata: in qua Fridericus dux Austriæ ob Tridentinum ac circumjacentem agrum ecclesiæ erepta jam ante in jus vocatus (a), cum ad dictam ipsi diem non affuisset, contumaciæ primum accusatus est: cum in proxima sessione (b) vigesima octava, die tertia martii pronuntiatum, pœnas antea propositas ipsum contraxisse, cum annis novem Tridentum oppressisset tyrannide, Gregorium episcopum, qui antea libera illius ditione potiebatur, conjectum in vincula ad injustas pactiones adegisset, postolatus judicio Sigismundi Romanorum Regis sententiæ assensurum juratus spopondisset, fideique immemor dominatione injusta abire detrectaret: *Volens præfata synodus*, ajunt acta, *tantam inobedientiam, & rebellationem notoriam ulcisci cum Apostolo* (c) *ne tanti mali* (d) *perpersitas transeat præsumptoribus in exemplum, per hanc sententiam, quam fert in his scriptis pronuntiat, decernit, & declarat, dictum Fredericum ducem Austriæ anathematis, & sacrilegii vinculis innodatum, perjuriique pœnam, nec non in pœnas privationis, & inhabilitatis, in constitutione Carolina contentas*, & infra, *comprehensas, & expressas incidisse, ipsiusque Friderici ducis Austriæ, & aliorum occupatorum, & detentorum loca quæcumque ecclesiastico supposita interdicto*. Ad frangendam vero armis Frederici pertinaciam, hæc sancita: *Cum nihil prosit sententias ferre, nisi sit qui eas debitæ executioni demandet, committit præfata sancta synodus præfato charissimo filio Ecclesiæ defensori, & advocato Sigismundo Regi Romanorum semper Augusto, cujus semper interest ad requisitionem Ecclesiæ contritas & oppressas ecclesias restaurare, & ecclesiasticas personas a violentiis & injuriis defensare, & eandem sententiam executioni demandare, & cæteris principibus, ac Christi fidelibus, ut ad restitutionem dictæ ecclesiæ, & civitatis Tridentinæ, & omnium bonorum, & jurium ipsius, & ejus integram libertatem & indemnitatem servandam contra dictum Fredericum Austriæ ducem & alios occupatores & detentores præfatos; ut nostrum præfatum mandatum realem executionem obtineat, brachium impendant, favorem, & auxilium gladii, & potentiæ omnimodæ sæcularis*. [1] Data Sigismundo provincia in Fridericum coercendum.

(c) Tim. 4. c. 4. (d) Ib. c. 1. Damnatur a Constantiensi concilio.

II. De Anglica natione lis mota ab Hispanis.

In eadem sessione vigesima octava ex Gallorum Anglorumque dissidiis nonnullæ in concilium turbæ dimanarunt: cum enim jam ante Aragonii Anglis litem intendissent, non videri ut Anglica natio æquanda esset cum omnibus Hispaniarum regnis, quæ unius nationis numero continerentur, Galli eam controversiam au-

xere

NOTÆ [1] ANnus iste Angelum Corarium olim Gregorium XII. pontificem maximum sustulit, virum natura bonum, virtute meliorem, æmulorum pontificum comparatione optimum. Quanquam enim vitam per se laudabilem semper egit; nonnihil tamen reprehensionis incurrisset in eo saltem, quod dignitatis suæ aliquandiu tenaciorem sese non sine magno ecclesiæ dispendio, & fidelium scandalo præbuit. Hæc tamen viri morositas, si cum pervicacia Benedicti, & Joannis inconstantia conferatur, ita minuitur, ut excusabilis videri possit. Sed & plane evanescit ea generosa illa & spontanea dignitatis cessione, quam ne rogatus quidem, obtulit & per Carolum de Malatestis præstitit, tanta animi moderatione, ut ne sibi quidem providere in reliquum vitæ tempus sustinens totum se concilii arbitrio permiserit. A concilio tamen cardinalis assertum episcopi titulum (vel Portuensis ut Niemio vel Tusculani ut Panvinio placuit) & in Piceno legationem obtinuit. Post eam cessionem, quam viro nomen immortale conciliare par erat, adeo tamen obscurus vixit, ut annus ejus emortualis vix aliter innotescat quam ex inscripta ad ejus tumulum in principe Recinatensi ecclesia epigraphe; mensem vero & diem ne hinc quidem discere liceat. Papebrochius in Propylæo diem IV. julii anni hujus Angelo emortualem assignat; sed authorem, e quo id accepit non indicat. Errasse tamen illum suspicor, cum scriptor ejus ætatis Italus, Marinus Sanutus, in vitis ducum Venetorum, quas vernacule scripsit vulgavitque Muratorius Rer. Ital. to. XXII. affirmet obiisse Angelum die VII. septembris. Sed neque de illa adhuc constare arbitror, cum author diarii Neapolitani Rer. Ital. to. XXI. qui sub hujus sæculi exitu scribebat, die XVII. junii decessisse illum perhibeat; quamvis in eo erret, quod non Recineti sed in Forojuliensi provincia occubuisse notat. Præferendum tamen esse Sanutum, scriptorem anonymo huic supparem, censeo, cum in Chronologicis non semel author iste labatur. Res ab eo gestas descripsisse Gregorium Polydurum Augustinianum Pisturiensem recte monet Pagius in Breviario, sed non recte opus illud recenset. Neque enim tantummodo pontificum Gregorii nomen præferentium gesta percensuit: sed consilio, ab eo quod postea Allatius sequutus est, non dissimili Gregorios omnes, quot nutat in ecclesia illustres uno eo libro complexus est, idque opus non sub Clemente VIII. scripsit ut Pagius asserit, sed sub Gregorio XV. cujus etiam res gestas persequitur. Denique prodiit liber Lucæ anno 1612. apud Guidobonum, nec satis exploratum mihi utrum typis Florentinis anno 1598. lucem prius aspexerit, quod Pagi excidit. Hæc satis de Angelo seu de Gregorio, cujus reliqua omnia ex annalibus repetas. MANSI

(a) *Act. ms. sess.* 28.

xere (*a*) : quorum dicta cum in sensum iniquiorem traducta ab æmulis essent, ita ii suam mentem explicuerunt : *Nunquam fuit intentio eorum, quod dominus Rex Angliæ & regnum suum non faciant seu non repræsentent unam nationem, sicut quodlibet regnum facere possit, aut quod non habeat vocem magnæ nobilitatis & auctoritatis, cum hoc etiam concedunt de quolibet alio Rege, immo etiam de quibusdam particularibus nationibus non habentibus Regem appropriatum; sed fuit eorum intentio, quod de jure non habent, nec habere debent, vel possunt talem nationem, quæ habeat vocem seu auctoritatem repræsentativam quartæ aut quintæ partis Christianitatis, seu totius obedientiæ Romani Pontificis, & quæ debeat aut possit de jure æquiparari voci seu auctoritati totius Italiæ, vel totius Galliæ, seu Hispaniæ, vel totius Germaniæ, quæ quatuor nationes principales multa regna & nationes particulares continent, quæ particularia regna dicta regna Angliæ merito possunt æquiparari: & quod ista fuit intentio, manifeste patet ex supplicatione.* Addidere in eo libello supplici causas, ob quas Anglia Alemaniæ adjungenda videretur, Castellanis & Navarræis concilio se aggregantibus, non enim posse conferri cum Gallicana Anglicam, quæ duos tantum archiepiscopatus complectebatur, & Germanica, cum illa plura regna amplissima contineat, Hispaniasve pariter in tot nationes distinguendas. At Angli oratores (*b*), ut pristinum ordinem dignitatis tenerent, plura in sessione XXXI. ad suæ nationis commendationem attulere, quorum oratio in actis ms. extat, ex qua pauca hæc delibamus.

An comparanda cum aliis nationibus ratione amplitudinis.

Objectum complecti duos tantum archiepiscopatus.

(b) *Act. ms. sess.* 31.

III. Anglorum argumenta pro suo honore afferendo.

Damus illa regalis Angliæ inter plures sanctos palmites, quos produxit, qui de facili narrari non poterunt, sanctam Helenam cum sua filia Constantino magno Imperatore nata in urbe regia Ebwracensi educere comperta est, qui infidelium terras plures ac crucem Domini de manibus infidelium ad Christianorum manus & fidem reduxerunt; interjectisque pluribus Constantini elogiis, addidere de religione ab Anglis suscepta amplificataque : *In regno Angliæ fides Christi continue stetit hucusque, quanquam temporum intervallis infidelium sævientium grandinosa tempestas ipsum regnum sic impleverit, quod fidem Christi ibidem pro parte extinguere conata est. Statim post passionem Joseph ab Arimathia nobilis decurio, qui Christum de cruce deposuit, cum duodecim sociis vineam Domini de mane colendam Angliam ultimo ingressus est, & populos ad fidem convertit, quibus Rex duodecim hidas terræ, in diœcesi Bathoniensi pro victu assignavit, qui in monasterio Blasconensi Bathoniensis diœcesis, ut scribitur, tumulantur.* Et infra : *Regnum insuper Angliæ, laudetur Altissimus, ab obedientia Romanæ ecclesiæ nunquam discessit, nec tunicam Domini inconsutilem scindere, nec unquam Romani Pontificis illudere obedientiam conatum est, &c.* Proposuere deinde pontificium imperium commode dividi in quatuor plagas sive partes posse, ut orientalis Hungariam, Bohemiam, Poloniam, & Alemaniam teneret; occidentalis Gallias & Hispanias complecteretur; septentrionalis Angliam, Scotiam, Hiberniam, Daniam, Sueciam, Norvvegiam; meridionalis Italiam, Cretam, Cyprum, & partem Græciæ, quæ Latinis paret, contineret, & in conciliis illum ordinem servari posse, ut de regnorum amplitudine nationumve potentia contentio sedaretur. Verum patribus nil novandum visum est, ac synodus in quinque nationes Italicam, Gallicam, Germanam, Hispanam, & Anglicam distincta est, quæ hic conjungenda visa sunt, ne eadem repetere cogeremur.

Joseph ab Arimathia Angliæ Apostolus.

Eorum sententia pro dividendo Christiano imperio.

IV. Sess. XXIX. Judiciorum ordo in Petrum e Luna.

(c) *Ib. sess.* 29.

In sessione vigesima nona die octava martii in jus vocatus (*c*) est Petrus e Luna ob contumaciæ crimen a causarum synodi actore : cumque missis ad valvas ecclesiæ duobus ultimis Cardinalibus diaconis, ac trina voce conclamatus non comparuisset, res in judiciaria instrumenta relata est. Tradiderant (*d*) jam ei agenti Paniscolæ vigesima prima die januarii, Lambertus, ac Bernardus Constantiensis synodi oratores libellum, quo in jus vocabatur, pendente ex eo bulla, in cujus parte altera capita Apostolorum Petri & Pauli expressa erant, in altera vero effictæ claves; diemque illi septuagesimum peremptorium indixere, quo decretoria in ipsum de schismate & hæresi sententia ferenda erat; ad quæ additis plurimis verborum fucis respondit (*e*), uti consueverat, Pontificem concilio non subesse : hæreseos vero crimen ita eluere conabatur, ementiens impudentissime se opinionem suam Ecclesiæ catholicæ sententiæ subiicere. At ejus verba placet adducere, cum ea, quæ sibi arrogabat, vero & non ambiguo Pontifici Romano congruant.

(d) *Ext. ea de re publ. instrum. in actis ms.*

Petri e Luna fallax responsum.

(e) *Ext. ejus resp. ibid.*

Respondet idem Papa, quod prædicti congregati in Constantia, non sunt generalis synodus, nec universalem Ecclesiam repræsentant, cum sint excommunicati ac omnibus ecclesiasticis dignitatibus, gradibus, authoritate, & jurisdictione privati, & per consequens nullas partes judicii potuerunt assumere, neque possunt, sicut nec etiam jurisdictionem aliquam exercere, præcipue cum minor in majorem, & maxime in Papam [quem nec juris authoritas, nec ratione debitum, nec alicujus obligationis necessitas ad hoc arctant] actum imperiosum exercere non possit. Quod bene claruit Theodorici Regis temporibus,

Hæreticorum more damnat ecclesiam.

Indubitati Pontificis jus falso sibi arrogat.

dum patres a principe pro concilio convocati, eidem catholice suggesserunt, Papam & non alium, etiam cum de sua causa agitur, & si accusaretur de haresi, debere synodum convocare: & in sacro Chalcedonensi concilio, dum in condemnatione Dioscori patriarchæ Alexandriai, propter hoc quod Papam judicere præsumpserat, prioris sceleris maculas, scilicet fautoria hæresis iniquitatem Dioscorus ipse dicitur transcendisse. Insuper constat manifeste, quod actus præsidentes in dicta congregatione sunt suspecti eidem domino nostro Papæ.

Universos ut pervicax suspectos ait. Jactat se unum esse Romanam ecclesiam.

Hi erant antipapæ fuci, ut arrepta flagitio pontificia insignia retineret: Qui præterea inani jactantia est usus: *Seipsum in Romanam ecclesiam numerando dixit, & etiam profitetur, quod in veritate fidei & in veritate Ecclesiæ catholicæ semper fuit & est, semperque se fuisse & permansisse firmiter credit, nec ab aliis umquam modo aliquo deviavit, sicut nec deviare intendit, nec favorem schismati & haresi aliquo modo dedit, sicut nec dare intendit, immo semper tenuit & tenet, firmiterque credidit & credit, quod sancta Romana & catholica ecclesia tenuit & tenet, profitetur & docet, nec aliud quod a prædictis deviet dicere, facere, scribere, docere, tenere, seu credere intendit inposterum, gratia divina eidem assistente, nilque pertinaciter seu incorrigibiliter dixisse, seu dicere voluit, nec intendit, sed omnia præterita, præsentia, & futura quæcumque dicta & dicenda, facta & fienda, scripta & scribenda, credita & credenda, docta & docenda subjicit & subjecta esse voluit correctioni & determinationi catholicæ Ecclesiæ sanctæ, & si contra præmissa, vel aliquid præmissorum dixerit, scripserit, aut fecerit quovis modo [quod non credit] paratus est semper stare correctioni dictæ sanctæ matris Ecclesiæ, in cujus unitate vivere intendit, atque mori sicut catholicus & fidelis, & facere & complere ea, ad quæ astringitur in præmissis, & quolibet præmissorum, &c.*

Delirat dum ait credere quod credit ecclesia dum se se unum ecclesiam credit. Jactantia de pia intentione communis illi est cum hæreticis.

Ingerit dein plures in concilium Constantiense calumnias; & contumeliosa verba, petiitque ut primum Pisani concilii acta abrogarentur, pollicitus apices pontificios se positurum ea lege, ut uni ipsi utpote ante schisma a Gregorio XI. Cardinali renuntiato, creandi Pontificis jus permitterent. Proposuit etiam aliam de eligendis compromissariis judicibus implicitam rationem, qua & Constantiense concilium dissolvebat, & in ambages litium, novosque schismatum fluctus Ecclesiam conjicere moliebatur.

Impudentissimum ejusdem postulatum.

V. Sess. xxx. (a) Ib. sess. 30.

Decima itaque martii die (a) in trigesima sessione prædicti oratores concilii, qui ad Petrum e Luna missi fuerant, exposuere ut Alfonsi Regis Aragonum ope illum in jus vocassent, datumque ab eo contumaa responsum retulere. Tum synodus Ferdinandi olim Regis Aragonum ac Siciliæ edictum, quo clientes suos abduxerat ab obsequio ejusdem Petri œcumenicam synodum dissolvere, atque ecclesiarum pacem disturbere annitente confirmavit. Rescissum præterea est a synodo antipapæ edictum Massiliæ apud S. Victorem xiv. kal. junias pseudopontificatus sui anno xiii. scriptum, quod ab iis verbis ducit exordium: *In dierum successu*; cum ecclesiarum redintegrandæ conjunctioni adversaretur.

Expositum concilio Petri e Luna pertinax responsum.

Rescissum ejus edictum contra pacem ecclesiæ.

In sessione trigesima prima navata (b) est opera a patribus asserendæ libertati ecclesiasticæ contra vim ac tyrannidem Philippi comitis Virtutum, qui Albertum episcopum Astensem injuste in vincula conjecerat, promulgatumque est ipsum contraxisse pœnas legibus metropolitanæ Mediolanensis ecclesiæ constitutas; tum ni episcopum custodia solveret, aliæ graviores pœnæ eidem comiti intentatæ fuerunt.

Sessio xxxi. (b) Ib. sess. 31. In Philippum comitem Virtutum actum judicia.

In trigesima secunda (c) kal. aprilis, trigesima tertia duodecima die maii, trigesima quarta quinto junii die sessionibus celebratis patres judiciario ordine in Petrum e Luna contumacem legum severitatem adhibere constituerunt, illumque ad œcumenicæ synodi decretoriam sententiam die constituta audiendam adesse jussere.

Session. xxxii. xxxiii. & xxxiv. (c) Ib. sess. 32. 33. 34. Et in Petrum e Luna.

VI. Sessio xxxv.

Aggregati sunt synodo in trigesima quinta sessione die decima octava junii habita oratores Joannis Regis Castellæ & Legionis, qui antequam Constantiam pergerent, Conchensem & Pacensem episcopos, ac Segobiensem, & Palentinum decanos & Joannem Ferdinandi de Rupeflorida oratores Regis Castellæ hæc (d) Petro e Luna pertinacissime fictum honorem retinenti denuntiare jussit: *Est injunctum in mandatis expresse, quod in hoc casu denegationis hujusmodi, postquam Deo prævio ad congregationem Constantiensem accesserimus, publicemus idem & approbemus nomine regio subtractionem obedientiæ sanctitatis vestræ olim pro parte ipsius Regis in Perpiniano factam & publicatam: & etiam, si expediens fuerit, quod eam faciamus & publicemus de novo, atque protinus cum adunatis in dicta congregatione jungamur & annamur, simulque cum eis ad hujus execrabilis schismatis exstirpationem & futuri summi Pontificis electionem juxta contenta in capitulis concordatis & firmatis Narbonæ, unanimiter procedamus. Hæc autem, beatissime pater, vestræ sanctitati, nomine quo supra, notificamus ad finem, quod inde sit avisata & certificata, quod nisi in effectu duxerit renunciandam, ut jam eidem supplicatum extitit & requisitum, ea quæ dicta sunt modo prædicto ad executionem trahentur indubie,*

(d) Ext. in biblioth. Barberin. tom. 2. de schism. p. 96. Castellæ Regis oratores denuntiant Petro e Luna discessionem.

Impiam videt Regi fovere schisma.

nam

num ipse Rex dominus noster pia considerazione ad Deum creatorem suum mentis intuitum dirigens, iniquum censet & impium in unione Ecclesiæ beatifica, sicut firmiter speratur, Altissimo disponente, propinqua sanctitati vestræ obediendo amplius impedimentum apponere; quinimmo ut pius & fidelis Ecclesiæ filius, cujus unioni verissime super cuncta humana se reputat obligatum, dictam unionem & pacem populi Christiani totis viribus & conatibus decernit laudabiliter procurare. Obfirmato in pertinacia Petro ii oratores una cum sibi adjunctis Ferdinando de Ayala, & Ferdinando Davalos ac Ludovico e Valle Oleti Constantiam profecti, conventa Narbonæ Sigismundum Regem Romanorum & synodi Constantiensis oratores inter & Castellæ, Aragonum, Navarræ Reges, Fuxique comitem implevere, quorum præcipuum (a) erat, ut Constantiensis Synodi patres, Reges, principes, ac præsules Petri e Luna sectatores per literas Constantiam excirent, hique vicissim Constantiæ congregatos in eadem urbe convocarent. Quibus gestis, admissaque mutua convocatione, initæ Narbonæ pactiones jam ante a synodo firmatæ ab oratoribus Castellanis ratæ habitæ sunt, cum facta antea Perpiniani Castellanæ ecclesiæ a Petro e Luna discessio, regiis perlectis literis, sacramento etiam nuncupato fuit sancita. Cum ita Galli, Aragones, & Castellani, Navarræi, Scoti antipapæ sui servitutis jugum excussissent, ille lamentis refertas literas (b) ad Carolum Francorum Regem dedit, in quibus ita exclamabat: *O pater maxime & optime, o salutifer Christe, ut quid natus sum videre mala gentis meæ? ut quid datus sum auctor, sponsus, & pastor, si non aliam opem, aliud solamen, & aliud ferri dabatur auxilium? Porro si sancti patres, quibus infausta tempestate successi, gemebant olim sub verendo pondere curæ pastoralis sicut Gregorius, & alii plurimi, etiam dum Ecclesia suo honore & prosperitate floreret, quid nunc dicturus sum in sua & in ea tam incomparabili calamitate, & in tanta malorum mole? Hinc vel maxime perspicuum esse debet, me in tali statu afflictionis & mœroris perniciose detinendo, non esse contumacem, alioquin profecto miserabilior & stolidior sum omnibus hominibus, qui miseriam certam cum certa damnatione quærerem: sed avertat hanc insaniam a servo suo misericors Deus, &c.* Hæc ille non aliter illusus a dæmone, quam ii, qui ambitione pontificalis consequendi fastigii fascinati, illud se omnino adepturos finxerant, de quibus hæc tradit Joannes Gerson in commentario de distinctione visionum falsarum a veris: *De multis jam audivi, quorum quilibet sibi relatum esse pro certo jam habebat, quod erat futurus Papa: inter quos quidem bene literatus & famosus, hoc etiam propria manu in scriptis, quæ legi, reliquit, & argumentis conjecturisque plurimis asserere conatus est. De alio similiter literato, per relationem accepi, primo persuasum esse sibi quod foret Papa, deinde antichristus, saltem præcursor antechristi, novissime ut seipsum perimeret, instigatus est vehementer, ne videretur tantum afferre nocumentum populo Christiano. Tandem Deo miserante ad saniorem mentem conversus, ista de se scripsit ad eruditionem & cautelam aliorum.*

Profecti Constantiam.

(a) Act. conc. Constant. sess. 35.

(b) Ext. apud Joan. Gers. in trialogo de materia schism.

Petri e Luna hypocrisis.

Miseriam suam deplorat.

Illusus fuit a dæmone.

Exempla illusorum a dæmone hominum.

VII. At infelix Petrus e Luna redeuntibus pene omnibus ad Ecclesiam, se ipsum ab ejusdem Ecclesiæ gremio exclusit, dum se more hæreticorum cum paucissimis sectatoribus Ecclesiam esse gloriabatur; quem ita arguit Gerson (c) de quo paulo ante memoravi: *Ecce temeritatem & pertinaciam adversus hoc sacrum concilium, & adversus omnes indifferenter, qui sibi non obediunt; unde & reputat solam Ecclesiam esse apud se & solum concilium generale, & quod cathedra sua est arca Noe, sicut dixit verbo, dans intelligi quod nullus extra hanc arcam salvabitur.* Et infra: *Petrus de Luna non excusatur, vel relevatur ab hæresi prædicta & pertinacia per generales protestationes, quas facit, quæ sic habentur in forma. Dicit ac etiam profitetur, quod in veritate fidei & unitate catholicæ Ecclesiæ semper fuit & est, semperque se fuisse & permansisse firmiter credit, nec ab illis unquam modo aliquo deviavit, sicut nec deviare intendit nec favorem schismati vel hæresi aliquo modo dedit, sicut nec dare intendit; immo semper tenuit & tenet, firmiterque credidit & credit, quod sancta Romana & catholica ecclesia tenuit & tenet, profitetur & docet.* Obduruisse Petrum e Luna in pertinacia non modo ob superbum ac procacem fastum, verum quod falsis etiam vaticiniis se deludi passus sit, refert Joannes Nider (d) ex Joanne archidiacono Barchinonensi, nimirum post multas gravissimasque persecutiones pontificatu tranquillo ipsum potiturum: ut vero in perfidum antipapam synodus animadverterit, dicere prosequamur.

(c) Jo. Gers. tom. 1. in artic. contra Petr. de Luna.

Inanes fuere ejus denunciationes.

(d) Jo. Nider formicar. l. 3. c. 1.

VIII. Constituta est in trigesima sexta sessione die XXII. julii habita contumaci antipapæ peremptoria dies vigesima sexta julii, atque edicto vulgata. Extant vero in concilii Constantiensis actis MS. judiciariæ in eundem Petrum actionis publicæ tabulæ, ex quibus aliqua delibanda ad illustrandam synodi æquitatem, quam postea nonnulli schismatici in crimen vocarunt: ac primo in iis propositum Petrum e Luna sæpius quod antea suis locis dictum est fidem jurejurando alligasse, suam, ad revocandam ecclesiarum con-

Sessio XXXVI. Dicta Petro e Luna dies peremptoria. Variæ ejus fraudes in colloquio agitando cum Gregorio.

Conciliabulum suum Perpinianense concilium œcumen. appellavit. Præsulibus abdicationem suadentibus intentat supplicia. Labitur in delirum hæresim ambitionis studio.

junctionem se incubiturum, deinde varias difficultates attulisse, ne schisma tolleretur; eum Perpinianensem conventum coegisse, atque illum œcumenicum concilium appellasse: cumque in eo a præsulibus consultum esset, ut legatos Pisas mitteret, quorum opera pontificatu se abdicaret, eorum ipsum consilia ægre passum, ac diros carceres ea de re verba facturis minitatum esse. Præterea post Pisanos ac Perpinianenses conventus, plures commentarios, in quibus multa contra fidem orthodoxam falsa dogmata continebantur, confirmasse, tum subditur: *Item quod dixit, scripsit, vel scribi fecit idem vocatus, ut præmittitur, Benedictus, quod si ivisset ad Pisanum concilium, vel misisset ad illud ad cedendum Papatui, ut aliqui sibi consuluerant & consulebant, jam non essent claves in ecclesia, nisi Deus iterum incarnatus fuisset, & claves de novo dedisset; & hoc est notorium.*

IX. Stante dubio parendum primo electo. Ergo Urbano parendum fuit ex antipapæ verbis. Conficit se antipapa propriis telis.

Item quod in tractatu, quem fecit, seu fieri fecit, & factum approbavit, & ratum habuit contra Pisanum concilium, qui incipit; Quia nonnulli in quarta parte via tertia §. *Subsequenter, aut alibi in dicto tractatu dixit & asseruit, & pertinaciter sustinuit, quod stante dubio hujus schismatis, aliqui qui non possunt certificari de veritate & justitia alterius contendentes de papatu, primo electo obediendo Papæ Benedicto XIII. scilicet sibi, quoad Deum in conscientia sunt, & essent securi; & hoc est notorium.* Eo axiomate Urbani & successorum partes confirmantur; si enim primum electo adhærendum est ob graves difficultates, certe ab Urbani & successorum obsequio non erat discedendum, cum Urbanus, antequam lis ei intenderetur, trium mensium intervallo excurrente ab universo orbe uti verus Pontifex cultus esset. Additur de pertinacia Petri e Luna: *Idem dicunt & proponunt dicti procuratores, & ministri, quod idem Petrus vocatus, ut præfertur, Benedictus, post præmissum per eum Perpinianum concilium, dixit & asseruit pertinaciter & constanter, quod si totus mundus diceret sibi, quod cederet papatui; & videretur sibi quod non sequeretur inde unio Ecclesiæ, ac videretur sibi quod non deberet cedere, ipse non cederet, & si totus mundus diceret sibi quod non cederet, & sibi videretur quod deberet cedere, ipse cederet; per hoc suum judicium, immo potius errorem, pertinaciter præferendo omni humano & Ecclesiæ universalis judicio, quod manifeste probat pertinaciam in errore, &c.* Pluribus interjectis, ut Joannes XXIII. exauthoratus sententiam synodalem laudasset, & Gregorius sponte pontificatu se abdicasset, digrediuntur acta ad Petri e Luna pervicaciam, qui a Sigismundo atque a-

Ejus pervicacia adversus omnem ecclesiam.

Non Cæsaris, non Regum, non concilii præfecerat monita.

liis Regibus, tum ab œcumenico concilio rogatus, ut de statu controversæ dignitatis recederet, cavillis omnes deluserit, ac Paniscolam avolarit: *Petrus de Luna,* inquiunt acta ipsa, *potens verbo cessionis, Ecclesiam Dei tot annorum curriculis laceratam unire potuit, id tamen facere renuit, & Regum, principum, prælatorum, & legatorum prædictorum monita, exhortationes, & requisitiones contemnens, precibus minime flexus est: quinimmo in præfata sua duritia, & pertinacia perseveravit & perseverat, ipsamque Ecclesiam Dei Christi sponsam vulneribus pestiferi schismatis afflictam deseruit & deserit absque medela totam universalem Ecclesiam notorie, incorrigibiliter, & pertinaciter scandalizando; sicque, ut prædicitur, fuit & est dictum, tentum, creditum, & reputatum, diciturque, tenetur, & reputatur, palam & notorie: & sic fuit & verum & notorium.*

Ejus sævitia contra universalem Ecclesiam.

X.

Perspecta tanta pertinacia Ferdinandum Regem eum destituisse tradunt acta judiciaria; Alfonsum etiam paterna secutum vestigia & Constantiensi synodo se conjunxisse: Regem pariter Navarræ, ac Foxi & Armeniaci comites, ab illo discessisse ac demum illum postulatum judicio, canina verba in synodum latrasse: *Idem,* inquiunt, *dominus Benedictus indignatus de citatione prædicta, & contra ipsum sacrum Constantiense concilium prosequens unionem Ecclesiæ tam diuturnis & indefessis laboribus, quos ex fervore devotionis ad unionem Ecclesiæ sustinuit, annis duobus, mensibus quinque cum gravibus expensis relictis propriis domibus, & rebus omnibus postpositis, dixit, asseruit verbo publico & authentico, quod Ecclesia Dei erat apud eum, & quod existentes in Constantia sunt sine capitis assistentia, velut membra præcisa a corpore, quæ sub clypeo vasta multitudinis, & nomine generalis synodi,* & infra, *Dei Ecclesiam dirumpunt, multisque modis perturbant,* & infra, *quod absque auctoritate Romani Pontificis non valeat generalis synodus congregari.* Propterea synodus dixit falsum esse Petri e Luna testimonium, propterea quod, ubi plures de pontificatu contendunt, synodi auctoritas ab ambiguo Pontifice non pendeat, sed a Christo, qui Ecclesiæ potestatem præficiendi sibi non dubii Pontificis contulit. Subiiciunt patres contra antipapam, qui falsa hypothesi nitebatur: *Item & hoc sacrum generale concilium, auctoritate Romani Pontificis, qui per multos multoque majorem partem Christianorum pro Romano & summo Pontifice habebatur notorie, videlicet per Joannem XXIII. sic in sua tam ampla, ut dictum est, obedientia nuncupatum, & ad prosecutionem serenissimi domini Sigismundi Romanorum Regis, & inter Reges omnes summi*

Blasphema in synodum verba.

& præ-

& præcipui, extitit convocatum, approbantibus & eidem concilio obedientibus aliis sereniſſimis Regibus, & regnis Franciæ, Angliæ, Aragoniæ, Siciliæ, Hungariæ, Navarræ, Poloniæ, Daciæ, Norvegiæ, Sueciæ, Dalmatiæ, Croatiæ, totaque Italia, Gallia, Germania, Anglia, Hibernia, & circumadjacentibus cæteris regionibus atque provinciis. Adde (quod majus eſt) a Gregorio XII. legati opera eandem ſynodum Conſtantienſem fuiſſe auctoritate inductam, ut ſchiſmatis fibras excinderet: *Item dixit idem Petrus vocatus Benedictus contra dictam citationem, quod ipſe non eſt de crimine ſeu fautoria ſchiſmatis diffamatus apud bonos & graves, ſed ſui & Eccleſiæ inimici ſchiſmatice, & hæretici conantur contra veritatem notorium ipſum de hujuſmodi crimine, & illius fautoria diffamare, quod videtur intelligere de iſto ſacro concilio: & hoc eſt notorium.* Et infra.

Probos tantum appellat more hæreticorum qui ſecum ſentiant.

XI. *Item dicunt & proponunt iidem promotores & proſecutores, quod idem Petrus vocatus Benedictus, contra dictam citationem opponens, dixit & aſſeruit verbo & in ſcriptis authenticis, quod congregati in Conſtantia, ſic enim vocat illos, non ſunt generalis ſynodus, nec univerſalem Eccleſiam repræſentant, aſſerens verbo & in ſcriptis authenticis cauſam per eum prætenſam, & dicens quia ſunt excommunicati, & omnibus dignitatibus eccleſiaſticis, gradibus, & auctoritatibus ac juriſdictione privati; & conſequenter quod nullas partes judicii poterunt aſſumere, neque poſſunt, neque etiam juriſdictionem aliquam exercere, & præcipue, ut dixit, & aſſeruit ſupra, quod minor in majorem, & permaxime in Papam, quem juris auctoritas, nec rationis debitum, nec alicujus obligationis neceſſitas ad hoc arctant, actum imperioſum exercere non poſſunt. In quibus aſſertionibus, qui & quales errores ſequantur, & quot & quales contineant dictæ aſſertiones, judicet ipſum ſacrum concilium: præmiſſaque notoria ſunt & vera.* Et infra.

Contendit falſo ſe majorem eſſe concilio.

Item dicunt & proponunt, & probare intendunt quod diviſio Eccleſiæ univerſalis in tam magnas partes adeo firmata eſt, & qualibet pars in ſua credulitate, de papatu ita ſolidata, quod etiam attentis promiſſionibus & juramentis factis per dictum dominum Petrum de ceſſione fienda, requiſitionibus ſibi factis, & recuſationibus, cavillationibus, & diffugiis per eum quæſitis impoſſibile eſt humanitus, aut ſaltem reputatur, & communiter creditur quod numquam pars ſibi non obediens, quæ eſt major in decuplo totius populi Chriſtiani, ad illius obedientiam trahi nec adduci poſſet, & infra, *cum poſt depoſitionem Joannis olim XXIII. ac ejuſdem domini vocati Gregorii renunciationem, totius pondus ſchiſmatis fuiſſe & eſſe ſupradictum Petrum dictum Benedictum noſcatur, & in ſua poteſtate fuiſſe & eſſe, tollere, ſchiſma, & unire Eccleſiam per ſuam ceſſionem, quod facere tacite & tam pertinaciter recuſavit, & recuſat;* & infra: *quare perjurus ſcandalizator univerſalis Eccleſiæ, ſchiſmaticus & hæreticus incorrigibiliter eſt cenſendus, & ab Eccleſia ipſius Dei juſta judicio præciſus, aut ſaltem a ſuo prætenſo papatu amovendus.*

Pars non obediens Petro e Luna decuplo major extitit.

Poſt æmulorum abdicationem apparuit ipſum ſchiſmatis cauſam fuiſſe.

XII. His propoſitis, concilii cauſarum actores contendere a patribus, ut in Petrum e Luna ut obnoxium œcumenicæ ſynodo, ob ſummam controverſi pontificatus ambiguitatem & ſchiſmatis propagationem, decretoriam ſententiam ferrent. Itaque vigeſimaſexta julii die recurrente in trigeſima ſeptima ſeſſione (a) in Eccleſiæ foribus Petrus e Luna præconis voce vocatus fuit; eumque non adeſſet, anathemate a concilio eſt perculſus, atque omni controverſo in pontificatum jure deturbatus, *Sancta ſynodus, &c. decernit,* & infra, *Petrum de Luna, Benedictum XIII. ut præmittitur nuncupatum, fuiſſe & eſſe perjurum, univerſalis Eccleſiæ ſcandalizatorem, fautorem & nutritorem inveterati ſchiſmatis, & inveteratæ ſciſſuræ & diviſionis Eccleſiæ ſanctæ Dei, pacis & unionis ejuſdem Eccleſiæ impeditorem & turbatorem ſchiſmaticum & hæreticum, ac a fide devium, & articuli fidei, unam ſanctam catholicam Eccleſiam, violatorem pertinacem, cum ſcandalo Eccleſiæ Dei, incorrigibilem notorium & manifeſtum, ac omni titulo, gradu, honore, & dignitate ſe reddidiſſe indignum, a Deo ejectum & præciſum, & omni jure eidem in papatu & Romano pontificatu ac Romana eccleſia quomodolibet competente, ipſo jure privatum, & ab Eccleſia catholica tanquam membrum aridum præciſum, ipſumque Petrum quatenus de facto papatum, ſecundum ſe tenet, eadem ſancta ſynodus papatu & ſummo eccleſiæ Romanæ pontificio, omnique titulo, gradu, honore, dignitate, beneficiis & officiis quibuſcumque ad omnem cautelam privat, deponit, & abjicit, eidemque inhibet, ne deinceps pro Papa aut Romano & ſummo Pontifice ſe gerat.* Et infra: *Declarat inſuper & decernit omnes & ſingulas inhibitiones, omneſque proceſſus & ſententias, conſtitutiones & cenſuras, & alia quæcumque per ipſum factas, factas, & facta, quæ poſſent præmiſſis obviare irritos, irritas, irrita, atque irritat, revocat & annullat, cæteriſque pœnis quas in præmiſſis caſibus jura ſtatuunt ſemper ſalvis.* Oblatravit contra hæc antipapa, magiſque obduruit in pervicacia, atque in latibulo Paniſcolenſi impietatis ſedem tenuit a paucis ſuæ factionis hominibus cultus, de cujus infelici exitu agetur ſuo loco. Nunc Conſtantienſis ſynodi hiſtoriam proſequimur.

Seſſio XXXVII. (a) Act. concil. Conſt. ſeſſ. 37.

Pronunciatur ſchiſmaticus & hæreticus. Oppugnavit articulum unam ſanctam catholicam.

Omni jure & honore exauctoratur. Ejus edicta reſciſſa.

Repugnat & Paniſcolæ in ſedem peſtilentiæ retinet.

In

XIII. Sessio xxxviii.

In coacta trigesima octava sessione, vigesima octava die julii, abolitæ fuere sententiæ contra Joannis Regis Castellæ administros, atque Henrici principis Aragonii oratores a die primo aprilis anni MCCCCXVI. latæ ab eodem Petro: Revocata etiam Castellæ Regis oratoribus postulantibus prærogativa Regis Aragonum antea concessa, ut in natione Hispanica Aragonum suffragia tantum valerent, quanta suffragia præsulum cunctorum regnorum quæ cis & ultra mare obtinet, auctoritate pollerent; maxime cum Lusitaniæ Regis orator illi intercessisset, & synodus de Regum juribus nil decernere statuisset.

Prærogative de suffragiis concessa Aragonio rescisse.

Sessio xxxix.

Nona mensis octobris die conceptum est decretum in trigesima nona sessione, de conciliis œcumenicis, recurrente certo annorum numero, celebrandis, cum ob intermissos synodos disciplina ecclesiastica obsolevisset. At præsules qui hoc decretum protulere, postea segnes in adeundis conciliis extitisse postea videbimus; ex quo nonnulli factiosi in Basileensi concilio rerum novandarum occasionem captarunt: quocirca iterum sublata fuit a Pontificibus conciliorum frequentia.

Si schisma oboriatur ex currente anno celebrandum concilium.

Ad dissolvenda vero schismata, quæ exoriri in Dei Ecclesia possent, hæc sanxere patres: *Si vero [quod absit] in futurum schisma oriri contingeret, ita quod duo vel plures pro summis Pontificibus se gererent, a die qua ipsi duo vel plures insignia pontificatus publice assumpserint, seu ministrare cœperint, intelligatur ipso jure terminus concilii, tunc forte ultra annum pendens ad annum proximum abbreviatus, ad quod omnes prælati & cæteri, qui ad concilium ire tenentur; sub pœnis juris & aliis per concilium imponendis, absque alia vocatione conveniant, nec non Imperator cæterique Reges & principes, vel personaliter vel per solemnes nuntios tanquam ad commune incendium extinguendum, per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi, ex nunc exhortati conveniant: & quilibet ipsorum pro Romano Pontifice se gerentium, infra mensem, a die qua scientiam habere potuit alium vel alios assumpsisse papatus insignia, vel in papatu administrasse, teneatur sub interminatione maledictionis æternæ & amissione juris, si quod forte sibi quæsitum esset in papatu, quam ipso facto incurrat; & ultra hoc ad quaslibet dignitates active & passive sit inhabilis, concilium ipsum ad terminum anni prædictum in loco deputato prius indicere & publicare ad celebrandum, & per suas literas competitori vel competitoribus, ipsum vel ipsos provocando ad causam, & cæteris prælatis, ac principibus, quantum in eo fuerit, intimare; nec non in termino præfixo sub pœnis prædictis ad concilii locum personaliter se transferre, nec inde discedere, donec per concilium causa schismatis plenarie sit finita hoc adjuncto, quod nullus ipsorum contendentium de papatu in ipso concilio, ut Papa præsideat.* Hoc intelligendum est de eo Pontifice, cujus jus ambiguum esset, non de eo, cui non ambigua jura obtinenti impudens antipapa se opponeret.

Quis modus in eo cogendo servandus.

Ut non dissolvendum sit concilium nisi dissoluto schismate.

Quinimmo, ut tanto liberius & citius Ecclesia unico & indubitato pastore gaudeat, sint ipsi omnes de papatu contendentes, postquam ipsum concilium inceptum fuerit, auctoritate hujus synodi ipso jure ab administratione suspensi, nec eis aut eorum alteri, donec causa ipsa per concilium terminata fuerit, quomodolibet a quoquam sub pœna fautoriæ schismatis obediatur. Quod si forte electionem Romani Pontificis, per metum qui caderet in constantem virum, seu impressionem de cætero fieri contingat, ipsam decernimus nullius efficaciæ vel momenti, nec posse per sequentem consensum, etiam metu prædicto cessante, ratificari vel approbari: non tamen liceat Cardinalibus ad aliam electionem procedere, nisi illo sic electus forte renuntiet vel decedat, donec per generale concilium de electione illa fuerit judicatum; &, si procedant, nulla sit electio ipso jure, sintque secundo eligentes & electus, si ipse papatui se ingesserit, omni dignitate & statu etiam cardinalatus & pontificali ipso jure privati, & inhabiles de cætero ad eosdem, ac etiam ad papalem, nec etiam in aliquo eidem secundo electo ut Papæ sub pœna fautoriæ schismatis obediatur quoquo modo; & eo casu concilium de electione Papæ provideat illa vice.

Vetita secunda electio ni primus electus se abdicaverit, vel decesserit. Damnatum Cardinalium contra Urbanum VI. facinus.

XIV.

Addunt patres, si metus in pontificia creatione incussus sit Cardinalibus, licere ipsis, immo obstringi officio, vel omnes vel maxima ex parte, quamvis fortunarum jactura immineat, cum primum suæ saluti consultum fuerit, ad tutum locum se conferre, excitisque tabellionibus ac testibus gravibus in loco insigni metus causas exponere, ac speciem & qualitatem illius exprimere, & sacramento firmare, metum invidia calumniave ipsos non prætexere, ac tam designatum Pontificem provocare ad concilium, quod si ampliori unius anni intervallo celebrandum foret, ad annum contrahatur: tum etiam Cardinales & electus, excurrente unius mensis spatio a provocatione facta, obstricti sint cardinalatus & sacerdotiorum jactura proposita, concilii locum indicere, seque eo conferre, sententiamque accipere. Jussi vero sunt præsules si designatus Pontifex ipsos convocare supersederet, ad concilium a Cardinalibus indictum adire, electus vero concilio præesse vetitus, atque ab synodi exordio sacrosanctæ potestatis exercendæ jus ipsi ad tempus ademptum: *Quod si infra annum,*

Si metu extorta electio fuerit quid mox agendum.

Ut concilium cogendum sit.

in.

inquiunt, *ante diem indicti concilii contingant supradicti casus, videlicet quod plures gerant se pro Papa, vel quod unus per metum vel impressionem eligatur, censeantur ipso jure tam se gerentes pro Papa, quam electus per metum seu impressionem, & Cardinales ad dictum concilium provocati; teneanturque in ipso concilio comparere personaliter, causam exponere, & judicium concilii expectare. Sed si dictis casibus occurrentibus, contingat forte casus aliquis, quo necessarium sit locum concilii mutare, ut obsidiones, guerra, aut pestis, vel similis, teneantur nihilominus tam omnes supradicti, quam omnes prælati, cæterique qui ad concilium ire tenentur, ad locum proximiorem, ut præmittitur, qui sit habilis ad concilium, convenire, possitque major pars prælatorum, qui infra mensem ad locum certum declinaverint, illum sibi & aliis pro loco concilii deputare. Concilium autem, ut præfertur, convocatum & congregatum de hujusmodi schismatis causa cognoscens, & in contumacia electorum, seu gerentium se pro Papa, vel Cardinalium, si forte venire neglexerint, litem dirimat, atque causam definiat, ac culpabiles in schismate procurando, seu nutriendo, vel in administrando, seu obediendo & administrantibus favendo, seu contra interdictum superius eligendo, vel calumniose allegando metum, etiam ultra prædictas pœnas, cujuscumque status, gradus, aut præeminentiæ existant, ecclesiastica vel mundana, sic puniat, ut vindictæ rigor luceat cæteris in exemplum.*

Si incertis casibus deliberetur, quid tentandum.

Pertinet ad concilium causam de Pontificatu contendentium dirimere.

XV.
Formula fidei quam professuri sunt novi Pontifices.

Decrevit præterea synodus, ut Romanus Pontifex in ipso pontificatus exordio, ad catholicæ splendorem fidei, illam ex concepta hac a synodo ipsa formula profiteretur: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Anno a nativitate Domini, &c. Ego N. electus in Papam omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscepi, & B. Petro Apostolorum principi corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere sanctam fidem catholicam, secundum traditiones Apostolorum generalium conciliorum, & aliorum sanctorum patrum, maxime autem sanctorum octo conciliorum universalium, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti & sexti Constantinopolitanorum, septimi item Nicæni, octavi quoque Constantinopolitani; nec non Lateranensis, Lugdunensis, & Viennensis generalium etiam conciliorum; & illam fidem usque ad unum apicem immutilatam servare, & usque ad animam & sanguinem confirmare, defensare, & prædicare; ritum quoque pariter sacramentorum ecclesiasticorum catholica Ecclesia traditum omnimode prosequi & observare. Hanc autem professionem, & confessionem meam per notarium scriniarium S. R. E. me jubente scriptam, propria manu subscripsi, & tibi omnipotenti Deo pura mente & devota conscientia super tali altari, &c. synceriter offerendo in præsentia talium, &c.*

XVI.
Sessio XL.
(a) Act. conc. Constant. sess. 4.

In sessione quadragesima die trigesima octobris (a) actum est de iis, quæ a Pontifice futuro in meliorem ordinem redigenda forent, antequam synodus solveretur, cum ex schismatis diuturnitate ecclesiastica disciplina non parum defloruisset. Actum deinde est de Pontifice, nullo respectu habito Cardinalium Petro e Luna adhærentium, qui vocati venire contempsissent, renuntiando; utque ea res majori integritate & ordine celebraretur, constituit concilium, ut e singulis nationibus sex præsules, vel alii conspicui viri ecclesiastici delecti Cardinalibus, ea tantum vice, adjungerentur; cum id sanxit: *Ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, quia duabus partibus Cardinalium, in conclavi existentium, & a cujuslibet nationis duabus partibus, eisdem Cardinalibus adjunctorum electus fuerit & receptus, quodque non valeat electio, nec electus pro summo pontifice habeatur, nisi duæ partes cum Cardinalibus ad eligendum adjungendorum & tunc adjunctorum consentiant, & consenserint in Romanum Pontificem eligendum. Statuit insuper, ordinat, & decernit, quod vota quorumcumque in electione hujusmodi emittenda, sint nulla, nisi, ut præmittitur, duæ partes Cardinalium & duæ partes cujuslibet nationis adjungendorum & tunc adjunctorum prædictorum, præsentialiter seu per accessionem in unum concurrant.* Addidere patres, ut qui aggregarentur Cardinalibus ad Pontificem eligendum, vetera instituta & decreta Pontificum de electione Papæ, ut ipsi Cardinales, observarent, jurarique spponderent, privatis commodis Christianam rem se antelaturos atque in ipsa Constantiensi urbe conclave appararetur, ut lapso decem dierum spatio electores convenirent; qua de re proximo annalium tomo dicetur.

Non est Pontifex qui a duobus partibus Card. delectus non est.

I.
Hic incipit volumen XVIII. Raynaldi.

Anno a partu Virginis millesimo quadringentesimo decimo septimo, indictione decima, diuturno atque exitiali schismate depulso, Latinæ ecclesiæ singulari Divinæ providentiæ beneficio in pristinam concordiam redactæ fuere in Constantiensi concilio: sicque discissa diu membra, sub uno non controverso capite, nimirum Martino V. sese conjunxere. Uti vero is renuntiatus fuerit Romanus Pontifex, ordinem temporum secuti differemus.

Latinæ ecclesiæ sub uno capite conjunctæ.

Recurrente octava novembris die, quadragesima prima sessio celebrata est, in qua patres Clementis VI. sanctionem con-

fir-

Creandi novi Pont. apparatus.

firmarunt, quæ acerbitatem constitutionis Gregorii X de conclavis angustiis, & victo parciore temperabat, permittebatque, ut Cardinales cortinis interjectis dum se ad quietem componebant, segregarentur. Distincta etiam fuere rerum capita, ad quæ servanda electores & conclavis custodes se jurejurando erant devincturi. Quin etiam Sigismundus Romanorum Rex in solio considens, cruce & evangeliis, quæ duo Cardinales detulerant, manu contactis solemne jusjurandum de tuendis iis legibus concepit. Appellati deinde sunt singuli præsules, qui una cum Cardinalium collegio ad renuntiandum Pontificem decreti fuerant; damnatus mos, qui inoleverat, ut ædes illius, qui ad pontificiam dignitatem evectus esset, impune expilarentur; utque major integritas in deligendo Christi vicario adservaretur, pactiones omnes, sacramenta, promissa, quibus libertas electorum læderetur, rescissa fuere.

II. Odo Columnensis creatus Pontifex. Cardinalium nomina.

Subdunt acta (a), quomodo eadem die octava novembris, qua superiora gesta, triginta viri spectatissimi ex universis nationibus delecti conclave sunt ingressi una cum Cardinalibus, qui antea vel Joanni, vel Gregorio, vel Benedicto adhæserant, numero viginti tribus; quorum nomina recensenda (b) visa sunt: *Joannes episcopus Ostiensis Viviernus S. R. E. Vicecancellarius dictus Vivariensis, Angelus episcopus Prænestinus nuncupatus Laudensis, Petrus episcopus Sabinus de Hispania, Jordanus episcopus Tusculanus de Ursinis, Antonius episcopus Portuensis Bononiensis, Franciscus S. Crucis in Hierusalem Venetiarum, Joannes Dominici tit. S. Sixti Ragusinus, Antonius tit. S. Susannæ Aquilejensis, Gabriel tit. S. Clementis Senensis, Branda tit. S. Clem. Placentinus, Angelus tit. SS. Marcellini & Petri Veronensis, Petrus tit. S. Chrysogani Cameracensis, Thomas tit. SS. Joannis & Pauli Tricaricensis, Alamandus tit. S. Eusebii Pisanus, Guillelmus tit. S. Marci dictus S. Marci, Antonius tit. S. Cæciliæ de Chalanco, Simon tit. S. Laurentii in Lucina Rhemensis, Petrus tit. S. Stephani in Cælio Monte de Puxo, Ludovicus tit. S. Adriani de Flisco, Raynoldus tit. SS. Viti & Modesti de Brancaciis, Amedeus S. Mariæ novæ Saluciarum, Odo S. Georgii ad velum aureum de Columna, Lucidus S. Mariæ in Cosmedin de Comitibus.* [t]

(a) Extat apud Contelor. in Mart. V.

(b) Felix Contel. in Mart. V. ex lib. official. Rom. cur. ex lib. 'parti. sup. & ex actis concilii Const. MS.

Latis, ut moris est, suffragiis, demum die S. Martino sacra Odo Columna Cardinalis Pontifex renuntiatus fuit: *Die jovis*, inquiunt acta, *in festo S. Martini episcopi undecima supradicti mensis novembris, reverendissimi reverendique patres, & domini S. R. E. cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates aliique electores prædicti in conclavi prædicto existentes, reverendissimum in Christo patrem, & dominum dominum Odonem de Columna S. Georgii ad velum aureum diaconum cardinalem de Columna vulgariter nuncupatum, natione Romanum, concorditer in Romanum pontificem elegerunt, qui Martinus Papa V. nominari voluit.* Si ad accuratius examen is numerus revocetur, non V. sed III. dicendus esset: sed cum jam ante, Martinus Nicolai III. successor ob Marini primi, & secundi nomina cum Martini nomine a vulgo confusa, Martinus quartus fuisset vocatus, qui secundus re ipsa erat, visum est quinti cognomen adjungendum. Pergunt acta.

Martini V. nomen accipit.

Et sic per serenissimum, & invictissimum principem dominum Sigismundum Romanorum Regem, una cum sancta synodo apud prædictam ecclesiam majorem hujus civitatis

NOTÆ [t] DE electione novi pontificis acturus hic annalista ea narrat quæ scriptorum omnium consensu certa & explorata sunt, videlicet post discussum maxima consiliorum varietate negocium in eam tandem sententiam successum fuisse, ut electio a Cardinalibus trium obedientiarum (ita enim appellabantur Benedicti, Joannis & Gregorii Cardinales) præstaretur, quibus tamen singulæ nationes (in quinque enim nationes concilium totum distinguebatur) sex viros a se delectos adjungere permissæ sunt. Delectos viros non recenset annalista; sed ex actis concilii singulorum nomina innotescunt, atque ex iis discimus hos viros nec omnes fuisse ex patribus concilii, neque ecclesiasticos omnes, cum inter cæteros recenseatur legatus regis Lusitaniæ Pandulfus de Malatestis, aliosque nonnulli quos laicos fuisse viros non dubito. Conclavis illius acta nemo veterum descripsit; quare gratam me operam lectoribus præstiturum censeo, si ea retulerim, quæ scripsit Jacobus, tunc archiepiscopus Turonensis, hoc ipso deinde anno ad cathedram Ebredunensem translatus, qui e natione Gallicana delectus electioni huic interfuit. Hæc vero ille adnotavit ad calcem codicis sui MS. vulgavitque Martene Anecdot. to. III. col. 1547. *Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo in octobri fui ego Jacobus archiepiscopus per nationem Gallicanam concilii Constantiensis electus pro eligendo papam, una cum cæteris aliarum nationum & DD. cardinalibus; & octavo die novembris, anni prædicti, intravi conclavem cum aliis, & die II. dicti novembris fuit electus in papam Cardinalis Columna, qui fuit vocatus Martinus. & multi habuerunt voces inter quos alter eram Otto (sic). Tamen prædictus Dominus cardinalis finaliter propter differentias nationum habuit omnes. Quia tamen eundem bene non cognoscebam, fui ultimus, qui post requisitionem vota sua eum elegi cum animo & certitudine quod Dominus in simplicitate sua complacentiam recepit, qui hominum corda prout vult inclinat & acceptum habet hunc magis quam illum.* MANSI

tatis Constantiensis maximis cum solemnitatibus, & laetitia fuit inthronizatus. Initiatus deinde est sacerdotalibus, & pontificalibus sacris a Joanne episcopo Ostiensi: tum solemni ritu, spectante populo, corona redimitus ab Amedeo Saluciarum Cardinale diacono, nec non triumphali pompa Sigismundo Romanorum Rege, ac Frederico marchione Brandeburgensi equi Pontificii lora tenentibus, per Constantiensem urbem circumductus; quae describuntur in actis hisce verbis: *Pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini domini Martini divina providentia Papae V. anno primo die dominica, vigesima prima supradicti mensis novembris idem sanctissimus dominus noster more solito, & in coronationibus Romanorum Pontificum hactenus observari consueto, fuit apud ecclesiam Constantiensem honorifice coronatus, & demum per dominos sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, aliosque praelatos, ambasiatores, & Romanae curiae officiales, in sacrosancta synodo praedicta praesentes; necnon illustrissimum principem dominum Sigismundum Romanorum Regem a dextero, & illustrissimum principem dominum Fredericum marchionem Brandeburgensem sacri Romani Imperii archicamerarium, & electorem, a sinistro lateribus ejusdem Domini nostri Papae per equi fraenum, in quo sedebat, una cum populosa multitudine processionaliter ab Ecclesia Constantiensi praedicta usque ad monasterium S. Augustini conductus, & per circuitum ad Constantiensem ecclesiam praedictam fuit solemnissime reductus.*

Solemni ritu coronam redimitus.

Ducta ab eodem triumphalis pompa.

III. Narrat Joannes Nider (a) lepidam historiam: nimirum quemdam virum religiosum ordinis Praedicatorum, qui concepta ex somniis de pontificatu spe, vanum tandem errorem agnovit confessusque est: *Quomodo*, inquit, *deludantur qui somniis faciliter credunt, de hoc sume tale exemplum. Novi quendam fratrem nostri ordinis Jodocum nomine de conventu Constantiensi professum, pro nunc boni zeli, qui cum junior existens non tam fuit velut modo moribus, & conscientia compositus. Huic existenti in conventu ante tempus generalis Constantiensis concilii, somnialis visio dormienti affuit, in qua sibi videbatur quomodo in summum pontificem creatus esset. Vigilans dudum postea satis seriose cogitabundus, ut ab eo audivi, incedebat, quid sibi hoc somnium bonae afferret prognosticationis; spem enim aliquam de veritate in se adimplenda praesumpsit de praesulatu aliquo habendo, licet literis, & statu nulla penitus alluderet in homine isto dispositio. Porro tempore antedicti concilii depositis per idem tribus a summo pontificio, videlicet Petro de Luna, Gregorio Corario, & Balthasare de Cossa;*

(a) Jo. Nid. Formic. l. 2. c. 5.

Praesagium inane ex somnio.

non fuisse Gregorium a Constantiensibus exauthoratum, sed sponte pro concordia publica apices pontificios posuisse diximus, qui omnes se in suis obedientiis gerebant pro summis pontificibus, locus, electores, dies, & hora, in quibus unicus & indubitatus pastor, & Petri successor eligi debuit, statuta sunt. Quibus visis frater praedictus spem praehabitam sibi clanculum augere coepit, quod fortasse de eo dudum a se visum verificaretur somnium. Electo autem domino Martino de Columna concorditer, confusus apud se frater didicit quam stultum sit animum dare somniis sine sufficienti motivo. Non multo post autem elapso tempore, tempus carnisprevii appropinquavit, in quo in conventu juniores fratres pro solatio aliquando consueverunt repraesentationes ludicras habere Summi pontificis, & curiae Romanae; pro quo joco cum diversi juvenes ad varia eligerentur officia, praedictus frater Jodocus electus est jocose in summum Pontificem per fictitium: in qua eminentia tunc primum omnem praesulatus spem perdidit, quam vacuus fatuis spebus prius saepe praehabuit. Haec Nider. Sed ad Martinum redeamus.

Ridiculus somnii exitus.

IV. Perfecta initi pontificatus pompa haud dubie veteri more & instituto, certiores Christiani orbis praesules Reges, ac populos fecit: quas literas in ejus regestis aliisque monumentis nondum reperi, afferemus vero alias, quas, ubi afflavit illius creationis rumor, Ludovicus comes Palatinus Rheni & Bavariae dux ad eum dedit. (b)

Gratulatoriae palatini comitis ad eum literae.

Sanctissimo in Christo patri & domino, domino Martino digna Dei providentia sacrosanctae Romanae & universalis Ecclesiae summo pontifici, domino meo metuendissimo.

(b) Ext. apud Martin. l. 1. p. 18.

Sanctissime pater, & domine, domine metuendissime, cum humillima recommendatione devotissima pedum oscula beatorum. Auditis nuper, videlicet XV. die novembris, jucundis, & dudum desideratis rumoribus de electione sanctitatis vestrae ad summi praesulatus fastigium, mens mea, longo jam pressa desiderio, tanto majori jubilo erigitur, quanto largiora Dei dona toti orbi, in persona S. V. collata jam persentit. Noluit enim omnipotens Deus lucernam ecclesiae perutilem sub modio esse constrictam: sed super candelabrum eam erigens, toti mundo declaravit manifestam; nunc enim refulsit dudum offuscata species salutifera pacis, & unionis sanctae matris Ecclesiae, multis jam temporibus monstruose pluribus regnantibus capitibus, deformata; ut merito una cum communitate ejusdem ecclesiae sanctae vix constrictis lacrymis Altissima decantem: Gloria in excelsis. *Sanctitati vestrae quoque digne accurram, promens: Advenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris.*

Ingens exorta laetitia.

Confideratis namque moribus, & actibus præteritis, quibus sanctitas vestra, adhuc agens in minoribus, semper inclinabatur ad optima, nullum mihi dubitatis relinquitur nubilum, quin S. V. in ea quæ despexit in aliis, immo pro viribus persecuta est, jam plenitudine potestatis adepta, ad extirpandum nocivas vepres hæresum, supplendum neglecta, & reformandum deformia, assistente etiam sanctitati vestræ serenissimo principe domino Sigismundo Romanorum, & Hungariæ rege invictissimo, quasi unitis duobus gladiis, majori robore intrepide nunc consurgat. Unde merito gaudeo, talem, tamque utilem sanctæ ecclesiæ, propitio Deo, provisum pastorem, in quo jam irati Judicis sententia siccare speratur mitigata. At vero ad plene exprimendum coram sanctitate vestra nubilum mentis meæ, ac filialis obedientiæ subjectionem, quia calamus deficit, suppleant saltem, quantum possibile est, oratores mei venerabiles magistri Conradus de Susato sacræ theologiæ professor præpositus Nubunensis, sanctitatis vestræ subdiaconus: G. Abbas monasterii in Castell ordinis S. Benedicti: magnificus Joannes Comes de Lipsia, Joannes Ladebom canonicus Voormatiensis secretarius: nec non strenui viri Voolff de lapide miles, & Joannes de Venningen armiger, consiliarii mei fideles dilecti, ad sanctitatis vestræ pedes cum plena informatione, & mandato transmissi, supplicando humillime, quatenus eisdem oratoribus fidem credulam in dicendo gratiosius adhibere velit S. V. generosa; quam Altissimus pro sua misericordia conservare dignetur pro felici regimine ecclesiæ suæ sanctæ temporibus diuturnis. Dat. in Castro nostro Heydelberg XVIII. decembris anno &c. XVII. Humilis, & devotus filius Ludovicus Dei gratia sanctitatis vestræ Comes Palatinus Rheni, sacri imperii archidapifer, elector, Bavariæ Dux.

Oratores a Palatino decreti.

Gratulatus etiam est Martino delatos pontificios honores Raynaldus (a) Juliaci ac Gelriæ dux, atque illo unico, & vero pontifice discissas ecclesias in pristinam concordiam redactas fuisse: addiditque ad lætitiæ significationem, se ex Columnensi stirpe genus traxisse, idque gloriæ sibi ducere.

(a) *Ibid.* p. 19.

Juliac. & Gueldren. ducis liter.

Beatissime patrum pater, &c. Ego, qui a progenitoribus meis a domo vestra Columnæ, antiqua & excelsa Romana stirpe, claram traxisse fateor originem, quod mihi reputo ad culmen cedere magnæ gloriæ; sponsæ vestræ sanctæ matri Ecclesiæ, vestræque beatitudini, tamquam ejus devotus filius congratulor tota animi devotione, ac jucundo vultu eidem assurgo, & tanto jucundius, quanto pacem, & exaltationem ipsius Ecclesiæ, vestræque ingenuæ personæ ab intimis supplicius affecto, teneat a certo, catholicam Ecclesiam matrem nostram luctus sui dierum finem invenisse, quomodo nunc splendet virtute Altissimi toto orbi redimita jucunditatis suæ vestibus in vinculo pacis reformata, &c. Dat. Haemborch ipsa die beatæ Luciæ virginis, meo sub sigillo.

Juliacensis dux Columnensi stirpe satum se jactat.

Perhumilis V. S. Reynaldus dux Juliacensis, & Gelriæ, ac comes Zutphaniensis. Eodem argumento archiepiscoporum electorum imperii extant in regesto pontificio literæ. (b)

(b) *Ibid.* p. 20. & 21.

V.

Dum vero omnes Christi cultores unius summi pontificis, cui cuncti Reges paritueos se obstrinxerant, in Constantiensi concilio renuntiati, audita fama, gaudio exultabant, quod post offusas inveterati schismatis tenebras optatissima pacis lux affulsisset, Petrus e Luna ab sede piorum cœtuque abactus, conventiculum suorum Paniscolæ agebat, quod delirus senex œcumenicum concilium & catholicam Ecclesiam vocitabat. At præsules Aragonii, qui accesserant, ut officii specie ipsius pertinaciam flecterent suasere, ut ad reliquias schismatis abolendas insignia pontificia poneret, permitteretque tribus suæ factionis Cardinalibus, ut electum Constantiæ, ipsimet etiam Romanum Pontificem designarent: quod consilium ipsi XXVI. decembris subjectis conceptum verbis dedere.

Petri e Luna perfidia.

Petrus Tarraconensis, & Franciscus Cæsaraugustanus archiepiscopi, Joannes Tirasonensis, Avinio Oscensis, Alfonsus Vicensis, Hieronymus Elnensis, Andreas Barchinonensis, Dalmatius Gerundensis, Otho Dertusensis episcopi. Petrus sanctarum crucum, Marcus B. Mariæ Montisserrati, & Joannes Populeti monasteriorum abbates.

Pro se, & omnibus sibi nunc, vel in futurum, adhærentibus, & aliis illis nominibus, talibus, modo, & forma, quibus melius, & utilius possunt sequentia adaptari, pro Dei, & Ecclesiæ servitio, ac ejusdem Ecclesiæ effectu unionis, & pacis supplicant, & consulunt vestræ sanctitati, ac eandem per viscera misericordiæ Jesu Christi hortantur finaliter, & expresse, quatenus omni excusatione, & dilatione postpositis, revocatis processibus, & sententiis, & factis habilitationibus, ut alias fuit per vos concordatum atque oblatum, in quantum tamen hæc necessaria fuerint ad Ecclesiæ unionem, renunciare digneminii juri papatus, & dare modum, & ordinem, in quantum in vobis erit, quod domini Cardinales eligant illum dominum noviter in Constantia electum in Papam, quod eosdem Cardinales liberaliter credunt facturos: alias eadem beatitudo, quæ hic adesse fatetur Ecclesiam catholicam, & concilium generale, si præmissa facere denegaret, sive differret verbo, aut [quod esset periculosius] facto, consideret bene, quantum præjudicium catholicæ fidei, quantamque scan-

Consulunt ipsi, ut cedat jure controverso.

Permittat a suis Cardd. Martinum eligi.

da-

dalum atque damnum universali Ecclesiæ, ejus unitati, ac toti Christianitati fierent, & sequerentur. De quibus omnibus supplicantes prædicti nominibus, modo, & forma præexpressis se exonerant: & hoc idem alias dixissent, si eadem sanctitas voluisset tenere sessionem concilii generalis.

Eadem repetunt Lunani Cardd.

Certiores facti tres pseudocardinales, qui cum Petro antipapa hæserant, hunc libellum supplicem porrectum a præsulibus ipsius sectatoribus, ab illo spretum iterum eundem Petrum etiam atque etiam rogarunt (a), ut ab jure pontificatus abiret, atque ab ipsis Martinum V. Constantiæ creatum Pontificem renunciari pateretur, ut sub uno capite universus orbis Christianus conjungeretur.

(a) *Ext. cor.3. libell. ead. p.90.*

Carolus S. Georgii, Alfonsus S. Eustachii Petrus S. Angeli S. R. E. Cardinales, collegialiter, & unusquisque ipsorum particulariter, supplicant, & consulunt vestræ sanctitati, eamdemque hortantur per omnia prout supra, offerentes se paratos post vestram renunciationem, ut prædicitur, electionem facere memoratam. Et nihilominus pater sancte, omnes cardinales, archiepiscopi, episcopi, & abbates superius nominati, non valentes nec volentes deficere fidelitati, qua Deo, & Ecclesiæ tenentur astricti, necnon pro salute animæ vestræ, dictis supplicationi, consilio, & hortationi, nominibus, forma, & titulis supradictis addentes V. S. monent, & requirunt finaliter, & expresse, quatenus postposita dilatione dignetur præmissa exequi cum effectu: & si in aliquo dubitatio (quod non credunt, nec vident modo aliquo verisimiliter dubitandum) quod tam pro habendo super his consilium, quam pro purgando personam vestram a maculis hæresis, & schismatis, & aliorum criminum eidem personæ impositae, sessionem concilii sine mora dispendio teneatis, &c. Perstitit ille in scelere obfirmatus, væsanaque sententia de irretiendis adhuc simplicium animabus, quarum ipsum plures in perniciem traxisse inferius lugebimus. Sed a synagoga Peniscolensi ad Constantiensem œcumenicam synodum redeamus.

Hæreseos & schismatis notam defugere non posse.

Perstat in antipapatus scelere Petrus e Luna.

VI.

Balthasar e Cossa tentus in vinculis.

Præfuit quadragesimæ secundæ sessioni vigesima octava decembris die Martinus V. qui Sigismundi Romanorum Regis, & Ludovici ducis Bavariæ precibus adductus edito apostolico diplomate sanxit, Balthasarem Cossam Joannem XXIII. antea nuncupatum, decretoria synodi sententia pontificatus honore dejectum, & in regia & ducali custodia tentum, pontificiis administris tradendum esse, Regemque & ducem omni onere custodiæ solutos, ac liberos futuros pronuntiavit. Proximo vero anno Henrico episcopo Wintoniensi & Conrado e Sustito Balthasarem custodiendum commisit (c): quem postea restitutum libertati, & cardinalitiæ dignitati dicemus. Nunc reliqua hujus anni percurramus.

(b) *Lib. 1. p.15. ext. etiam in actis conc. Constant. sess. 42.*

(c) *Eod. lib. pag. 23. & 25.*

Consulturus ditioni ecclesiasticæ Martinus Jacobum S. Eustachii diaconum Cardinalem legatum creavit (d), eique Romanæ urbis & Campaniæ, Maritimæ, Sabinæ, & Patrimonii B. Petri in Tuscia administrationem tradidit. Cum autem intestina dissidia Romæ orta essent, atque a nonnullis proceribus externis urbs ipsa oppugnaretur; Martinus inducias imperavit, edixitque (e) Romanis civibus, ne alteri quam Cardinali legato parerent. Tum ut Cluniacensem ordinem, qui a pietate ob schisma valde desciverat, in pristinum regularis observantiæ splendorem restitueret, in Bisuntino, Coloniensi, Treverensi, & Maguntino archiepiscopatibus præfecit (f) viros religione & peritia conspicuos, quos ab universis maritis honoribus excipi jussit.

Jacobus S. Eustachii creatus legatus a Mart.

(d) *Lib. 1. lit. de cur. p.9. & 28.*

(e) *Ibid. p.1.*

De restituenda ordini Cluniac. disciplina actum.

(f) *Ibid. p.16.*

VII.

Pragensis academia infecta hæresi.

In Bohemia hoc anno Hussitarum hæresis Pragensis academiæ pseudodoctorum astu & opera in perniciem animarum diffusa & propagata est. Cum enim piæ aures a fœdissimis Joannis Wicleffi, & Joannis Hus hæresibus abhorrerent, proposito decreto de sumenda a laicis sub utraque specie Eucharistia, eo fuco universas alias hæreses colorare nisi sunt, & poculo (g) aureo Babylonica venena propinare; captas enim mox eo visco veluti aves, plebis animas, irretitasque narrat Joannes Coclæus (h). Porro in proœmio nefarii decreti Hussitæ finxere non de exausto impietatis signifero Joanne Hus, non de Wicleffi blasphemis erroribus, sed de neganda laicis sub vini specie Eucharistia disceptari. Subdidere, paucis interjectis perfidi illi: *Nihil temere, præsumptuose, aut quavis pertinacia frivola contra sanctam catholicam, & apostolicam Romanam ecclesiam diffinire, aut aliquam novitatem inducere intentantes.* Hæc ad imperitorum hominum conciliandam sibi gratiam præmisere in exordio, cum in extrema calce contra ecclesiæ Romanæ instituta sacrosancta sententiam ferant: nec minus impudenter mentiuntur, dum jactant nihil se novare velle, cum antea Eucharistia a laicis sub specie tantum panis in Latina ecclesia sumeretur, & novarint ipsi, ut sub altera etiam specie porrigeretur, sanctionemque Ecclesiæ æquissimam pugnare cum evangelio effutierunt. Consignatum est fallax ejusmodi decretum hac temporis nota: *Datum Pra-*

Proposita laicis communione calicis eos irretit.

(g) *Apocal.17.*

(h) *Cocl. hist. Hus. lib.4.*

Pragensium doctorum temeritas infanda. Dicta subdola ad inescandos simplices.

ga anno Domini MCCCCXVII. die x. mensis martii. [1]

Excutiens vero hæreticorum fraudes Joannes Coclæus (a) exclamat: *Hic est viscus aucupantium, hic laqueus venantium hæreticorum, quoniam supra centum annos infinitæ animæ captæ, & irretitæ perierunt, & proh dolor! adhuc pereunt in æternum; & hodie quidem tanto plures, quanto major est regno Bohemiæ tot provinciarum amplissimarum capax Germania. Novi enim Hussitæ Germaniæ dogma istud a veteribus Bohemiæ Hussitis perniciosissime mutuatum ubique præmittunt, velut antesignanum, quo cætera contra Ecclesiam dogmata, quæ magis impia, & minus probabilia sunt subintroducunt, ut hoc dogma sit velut ostium, & patens janua, per quam omnes schismaticorum, & hæreticorum articuli quantumvis impii, & absurdi, in Ecclesiæ turbationem ad fideles intromittuntur; non enim est dogma istud secundum se impium, & erroneum, quandoquidem in manu Papæ, & Ecclesiæ est, laicis venerabile Sacramentum, aut sub utraque, aut sub altera tantum specie porrigendum decernere. Hæreticum vere est, & erroneum dicere, aut diffinire, quod Ecclesia erret, aut peccet laicis alteram tantum speciem præbens; aut quod de necessitate salutis sit, ut laicis utraque specie detur. Hic enim error publice damnatus fuit in generalibus conciliis.* Et infra.

(a) Coclæ. lib. 4. Calicis specioso usu cæteræ hæreses inductæ.

VIII. Fructus calicis in quo consistat.

Expendat lector, omnia argumenta de fructu, & usu hujus adorandi sacramenti nihil contra nos facere; quidquid enim boni ex perceptione hujus sacramenti nobis provenit, non speciebus, & accidentibus panis, & vini, sed potius ipsi rei contentæ, utpote Corpori, & Sanguini Jesu Christi tribuendum, & accepto referendum est. Jam vero ipsimet Hussitæ confitentur re ipsa contineri etiam sub altera tantum specie totum Christum: in nulla igitur defraudantur commoda hujus sacramenti laici quicumque digne alteram speciem accipiunt; nam reipsa nihilo plus sub utraque quam sub altera specie essent accepturi. Et infra. *Sciat pius lector, omnes illas adhortationes ad sumendam utramque speciem, fraude diabolica concinnatas esse, ut sub prætexta pietatis, impietatis reos faciat omnes qui propter utramque speciem ab unitate Ecclesiæ recedunt, & episcopis suis rebelles fiunt, atque per hoc indigne, & ad judicium sacramentum veritatis sumunt: piis enim laicis, qui juxta communionem, & usitatum Ecclesiæ ritum sub una specie totum Christum in sacramento digne accipiunt, omnia cooperantur in bonum, ut ait Apostolus (b), & nullus deperit hujus Sacramenti fructus. Impiis vero Hussitis, qui propter externas species panis & vini ab unitate Ecclesiæ impie deficiunt, & Ecclesiæ prælatis rebelles fiunt, omnia hujus sacramenti bona vertuntur in venena, atque in æternum animarum exitium. Qui enim indigne manducat, & bibit, [inquit Apostolus] judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini; id quod maxime faciunt Hussitæ, quia sacramento unitatis abutuntur ad schisma, & rebellionem, sumentes corpus Domini schismatice, corpus Domini mysticum [quod est Ecclesia] non dijudicant, sed impie scindunt, &c.*

Abusi Sacramento hæretici.

(b) 1. Cor. 11. Rom. 8.

Hujusmodi novatorum impudentiam, qui nonnullorum doctorum obscura dicta ad suam opinionem corroborandam detorquent, cum universi perspicuis argumentis catholicam veritatem confirment, redarguit subjectis verbis Joannes Gerson (c), qui tunc in concilio Constantiensi adversus eos scribebat; *Scriptura sacra non ita recipienda est nude, & insolidum, contemptis aliis traditionibus hominum, quin debeamus ad intelligentiam veram ipsius habendam juribus humanis, & canonibus, & decretis, & glossis sanctorum doctorum frequenter, & humiliter uti: patet ex præcedentibus. Patet etiam ex modo, quem tenent hæretici, quos nunc impugnamus, qui doctores valde diligenter allegant pro suis assertionibus colorandis, & corroboran-*

(c) Jo. Gerson. to. 1. de communio. sub utraque specie. Scriptura Sacra impii abusi.

NOTÆ [1] *E*Dictum illud quo Eucharistiæ sub utraque specie usus laicis apud Bohemos dabatur vetat ne apud Coclæum temporis notas mendosas præferat. Id enim suadet authoritas Laurentii Byzyoii in diario Hussitico, de quo in nota ad A. 1415. 31. afferentis anno 1415. circa festum omnium sanctorum, & anno domini 1416. currente, *ante festum Purificationis factum est interdictum Pragæ archiepiscopo, prælatis, plebanis, ac religiosis a divinis cessantibus, libertasque fuit per omnes ecclesias & monasteria omnibus presbyteris communionem corporis, & sanguinis dominici sub utraque specie promoventibus, & magistro Joanni (Hus) adhærentibus divina peragere, & verbum Dei quotidie prædicare; multis ipsius sanctissimæ communionis utriusque speciei, & magistri Joannis Hus, Marhometis nuncupatis de Praga divina ad Wissegradum & ad ecclesiam in Pisan sub Wissegrado sitam, & in Buben nec non in Owenecz visitantibus;* (sic) *pro quo clerus Pragensis & præcipue prælati & monachi damna non pauca a vulgo sunt perpessi. Nam multi eorum a propriis sunt ejecti sedibus; presbyteris utriusque communionis speciei & magistro Joanni Hus faventibus in ipsorum locis collocatis rege Bohemiæ Wenceslao hoc ipsum ad suorum aliquorum consiliariorum instigationem, admittente.* Verbis hisce indicari censeo liberam illam facultatem a Wenceslao permissam eucharistiæ sub utraque specie distribuendæ qua forte de re non diu post, die scilicet decima martii latum fuit publicum illud edictum quod a Coclæo recitatur quanquam pro anno 1416. mendose annus 1417. inscribitur. MANSI

Multa sunt depravata.

randis; & tales, qui sunt aliquando nullius auctoritatis, vel ponderis, sicut sunt aliqui glossatores decretorum, & decretalium, & non sancti, nec multum in theologicis eruditi, & similiter aliqui, quos de numero trahunt theologorum, unde sic arguitur adversus eos: Si doctoribus, & peritis in sua arte credendum est, cur doctoribus per nos allegatis non vultis credere? Quos allegatis, bene intellecti sunt pro nobis, & alii qui absque ulla comparatione plures sunt, & clariori sermone dicentes nostram sententiam. Si vero non talibus in aliquo credendum est, cur eos pro vobis in confirmatione erroneorum spirituum, & sensuum vestrorum, tam curiose, & exquisitissimo studio quaritis allegare, undecumque colligentes, & discerpentes quantumlibet renitantur?

IX.
(a) *Jo. Gerso. to. 1.*
Objectio hypocritica.

Recensct (a) atiam idem plures justissimas causas, ob quas calicis usus denegatus sit laicis; dissolvitque Hussitarum figmenta, qui insusurrabant simplicibus laicis, ampliora apud Deum præmia comparari ex communione porrecta sub utraque specie a schismaticis, quam ex unica specie Ecclesiæ catholicæ more sumpta. Lugendum vero, ac stupendum est, Bohemos decretum futile de duabus speciebus arte rhetorica subornatum a paucis laicis, præside magistro artium Joanne nuncupato Cardinale editum, potius, quam synodi œcumenicæ ex totius Christiani orbis spectatissimis præsulibus, & doctoribus constatæ, præside Christi vicario, constitutiones amplexos: cum tamen ad disceptandam in concilio controversiam Sigismundus Rex universis ad concilium accessuris fidem publicam dedisset; cujus diploma (b) ita consignatum est: *Datum Constantiæ anno Domini MCCCCXVII. decima indictione, die vero nona mensis julii, regnorum nostrorum anno, Hungariæ, &c. trigesimo primo, Romanorum autem electionis septimo, coronationis vero tertio.*

(b) *Ext. apud Coclæ. lib. 4. hist. Hussit.*

Accedendi etiam æque ac recedendi libertatem pollicitI fuere (c) principes imperii, & magistratus Constantienses: sed pluris, ut dixi, facta est paucorum laicorum improbitas, quam universorum patrum religio: neque adverterunt Scripturæ sensum, quem divinus Spiritus intendit, & exponit Ecclesia, admittendum, non interpretationem, a quolibet impostore propositam amplectendam, ut ipsis objecit Joannes Gerson (d): *Scriptura sacra in sui receptione, & expositione authentica finaliter resolvitur in auctoritatem, receptionem, ac approbationem universalis Ecclesiæ, præsertim primitivæ, quæ recepit eam, & ejus intellectum immediate a Christo, revelante Spiritu Sancto die pentecostes, & alias pluries; patet, quia quod Matthæus scripserit veraciter evangelium, & non Nicodemus, hoc solum habemus ab auctoritate Ecclesiæ juxta illud Augustini, Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ compulisset; hæc enim est ineffabilis regula a Spiritu Sancto directa, quæ in his, quæ fidei sunt, nec fallere potest nec falli.*

(c) *Ext. eor. lit. ibid.*

(d) *Jo. Gers. to. 1.*

X.
(e) *Cranz. in Wand. l. 10. cap. 27. & ex eo Coclæ. lib. 4. hist. Hussit.*
Hermannus epis. Nicopolen. infectus hæresi.

Captis ita illo laqueo Bohemis, ostentatoque religionis splendore; eo insolentiæ furorisque impii homines prorupere, ut laici sacramenta conficere (e), & administrare non perhorrescerent: inter quos sutor insignis scelere fuit, quem Wencessaus Rex, excusso nonnihil torpore, igne cremari jussit. Aucta vero est hæreticorum improbitas, cum Hermanno episcopo Nicopolensi sua infudere venena: is enim a Conrado archiepiscopo Pragensi renuntiatus, ut vices illius gereret, hæreticorum multitudinem sacerdotio initiavit, atque ob id scelus munere exauthoratus est a Conrado, cujus literæ (f) consignatæ hac formula: *Dat. Rudnitz anno Domini MCCCCXVII. die xv. mensis martii.* Captus (g) est postea Hermannus a Zeukone e Wartemberg, & ab eo sacerdotalibus sacris initiati munere sacerdotali interdicti a Constantiensibus patribus, nisi ab sede Apostolica ea censura solverentur.

(f) *Ext. apud Coclæum l. 4.*
(g) *Id. ibid. ex actis Synod.*

(h) *Coclæ. hist. Huss. lib. 4.*
Hæretici Eucharistia pro impietatis tessera abusi.
De Wencesslao deturbando agunt.
(i) *Id. ib.*

Gliscebat (h) tamen in dies impietas, quæ confirmata Wencesslai socordia vires experiri constituit. Convenere igitur ad triginta millia armati hæretici, qui diruere ecclesias, & monasteria incendere cœperunt: utque sacrilegia sua religionis pigmentis decorarent, patente campo trecentas mensas posuere, in quibus facinoroso & rudi populo sacramentum calicis porrexerunt. Extimuit Wencesslaus armatos Hussitas, ne in se eorum furor erumperet: in idque proni erant, cum multitudinem Coranda presbyter permulsit (i): licet enim ebriosum & segnem nacti essent regem, quietum tamen & benignum illum esse addidit, qui nulla ipsos molestia afficeret.

(k) *Coclæ. lib. 4. hist. Hussit.*

Non ignari erant Constantiensis concilii patres grassantis in Bohemia hæresis, ad quam reprimendam viginti quatuor articulos concepere, quos Coclæus (k) affert; interque alios superioris consilii sive decreti Pragensium Hussitarum, quo illaqueati fuere imperiti, conditores & hæresiarchæ in jus vocati fuere.

XI.
(l) *Jo. Gers. to. 1. contra sectam flagellan.*
Flagellatorum impia, & crudelis secta.

Hoc tempore cum B. Vincentius (l), de quo superiori tomo facta mentio, maximam populorum multitudinem divinis illecebris allectam traheret, eosque pia & voluntaria corporum diverberatione ad divinam implorandam misericordiam maceraret, instaurata est a nonnullis, ejus exempla nefariis doctrinis corrumpentibus, Flagellantium secta, quæ pietatis metas egressa, corpora crudelissime laniabat, & crimina sanguine magis quam sacramentis ablui finxit, ut testatur Joannes

annes

omnes Gerson, in edito opusculo: *Constat*, inquit, *per experientiam, quod taliter se flagellantes non curant de sacramento confessionis, vel poenitentia sacramentalis, dicentes quod haec flagellatio potior est ad delendum peccata, quam quaecumque confessio; immo eam aequiparant nonnulli, vel praeponunt martyrio: Quoniam facimus*, inquiunt, *ultra fundendo sanguinem proprium, quod ab aliis martyres pati cogebantur*. Nonnullis interjectis addit author de S. Vincentii Ferrerii ergo concilii Constantiensis patres observantia, illum in literis Constantiam missis haec scripsisse. *In quotidianis*, inquit, *recommendationibus sacri, & universalis concilii Constantiensis, quas facio post sermonem, doceo, & doceo omnes fideles submittere omnia facta, & verba, ac etiam scripta, determinationi, ac etiam correctioni ejusdem sacri concilii; subdendo: Et sic facio in omnibus factis, & dictis, ac etiam scriptis meis. Haec ibidem, quae manifestant discretam humilitatem, & humilem discretionem tanti viri*.

Ab iis flagellatio impie collata cum martyrio.

B. Vincentii admonitio.

XII. Hoc anno B. Nicolaus Albergatus ex Carthusiensi eremo ad Bononiensem episcopatum evocatus est, in quo omnium virtutum genere effulsit, ut narrat Sigonius (a): *Consentientis civitatis voluntate tandem victus, sese III. non. junii consecrari permisit: atque ea re magna populi frequentia in aede Carthusiae celebrata, urbem solemni pompa inivit, ita ut equo usque ad S. Stephanum venerit, inde sine calceis ad S. Petrum pedes processerit. Hujus egregie, ac laudabiliter facta multa: sed haec maxime illustria. Studio pristinae disciplinae retento, victui suo parcens, facultates ecclesiae pauperibus sustinendis, & praecipue puellis nubilibus collocandis impertiit: doctos homines atque ingenii laude aliqua excellentes, omni benignitatis genere fovit*. Inter eos Thomas Serezanensis postea episcopus Bononiensis dein Cardinalis, demumque in Pontificatu dictus Nicolaus V. ab ipso fuit educatus; *carne abstinuit, in culcitra non cubuit, Judaeos luteum signum, ut a caeteris dignoscerentur, in pectore ferre, & festis diebus clausas tabernas habere praecepit*. Et infra: *Postero anno idem, in instituto suo persistens, usuras Judaeorum in Christianos graviores coercuit, ludum talariam interdixit, synodo habita constitutiones Bernardi olim episcopi confirmavit, monasterium S. Gregorii extra portam S. Vitalis ad unum priorem, & conversum redactum, a veteribus canonicis S. Augustini ad novos S. Georgii in Alga, Pontificis mandato traduxit*.

Pia B. Nicolai Albergati gesta.

Unum habuit a secretis qui ad summum pontificatum pervenit.

(a) Sigon. lib. 3. de episc. Bonon.

Propa-

I. Propagata est Constantiensis synodus in annum, quem aggredimur, redemptionis orbis decimum octavum supra millesimum quadringentesimum Indictione undecima, & tribus aliis sessionibus absoluta: quarum prima celebrata (a) est vigesima prima martii. Præfuit in ea Martinus, pluraque a schismatis exordio, tum a veris Pontificibus, tum ab iis, qui flagitio pseudopontificios honores gesserant, constituta rescidit. Monasteria in primis, ecclesias, sacerdotia, atque alia episcoporum imperio subducta, in pristinum statum, quem Pontifice Gregorio XI. tenebant, redegit: sanxit vacantium ecclesiarum vectigalia fisco pontificio non inferenda: simoniacum scelus pœnis coercuit: sacerdotiis potitos gerendi muneris onere solutos veteri jure constrinxit: decumas a nemine imperandas nisi a Pontifice, de Cardinalium, & præsulum consilio, statuit: cleri mores revocandos ad pristinum sanctitatis nitorem, & cultum corporis ad modestiam componendum edixit.

(a) *Acta concil. Const. sess. 43.*

Ecclesiæ in ordinem veterem reductæ.

In simoniacos districta censura.

Decima nona aprilis habita est sessio quadragesima quarta, in qua Martinus decretum synodale de indicendis a Romanis pontificibus stato tempore conciliis ad exitum perduxit, ac proximo evoluto quinquennio celebrandum Papiæ concilium œcumenicum indixit hisce verbis: *Consentiente, & approbante concilio, civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus, & etiam assignamus, statuentes, & etiam decernentes, quod prælati, & etiam alii, qui ad generalia concilia debent convocari, tempore prædicto, nimirum expleto quinquennio, civitatem ipsam Papiensem accedere teneantur, &c. Datum & actum Constantiæ in loco sessionis publicæ XIII. Kalend. maii pontificatus nostri anno I.*

Indictum Ticini Concilium.

II. Peracta (b) demum est ultima sessio concilii vigesima secunda aprilis die: cumque veteri more a patribus Martinus rogatus esset, ut concilii acta apostolica authoritate confirmaret, ita ipsum respondisse tradunt acta (c): *Sanctissimus Dominus noster Papa dixit, respondendo ad prædicta, nimirum postulata, quod omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per præsens concilium conciliariter, tenere & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquomodo: ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo: & illud idem iterato fecit dici per organum domini Augustini de Pisis fiscalis, & sacri consistorii advocati prædicti, qui nomine Papæ a protonotariis, & notariis ad scribendam acta concilii ordinatis, & deputatis petiit instrumenta publica fieri.* Habita dein concio est a Joanne de Podimitis Cathoniensi episcopo, hoc proposito themate: *Vos nunc tristitiam habetis; iterum autem videbo vos &, gaudebit cor vestrum.* Cumque perorasset, Antonius S. Cæciliæ Card. e Chalanco, pontificio imperio & synodi consensu perlegit nonnulla decreta, (d), quorum primo pronuntiabat Pontifex dissolvere concilium deprecantibus id ipsis patribus: atque omnibus, qui illi interfuerant, amplissimam criminum si accurrente bimestri illa sacra exomologesi expiarent, veniam tribuit, addiditque: *Similem concessionem facimus in mortis articulo, & intelligimus tam de dominis quam de familiaribus eorundem: sic tamen, quod a die notitia præsentium pro absolutione in vita jejunent per annum Sexta feria, & pro absolutione in mortis articulo per alium annum, nisi legitime fuerint impediti, quo casu debeant alia pietatis opera peragere. &c. Dat. & actum Constantiæ in loco sessionis publicæ dicti concilii x. Kal. junii pontificatus nostri anno I.* [1]

(b) *Ib. sess. 43.*

(c) *Sess. ult.*

Decreta fidei approbata a Martino.

Dissoluta synodus.

(d) *Ext. ibid.*

Piacularis venia data a Martino.

III. Lecta deinde est in sacro patrum cœtu constitutio apostolica (e) jam ante VIII. kal. martias ad Wicleffi & Hus fœdas hæreses serpentes in Bohemia excindendos edita, atque archiepiscopis, episcopis, fideique censoribus missa, ut ex descripta forma judicia ecclesiastica in impios exer-

(e) *Ext. apud Mans. to. 8. pag. 209. & in actis conc. Constantien. in sess. 45. sub fin. in bullar. in Mart. V. const. 6.*

NOTÆ [1] HOC tandem anno, die, & mense ab annalista indicatis finis impositus est celebri illi Constantiensi synodo, quæ luctuoso sedato schismati haud speratum gaudium orbi christiano attulit. De ejus approbatione pro variis scriptorum studiis varie disceptatum est. Gallorum enim quidam nullam aliam confirmandi concilii bullam a pontifice editam censent, quam quæ ab annalista hic ex parte recitatur & in actis concilii Constantiensis legitur; cum vero in ea pontifex *ex concilii sensu* Wicleffistas & Bohemos damnare se significet, hoc argumento demonstratum censens in ea concilii approbatione nihil authoritatis Martinum exhibuisse. Quoad vero hæreticorum damnationem latam a concilio sententiam tanquam unum ex patribus, non vero tanquam arbitrum supremum approbasse. Verum authoritatis pontificiæ concilio superioris specimen ostendit Martinus cum ex concilii actis, ante assumptionem suam prælitis, alia quidem probavit; ea nempe quæ *in materia fidei conciliariter* decreta fuerant; alia vero reliquit in medio, nec authoritate sua approbanda censuit, ut legitur in actis sessionis XIV. concilii. Ex quo factum est, ut Constantiense concilium *ex* parte tantummodo approbatum dixerit Binius in notis

Constitutio contra Vvicleffi & Hussi hæreses.

exercerent; duciteque exordium ab his verbis: *Inter cunctas pastoralis curæ solicitudines*; deque studio tuendæ fidei orthodoxæ contra hæreticos prolocutus Pontifex, tristem conditionem temporum, quibus Bohemi impietatis laqueis se irretierant, ita deplorat: *Dudum plusquam omnibus retroactis temporibus in nonnullis regionibus, & dominiis, præsertim in regno Bohemiæ, & marchionatu Moraviæ, ac locis, & districtibus illis vicinis, adversus fidei catholicæ dogmata, & sanctæ matris Ecclesiæ traditiones, non solum contra unum, quin immo contra plura fidei catholicæ dogmata insurrexerunt quidam hæresiarchæ circumcelliones, schismatici, & seditiosi, luciferina superbia, & rabie lupina evecti, dæmoniorum fraudibus illusi, de vanitate in id ipsum, licet forent de diversis mundi partibus oriundi, convenientes, & caudas colligatas habentes, damnatæ videlicet memoriæ Joannes Vvicleff de Anglia, Joannes Huss de Bohemia & Hieronymus de Praga, qui utinam alios secum ad infidelitatis interitum non traxissent: nam ubi hujusmodi pestilentes personæ perversa dogmata pertinaciter seminabant, in suæ doctrinæ pestiferæ primordio, prælati, & alii judiciariæ potestatis regimina exercentes, tanquam canes muti non valentes latrare, nec ulciscentes cum Apostolo in promptu omnem inobedientiam, hæresiarchas ipsos pestiferos, & dolosos, eorum lupinam rabiem truculentam statim, ut adstricti fuerant, canonice coercere, eosque de domo Domini corporaliter ejicere non curarunt; sed sacrilegam, falsam, & perniciosam ipsorum doctrinam per longas moras negligenter convalescere permiserunt, quam populorum multitudo, illorum opinionibus falsis decepta pro veris accepit, quæ diu mendaciter, perniciose, ac damnabiliter seminaverunt, eisque credendo a recta fide cecidit turba multa, & errore devio involvitur, proh dolor! paganorum more, quod per diversa illarum eisdem convicinarum partium climata, oves Christi catholicas hæresiarchæ ipsi successive infecerunt, & in stercore mendaciorum fecerunt putrescere.*

Graves de prælatis querelæ.

Eorum negligentia populis exitium peperit.

Quapropter generalis Constantiensis synodus tantam fidelium, & fidei orthodoxæ plagam, & ruinam videns, & infra, *Ad omnipotentis Dei gloriam, ipsiusque catholicæ fidei, ac Christianæ religionis conservationem, augmentum, & animorum salutem, & præservationem, eosdem Joannem Vvicleff, & Joannem Huss, & Hieronymum, qui inter cætera de sacro Eucharistiæ sacramento, & aliis sacramentis ecclesiæ, & articulis fidei aliter quam sancta Romana ecclesia credit, & tenet, & prædicat, & docet, quamplurima temere, & damnabiliter credere, ac tenere, prædicare atque docere pertinaciter attentabant, velut hæreticos, & pertinaces, ac obstinatos jam a communione fidelium separatos, de domo Dei corporaliter ejecit, & spiritualiter ejectos declaravit, & alia nonnulla circa præmissa utilia, & salubria statuit, & decrevit, per quæ alii, qui causantibus hæresiarchis eorumque falsis doctrinis hujusmodi, spiritualiter de domo Dei exierunt, per vias canonicas reducerentur ad semitas veritatis, &c.*

Hussitæ damnati in Concilio.

IV. Queritur plures in Bohemia, & Moravia falsæ doctrinæ veneno corruptos Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis supplicio ad pietatem non redactos, sed in desperationem actos præcipites perlegendis eorum commentariis dare operam, synodalibus decretis impie proculcatis: sed quos disciplinæ ecclesiasticæ severitate coercendos Martinus, sacro assistente concilio, dat mandata archiepiscopis & episcopis omnibus, sive re ipsa sacris pontificalibus initiati, sive designati tantummodo sint, ut de Corporis & Sanguinis domini nostri Jesu Christi, vel de baptismo, vel de sacra exomologesi, ac de pœnis ad crimina expianda infligendis, aut de aliis sacramentis, fideique orthodoxæ articulis impie sentientes, aut hæresiarcharum Wicleffi, Hus, & Hieronymi libros damnatos servantes, vel extremos eorum vitæ actus commendantes laudibus, horumve studio & societate inquinatos hæreseos nota inurant, ac judicum ad merita supplicia tradant potestati. Ne

vero

NOTÆ notis ad idem concilium. Et Niemii continuator ex mente utique virorum doctorum ætatis illius scripserit: *Quod quidem decretum generalium conciliorum de tempore in tempus celebrandorum dominus Martinus recepit & per suam bullam approbavit. Cætera vero ante ejus assumptionem facta quanto fidem catholicam concernebant, & non aliter, similiter recepit & auctoritate apostolica comprobavit*. Quoad bullam vero, de qua supra Cl. a Schelstrate in *tractatu de sensu &c. decretorum Constantiensis concilii sessione quarta & quinta* demonstravit longe diversam esse a bulla, qua Martinus concilium ex parte approbavit. Hanc vero bullam concilium confirmantem primum se e pluteis Vaticanis eruisse, atque orbi literario communicasse blanditur, quam laudem illam infeste quidem & imprudens immerito usurpat Raynaldo, qui primus integram ferme exhibuit ad A. 1425. 15. In ea vero Pontifex sententiam concilii in hæreticos latam ita probat & confirmat ut *eadem concilii decreta ejusdem scripti patrocinio communiat, supplendo quoque omnes defectus, si qui forsan propter solemnitates juris in procedendo non servatas intervenerint in eisdem*. Signatur bulla *Constantiæ VIII. kal. martii anno primo*. Hæc sane omnia summam pontificis auctoritatem in concilium probant & demonstrant. MANSI.

Decreta pro extinguenda hæresi Hussitica.

vero amicitiæ, aut naturæ in conjunctos propensionis causa indulgeretur hæreticis, qui e justa severitate erepti in perniciem animarum grassarentur, constitutæ sunt in eos, qui hæreticos receperint occuluerintve, eædem pœnæ: qui vero post pia monita, nefaria damnata secta, ad ecclesiæ sinum redierint, ita severitatis vim sentiant, ut clementia temperetur. Jussi etiam sunt præsules monere, vel adigere reges, principes, præfectos provinciarum, prætores urbium, aliosque magistratus, ut hæreticos suæ ditionis imperiive finibus ejiciant, neque eos impiam doctrinam disseminare, aut versari in ædibus, vel mercaturam facere, vel consuetudine cum catholicis uti patiantur; si denunciati ejusmodi, hæretici obierint, ecclesiastica sepultura careant, eorumque bona fisco addicta sint:

Quid agendum cum suspectis hæreseos.

qui vero suspicione hæreseos aspersi fuerint, nisi rite eam deleverint, vel ad ipsam purgandam jurisjurandum dare detrectarint, pœnis in hæreticos constitutis afficiantur: qui puros se ab ea labe ex segnitie demonstrare omiserint, percellantur anathemate; cujus laqueis si excurrente anno integro solvi neglexerint, pœnis hæreticorum plectantur; si quis hæresiarcharum pestiferæ doctrinæ in aliquot articulis dumtaxat temerariis, seditiosis vel pie non sonantibus reus extiterit, ex canonica lege mulctetur.

V.

Instaurata Bonifacii constitutio de inquirendis hæretic.

Instaurata præterea Bonifacii VIII. sanctione, quæ ab iis verbis orditur: *Ut inquisitionis negotium*; Reges, principes, prætores, ac judices obsecrat Pontifex, & apostolico imperio obstringit, ut præsulibus fideique causarum cognitoribus, ad exercendas leges in hæreticos auxilio, & opera non desint, reos in carceribus asservent, donec ab ecclesiastico judice lata sit sententia. Ne vero quis ignorantiam prætexat, qui sint errores inducti a novis hæresiarchis, quive impietate contaminati censendi, neve judicium in hæreticos intermittatur, singulos errorum articulos in Bohemiam & Moraviam decernit transmittendos, ac præsules illius regni & marchionatus jubet ad excindendas hæreses studiose incumbere, omnesque illarum infamia tactos suspicioneve aspersos, proposita anathematis interdictique censura, ad eam tactis manu sacrosanctis evangeliis & concepto Sacramento diluendam,

Præsulibus causam fidei inerter agentibus intentatum exauthoramentum.

ac præsulibus ipsis, qui in hæresi radicitus evellenda in suis diœcesibus socordes fuerint, judicium ad tribunal apostolicum, & exauctoramentum præsularis dignitatis intentat. Inserit deinde catalogum errorum Wicleffi, quorum primus est: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris, &c.* Sunt iidem articuli numero quadraginta quinque, quos

Damnati iterum articuli Vvicleffi.

a Sbinkone archiepiscopo Pragensi, & ab academia ejusdem urbis, dum pietatis & scientiæ laude florebat, atque a Germanis regebatur, lapso ante decennio censura notatos, adduximus (a); deinde conceptos iisdem verbis damnatosque in sessione octava a synodo Constantiensi diximus. His erroribus subnectit Pontifex alios triginta a Joanne Hus fictos, vel e sentina Wicleffi haustos, quorum primus est: *Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum, &c.*

Alii Joannis Hussi etiam damnati.

Fuere ii antea a concilii patribus in sessione quintadecima censura notati (b), & a nobis recensiti (c) atque ideo jam repetendi non sunt visi. Formulam quoque urgendi hæreticos examine, ac discutiendæ, piine an impii sint, veritatis, suis verbis conceptam distinctamque in XXXVII. capita proponit Pontifex, quam non afferimus, cum in actis (d) concilii, & bullario extet. Iis vero literis ita adscripta est dies. *Datum Constantiæ VIII. Kal. martii pontificatus nostri anno 1.* Hæc Martinus apostolico ardore ad medicanda ferro putrida membra, ne reliquum Ecclesiæ corpus inficerent, sanciebat.

(a) *Anno Christi* 1408. *num.* 69.

(b) *Ext. in actis Concil. Constantien. sess.* 15.

(c) *Anno Christi* 1415. *num.* 45.

(d) *Act. Const. Concil. sess.* 45.

VI.

Censorum fidei labefactata authoritas.

Sed creverat adeo hæreticorum numerus, & audacia, ut præsules judicia in hæreticos exercere in Bohemia non possent, cum ob ignaviam Wenceslai, procerum, aut magistratuum potentia fulti non essent, immo trepidos catholicos hæretici Neroniana persecutione jam vexare cœpissent: tanti fuit serpenti clanculum malo obviam non itum fuisse, quando opus fuerat.

Catholici hæreticorum furori expositi.

Cum igitur palam jam hæresis fureret, ac templa profanarentur, sacræ imagines violarentur, pellerentur ecclesiastici, diriperentur sacræ opes, catholici doctores necarentur: Pontifex sacrum bellum ad retundendos impios, religionemque ab eorum sacrilegis conatibus vindicandam indicere meditabatur: sed ab eo consilio Sigismundus Romanorum Rex ex nimio in suos amore revocavit: ipse vero proceres Bohemos ad avitam orthodoxam fidem traducere blandis hisce literis (e) est conatus.

(e) *Ext. apud Cochlæum lib. 4. hist. Hussit.*

Martini literæ ad Bohemos.

Dilectis filiis universis baronibus, & armigeris regni Bohemiæ salutem, & apostolicam benedictionem.

Gravis admodum, flebilis, & horrenda querela nostras aures quotidianis clamoribus pulsat, quod etiam dolenter referre cogimur, quomodo relictis perversis dogmatibus per olim damnatæ memoriæ Joannem Vvicleph, & Joannem Hus, ipsorum sequaces superstites, damnabiliter inservientes, ipsum regnum Bohemiæ hujusmodi perversis doctrinis, & erroribus adeo infecerunt, & pestifere impleverunt, quod jam fides catholica, & evangelica disciplina ibidem, ubi hactenus summa veneratione, & excellentissima devotione colebatur, fere

famatue extincta: imagines Crucifixi, beatæ Mariæ Virginis, & aliorum sanctorum irreverenter franguntur, & comburuntur, & impudite defendantur: ritus, & cærimoniæ, & alia ad cultum divinum pertinentia penitus contemnuntur, divina, heu, profanantur, & ad profanandum clerici catholici compelluntur: excommunicati, & interdicti, ad contemptum clavium tolerantur, & foventur: rectores parochialium ecclesiarum, & alii beneficiati de beneficiis suis laicali potentia, & crudeli sævitia opprobriose expelluntur; nonnulli etiam ex ipsis viris ecclesiasticis variis injuriis lacessiti per laicos captivantur, exactionantur, & crudelissime cruciantur; spolia ubique per regnum supra clerum committuntur: census, & redditus ipsorum de quibus statum suum tenere deberent, violenter asseruntur. Et [quod horrendum dictu est] catholici prædicatores, & etiam certi magistri catholicam fidem prædicantes, & docentes, per cruciatus, & tormenta, neronica persequutione fidem catholicam, quam prædicaverunt, & docuerunt, abjurare coguntur: prædicatores, & doctores errorum prædictorum per eos foventur, & laicali potentia defenduntur. Imagines prædictorum Joannis Hus, & Hieronymi hæreticorum condemnatorum, & festa celebrantur, & venerantur: constitutiones frivolæ contra determinationem, & decreta sanctæ matris Ecclesiæ, & præsertim de communione sub utraque specie, temerarie promulgantur, & nonnulli laici catholici ad hujusmodi communicationem sub utraque specie suscipiendam manu sæculari sæpius constringuntur. Aliæ quoque molestationes, oppressiones, persecutiones, & abominationes, quas lingua nequit exprimere, aut certe calamus vix posset describere, quales nec tempore Pharaonis, nec tempore paganorum persecutorum Ecclesiæ auditæ fuerunt, clero & populo catholico inferuntur; quas & audire aures piæ perhorrescunt, & referre singula, veluti fama & relatione crebra ad nos perducta didicimus, non valemus.

Hæreticorum in sacerdotalē ordinem grassatio.

Hussi, & Hieronymi imagines & memoria cultæ ab iis.

Dirissima persecutione divexati pii.

*Et quoniam nonnullos ex vobis, prout audivimus, eadem peste nefanda laborare cognovimus, graviter in animo * conterimur, dum tales, ac tanti viri, quorum progenitores semper veri pugiles fidei catholicæ, ac ecclesiarum, & cleri fortes defensores fuere, ad tantos errores, & tyrannidem pervenerant. Nos igitur, qui ex injuncto curæ pastoralis officio saluti cunctorum Christi fidelium providere disponimus, præcipue tamen ad fidem catholicam, Christi, cujus licet immeriti in terra vices gerimus, sanguine dedicatam defendendam etiam usque ad sanguinem tenemur, ad extirpandum hujusmodi errores, & ad defensionem fidei accurata solicitudine volebamus procedere, ut tenemur; sed assidua atque importuna charissimi in Christo filii Sigismundi Romanorum, &c. Regis, qui pro unione sanctæ matris Ecclesiæ multas, & gravissimos labores pertulit, interventione permoti, potissime vero consideratione, ac intuitu regni insignis Bohemiæ, quod hactenus primum, ac ecclesiæ Romanæ semper obedientissimum extiterat * prosiemur; a processu, expectantes paterna pietate ipsorum reditum ad obedientiam, & errores suos corrigere, ad quod tenebantur.* Additæ preces, ut damnatæ ab Ecclesia doctrinæ virus propinatum ab impiis evomerent, atque ab injuriis ecclesiis, vel sacerdotibus inferendis se continerent. *Dat. Constantiæ VIII. Kal. apriles pontificatus nostri anno I.*

Cruce signatas copias in hæreticos immittere Martinus meditatus.

* cruciamur.

A Sigismundo Cæsare retardatus.

* prohibemur.

VII. Flecti (a) ad pietatis cultum iis literis non potuere Hussitæ, sed priora novis flagitiis cumularunt. Horum signifer Joannes Præmonstratensis ordinis desertor, cum de ecclesia sancti Stephani, in qua hæresim nefariis concionibus spargebat, detrusus esset, monasterium Carmelitarum invasit: ac tum hæretici ad religionis speciem singulis ferme diebus Eucharistiam per suas ecclesias circumferebant: quas cum, crescente eorum numero, pauciores angustioresque esse prætexerent, in regiam duce Nicolao ejus loci domino, unde Joannes Hus originem traxerat, irrupere, atque a Wencestao, ut plures, & ampliores traderet contendere: quo populari motu territus Rex in Vissegradensem arcem se recepit. Rebellioni religiosum specimen prætenderunt, liberam scilicet evangelii prædicationem, pro qua tuenda sanguinem se profusuros literis promulgarunt; de quibus Thomas Waldensis agit (b). [1]

(a) Cocl. l. 4.

Joannes Præmonstratensis apostata.

Hæreticorum hypocrisis.

(b) Wald. to. 1. l. 2. art. 3. c. 70.

VIII. Ad vindicandam porro a tot tantisque impiorum injuriis religionem intentus Pontifex, soluta jam vigesima secunda aprilis synodo Constantiensi, cum Gebennam se contulisset, Joannem Dominici ordinis Prædicatorum tit. S. Sixti presbyterum Cardinalem, doctrina rerum sacrarum

NOTÆ [1] HÆreticorum motus in Bohemia & Nicolai de Hus furentem insaniam ac demum secessio Wencesłai in arcem non quidem Wissegradensem, ut scribitur in annalibus, sed *in novum castrum unum milliare a Praga* distans, teste omnium locupletissimo Byzynio in diario; hæc inquam omnia idem Byzynius cum sequenti anno 1419. conjungit; cujus testimonium, utpote oculatum & hac in re non suspectum, Waldensi, & Cochlæo præferendum esse, nemo prudens negaverit. MANSI.

Legatus in Bohemiam, & Hungariam missus.

rum ac religione insignem, de quo jam ante a nobis mentio facta est, vt. id. julii, legatum in Bohemia & Hungaria creavit (a), amplissimaque ad reprimendam hæresim, quæ jam principes quoque ac præsules inficere cœperat, authoritate communivit (b), ut judiciis persequeretur hæreticos, redeuntes ad sinum Ecclesiæ exciperet; tum ut synodos cogere & si magistratus torperent, principes ad arma in impios concitare posset.

(a) Mart. lib. 1. ep. cur. pag. 185.
(b) Ib. p. 133.

Dilecto filio Joanni tit. S. Sixti presbytero S. R. E. Cardinali, ac in regnis Hungariæ atque Bohemiæ, & omnibus terris atque dominiis charissimis in Christo filiis nostris Sigismundo Romanorum, & Hungariæ, & Vvenceslao Bohemiæ Regibus illustribus communiter, vel divisim suppositis, apostolicæ sedis legato, salutem, &c.

IX. *Levantes in circuitu nostræ mentis oculos, & non absque maxima cordis nostri amaritudine recensentes, quod in regno Bohemiæ, ac finitimis partibus, proh dolor! præteritis, & modernis temporibus per argumenta pestifera contra puritatem catholicæ fidei, hostis humani generis procurante versutia, viperea dogmata, quæ tanquam cancer mentes mortalium serpere non desistunt, pestifere pullularunt per prædicationes nefarias, & articulos damnatæ memoriæ Joannis Vvickliff hæresiarchæ, & sequacium malignantium ipsius, jugiter conantentium Christi fidelium mentes, & corda seducere a veritate orthodoxæ fidei contra sacrosanctam matrem, & universalem Ecclesiam sponsam nostram, in perniciem salutis æternæ multorum fidelium Christianorum, & [sicut lugubri insinuatione didicimus multorum fide dignissimorum] etiam prælatorum, & principum in partibus illis atque finitimis existentium, & remotis, nisi celeriter atque salubriter ad reductionem animarum ad præfatæ Ecclesiæ unitatem, ac fidelitatem, & obedientiam, & coinquinatorum borreada, ac perniciosa labe hæreticæ pravitatis, obstinatorumque protervíam ex agro militantis Ecclesiæ radicitus extirpandam opportunis remediis occurratur, non solum per regnum, & partes illas, sed alias sic debacchatur, & furit hujusmodi labes, impellente sutore zizaniæ, quod innumerabiles orbis partes in confusione præfatæ orthodoxæ fidei præcipitabiliter & inexterminabiliter secum trahent: Et supremis exoptantes affectibus, ut in regno, & partibus illis, & aliis resurgant desiderabilis pax, & quies, & cultus præfatæ fidei orthodoxæ incrementis salutaribus, animarum salus, & corporum coalescant; eoque diligentius veniant in præmissis apponenda remedia, nec minus præcavenda discrimina, quo plures ad morbum causas, & incrementa pestifera videtur in dies ad infectionem mentium christianarum pater ille malignantium seminare;*

Ingentes animarum strages edicat.

Martini cura pro sanandis tot malis.

Legati apostol. elogium.

ecce ad te, quem potentem quidem opere, & sermone, in magnis expertum, & arduis eximiæ circumspectionis industria, claritate scientiæ, probitate, ac fidelitate, & morum elegantia probatum, divinarum humanarumque rerum notitia, ac gerendarum rerum experientia, maturitate, & altitudine consilii insignitum; in cujus affectibus geritur, prout indubitanter tenemus, extirpare hæreses, veritatem catholicæ fidei labefactatis, & coinquinatis hæretica coinquinatione multorum mentibus suaves tuis eloquiis inserere, & oberrantes, ac devios hujusmodi ad veritatem catholicæ fidei, & unitatem ipsius Ecclesiæ nostramque, & sedis præfatæ fidelitatem, & obedientiam revocare atque reducere salutaribus argumentis, & ad verum pacem, & concordiam cunctos dissidentes reducere, & universa dissidentia in pacis pulchritudine commutare, & sic oberrationes hujusmodi in perfidia sua malignitatis per sedulos nuntios, justitia mediante, compescere omnibus viis, & modis, ut eorum malignitas persecutione qualibet tam juris quam facti, modis omnibus prosternatur, licet tua circumspectionis præsentia nobis, & apud nos ecclesiæ universali perutili, careamus inviti, nostra convertimus deliberationis intuitum pro tuarum consideratione virtutum tibi a Domino in abundantia concessarum; te tanquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio ad regna Hungariæ atque Bohemiæ, & terras, ac dominia ipsis Sigismundo Romanorum, ac Hungariæ ratione coronæ Hungariæ, nec non Vvenceslao Bohemiæ regibus illustribus supposita, & eorum jurisdictioni subjecta, apostolicæ sedis legatum in præsentiarum, ut in ipsis evellas, & destruas, dissipes, & disperdas, ædifices atque plantes, deformata reformes, indirecta dirigas, corrigenda corrigas, & convertas aspera in vias planas, ac deviantes ad semitam reducas veritatis, ac statuas in nomine Domini, prout cælestis gratiæ infusio, tuaque tibi providentia ministrabunt, providimus destinandum; firma tenentes fiducia, quod actus tuos dirigente, qui novit prava in directa, & aspera in vias planas convertere, per tuæ circumspectionis industriam periculis, & discriminibus, quæ ex dogmatizationibus, hæresibus, divisionibus, perversitatibus, inobedientiis, schismatibus, atque guerris in regnis, terris, & dominiis supradictis, procurante pacis æmulo, exortis evenerunt, seu de certo possent verisimiliter evenire, poterit laudabiliter obviari, nec non oberrantium, & indevotorum hujusmodi reductio, extirpatio hæresum, ac schismaticæ pravitatis obstinatorumque contra eandem fidem catholicam fieri, observantia censura, & reintegrationis libertatis, & immunitatis ecclesiasticæ, relevatio ecclesiarum, & locorum

In quas provincias missus legatus.

Quæ data legato mandata.

ecclesiasticorum oppressorum, pauperum defensio, animarum salus, tranquillitas corporum, ac pacis desideranda tranquillitas regni, & partium prædictarum, inspirante Altissimo, ad effectum saluberrimum deducentur, eidem circumspectioni tuæ inter quascumque personas ecclesiasticas, & sæculares cujuscumque status, habitus, seu conditionis existant, etiamsi regali, reginali, pontificali, aut quavis alia ecclesiastica, vel mundana dignitate præfulgeant, regnorum, & partium prædictorum, vel alterius earumdem bonum pacis, & concordiæ reformandi, hæreticos, & schismaticos, abjuratis prius per eos, & eorum quemlibet hæresi, ac schismate, in forma Ecclesiæ consueta recipiendi, & ad gremium ejusdem Ecclesiæ, ac Sedis apostolicæ, nostramque fidelitatem, devotionem, & obedientiam reducendi, & reintegrandi: ac etiam absolvendi, & liberandi, si hoc humiliter petierint, prædictos, & quemlibet ipsorum per eandem circumspectionem tuam receptorum, ab omnibus, & singulis culpis, criminibus, processibus, & delictis, fautoriis, rebellionibus, schismatibus, hæresibus, & criminibus læsæ majestatis, & aliis quibuscumque per eos, aut eorum aliquem quibuscumque loco, vel tempore usque in diem absolutionis per eandem circumspectionem faciendi quomodocumque, aut qualitercunque per se, vel alios dictis, factis, dicto, facto, assensu, vel opere quomodocumque, aut qualitercunque commissis, vel perpetratis, cujuscunque qualitatis, vel speciei, etiamsi maxima fuerint, & in generali remissione, nisi de eis specialis mentio in apostolicis literis facta fuerit, non veniant, &c. Dat. Gebennis VI. id. julii pontificatus nostri anno 1.

Concessa absolvendorum hæreticorum potestas.

X.

(a) Ib. p. 132.

Restituendæ pacis cura demandata.

Commendatus (a) est Cardinalis legatus præsulibus, ac viris principibus Bohemis, & Hungaris; quibus causas exposuit, ob quas Joannes in ea regna ab Sede apostolica legaretur: *Pro nonnullis*, inquit, *nostris, & Ecclesiæ Romanæ arduis negotiis, & pro incremento divini cultus, extirpatione hæresum, & tutela fidei orthodoxæ, & reductione oberrantium ad ovile dominicum, & pro quibusdam aliis urgentibus causis, ac pro pace, & tranquillitate dictorum regnorum, & partium subditorum, nec non dominorum, & principum, & justitia populorum. Dat. Gebennis V. id. julii anno 1.*

(b) S. Anton. 3. p. tit. 23. c. 11. & 53. Leander l. 3. de viris illustr. ord. Præd. in Joan. Dominic.

Profectus ille in Bohemiam adeo in impietate hæreticos obfirmatos comperit (b), ut cum occlusis verbo salutis auribus vique adhibita homines pios ad scelus cogerent, Sigismundo Regi Romanorum significarit, convertenda in Bohemiam illius arma ad tuentem catholicam rem tuendam confirmandamque. Sed is, pro insito in Bohemos amore, illos mollioribus studiis ad obsequium Ecclesiæ revocandos ratus, fundendo sanguini temperandum constituit. Contrarium omnino necessarium Constantiensis synodus censebat, in qua Joannes Gerson (c) superiore anno hoc dabat consilium: *In expugnatione tali proficere videretur, quod serenissimus Rex Romanorum invocatus a sacro concilio acciperet factum illud prosequendum, & terminandum, sicut & alias hæreses in Bohemia, cum potentia etiam brachii sæcularis; attenta præcipue, quod præsens fuit, & est in concilio, ubi facta sunt decreta in hac parte; attento præterea, quod in regno fratris sui, & cujus est successor, hæc hæresis habet exordium, & nisi provideatur, serpet in longinquum.* Non falsus vates fuit Gerson: Sigismundi enim in Bohemos hæreticos nimia pietas crudelis admodum exstitit, cum mox putridarum partium pestiferum virus ad sanas serpserit, Bohemiamque universam invaserit; quod postea nobis lugendum erit. Nunc ad pontificias curas in aliis hæresibus abolendis narrationem traducamus.

Sigismundi nimia clementia malum auget.

(c) Jo. Gerson. to. 1.

Præmoniti fuerant de impendentibus malis.

XI.

Fraticellorum reliquiæ in Italia.

Excisæ nondum erant, post tot impensos a Pontificibus Martini prædecessoribus labores, reliquiæ Fraticellorum sectæ, de quorum exordiis plura jam ante a nobis dicta sunt: latuerant quippe eo facilius, ac simplicium animas proclives ad religionem deludebant, quo pietatis externam speciem præseferebant: in quos Pontifex severitatis animadversionem adhiberi jussit (d) datis hisce ad præsules fideique censores literis.

(d) Lib. 1. ep. cur. p. 261.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, nec non dilectis filiis hæreticæ pravitatis inquisitoribus ubilibet constitutis, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem, &c.

Nuper, ex nonnullorum relatione, ac etiam fama, publica referente, ad nostrum pervenit auditum, quod secta abominabilis quorumdam hominum malignorum, qui a vulgo Fratres de opinione, seu, Fraticelli communiter nuncupantur, a diu in provincia Romana, & nonnullis aliis partibus diversis insurrexit, quæ, satore zizaniæ inimico humanæ naturæ Belial promovente, quasdam pravas, & a fide catholica devias, & hæreticas opiniones, falsumque dogma atque mortiferum, vigente (proh dolor!) in Ecclesia schismate nunc Dei pietate sedato, nisi sunt, & nituntur pestifere, & pertinaciter dogmatizare, asserere, & defendere, multas Christi fidelium animas sophismaticis coloribus hæretico more, diabolico laqueo innodantes, antequam hæresim, & damnatam in ipsa Ecclesia, in eorum, ac fautorum defensionem, & receptatorum animarum damnationem, & interitum propagando; quodque ne eidem Fratres sive Fraticelli per locorum diœcesanos, aut inquisitores hæreticæ pravitatis, suum volentes in eos exercere offici-

Impii horum conatus.

Contra præsules procerum patrocinio se muniunt.

ficium, pœna condigna plectantur, ad quorundam dominorum temporalium curias se transferentes, eorum se muniunt auxilio, ac diœcesanis, & inquisitoribus prædictis minas, & injurias graviaque opprobria inferri faciunt, & procurant; propter quod diœcesani, & inquisitores prædicti in eos libere non valent suum exercere officium, ac exinde hæresis prædicta in perditionis successit augmentum.

Nos igitur attendentes quod non potest arbor mala bonus fructus facere, & falsi prophetæ in vestimentis ovium gradientes, intrinsece autem lupi rapaces, cum puritate, & mansuetudine cum ipsis ovibus absque eorum detrimento nequeant conversari, cupientesque, prout ex injuncti apostolatus obligamur officio, ne hujusmodi hæresis, & dogma per ipsorum tolerantiam Praticellorum peramplius Christi gregem inficiat, totis nisibus obviare: vobis & vestrum cuilibet sub interminatione dirqni judicii authoritate apostolica tenore præsentium committimus, & mandamus, quatenus, vos & vestrum quilibet, etiam extra suum diœcesim, vel terminos inquisitionis officii sibi commissi, in Fratecellos prædictos illorumque receptatores, fautores, & defensores utriusque sexus, cujuscumque dignitatis, status, vel conditionis, etiamsi pontificalis, vel regalis existant, etiam alias vobis non subditos, & eorum quemlibet inquisitionis officium authoritate nostra exercentes, in eos procedatis, &c. Datum Mantuæ XVIII. Kal. decembris, pontificatus nostri anno I.

Jussi censores fidei inquirere in eorum studiosos.

XII. Non minus studii a Martino ad vetusti schismatis reliquias excindendas adhibitum est. Agebat Paniscolæ Petrus e Luna una cum quibusdam pseudocardinalibus atque episcopis, populosque a Romanæ ecclesiæ conjunctione retardabat: ad cujus infringendos conatus Pontifex ineunte anno Alamannum Cardinalem, concilii Constantiensis consensu, ad Aragoniæ, Valentiæ, Navarræ, ac Balearium regna legatum (*a*) misit, amplissima ei tributa authoritate.

Petri e Luna pertinacia.

(*a*) *Ib. ep. cur. pag. 62.*

Defessi diuturni schismatis calamitatibus erant Aragones, extremoque superiore anno pertinacissimum antipapam adegerant, ut ab alendo schismate absisteret, iterumque reliqui ejus pseudocardinales ipsum VIII. martii rogarunt (*b*), ut positis pontificalibus ornamentis Constantiam mitteret oratores, tolleretque offensionem publicam, quam in Ecclesia alebat; atque ab illo impie jactante hujusmodi offensionem spernendam veluti a pharisæis acceptam, non parvulis datam, hoc responsum (*c*) elicuerunt: *Respondet quod nedum Papa, sed quicumque alius prælatus non obligatur propter prætensum scandalum cedere, quia notorie apparet hoc scandalum non fore pusillorum, sed pharisæorum, & schismaticorum, & aliorum infidelium præcisorum.* Et infra: *Plures cum Papa tenent contrarium: quamvis sola Papæ opinio sufficeret, & esset omnibus aliis præferenda. Præterea quis intelligens dubitat, quin unio Ecclesiæ per modum, qui petitur, esset non clara, sed obscura, non secura, sed dubia, non brevis, sed nulla?* Coarguerunt phanaticum ejusmodi errorem ejus sectatores, ac superiores preces, adductis multis gravissimisque sententiis, & argumentis, ac rationibus, quæ ipsos permoverant, repetierunt (*d*).

(*b*) *To. 2. de Schism. pag. 82. & cod. MS. Cardin. Barb.*

(*c*) *Eod. to. 2. pag. 83.*

Antipapæ argutiæ.

Refelluntur.

(*d*) *Ib. pag. 93.*

Attendant enim quod cum schisma, proh dolor! antiquatum, quod fere jam per quadraginta annos duravit, verisimiliter attentis occurrentibus, tolli non possit nisi per vestram cessionem, sanctitas vestra ex debito pastoralis officii ad ipsam cessionem tenetur, attestantibus hoc sacris canonibus & dictis sanctorum patrum clarissimis, & exemplis, e quibus sequentia dicta magni Augustini, quæ vestræ sanctitati ignota non reputamus, brevitatis intuitu de præsenti sufficiat texuisse. Ait enim doctor beatus in lib. 2. contra Cresconium: Nec episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum, & sacramentum dominicum ministramus. Et infra: *Denique nonnulli sancta humilitate præditi viri propter quædam in se offendicula, quibus pie religioseque movebantur, episcopatus officium non solum sine culpa, verum etiam cum laude deposuerunt. Idem etiam Augustinus in libro gestorum cum Emerico: Pro pace Christi episcopi esse debent, aut debent non esse, & subdit: Quid dubitamus Redemptori nostri sacrificium istud humiliter offerre? An non ille de cælis in membra humana descendit, ut membra ejus essemus? & nos, ne ipsa membra crudeli divisione lanientur, de cathedris descendere formidamus? Propter nos sufficit quod Christi fideles, & obedientes sumus; hoc ergo semper sumus: episcopi autem propter Christianos populos ordinamur. Quod ergo Christianis populis ad Christianam pacem prodest, hoc de nostro episcopatu faciamus.* Et infra. *Propter nos debemus esse quod vos. Quis debet esse tu? [cuicumque loquor vestrum] Christianus, fidelis, obediens: hoc tu propter te, hoc & ego propter me. Quod ergo tu propter te, & ego propter me, semper esse debemus. Quod autem sum, propter te sum, si tibi prodest; & non sum, si tibi obest.* Et infra subdit: *Si servi utiles sumus, cur Domino, contemptis æternis lucris, pro nostris temporalibus sublimitatibus invidemus? Episcopalis dignitas fructuosior nobis erit, si deposita gregem Christi magis collegerit, quam retenta disperserit.* Paucisque interjectis: *Si enim volo retinere episcoggtum meum, dispergo gregem Christi, & quomodo non est damnum gregie*

Proposita sanctorum exempla.

Et Christi.

Allatæ S. Augustini authoritates.

gis honor pastoris ? Et infra : *Nam qua fronte in futuro sæculo promissum a Christo sperabimus honorem, si Christianam in hoc sæculo noster honor impedit unitatem ? Idem Augustinus in epistola ad Castorium: Longe est quippe gloriosius episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscepisse ; ille quippe se honorem digne accipere potuisse demonstrat, qui acceptum non defendit indigne. Hæc ille.*

XIII. *Ecce, pater beatissime, ex dictis mirabiles Augustini, quæ Cardinales prædicti reverenter vestræ offerunt sanctitati, quod Romanus Pontifex tanto plenius servare tenetur, quanto in dignitate sublimiori, & statu perfectiori existens, Deo strictius aliis episcopis obligatur. De exemplis autem post illa, quæ per Augustinum generaliter dicta sunt, sufficiat exemplum beati Gregorii Nazianzeni patriarchæ Constantinopolitani, cujus, teste Ruffino, nec vita aliquid probabilius, & sanctius, nec eloquentia clarius, & illustrius, nec fide purius, & rectius, nec scientia plenius, & perfectius inveniri potest: qui solus fuit, de cujus fide nec dissidentes quidem inter se, ut fieri solet, partes, & studia disputare potuerint ; sed id obtinuit apud Deum & ecclesiæ meritis, ut quicumque ausus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari, ex hoc ipso quod ipse sit magnus hæreticus arguatur : manifestum namque indicium est non esse rectæ fidei hominem, qui in fide Gregorio non concordat ; iste, inquam, talis, & tantus fuisse dicitur, ut de ipso iterum scribatur, quod brevi tempore tantum ad emendandum populum vetustis infectum veneno profecit, ut tunc primum Christiani sibi fieri viderentur, & novellam lucem veritatis aspicere, cum religionis doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis, ut videretur ab eo discipulis aliquid imperari, quod prius ipse non fecisset : sed ubi gloriam consequuta est invidia, obniti quidam, & propositionibus minus sanis uti cœpere, ut ipso ad propria remeante alius ordinaretur episcopus: quod ille susurrari tantum, & sub dente sentiens ruminari, ipse profert, quod nullus eidem audebat dicere : Absit, inquit, ut mei causa simultas in Dei sacerdotibus oriatur: Si propter me est ista tempestas, tollite, & mittite me in mare, & desinet a vobis quassatio. Hæc dicens vir gloriosissimus cessit patriarchatui, & regressus est ad propria. Item, beatissime pater, quod sanctitas vestra ex debito pastoralis officii renunciare teneatur, determinationibus potest probari doctorum solemnium, qui super jure canonico scripserunt: ad quam quidem cessionem etiam vestram sanctitatem astringit, quod illam juravit, obtulit, & bona fide promisit, ut in præsentata cedula continetur, quæ quidem adjectio fidei pro juramento reputatur in jure. Attendant etiam Cardinales prædicti, quod, ex quo in practicis super via cessionis hactenus per eamdem sanctitatem oblatis, non concordat congregatio Constantiensis, tenetur dicta sanctitas ex debito pastoralis officii pro sedando schismate, & reducendo ad veram unionem sub bono capite majorem partem Christianitatis, quæ vos, & prædecessores vestros non reputavit veros Romanos Pontifices, sed intrusos, condescendere ad aliam practicam, in qua dicta congregatio cum ejusdem sanctitate concordet, & quæ sit observabilis sine offensa divina, cujusmodi videtur esse indubie practica per dictos supplicantes, & consulentes aperta in sua cedula antedicta, &c.* Multis interjectis verbis orant, ut offensionem schismatis universis Christifidelibus allatam amoveat ; tum subdunt.

Exemplum S. Gregorii Nazianzeni.

Cessit propter dissidia sacerdotum.

Convictus antipapa sacramento suo.

Attendat, & recolat illa, quæ per ambassiatores Serenissimorum Regum, & principum obedientiæ suæ ex eorum parte fuerunt pluries eidem sanctitati in scriptis intimata, & etiam quæ per suos fideles prælatos, & alios probos viros sæpissime supplicata fuerunt: & super dicto scandalo exorata. Quo [prout verum est] præsupposito, ad consulendum, supplicandum, & requirendum dictam purgationem faciunt exempla præterita: nam, ut legitur in chronicis, Papa Damasus primus accusatus de adulterio, se coram concilio purgavit: Papa Sixtus tertius accusatus de crimine se purgavit coram concilio: Papa Pelagius I. inculpatus de exilio, & morte Vigilii, se purgavit coram omni populo, atque clero. Papa Leo III. cui crimina opponebantur, quia nullus inventus fuit probator legitimus ab objectis criminibus se purgavit. Nec est cura præsentis an dicti Romani Pontifices necessario se purgaverint, an de honesto, quia utroque casu imminentibus scandalo, infamia, & suspicione prædictis justa supplicatione bene, & utiliter consulitur, & sancte requiritur fieri in generali concilio purgationem prædictam, & maxime vestra sanctitate, quia fautoria inveterati schismatis, & turbatio unionis Ecclesiæ ad fidem pertinere videtur.

Urgetur ut se ab objectis purget.

XIV. Ita nitebantur pseudocardinales Petri de Luna abrumpere schismatis laqueos, quibus irretiti tenebantur. At perfidus antipapa, cum propositis pœnis gravioribus pontificii fastigii insignia ponere juberetur, impudenter respondit (a), habiturum se colloquium cum Martino, si vera essent, quæ de ejus humanitate & integritate ferebantur. Itaque cognita illius pertinacia ad Ecclesiæ castra transfugere, quos hoc anno Martinus exarato Gebennæ prima augusti die diplomate vero honore, ac jure cardinalitio affecit (b): erant

Pseudocard. Petri e Luna ad Martin. transfugiunt.

(a) *Surit. l. 19. c. 69.*

(b) *Felix Contel. in Elencho Cardd.*

rant ii Joannes Murillus abbas Montis Aragonum tit. S. Laurentii in Damaso presbyter, Carolus de Urries S. Georgii ad velum aureum, Alfonsus Carillus S. Eustachii, Petrus Fonseca S. Angeli diaconi Cardinales. Contulere vero iis se in Italiam, atque a Martino benigne excepti sequenti anno fuerunt [1]. Desertum etiam fuisse Petrum e Luna a S. Vincentio (a) Ferrerio antea vidimus, cum antipapatu se abdicare recusaret, ac salubria omnia monita respueret. Ceterum Martinus, ut illius audaciam contunderet, Alamano tit. S. Eusebii presbytero legato Cardinali provinciam dedit, sicuti superius dictum est, ut ea decretis concilii in eum eique adjunctos animadverteret (b), armorumque fœdera cum principibus iniret (c): tum datis Gebennæ VI. id. augusti literis (d) potestatem ei fecit, ut sacerdotia, quæ in Paniscolensi agro post latam synodicam in Petrum e Luna sententiam vacarant, catholicis clericis conferret.

(a) Raynan. l. 2. c. 2.

(b) Mart. l. 1. & ep. cur. pag. 67.

Data Card. legato mandata.

(c) Ib. pag. 86.

(d) Ib. pag. 155.

XV. Alfonsus Rex antipapæ pertinaciam fovet.

Spernentem censuras, ac synodi Pontificisque decreta antipapam apostolicus legatus facile perdomuisset armis, nisi Alfonsus Aragonum Rex (qui susoriis tantum verbis pervicacissimum hominem hortari, ut legibus pareret, contentus erat) legati ejusdem studia, cui frangendæ perfidi hominis contumaciæ manus injunctam erat (e) disturbasset: qua de re gravissimas querelas a Martino postea effusas audituri sumus. Nec deerant in reliqua Hispania, qui pseudopontificis pertinaciam tribuentes constantiæ de concilii œcumenici decretorum authoritate detraherent: inter quos nonnulli pseudomonachi Burgenses, blandis sed impiis susurris Christi fideles subornare nitebantur: quos Pontifex ab episcopo Burgensi meritis pœnis compesci jussit (f). Eadem vesania acti quidam Scoti, spreta synodo œcumenica Constantiensi antipapæ adhærebant. Ad quos in sinum ecclesiæ reducendos Griffinus Roffensis episcopus, & Finlaus ordinis Prædicatorum theologus renuntiati (g) fuerunt Apostolicæ Sedis internuntii.

(e) Ib. pag. 86.

In Hispania nonnulli detrahunt de concilio.

(f) Ib. pag. 220.

(g) Ibid. ep. cur. pag. 87. 89. ad 95.

XVI. Sigismundus Rex optime de ecclesia meritus.

Hæc erant Martini ad schismaticos a Christi grege aberrantes ad saniora consilia traducendos ardentissima studia, quæ proximis annis constanter exercuisse visuri sumus. Nunc addemus Pontificem, ut gratiam rependeret Sigismundo Regi Romanorum, qui tot labores ad removendum ab Ecclesia schisma susceperat, maximosque fecerat in variis peragendis itineribus sumptus, Cardinalium & præsulum nationis Germanicæ consensu ipsi annuas Treverensis archiepiscopatus, ac Basiliensis & Leodiensis episcopatuum decimas concessisse, quem etiam hoc elogio exornavit (h): *Præclara devotione & fide tua serenitatis*, Sigismundum alloquitur, *merita quibus erga Deum, & universalem Ecclesiam sanctam suam gloriosissime, præsertim erga unionem ejusdem Ecclesiæ cunctis Christi fidelibus supremis desideriis exoptandam, per multa jam tempora, curis vigilibus, & continuis, non sine magnis etiam personalibus laboribus, ac expensarum profluviis sedulo, prout cognovimus operum ab effectu mirifice claruisti, & in dies erga pacem, & tranquillitatem ipsius Ecclesiæ, ac statum nostrum pariter, & honorem, ac Romani culmen imperii clarere dignoscaris, attenta meditatione pensamus, mentque revolvimus, divina superillustrante clementia per interventum etiam tuorum regalium, ac salutarium operum jam tandem in eadem Ecclesia effectum unionis hujusmodi in tanto rerum turbine præter mortalium spem contigisse devotius.*

(h) Ib. pag. 58.

Ejus elogium.

XVII. Affulsere Græcorum ad ecclesiæ Romanæ

NOTÆ [1] Secessionem hanc cardinalium quatuor a Benedicto non uno tempore, & consilio adornatam existimo. Oratores enim Academiæ Coloniensis in epistola XXXIX. inter vulgatas a Martene Anecdot. to. II. col. 1695. quam Februario mense datam, quanquam ibi non legitur, compertum habeo, hæc de secessione cardinalium scribunt. *In profesto purificationis B. Mariæ fuit celebrata missa de Spiritu sancto propter nova certa recepta de Hispania, quod omnes Reges Hispaniæ dereliquerant Petrum de Luna, & obediunt domino nostro apostolico; & illi prælati cardinales & alii qui adhærebant dicto Petro omnes dimiserunt eum, tribus demptis.* Sermonem hic esse de cardinalibus tribus qui Benedicto fideles perseverabant, vix dubito. Igitur si dein quatuor secessisse memorantur, illud consequatur oportet, quartum illum recens & post tempus scriptæ ejusdem epistolæ ad purpuram accitum fuisse. In additione ad Niemium, vulgata ab Eccardo inter historicos med. ævi, narratur Petro de Luna adhæsisse duos reliquos cardinales *unum Carthusiensem & alium qui dicebatur dominus Julianus de Dobla*. Sed cardinales nullos tunc remansisse Benedicto seu Petro de Luna suspicor; atque ita demum omni cardinalium satellitio destitutum perseverasse illum credo usque ad annum 1424. quo tandem, in ipso vitæ exitu constitutus, cardinales quatuor renunciavit, inter quos recensetur Julianus tituli XII. apostolorum, qui forte idem erat Julianus de Dobla, de quo Niemii continuator. Quatuor hos cardinales, & alios præterea nullos moriens, eodem anno & mense Benedictus reliquit ex quo non inani conjectura deducimus omnes Benedicti cardinales secessionem ab illo adornasse, ac falli continuatorem Niemii, qui superfuisse duos scribit. Quæ huc usque de cardinalibus in obitu Benedicti creatis commentati sumus narrat Joannes de Thurena unus ex quatuor illis cardinalibus Benedicto superstitibus in literis ad comitem Armoniaci datis, vulgatisque a Martene Anecdot. to. 2. col. 1714. &c. Mansi

A Græcis Ecclesiæ gremio restituendis agitur.

(a) Lib. 3. p. 10.

no gremium exciso veteri schismate sumptæ revocandorum spes, habita plura cum Emmanuele Imperatore ea de re oratorum opera colloquia, ut Martinus (a) testatur: quam etiam Græcorum cum Romana ecclesia conjunctionem Josephus patriarcha expetebat, cum pateret Græciam omnem in Turcarum potestatem redigendam, nisi composito vetere de religione dissidio occidentalium arma auxiliaria in illos verterentur. Quod perspiciens Imperator iniit (b) consilia, ut filii sui affinitatem cum Regibus & principibus Romanæ ecclesiæ conjunctis contraherent, quo facilius Græci pristinam cum Latinis concordiam redintegrarent, consultusque de ea re Pontifex amanter id concessit, modo Latinis fœminis Latino ritu in Græcia vivere permitteretur, datis hisce ad Constantinopolitanæ regiæ principes literis.

(b) Lib. 8. ep. cur. p. 33.

Martinus, &c. Dilectis filiis nobilibus viris, Joanni, Theodoro, Andronico, Constantino, Demetrio, & Thomæ filiis charissimi in Christo filii Manuelis Imperatoris Constantinopolitani illustris salutem, &c.

Martini lit. ad Imp. Constantinop. filios.

Nostræ professionis apostolicæ, & pastoralis sollicitudinis vigilantium, summa ope nos decet, ut ad exemplar Pastoris æterni, cujus sua indulgenti bonitate vices gerimus in terris, omnium saluti consulere, omnibus prodesse, cunctis in visceribus charitatis affici, singulorum infirmitatibus compati, & spiritualiter mederi possimus; sed maxime ad domesticos fidei, juxta beati Pauli doctrinam, bonum operari, & eorum omnium prosequi reductionem, & salutem, vehementer exoptamus, qui Christiano nomine, & professione gloriantur: unde graviter, & cum magna cordis acerbitate ferimus vastus Græciæ depopulationes, jacturas, & discrimina desolationis illius excellentis imperii, & celeberrimæ portionis Ecclesiæ, apud quam floruit dudum sapientia, viguit militiæ robur & decus, sed [quod præstat omnibus] emicuit & præfulsit Christiana religio.

Condolet Græciæ eversioni.

Volentes itaque quantum cum Deo, & nostra honestate poterimus ad ea condescendere, quæ vetustæ divisionis Græcorum ab obedientia sanctæ Romanæ ecclesiæ fomenta tollere, & totius schismatis illius extirpationi salubriter cooperari videntur ita, ut non sit deinceps, sicut nec esse debet, differentia Latini & Græci, sed omnes in uno grege Dominico in eodem ovili, quod est Ecclesia, sub eodem pastore vicario Jesu Christi, militare Deo possint, & unanimes ambulent in domo Dei cum consensu; quapropter annuendum censuimus devotioni charissimi in Christo filii Manuelis Imperatoris Constantinopolitani illustris patris vestri, qui pro faciliori & magis accomoda reductione antiquæ, pacis media, & reconciliatione mutua, cunctarum Christum colentium regionum, nobis humiliter supplicavit, quatenus vobis filiis suis, & cuilibet vestrum cum mulieribus fidei, ac devotionis, & obedientiæ sanctæ Romanæ ecclesiæ, matrimonia contrahendi liberam indulgeamus facultatem, cum præsertim serenitatem suam ad hoc saluberrimum pacis opus vehementer affectum esse noverimus, & de vestris nobilitatibus bonam gerimus in Domino fiduciam, quod ad paternæ devotionis imitationem vestræ in diebus prosperabitur opus tantæ salutis, & fœlicem sortietur præstolatæ pacis, & unionis effectum; cum præterea multorum conditionem, & mores illarum regionum cognoscentium relatione fide digna fuerimus informati, quod attentis rerum qualitate, & præsentium dispositione temporum, talis matrimoniorum contractus, summe possent prædictæ reductioni conferre: unde vobis, & cuilibet vestrum cum ipsis mulieribus in devotione ac fide ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ nobis & Apostolicæ sedi obedienter subjectis, ut præfertur, matrimonia contrahendi, liberam tenore præsentium concedimus facultatem: volentes tamen, quod ipsæ mulieres fidem, cultum, & obedientiam ipsius sanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ, semper observare teneantur, & sub nostra, & Apostolicæ sedis reverentia, & devotione permaneant, ac sine legis divinæ, vel orthodoxæ fidei præjudicio, aut contumelia Salvatoris: relaxantes omnes pœnas, & cætera, quæ prædictis contraire possent, vel quomodolibet obviare, constitutionibus apostolicis, decretis conciliorum generalium, & aliis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, &c. Dat. Constantiæ VIII. idus aprilis pontificatus nostri anno I.

Manuel Imperator pristinum cum Rom. eccl. conjunctionem expetit.

Conceditur ejus filiis, ut Latinis mulieribus nubant.

Adjecta conditio, ut illæ ritu Latino vivant.

XVIII. Eximiam Wladislaus Poloniæ Rex in concilianda cum Romana ecclesia Græcorum conjunctione operam navavit, cui a Martino actæ gratiæ. Idem etiam pietate & militari gloria spectatissimus Rex plura bella cum infidelibus gesserat, nec modo eorum impetus retuderat, verum fidei etiam orthodoxæ limites amplificarat: ac Sagniaccas populos ad baptismalia sacra pellexerat: cumque ab Romanis Pontificibus nondum extincto Avenionensi schismate decoratus fuisset amplissimis prærogativis, eas a Martino confirmari flagitavit (c); cujus votis diplomate apostolico indultum est.

Rex Polon. de ecclesia optime meritus.

(c) Lib. 1. p. 120.

Martinus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Justis & honestis supplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus prosequimur opportunis. Sane petitio pro parte charissimi in Christo filii nostri Vladislai Regis Poloniæ illustris, nobis nuper exhibita continebat; quod, cum olim ipse in Christianitatis finibus constitutus contra gentes barbaricas, & Christiani nominis ini-

Plura in barbaros gessit.

inimicas, & etiam infideles pro incremento, & propagatione orthodoxæ fidei quandoque bella moverit, & nonnunquam fructuosissimis studiis curisque vigilibus; persuasionibus, & inductionibus variis, ac modis omnibus, regalem ejus potentiam excitaverit, ut plerique ex illis ad ovile Dominicum se converterent, & ad conversionem aliorum hostium hujusmodi, eorum & Græcorum, & totius orientalis secta, ut universali Ecclesiæ catholicæ se uniant & conjungant, operam sedulo impenderit efficacem; & propterea a felicis recordationis nonnullis Romanis Pontificibus in eorum obedientiis habitis, nonnulla privilegia, gratias, & indulta pro tranquillitate, & statu sui regni suoque pariter, & honore, de speciali gratia promeritus fuerit hactenus obtinere; & cupiat ab intimis, ex quo Divina clementia in personam nostram pacem & unionem præfata Ecclesiæ dignata fuit nostro tempore de throno sua ineffabilis potentia misericorditer elargiri; hujusmodi privilegia, gratias, & indulta authoritate nostra, ac per nos generaliter confirmari pro parte ipsius Regis, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus habentes statum, & formam privilegiorum, gratiarum, & indultorum hujusmodi eidem Regi seu regno suo a dictis Romanis Pontificibus, seu pro Romanis Pontificibus habitis concessorum, ac literarum desuper confectarum, & omnium contentorum in illis, hic altas pro sufficienter expressis & specifice declaratis, hujusmodi privilegiis, gratiis, & indultis, ac literis desuper confectis & contentis in eis robur apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur.

Susceptis ab eo laboribus, ut Græci se conjungerent Latinis.

Poscit vetera privilegia confirmari.

Nos igitur attentis, ac diligentissime consideratis curis, vigiliis, atque laboribus præfati Regis erga incrementa, & cultum catholicæ fidei, & in exterminium hostium, & infidelium obstinatorum, & hujusmodi infidelium conversione ad veritatem præfatæ fidei in magna multitudine populorum Sagniaccarum, sacri baptismatis unda hactenus renatorum; ac etiam quam regaliter circa præmissa assidue insudare non desinit, volentes eundem Regem in præmissis specialibus prosequi gratia & favore, ac suis in hac parte supplicationibus inclinati, hujusmodi privilegia, gratias, & indulta, nec non literas apostolicas desuper confectas, & omnia, & singula in eis contenta prout rite, & provide facta sunt, rata habentes, & grata ea authoritate apostolica, ex tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Dat. Constantiæ xv. non. maii anno 1.

Sagniacci populi ad Christum traducti.

Privilegia Regis Poloni corroborata.

XIX.

Duxit (a) etiam pius princeps sibi gloriæ ex insigni erga sedem Apostolicam observantia in regno Poloniæ, Novagroda, Pliscovvia, amplissimaque alia Russiæ ora, in quibus leges dabat, vicarii Romanæ ecclesiæ nomen ac munus suscipere, ut eo ad inferendam barbaris evangelii lucem, fidemque orthodoxam propagandam, Græcosve schismate infectos ad Romanam ecclesiam traducendos uteretur: qua de re subjectæ literæ exaratæ fuere.

(a) Ib. p. 79.

Aliud concessum ei privileg.

Martinus, &c. charissimo in Christo filio Uladislao Regi Poloniæ illustri in magna Novagroda, & Pliscovia civitatibus & earum dominiis Russiæ pro nobis, & Romana ecclesia in temporalibus generali vicario salutem, &c.

Etsi de cunctis negotiis cura atque regimini nostris humeris superna dispositione jugiter incumbentibus nos cogitare conveniat ex apostolicæ servitutis officio, circa illa tamen propensioribus vigilantia, atque cura extendere compellimur mentis nostræ vigilias, per quæ orthodoxæ fidei profectus, ac infidelium detestanda malignitas ad Patrem luminum, & ad unitatem Apostolicæ sedis conversi, authore Domino, valeant incrementis salutaribus, atque felicibus salubriter provenire. Cum igitur, sicut manifestis didicimus, plurimorum, & catholico Rege dignissimorum operum ab effectu, tua serenitas exponens jugiter se, ac sua, nullis abstinendo laboribus, aut impensis erga conservationem pacis, & unione in eadem universali Ecclesia sancta Dei, ac pro tutela, & incremento orthodoxæ fidei, & conversione infidelium quorumcumque ad ovile dominicum, unione orientalis ecclesiæ ad veritatem, & integritatem catholicæ, & apostolicæ Sacrosanctæ & universalis Ecclesiæ, ut fiat, tuo cooperante regali ministerio, ovile unum, & pastor unus, non desierit nec desinat incessanter exponere totius regalis vigilantiæ suæ curas, & propterea intendentes, ut eo vigilantioribus studiis curisque propensioribus circa præmissa, & eorum effectum eadem tua serenitas valeat insudare, quo per nos, & Sedem Apostolicam majori fuerit authoritate munita, & ex exemplo hujusmodi laudabili, ac honorabili cæteri Reges, & principes Christianitatis excitentur ad similia imposterum peragenda, præmissis, & nonnullis causis rationabilibus ad hoc animum nostrum moventibus inclinati, personam tuam in regno Poloniæ, & cæteris partibus tuo regali dominio suppositis, ac in terris, & locis schismaticis Russiæ, & pro conversione infidelium quorumcumque ad cultum præfatæ fidei, & maxime, & præsertim in magna Novagrod, & Pliscovia civitatibus, & earum dominiis Russiæ, quoad vitam duxeris in humanis eadem serenitate tua tam in nostra, ac successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice in-

Edita ab ipso pietatis facinora.

Creatus Pontificis vicarius in Russia.

trantium, & ejusdem Ecclesiæ fidelitate, devotione, & obedientia permanente, cum jurisdictione, potestate, & officio, oneribus & honoribus aliis vicariis in temporalibus in civitatibus, & partibus prædictis, hactenus per Sedem Apostolicam deputatis, in eisdem temporalibus authoritate apostolica tenore præsentium generalem vicarium ordinamus, constituimus, & etiam deputamus, eidem serenitati tuæ nihilominus in regno, & partibus hujusmodi contra schismaticos, & infideles, ac hostes præfatos & adhærentes, complices & sequaces eorum, ac pro conversione eorumdem, & aliorum quorumcumque aberrantium ad ovile dominicum ac unione orientalis ecclesiæ ad eamdem Romanam & universalem Ecclesiam, & ab iis dependentibus, & connexis, dicto vicariatu durante, omnia & singula faciendi gerendi, & exercendi, ac etiam exequendi, quæ eadem tua serenitas viderit salubriter expedire, & quæ ad hujusmodi vicariatus officium de consuetudine, vel de jure spectare noscuntur, plenam & liberam facultatem, & potestatem harum serie concedentes, ac mandantes venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis electis, administratoribus, abbatibus, cæterisque ecclesiarum, & monasteriorum prælatis, ac universis, & singulis Christifidelibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac pro incremento dictæ fidei orthodoxæ, quatenus per viscera misericordiæ Domini nostri, ac nostram & Apostolicæ sedis reverentiam eidem serenitati tamquam nostro, & ejusdem Ecclesiæ in temporalibus vicario in civitatibus, & partibus supradictis, quoties requies contigerit, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, electi, administratores, abbates, cæterique ecclesiarum, & monasteriorum prælati, per censuras ecclesiasticas, & alia juris remedia contra obstinatos appellatione cessante, & alio quocumque modo: reliqui autem quibusvis præsidiis faveant in cunctis opportunitatibus fideliter, & assistant, ut fructus uberrimi, Altissimo inspirante, divinitus per tuæ celsitudinis studium, juxta desideratam conceptamque spem, valeant provenire ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, statum & honorem militantis Ecclesiæ ac tranquillitatem & pacem civitatum, & dominiorum prædictorum, & Christifidelium quorumcumque.

Instructus auctoritate pro convertendis infidelibus & schismaticis

Præcipitur præsulibus, ut Regi Pol. faveant.

Volumus autem quod antequam hujusmodi officium incipias exercere in manibus venerabilis fratris nostri archiepiscopi Gueznensis fidelitatis debitæ, ac de hujusmodi officio fideliter, ac regaliter, prout speramus, & cupimus, exercendo pro nobis, & eadem Romana ecclesia recipiente, præstare debeas in forma solita juramentum. Tua igitur serenitas sicut abunde concepimus, onus officii hujusmodi prompta devotione suscipiens, sic illud studeat in singulis, exultationem fluentis, incrementa fidei, Ecclesiæ nostræque pariter, & Christifidelium quorumcumque concernentibus, regaliter, ac saluberrime exercere, ut apud Altissimum, qui solus regibus, & principibus dat salutem, ultra nostram & ipsius sedis benedictionem, & gratiam palmam sempiternæ beatitudinis, & gloriam valeat promereri. Dat. Constantiæ XII. id. maii pontificatus nostri anno I.

Sacramenti formula, quo se devincturus esset.

Ad propagandam etiam in magna Novagroda & Sagitarum ac Psznickoou provinciis, aliisque Russiæ partibus fidem catholicam, atque orientales ad Romanæ ecclesiæ conjunctionem adducendos vicarium in iis terris, ac Lituania creavit Pontifex Alexandrum sive Witoldum ducem Lituaniæ pari authoritate illi, ac Regi Poloniæ attributa: quo argumento extat apostolicum diploma, (a) iisdem pene ac superius, conceptum verbis. Veteres etiam prærogativæ concessæ (b) antea a prædecessoribus Pontificibus ob defensam auctamque rem Christianam a Martino confirmatæ fuere. Ut vero iidem dux & Rex aliorum bellorum curis soluti convertere adversus infideles hostes exercitus possent suasque victorias latius proferre, a Pontifice, ac Sigismundo Romanorum & Hungariæ Rege actum est de sedanda discordia, quæ Cruciferos equites inter ac Polonum Lituanumque fœderatos nata erat, atque imperatæ authoritate apostolica induciæ fuerunt, quæ a proximo S. Margaretæ sacro die ad recurrentem altero anno eumdem diem tenerent: tum urbes Olouu, Minzinou, & Novalos a Cruciferis Sigismundo Regi tradi jussæ, quæ Wladislao consignarentur ea lege, ut eas operibus munire, vel inde novum in ipsis jus comparare non posset. XX.

Vvitoldus in Russia renunciatus vicarius pontificis.

(a) Ib. p. 80.

(b) Ib. p. 121.

Indictæ inter Cruciferos & Polonos induciæ.

Missos (c) proximo anno a Pontifice legatos Jacobum Camplum Spoletanum, & Fernandum Hispanum Lucensem episcopos ad eam dirimendam controversiam tradit Cromerus, de quibus suo loco. Ad hunc porro annum refert Michovias (d) extincto Zoldano Zelodin Tartarorum Imperatore Polonici generis amico, Keremberden in paternum solium evectum signa adversus Witoldum Lituaniæ ducem extulisse: illum vero ad infringendos barbaricos conatus apud Vilnam alium principem Tartarorum Bethsubulam creasse Imperatorem, trabeaque purpurea indutum conjunctis cum Tartaricis copiis Lituanis viribus immisisse ad Keremberden regno depellendum: sed collatis signis Bethsubulam ipsum captum in acie truncatumque capite victoris jussu, qui paucis post diebus a germano Jeremferden trucidatus est. Hic autem novus Imperator vetera cum Witoldo fœdera renovavit, & cum eo omnia fere bella obivit. In-

(c) Cromer. Polo. rer. l. 18.

(d) Mich. l. 4. c. 51.

Bello cum Vvitoldo.

Tartaricarum rerum conversiones.

XXI. Rex Lusit. religionem profert in Africa.

Inter has Tartariæ septentrionalis rerum conversiones Joannes Lusitaniæ Rex adversus Christiani nominis hostes meridionales in Africa expeditionem conficiebat, erepcaque Mauris Cepta proferre latius Christianam religionem meditabatur: ad cujus pia perducenda perficiendaque consilia Pontifex Christianos Reges ac principes solicitavit, ut subsidiariis illum armis juvarent, præmiaque indulgentiarum religiosam militiam accepto crucis symbolo professuris, Regisque Lusitani signa secuturis proposuit (a).

(a) Lib. 1. ep. cur. p. 153.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis electis, administratoribus, abbatibus, prioribus, aliisque ecclesiarum & monasteriorum prælatis, nec non cæteris Christianæ religionis professoribus ubilibet constitutis, ad quos præsentes literæ pervenerint salutem, &c.

Sane charissimus in Christo filius noster Joannes Portugalliæ rex illustris, sicuti tam aliquorum fide dignorum plurima relatione, quam suadente fama didicimus, Christianæ propagationis affectibus inflammatus, ac cupiens collatam sibi a summo rege potentiam in exaltationem gloriosi sui nominis exterminiumque ipsius hostium exercere, instructis Christianorum militum aciebus ad debellandos tam in Africanis quam aliis partibus eamvicinis Saracenos & alios infideles, qui Christianos crebris insultationibus, captivitatibus, & occisionibus affligebant in detenta per eos territoria, & loca processit, ac locum de Cepta, quem longis retroactis temporibus occuparunt, ab ipsorum intolerabili servitute potenter eripiens, suavissimo Christianæ professionis jugo restituit. Cum autem idem Rex catholicæ fidei pugil, & athleta fortissimus indultam sibi felicem victoriam in eosdem infideles viriliter prosequi desideret, ac proponat, & adjuncta sibi multitudine copiosa fidelium intendat, eodem præstante, cujus causam devote amplectitur, ad subjugandos Sarracenos, & infideles hujusmodi, redigendosque ad cultum ipsius veræ fidei terras, quas occupant, omnem suam & dictorum suorum regnorum potentiam adhibere, nostras & catholicæ Ecclesiæ, quæ congregationem ipsorum fidelium comprehendit pro tam felicis consummatione negotii partes adjutrices humiliter imploravit. Nos itaque tam salutare præfati regis propositum maximis in Domino laudibus extollentes, & pro ejusdem successu directis in cælum oculis, ei cujus negotium geritur immensas proinde gratias exsolventes, omnes & singulos Imperatores, Reges, duces, marchiones, principes, barones, comites, potestates, capitaneos, magistratus, & quoslibet alias officiales, ac eorum locatenentes, communitates quoque civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum quorumcunque locorum, cæterosque ejusdem Christiani nominis zelatores status, & religionis quorumlibet exhortamur, ac per aspersionem Sanguinis ejusdem gloriosissimi Redemptoris paternis affectibus obsecramus, in factorum eis remissionem peccaminum suadentes, ut ad infidelium errorumque eorundem exterminium, & ad impendenda profutura suffragia, quibus hujusmodi negotii prosecutio feliciter adjuvetur, potenter atque viriliter se accingant ad hoc enim spiritualibus munificentiis remissionibus videlicet, & indulgentiis ipsos de fratrum nostrorum consilio providimus invitandos.

Ejusdem elogium.

Cepta ab ipso expugnata.

Solicitati Reges ad ferendam opem Lusitano.

XXII.

Quocirca vobis, & vestrum cuilibet, fratres patriarchæ, archiepiscopi, ac filii electi, administratores, & prælati, per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus vos, & quilibet vestrum, quoties Joannem prædictum Portugalliæ regem hujusmodi negotio intendere, & adversus infideles eosdem exercitus instruere, & ordinare contigerit, super hoc quoque vigore præsentium, quas plenæ firmitatis robore, quamdiu idem Joannes Rex vitam duxerit, in humanis, fulciri volumus, debite fueritis requisiti, ad præmissum tam pium tamque salubre negotium exequendum, veluti præcones fortes exaltantes in Dei nomine voces vestras in singulis civitatibus, diœcesibus atque locis, ubi congruere prospexeritis per vos aliasque personas sæculares, & regulares ordinum quorumcunque, quas ad hoc idoneas duxeritis eligendas, juxta datam vobis, & illis a Deo prudentiam Christi fidelibus quibuscumque ad audiendum confluentibus, & accedere volentibus, quibus vere pœnitentibus, & confessis, ut ad id eo libentius inducantur pro vice qualibet accessus hujusmodi quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis per vos auctoritate apostolica relaxentur, verbum crucis ejusdem, ac ipsius admirabile signum publice proponere, & prædicare curetis, illudque fidelibus ipsis id devote suscipere volentibus vestris, & eorundem eligendorum exhortationibus, ac opportunis monitionibus præviis, ut cum reverentia debita signum hujusmodi recipiant, & illud contra perversa dictorum infidelium conatus, atque molimina suis cordibus imprimant, & negotium ipsum fideli, ac ferventi animo prosequantur, libere concedatis, eorumque humeris affigatis. Nos enim ut fideles ipsi ad id eo ferventius animentur, quo uberiorem gratiam exinde se noverint percepturos, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa quam nobis, licet immeritis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, eisdem fidelibus, qui crucis hujusmodi signo suscepto præfatis exerciti-

Antistites illi favere jussi.

Symbolum crucis militi datum.

Propositæ indulgentiæ.

citibus in personis propriis interfuerint pariter, & expensis, quique ad illos interfuerint absque fraude iter arripuerint, seu in ipso fuerint itinere vita functi, plenam suorum peccaminum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, veniam impertimur, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum, &c.

XXIII. Decernit etiam sacrarum indulgentiarum participes fore eos, qui opes in militum stipendia contulerint, aut alios ad gerendum bellum miserint, aut consilio, vel opera juverint exercitum: cuncta autem loca, arces, terras, quæ in ea expeditione barbaris eripientur, Joannis Lusitaniæ regis atque heredum ditioni adjunctum iri: præterea omnes, qui religiosæ militiæ accepto crucis symbolo se devoverint, universis prærogativis, quibus olim a conciliis œcumenicis in Syriam contra Saracenos transfretantes affecti erant, potituros, atque in clientelam Apostolicæ sedis ipsorum bona accipienda, donec de eorum nece certissimus nuntius esset perlatus; dataque archiepiscopis & aliis præsulibus fuit provincia, ut ea tueantur, & ea invadentes censuris percellant, ac judicum auctoritatem ad eos comprimendos implorent. Ut vero arduum opus crucesignati puris ab omni scelere mentibus aggrederentur, hæc ad expiandas ipsorum conscientias statuit.

Immunitates veteres concessæ.

Cæterum, ut ipsius vivificæ crucis signo muniti eo facilius reddantur hujusmodi remissionum, & indulgentiarum participes, quo se liberius eximere posse conspexerint ab onere delictorum, Joanni regi præfato, ac illis, quos vice dicti Joannis regis exercituum duces sive capitaneos fore contigerit, tot ex vobis fratres patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, & filii electi, abbates, & prælati, de quibus illis pro tempore visum fuerit, quot alios idoneos sæculares, vel regulares ad id per vos assumendi omnium pro hujusmodi deductione negotii crucesignatorum confiteri volentium, confessiones audire, & hujusmodi confessionibus diligenter auditis pro peccatis suis, ac excessibus omnibus per illos commissis, etiamsi manuum injectores in clericos, & religiosos, nec non incendiarii, & sacrilegi fuerint, nisi adeo graves, in ipsarum manuum injectionibus excessus commissi fuerint, quod ad eandem sedem merito debeant destinari, injunctis ipsis pro modo culpæ etiam cum exaggeratione contra adversus illos ex ipsis, qui quod absit in progressu exercituum prædictorum, aciebus quoque contra infideles eosdem instruendis Joannis regis præfati, & illorum, qui exercituum, ut præmittitur, duces extiterint, earundem ordinationes, & mandata temere transgredi præsumpserint, pœnitentia salutari, ac aliis, quæ de jure fuerint

Sacerdotibus pro crucesignatis expiandis facultas data.

injungenda, debitæ absolutionis beneficium eadem auctoritate impendere possitis quoties opportunum fuerit eligere, ac deputari: & insuper pro colligendis, & accipiendis pecuniarum summis, ac rebus aliis, quas pro hujusmodi prosecutione negotii per quosvis erogari contigerit, personas ecclesiasticas honorabiles, idoneas, & fideles, de quibus eis videbitur, assumere libere valeant, auctoritate prædicta tenore præsentium indulgemus, &c. Dat. Constantiæ 11. non. aprilis pontificatus nostri anno 1.

Distinebant magna ex parte fidelium arma, ne adversus Christianæ religionis hostes verterentur, obortum inter Gallos Anglosque bellum. Valde sane tristis erat (a) rerum Gallicarum facies, cum regio sanguine prognati principes ob Caroli VI. imbecillitatem administrando regno imparem, contrariasque Andegavensis & Burgundæ stirpium factiones debilitatis Gallorum viribus, Henricus V. Anglorum rex maximo armorum apparatu conatuque regnum illud invaderet: ad quas sedandas controversias Martinus Amedeum Saluciarum S. Mariæ novæ diaconum Cardinalem amplissima suffultum auctoritate in Gallias misit (b).

XXIV. Galliæ bella rei Christianæ exitialia.

(a) Juven. ad. Car. 6. hoc an. Monstrel. vol. 1. cap. 186. Paul. Æmil. in eodem Carolo. Meyer lib. 15. in Joanna. Bar.

Amedeus Card. legatus in Gallias.

(b) Mart. lib. 1. ep. cur. pag. 40.

Martinus, &c. Dilecto filio Amedeo S. Mariæ novæ diacono Cardinali salutem, &c.

Moleste, hactenus etiam cum essemus in minoribus constituti, tulimus & nunc molestias ferimus, charissimos in Christo filios nostros Carolum Francorum, & Henr. cum Angliæ reges illustres, fuisse, & esse discordes, suasque vires invicem exhaurire, ac inter dilectos filios nobiles viros regales Franciæ vigere discordiam. Sunt etenim regna, quorum ipsi reges, & regales sunt, non solum terræ marisque amplitudine, ac potentia conspicua, verum strenuitate, litteratura, ac industria virorum, ac optime avitis, copiositate pollentia. Affectantes igitur toto corde, ut tales tantique inter christicolas reges, & regales ad veram concordiam, mutuamque & fraternam benevolentiam reducantur, aliquandiu examinavimus mente, qui ad hujusmodi tractandam concordiam, stabiliendamque inter eos pacem, mediator idoneus videretur; te ad id aptissimum fore conspeximus: nam conditionum regum, & regnorum, ac regalium eorundem, rerumque quæ hinc inde agitantur, te abunde informatum arbitramur, pacisque hujusmodi cupidum esse scimus, & tibi ad illam tractandam, componendamque, & firmandam, quantum in te erit, nec ingenium, nec industriam, aut solertiam defuturas. Tuæ igitur circumspectioni, de qua in his, & aliis plenam in Domino fiduciam gerimus, auctoritate apostolica præsentium tenore committimus, & mandamus, quatenus ad concordiam, & pacem

Exhaustæ mutuis cladibus Gallorum & Angl. vires.

Amedeus Card. jussus concordiæ interpretem agere.

pacem hujusmodi inter ipsos reges, & regales, quorum atque illustrium majorum suorum clarissima beneficia diversis dudum temporibus eidem Ecclesiæ, & sedi apostolicæ liberalissime impensa tenacissime memoria affixa tenemus, tractandas, componendas, & favente Deo firmandas solicitudine, industria, & virtute solitis diligenter intendat, ac modis opportunis, & congruis eas studeat stabilire, eidem circumspectioni tuæ concordiam, pacemque præfatas tractandi, componendi, & firmandi, omniaque & singula pro illorum effectu, nostro & Romanæ ecclesiæ nomine tractandi, agendi, & exequendi, quæ cum nostro, & Romanæ Ecclesiæ prædictæ honore quomodolibet fore videris opportune, plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem, &c. Dat. Constantiæ v. id. februarii pontificatus nostri anno 1.

Mandatis amplissimis instructus.

XXV. Alii duo Card. in Gallias missi.

Adjunxit postea Amedeo Pontifex alios duos Cardinales laborum socios, Jordanum Ursinum episcopum Albanensem, & Guillelmum tit. S. Marci presbyterum, quibus datum est de pace concilianda inter Carolum Gallorum, & Henricum Anglorum reges, diploma (a) xv. kal. aprilis. Urgebat quippe periculi magnitudo Pontificem, ut Galliæ subveniret, cum Henricus maxima instructa classe in Normanniam irrumperet (b); proptereaque eos omnes, qui pacis consilia disturbarent, censuris jussit comprimi: cumque intestina discordia inter principes e stirpe regia satos, Delphinum nempe, Joannem Burgundum, & alios proceres, nonnullasque urbes adversis partibus implicitas regnum illud olim florentissimum funeste laniaret; ad illam dissipandam Martinus legatos omni opera, studio, cogitatione jussit incumbere. Extant literæ (c) eo argumento exaratæ, quibus eam provinciam imposuit, hac temporis nota consignatæ: *Dat. Constantiæ xv. kal. april. pontif. nostri anno 1.*

(a) Ibid. pag. 94.

(b) Polyd. Virgil. lib. 22. Juvenal. in Car. 6. & alii.

(c) Ib. p. 99.

XXVI. Martinus Gallica arma avertere in Turcas meditatur.

Incitatum quoque apostolico studio ad Burgundam & Aurelianensem factiones extinguendas Pontificem fuisse, quo Francorum arma in mutuas strages districta adversus blasphemos Redemptoris humani generis hostes verterentur, ipse testatur in aliis literis (d), quibus Jordanum, & Guillelmum Cardinales legatos plurima auctoritate munivit.

(d) Ib. p. 101.

XXVII.

Ingressi (e) Gallias Cardinales civiles discordias componere, ac Delphinum ejusque sectatores Joannem comitem Armeniaci, & alios regiarum partium inter, ac Joannem ducem Burgundiæ ipsiusque factionis socios fœdus redintegrare summa animorum contentione conati sunt. Habiti propterea Montrolii conventus, & Cardinales pacis arbitri pronuntiarunt, ut Delphinus ac Burgundus regnum ex æquo moderarentur. Exortæ inde majores turbæ: promulgatis enim ejus fœderis pactionibus, Burgunda factio vocavit in invidiam apud plebem comitem Armeniaci aliosque regios administros, repudiari ab ipsis initæ a Cardinalibus pacis leges; conflataque in Armeniacum & socios conjuratione, Lutetia a factione Burgunda occupata est, Carolus Rex e regia abductus, & equo impositus fuit, atque circumductus per urbem, ut illius auctoritate ipsi fidissimi trucidarentur: magister equitum Armeniaci comes obtruncatus (f): juris præfectus Henricus Marlius, Constantiensis, Silvanectensis, Ebroicensis, & Bajocensis episcopi cæsi: fusus plurium abbatum, & administrorum regiorum cruor tanta sævitia, ut viri præstantissimi e fenestris in præceps dejicerentur, hastisque eorum corpora transverberarentur: non sexui, non ætati parsum. Delphinus in tanto tumultu, cujus caput peti ab hoste multi interpretabantur, fuga evasit (g): quem multa postea gessisse bella visuri sumus.

(e) Juvenal. in Car. 6. hoc ann. Monstrelet. vol. 1. c. 187. Gaguin. in Car. 6. Paul. Æmil. l. 10. Meyer l. 15.

Pax turbata a factione Burgunda. Seditio Parisiis exorta. Cædes ingentes patratæ.

(f) Juven. Ursin. in Carol. 6. hoc ann. Monstrelet. vol. 1. c. 188. 189. 190. & alii.

Delphini fuga.

(g) Monstrelet. vol. 1. c. 187. Paul. Æmil. l. 10.

Laniata ita a suorum manibus Gallia, & sacerdotibus in eam rabiem versis, ut filiis adversæ factionis baptismum denegarent (h), urgebat extremam ejus perniciem Henricus V. Anglorum Rex Francorum debellator, qui Normannia peragrata Rothomagum provinciæ metropolim obsidione cinxit, proximoque anno xvii. januarii die ad deditionem compulit. Annisi (i) sunt Cardinales prædicti pacem inter illum & Carolum Regem sancire; propositæque (k) ab Anglo hæ leges fuere, ut Catharina Caroli filia plorimo dotali auro donata ipsi desponderetur, atque Aquitania, Normannia, Pontacensis comitatus, aliæque terræ amplissimæ, Gallorum Regis supremo imperio solutæ ac liberæ, ipsi traderentur: immo ipsum affectasse regnum jactasseque Deum jura regni Gallici transferre velle, tradit Juvenalis Ursinus (l).

(h) Juv. Ursin. in Car. 6.

(i) Polydor. Virgil. in hist. Angl. l. 22.

Acerbiores pacis leges ab Anglo propositæ.

(k) Monstrelet. c. 199.

(l) Juvenalis Ursin. & alii ubi sup.

XXVIII. Epidemia abrepti qui cruorem fuderant.

Ita soluta de pace colloquia, & Cardinalis Ursinus dimissus est, ac Joannes Burgundiæ & Belgii princeps cum Regina Lutetiam ingressus insatiabilem crudelitatem in adversarios exercuit, (m) seditioque instaurata est. At ea sævitia non impune a cœlo lata; epidemia enim a junio mense ad octobrem grassata plures civili sanguine madentes absumpsit, perspicuo adeo divinæ ultionis exemplo ut in publico xenodochio septingenti, vel octingenti sacramenta suscipere in extremo vitæ discrimine detrectarint, vociferantes sublatam omnem ipsis divinæ veniæ spem: civis Silvanectensis Parisiacæ carnificinæ particeps reversus in patriam, dum gesta a se crudelia facinora, vel quibus assensisset recolebat, exclamavit addictum se flammis inferorum, seque in puteum præcipitem conjecit: multa in silvis passim

(m) Juv. Ursin. in Car. 6. hoc ann.

Divinæ justitiæ exempla.

Gallos. calamitas.

passim reperta cadavera ut Gallicæ gentis calamitas, vel hostibus lachrymas excutere posset. Civilibus etiam tum discordiis fluctuabat Delphinatus Viennensis; ad quas componendas & libertatem ecclesiasticam asserendam, promovendamque salutem animarum, Martinus exeunte anno Amedeum S. Mariæ novæ diaconum Cardinalem, quem antea v. idus februarii in Galliam miserat, incumbere (a) pontificiis literis jussit.

(a) Lib. 1. p. 209.

XXIX. Jo. Regina Neap. restituit ditionis ecclesiæ arces.

(b) MS. Diar. Ven. & Summont. hist. Neap. l. 4. c. 3.

Superioribus legationibus appetente vere decretis in Germaniam, Gallias, Hispanias, insignem aliam adjungimus, inclinante anno a Martino cum Mantuam pervenit, Petro S. Mariæ in Dominica datam, in Neapolitano regno obeundam. Prosecuta (b) erat jam summo studio Joanna venientem Pontificem, atque arces ditionis ecclesiasticæ, ab se præsidio militari tentas restituerat, pollicitationibus maximis additis, se obsequentem sedi Apostolicæ semper futuram, armaque ad ejus jura in hostes tuenda conjuncturam. Quibus permotus Pontifex, cum jam illi ante Neapolitanum regnum beneficio liberalitateque sedis Apostolicæ tradidisset legatum ejus rogatu mittere constituit (c), cui illa ritu solemni clientelarem sponsionem præstaret, regiaque corona vicissim ab ipso redimiretur.

(c) Mart. 5. l. 1. p. 18.

Petrus Card. decernitur legatus in regnum Neap.

Dilecto filio Petro S. Mariæ in Dominica diacono S. R. E. Cardinali, ac in regno Siciliæ, & terra citra Farum, quæ juris & proprietatis Romanæ ecclesiæ fore noscuntur, usque ad confinia terrarum præfatæ Ecclesiæ apostolicam salutem, &c.

Constituti in suprema militantis ecclesiæ statione ab eo, per quem Reges regnant, principes imperant, & populi justitiam administrant, pridem charissima in Christo filia nostra Joanna II. Regina Siciliæ illustri, matura consultatione præhabita, prout tanta rei gravitas expostulat, ac de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, regnum Siciliæ, ac terram citra pharum, quæ juris & proprietatis ipsius ecclesiæ fore noscuntur, usque ad confinia terrarum præfatæ ecclesiæ in feudum perpetuo de novo si essent ad nos, & eamdem ecclesiam quomodolibet devoluta, concessimus, ac personam suam de ipsis regno, & terra investire, nec non coronam in forma debita de illis tradere per nos, vel aliquem ex præfatis fratribus nostris, sub modis, & conditionibus in infeudatione, & concessione declaratis hujusmodi, quas de verbo ad verbum hic alias haberi volumus pro concessis, ac specifice declaratis, decrevimus prout in literis nostris infeudationis, & concessionis hujusmodi desuper confectis seriosius denotatur.

Editum a Martino diploma de regno Joannæ tradito.

Cum autem inter cætera in ipsis literis infeudationis, & concessionis hujusmodi specialiter caveatur per præfatam Reginam, cum de illis regno & terra Deo duce coronabimus seu coronari mandabimus, per vexillum præfatæ Ecclesiæ investire, receptis prius a præfata Joanna Regina in forma descripta in infeudatione, & concessione hujusmodi, fidelitatis debitæ juramento ac pleno homagio, ligio, & vassallagio pro hujusmodi feudo debitis & consuetis, & reliquis provisionibus, obligationibus, ac renuntiationibus, ad quas ipsa Regina præfatam infeudationem hujusmodi obnoxia redditur, & astricta; nos attendentes zelum devotionis, & fidei, quo eadem Regina erga Deum, & præfatam Ecclesiam nosque etiam flagrare, & clarere dignoscitur; & volentes, quantum ad nos & eamdem Ecclesiam spectare concernimus, erga eamdem Reginam in singulis exequi, & nobis & ipsi Ecclesiæ, quantum ad eam spectare potest, etiam fieri & observari, ac de tuæ circumspectionis industria, quam potentem quidem opere pariter, & sermone in magnis expertam, & arduis, eximia probitate, fidelitate, magnitudineque consilii, morum elegantia, scientiæ claritate, nobilitate, & aliis grandium virtutum titulis, quibus earum largitor Dominus personam ejusdem tuæ circumspectionis multifariam insignivit, & in cujus affectibus, nec ambigimus, geritur illa semper efficere, quæ status, honor, & gloria ejusdem Ecclesiæ atque nostra; nec non tranquillitas Reginæ, regni, terræque præfatorum, ac degentium in eisdem continuis & salutaribus proficere valeant incrementis, sumentes in Altissimo fiduciam specialem, quod illa, quæ eidem tuæ circumspectioni (cujus præsentia nobis summe perutili pro tam celebris boni consummatione votiva in præsentiarum carere compellimur) committenda duxerimus, adimplere curabit cura exactissima atque pervigili, habitis super iis cum ipsis fratribus nostris ejusdem Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione solemni, te tamquam pacis angelum, nostro & Ecclesiæ præfatæ nomine ad regnum Siciliæ, ac terram citra pharum in Joannam Reginam prædictam Apostolicæ sedis legatum de fratrum eorumdem consilio providimus destinandum, indubitabili ratione tenentes, quod inspirante de throno suæ ineffabilis clementiæ pacifico Rege regum, qui solus regibus, & principibus dat salutem, præmissa & cætera alia, quæ in concessione, infeudatione, ac literis præfatis seriosissime denotantur, per ejusdem tuæ circumspectionis industriam ad executionem plenariam, & votivam pro viribus perducentur, & etiam servabuntur; & propterea præfatæ tuæ circumspectioni nostro, & Ecclesiæ præfatæ nomine supradictam Reginam pro se, heredibus, & successoribus suis, qui ad successionem regni & ter-

Legati elogium.

& terræ prædictorum secundum exigentiam concessionis, & infeudationis hujusmodi venire noscuntur recepto prius juramento fidelitatis, homagio ligio, & vassallagio pro regno, & terra prædictis debitis, & consuetis, per vexillum ipsius Ecclesiæ investiendi, authoritate nostra, nec non coronam de illis in forma celebri, & solemni in talibus consueta eidem Reginæ tradendi, ac ipsam more solito inungendi per te, vel unum antistitem communionem Apostolicæ sedis habentem, & alios idoneos, nec non promissiones & obligationes quaslibet dictis nominibus a præfata Regina recipiendi, & stipulandi, ad quas ipsa Regina obnoxia reddetur, ut præfertur, ex concessione, & infeudatione prædictis, & omnia & singula alia faciendi, fieri, & exequi mandandi, & decernendi, & cætera providendi, quæ pro statu & honore nostro, & ipsius Ecclesiæ, ac tranquillitate, salute & incremento ipsius Reginæ, nec non regni, & terræ præfatorum & incolarum eorumdem, & executione & observatione omnium, & singulorum in concessione, infeudatione, & literis hujusmodi contentorum, & ab illis dependentium quæ salutaria, seu opportuna quomodolibet videbuntur, etiam si talia essent, quæ mandatum exigerent speciale, ac in generali commissione non caderent, & infra, *plenam & liberam concedimus, usque ad nostrum beneplacitum valituram, tenore præsentium facultatem, &c. Dat. Mantuæ IV. kal. decembris pontificatus nostri anno II.*

Regiis sacramentis excipiendis datæ potestas.

Et conferendæ coronæ Reginæ.

XXX. Imposuit legato aliis literis (a) provinciam, ut pacem in Siciliæ componeret: *Quoniam*, inquit, *nuper fidedignorum relatione didicimus, de quo non possumus ab intimis mentis præcordiis, & amaricatis visceribus non dolere, in regno Siciliæ, ac terra citra pharum, satore impellente zizaniæ humanique generis hoste, contra nonnullos barones, duces, & comites, nec non universitates, & singulares personas intra regnum, & terram prædicta gravissima scandala, turbationes, & discordias suscitata, ex quibus & dependentibus ab eisdem regni, & terræ præfatorum tranquillitas, pax, & quies in perturbationem status gloriæ, & nominis eorumdem, ac regnantium & habitantium verisimiliter, nisi de pacifico & concordi remedio celeriter & salubriter occurratur possent evenire; nos, &c.* addit ipsum cum amplissima authoritate ad Joannam ac regni proceres mittere, ut præter alia pacem inter eos conciliet, ad quam redintegrandam ipsum omnibus viribus jubet incumbere, illiusque turbatores censuris atque aliis pœnis gravissimis comprimere.

(a) Ib. ep. 179.

Dissidia gravia in regno Neap. Legatus ea jussus componere.

Conjecerat (b) in carcerem Jacobum virum suum Joanna, ut nullo illius metu licentiæ frena laxaret, tantoque facinori eam speciem prætendebat, magistratus Gallici generis hominibus ab ipso traditos, seque libertatis & regiæ auctoritatis usu injuste spoliatam fuisse. Cum vero ad Jacobum custodia liberandum Carolus Francorum, & Carolus Navarræ Reges, duxque Burgundiæ oratores in Italiam misissent, ii de publica (c) sibi a Pontifice data fide, syngrapham accepere, in qua hæ causæ ipsorum adventus expositæ: *Cum venerabilis frater noster Nicolaus episcopus Aquensis, ac dilecti filii Ægidius miles dominus de la Cholletiere, ac magister Petrus Joannis in utroque jure licentiatus ambassiatores, & nuntii charissimorum in Christo filiorum nostrorum Caroli Francorum, & Caroli Navarræ Regum illustrium, & dilecti filii nobilis viri Joannis ducis Burgundiæ, ac etiam nobilis vir Joannes de S. Prorrtio alias Peta mareschallus dominus de Pruuto ad regnum Siciliæ, ac terram citra pharum, quæ juris & proprietatis S. R. E. fore noscuntur, & nonnullas alias mundi partes pro tractanda, & Deo auxiliante, salubriter concludenda concordia atque pace inter charissimam in Christo filiam Joannam secundam Reginam Siciliæ illustrem & dilectum filium nobilem virum, ac principem Jacobum præfatæ Reginæ virum, de inclyta domo Franciæ trahentem originem, habeant præsentialiter se transferre, &c. Dat. Mantuæ VIII. Kal. decembris anno I.* Emissus est e carcere (d) Jacobus iis legibus (e), ut regium nomen poneret, nec rem administraret gereretve: qui ex arce, capta fuga, Tarentum navi delatus est: in qua urbe cum exercitum apparare meditaretur ad sumendas de adversariis pœnas, ac Reginam comprimendam in officioque continendam, hostilibus circumventus copiis inde profugere in Gallos coactus est, ubi ipsum mortalibus rebus valere jussis, postea Franciscanæ disciplinæ se addixisse ex B. Joanne Capistrano visuri sumus.

Jacobus Rex ab uxore tentus in carcere.

XXXI. (b) Collenut. hist. Neap. l. 5. & Summont. l. 4. c. 3.

(c) Lib. 1. p. 173.

Galliæ & Navarr. Reges pro eo liberando oratores mittunt.

(d) Ess. Pignat. in MS. diar. Summ. l. 13. c. 15.

(e) Sum. l. 4. c. 3.

Jacobus in libertatem restitutus fugit.

XXXII. Extremo hoc anno Pontifex data contra simoniacos in concilio Constantiensi edicta Mantuæ instauravit (f) hoc novo decreto.

Simoniaco sceleri excindendo dat operam Martinus.

(f) Lib. 1. ep. cur. p. 198.

Martinus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Prævalente iniquitate [quod non sine gravissima cordis amaritudine recensemus] hoc exitiale, pestiferum, & multiforme monstrum simoniæ nondum potuit ab Ecclesia prorsus abire; sed in gravissimum & periculosum discrimen Ecclesiæ semper in ea grassari, sævire, & dominari molitur: quibus perniciosissimis conatibus, & tantis Ecclesiæ ruinis vehementer cupientes occurrere & [quoad nobis ex alto dabitur] pro salute fidelium efficaciter providere volentes, innovamus, ac de novo confirmamus omnes excommunicationis, suspensionis, atque privationis & interdicti sententias & alias

Simoniaca pestis repullulat.

alias pœnas & censuras dudum a summis Pontificibus in simoniacos latas atque promulgatas, quas ipso facto incurrere volumus omnem manifestum, vel occultum simoniacum ubicumque simoniam commiserit, & cujuscumque status, gradus, conditionis, eminentiæ, vel dignitatis existat, etiamsi Cardinalatus, episcopali, vel alia quavis ecclesiastica, vel temporali etiam maxima præfulgeat dignitate, declarumque sententiarum excommunicationis, suspensionis, privationis, & interdicti, aliarumque censurarum, & pœnarum absolutionem sive relevationem nobis, & successoribus nostris, præterquam in mortis articulo, specialiter reservamus, (rescissisque privilegiis, quibus simoniaci se tueri obtenderent, addit.) *Cæterum quia postis hæc simoniaca tamen agnosci frequenter vile dominicum vulpinose subintrat, & astutia mirabili latenter serpit & inficit, nec potest facilius huic letali morbo mederi, quam quod statim detegatur, & prodeat in publicum; proinde statuimus, præcipimus, & ordinamus, ut omnes, cujuscunque status, conditionis, eminentiæ vel dignitatis existant, qui sciverit aliquem postbac commisisse simoniam infra duos dies naturales, postquam id ad suam notitiam deductum extiterit, teneatur si præsens fuerit in Romana curia nobis, vel Apostolicæ sedis camerario, aut suo vicegerenti, & huns in unius vel duorum testium præsentia, revelare sub eisdem excommunicationis, suspensionis, aliisque censuris & pœnis, quibus, ut præfertur, ipsum actorem simoniæ esse volumus innodatum; quod dictus non revelans, ut prædicitur, seu tegens simoniam, tanquam ejusdem fautor sceleris incurrat ipso facto, cujus absolutionem nobis, aut successoribus nostris specialiter reservamus, decernentes ex nunc irritum & inane, si secus a quoquam, quavis auctoritate, contigerit attentari. Nulli ergo, &c. Dat. Mantuæ XVIII. Kal. decembris pont. nostri anno II.*

Censuræ sine dignitatum discrimine irrogatæ.

Percussi anathem. qui simoniacos non deferunt.

XXXIII. An Archiep. Narbon. subjiciatur Viennensi.

Non prætermittendæ sunt visæ nonnullæ Martini sanctiones, quas Constantiæ ad Narbonensis ecclesiæ archiepiscopalis dignitatem restituendam tulit, quam cum Viennensis archiepiscopi authoritati Callistus II. ac nonnulli alii Pontifices subdidissent, primatus Viennensis jure imperioque solutam ac liberam ad sequentes ætates renuntiavit (a). Contendente pariter Bituricensi archiepiscopo patriarchali jure in Narbonensem provinciam ex vetustissimo more se pollere, lata est a Martino pro Narbonensi archiepiscopo sententia (b), additaque ratio, id nimirum a se decerni, cum jam ante Tolosana provincia ab Joanne XXII. a Narbonensi metropoli divulsa extitisset.

(a) Lib. 1. p. 227.

(b) Ib. p. 226.

Ad dignitatem etiam sedis Apostolicæ tuendam Martinus, cum præsules non raro Urbani VI. sanctione, qua ob schismatis tempestates præceperat, ne literæ apostolicæ promulgarentur antequam diœcesanis episcopis, eorumve administris ostensæ essent, abuterentur; eam ex concilii œcumenici sententia rescidit (c), cui decreto hæc temporis nota ascripta est: *Dat. Constantiæ II. kal. maii anno I.*

(c) Lib. divers. ep. cur. p. 27.

XXXIV.

Adductum est per id tempus in controversiam, num princeps pro pace publica cum defunctæ uxoris sorore nuptiis jungi possit. Agebatur enim tum de matrimonio Joannis comitis Fuxi, qui Joannam Caroli Regis Navarræ primogenitam uxorem duxerat, jamque viduus cum ejusdem Joannæ sorore Blanca connubium inire cupiebat, Navarreni regni suæ stirpi asserendi spe: cumque ea res Navarris & Fuxensibus pacem allatura crederetur, Martinus hoc edidit (d) diploma, quod asserendum visum est, ut pateat rem novam a Julio II. non fuisse tentatam, atque Henrico VIII. justum confingendi Anglicani schismatis specimen defuisse.

(d) Lib. 1. p. 126.

Martinus, &c. venerabili fratri Joanni episcopo Ostiensi, & dilectis filiis Joanni tit. S. Sixti ac Petro tit. S. Grisogoni presbyteris, S. R. E. Cardinalibus, salutem, &c.

Oblata nobis pridem pro parte dilecti filii nobilis viri Joannis comitis Fuxi, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Blancha charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Navarræ illustris nunc primogenitæ, & hæredis, nec non prælatorum nobilium, procerum, incolarum, ac universitatum regni Navarræ, & dominiorum dicti comitis petitionis series continebat, quod fluxis jam temporum curriculis inter dilectos filios, subditos, & habitatores regni Navarræ ex una, & habitatores, incolas, ac subditos terrarum & dominiorum hujusmodi gravissimæ contentiones & inimicitiæ & deinde scandala plurima sunt secuta, sed pro sedandis contentionibus, inimicitiis, scandalisque præfatis, & adhoc ut hujusmodi habitatores, incolæ, nec non subditi utriusque partis, sub pacifica tranquillitate viverent, attentis maxime terrarum, & dominiorum præfatorum contiguitate, nec non discordiarum & inimicitiarum inter partes ipsas radice pestifera, quæ ex limitibus terrarum, & dominiorum prædictorum insurgebant assidue, & ut congruentius & honestius in honore, ac statu conservari & ab adversantibus & antiquis malevolis quietius præservari valerent; nec non ad consolidandam quasi perpetuo inter ipsos saluberrimam unionem, inter Carolum maxime, dudum Regem Navarræ illustrem & comitem præfatum concordi præcedente tractatu de matrimonio contrahendo inter ipsum comitem & quondam nobilem mulierem Joannam præfati Regis primogenitam & hæredem, matrimonium ipsum inter co-

Casus expositio.

mi-

nitem & Joannam præfatos solemniter contractum fuit, & deinde carnali copula consummatum, ipsaque Joanna nulla ex ea & dicto comite super nataute sobola ab hujus vita extitit mortalitata subtracta. Et sicut eadem petitio subjungebat, prælati, nobiles, potentae, & universitates tam regni Navarræ, quam dominiorum & terrarum prædictorum desiderantes ab intimis amicitiam semel contractam inter Regem, comitem ac incolas, subditos, & habitatores utriusque partis continuari, præmissaque dudum suborta scandala ad memoriam reducentes, cupiant votis ferventibus præfatos comitem & Blancham dictæ olim Joannæ, uxoris quondum ipsius comitis sororem adinvicem matrimonialiter copulari, dictique comes & Blancha jam mutuo consentientes præmissa ad effectum concorditer perduxissent, nisi orta ex præmissis obstitisset affinitas; quare pro parte comitis, & Blanchæ, prælatorum, nobilium, procerum, incolarum, & universitatum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus præmissis omnibus pie consideratis ut præfata affinitatis vinculo non obstante, idem comes matrimonium cum præfata Blancha libere contrahere, & in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere utrinque valerent, dispensare de benignitate sedis Apostolicæ, ac speciali gratia, pro evidentissima ac publica utilitate hujusmodi & aliorum finitimorum partium ea discordia hujusmodi inextimabilia damna perpeti debentium, misericorditer dignaremur.

XXXV. *Nos igitur illius, qui facit in sublimibus concordiam, vicarii (licet immeriti) constituti inter eosdem Regem atque comitem & partas ipsas renovari & perpetuari fœdus amoris, & etiam pro tuitione orthodoxæ fidei, ac pace subditorum Regis, ac comitis præfatorum, & partium circumadjacentium ipsis paternaliter affectantes: ac etiam attendentes quanti possit esse discriminis tam animarum, quam corporum, præsertim inter illustres potentatus maximaque dominia, discordiarum & inimicitiarum fomenta vigere, & quot scandala etiam urbium, & terrarum excidia possint exinde verisimiliter suboriri, paci & saluti regni, terrarum, dominiorum, & aliorum prædictorum consulere cupientes, & adhac procedere consultissime intendentes, licet per prius vicibus repetitis multorum peritissimorum tum in sacra pagina quam jure magistrorum pariter & doctorum exhibita consilia super iis, & deliberatione, potissime dilectorum filiorum Gallicanorum, ac majoris partis commissariorum aliarum nationum sacri generalis Constantiensis concilii, asserentium hujusmodi dispensationem de jure concedi posse, & a pluribus notabilibus dominis & prælatis illarum partium informatione suscepta intellexerimus, plenarie asserentibus dispensationem ipsam non solum utilem, sed summe necessariam fore, & si non fiat exinde maxima scandala & horrenda verisimiliter discrimina emersura: consultatione demum per nos habita cum nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super his: nihilominus ut circa præmissam materiam cautissima diligentia & consultius procedatur, circumspectiam vestræ de qua in iis, & aliis specialem in Altissimo fiduciam, nec immerito obtinemus, præsentium tenore committimus, quatenus habitis per vos prius super dispensatione hujusmodi facienda, an de jure divino pariter & humano fieri possit a peritissimis in sacra pagina magistris nec non in jure doctoribus consiliis, nec non informatione plenaria a fidedignis quod ea hujusmodi dispensatione ac matrimonio, si sequantur inter Regem & comitem, prælatas, nobiles, universitates, atque dominia, partesque prædicta & subditos pax & concordia, ut præmittitur sint verisimiliter jugiter permansura, de præmissis omnibus & eorum circumstantiis universis authoritate nostra vos informetis: & si per consilia, & informationem hujusmodi inveneritis dispensationem ipsam de jure concedi posse, ut præfertur, ac etiam inter partes ipsas pacem & concordiam propterea, ut præmittitur duraturas, super quibus vestras conscientias oneramus, cum ipsis Joanne comite & Blancha nunc primogenita & herede dicti quondam Regis Navarræ, ut impedimento, quod ea affinitate hujusmodi quomodolibet provenit non obstante, matrimonium inter se contrahere, & in eo, postquam contractum fuerit, remanere libere & licite valeant, eadem authoritate & de gratia speciali, dummodo propter hoc, dicta Blancha rapta non fuerit, dispensetis, prolem ex hujusmodi matrimonio suscipiendam legitimam decernentes. Dat. Gebennis id. junii pontificatus nostri anno I.*

Pro parte affirmante concludit doctorum pars maxima.

Concludendi potestas duobus Cardd. demandata.

XXXVI. Consulerat se Gebennam paulo ante Martinus (a), cui e Constantiensi urbe discessuro Sigismundum Imperatorem stratoris munus & obsequium præstitisse, ac frænum equi cultu Imperiali nitentem tenuisse, pedibusque extra urbem deduxisse, refert Monstreletus, additque Pontificem Gebennæ tribus mensibus commoratum, scilicet non completis, ut ex Felice Contelorio constat, qui illius itinera ex MS. Vaticano ita describit (b): *Die XVI. maii anni MCCCCXVIII. Martinus V. Constantia recessit, ac die v. junii per Bernam castrum Lausanensis diœcesis transiens in monasterium fratrum Prædicatorum aliquot diebus quievit. Die vero undecima julii solemni pompa & acclamatione populi in civitatem Gebennensem est ingressus, ubi oratores Avenionenses obviam profecti fidelitatis præstitere juramentum.*

Stratoris munus Cæsar Pontifici exhibet.

Gebennæ Pont. aliquandiu moratus. Martini iter in Italiam.

(a) *Monstrel. vol. 1. c. 192.*

(b) *Contel. in lib. division. seu partit. sacr. collect. & ex Manual. Rodulph.*

Princeps ara ecclesiæ Mediol. consecrata a Martino.

Hinc die tertia septembris abiens, ac Segusium & Taurinum iter faciens Mediolanum ingreditur, ubi perbenigne, ac splendide susceptus altare majus ecclesiæ metropolitanæ consecravit, & die martis XXV. octobris undecim Cardinalibus comitantibus Mantuam pervenit. [1]

NOTÆ [1] MArtini pontificis itinerarium ex Contelorio diligenter hic persequitur annalista, emendandus tamen in nonnullis, quæ oscitanti exciderant. Die XVI. maii Constantia recessit, quam diem excessus ejus designat etiam illorum temporum in Germania scriptor Joannes Fritlemport Moguntinus, qui continuationem chronici Hermanni Januensis ab Hannio Coll. monum. to. I. vulgatam dedit. Cum vero aliquandiu subsistisset in oppido Bierni, tandem die XI. junii pervenit Gebennam. Annalista diem XI. julii indicat, sed cum literæ pontificis datæ Gebennis diem idoum juniarum hujus anni apud eumdem annalistam n. 34. signent; ideo pro julio legendum esse junium vix ambigo. Ad septembrim usque mora ibi extracta; dein ejusdem mensis die tertia recedens Mantuam pervenit, non quidem die XXV. octobris, ut in annalibus, sed die XXIX. ejusdem mensis, ut tradit Nerlius, qui chronicon monasterii S. Andreæ Mantuani vulgatum Rer. Ital. to. XXIV. & ad hunc usque annum perduxit. MANSI

I. Florentiam Martinus pergit.

ANno ab orbe redempto quadringentesimo decimonono supra millesimum indictione duodecima Martinus Rom. Pontifex Mantua Florentiam februario mense venit; in qua urbe reliquam anni hujus ac proximi partem egit, dum ecclesiasticæ ditioni ex invasorum manibus eripiendæ vacabat: quæ vero Mantuæ gesserit a nobis in primis percurrenda sunt. Imperatas superiore anno Sigismundi Regis Romanorum consensu inducias vidimus inter Wladislaum Poloniæ Regem, & Cruciferos equites, ut facilius pax redintegrari posset: ad quam conciliandam illius interpretes & arbitros Jacobum Spoletanum & Fernandum Lucensem episcopos amplissima munitos auctoritate legavit: extat ea de re pontificium diploma (a) Mantuæ exaratum, in quo, ubi mala ingentia, quæ bellum illud invexerat descripsit, subjicit: *Vobis inter partes ipsas bonum pacis & concordiæ procurandi & etiam reformandi treugnas sub spe pacis, sufferentias, & inducias nec non concordium atque pacem, ut præmittitur, judicandi, firmandi, & concludendi sub pœnis, modis, capitulis, pactis, & conditionibus de quibus eidem vestræ discretioni videbitur*, & infra: *plenam & liberam in præmissis concedimus tenore præsentium facultatem, &c. Dat. Mantuæ* VIII. *id. februarii anno* II. Meminit de iis legatis Cromerus (b), quos a Cruciferis amplis muneribus subornatos queritur, unde priora inter Cruciferos ipsos & Wladislaum Regem Poloniæ bella recruduerint.

De pace inter Cruciferos & Polonos agit.

(a) Lib. 1. ep. cur. p. 230.

Inducias prorogat.

(b) Cromer. hist. Polon. l. 18.

II. Antequam etiam Mantua discederet Pontifex, ut superiore anno Judæorum Avinionensium nequitiam represserat, qui magico carmine evocabant dæmones, Christianos simplices judaica superstitione inficiebant, fœneratoriamve artem exercebant impune, flagitiumque non esse dati mutuo auri decumam forte integra exigere effutiebant, ita hoc anno alios Judæos, qui a Christianis injuste vexabantur, patrocinio suo texit, atque ab injuriis malevolorum quos, vel fictum religionis studium, vel prædæ cupiditas accenderat, asseruit proposito cunctis Christi fidelibus (c) hoc edicto.

Judæos ab injuriis vindicat.

(c) Ib. p. 234.

Ad futuram rei memoriam.

Quia imaginem Dei habent, & reliquiæ eorum salvæ fient, ipsorumque conversatio utilis est admirum in præstandis obsequiis Christianis, nostrumque defensionem & auxilium suppliciter postulant & Christianæ pietatis mansuetudinem misericorditer exposcunt, nos felicis recordationis Calixti, Eugenii, Alexandri, Clementis, Calestini, Innocentii, Honorii, Gregorii, Urbani, Nicolai, Honorii, & Clementis, aliorumque Romanorum Pontificum, prædecessorum nostrorum, qui precibus eorum humanissime, ut in multis ipsorum Apostolicis literis vidimus contineri, annuerunt, vestigiis inhærentes, & infra: *statuimus & etiam ordinamus, quod ipsis in suis synagogis per quempiam nullatenus molestentur*, & infra: *omni impedimento cessante leges, jura, consuetudines, atque ordinamenta ipsorum, ad bene tamen vivendum, & non in vilipendium catholicæ fidei, nullusque Christianorum cujuscumque conditionis existens per violentiam ad lavacrum Sacri baptismatis aliquem Judæum cujuscumque ætatis existentem venire compellat quoquomodo, nec Judæi ipsi aliquas festivitates celebrare aut solemnitates servare ultra leges ipsorum factis vel verbis in habere vel personis molestentur quovis modo ab aliquo vel ultra ordinem legis ipsorum, sed non propter hoc extra domos ipsorum seu alias in publicum dominicis diebus, ac in festivitatibus & solemnitatibus civitatum, & locorum, in quibus Hebræi ipsi habitant seu habitabunt, operari audeant aut hujusmodi dominicarum dies festivitatumque solemnitates offendere videantur seu præsumant iidem Hebræi: qui etiam nullo tempore astringantur per aliquem ad portandum signum aliquod ultra antiquam consuetudinem civitatum, locorum, & terrarum in quibus ipsos habitare contigerit. Eandem tamen consuetudinem plene observare teneantur*; interjectisque nonnullis, quibus ipsis permittitur, ut mercaturam facere possint, subdit: *Illos autem ex Judæis prædictis duntaxat hujusmodi protectionis præsidio volumus gaudere, qui nil machinari præsumpserint in subversionem fidei memoratæ. Nulli ergo, &c. Dat. Mantuæ* II. *Kal. februarii pontificatus nostri anno* II.

Quibus permotus argumentis.

Non illi per vim ad baptismum rapiendi.

Vetiti festos dies violare.

Consignatæ etiam extant III. non. februarii ejusdem Pontificis literæ (d) ad patriarchas, archiepiscopos, & episcopos datæ, cum Robertum Maurocenum & Fantinum Michaelem Thomæ Mocenici ducis Venetorum oratores ad Sigismundum Regem Romanorum missos apud Fulgistam in carcerem iniquissime conjectos accepisset: ad quos in libertatem vindicandos præfectum sacræ ædis, cui S. Salvatoris Venetiis nomen est, proficisci jussit; cunctosque præsules hortatus est, ut operam suam illi ad hoc conferrent; ea enim se non modo ab Apostolica sede, verum a Rege etiam Romanorum gratiam inituros.

Veneti oratores ab Ungaris traditi custodiæ.

(d) Ib. p. 228.

Pontificia pro iis liberandis studia.

III. Hæc Mantuæ decernebat Pontifex, cum paucis post diebus Ferrariam profectus, ibi substitit; ex qua urbe Petrum episcopum Sabinensem Cardinalem ad Venetam rempublicam legavit hoc dato ad ipsum diplomate (e).

Petrus Sabin. Card. missus Venetias.

(e) Ib. p. 295.

Venerabili Petro, episcopo Sabinensi S. R. E. Cardinali legato nostro de latere salutem.

Cum te ad dilectos filios nobiles viros Thomam Mocenigo ducem ejusque consilium ac universitatem Venetiarum Castellana diœcesis pro nonnullis nostris & Romanæ ecclesiæ arduis negotiis providerimus præsentialiter destinandum, nos volentes eidem fraternitati tuæ concedere, per quæ duci, consilio, & universitati prædictorum valeas te reddere gratiosum, & animarum

Instructus auctoritate ad solvendas censuras.

ipsorum saluti consulere tibi ducem, consilium, & communitatem hujusmodi eorumque singulos a quibuscumque excommunicationis sententiis & aliis pœnis spiritualibus & temporalibus, quas ob quæcumque & qualiacumque statuta seu ordinationes per eos contra libertatem ecclesiasticam hactenus facta & factas, & alias quomodocumque gesta, acta, commissa, & perpetrata contra nos seu in suis obedientiis pro Romanis Pontificibus reputatos Romanam ecclesiam ecclesiasticasque personas nostrosque & dictæ Ecclesiæ subditos quomodolibet incurrerunt, si hoc a te humiliter petierint

Tolerant leges contra jus ecclesiasticum.

per te vel alium seu alios idoneos in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, injungendique eis & eorum cuilibet pro modo culpæ pœnitentiam salutarem & alia, quæ de jure fuerint injungenda; ac dictas pœnas & sententias quantum cameram apostolicam & publicum interesse concernunt, remittendi & relaxandi eosque reintegrandi & in statum pristinum reponendi, necnon alias ipsorum status super prædictis, prout eidem fraternitati tuæ expedire videbitur recepto ab eis juramento, quod talia vel similia de cætero non facient vel committent providendi plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Volumus autem quod, si in futurum ullo umquam tempore talia agerent vel committerent, quoad agentes seu committentes in

Ne talia posthac auderent cautum.

casibus pœnas & sententias eos reincidere ipso facto. Dat. Ferrariæ id. februarii pontificatus nostri anno II.

Ferraria iter intendit Florentiam Pontifex Bononiensis agri declinans fines, cum ea urbs libertatis inani specie delusa in Antonii Bentivoli servitutem se abjecisset (a): Florentiam igitur accedens a primariis viris populoque maxima gratulatione & pompa exceptus est. Hæc & superiora Martini itinera Leonardus Aretinus hisce verbis perstringit (b). *Peracto demum concilio in Italiam reversus per fines Mediolanensium, Mantuanorum, Ferrariensium, Ravennatium, Foroliviensium, Florentiam venit, Bononiam vitans, quæ se per id tempus in libertatem vindicaverat.* Describit accuratius singula hæc itinera Felix Contelorius ex libro participationum sacri collegii & manuali Rodulphi Rocilgini cameræ apostolicæ notarii, & diario Florentino (c).

Martini per Italiam itinera.

(a) *MS. vet. chro. Florentin.*

(b) *Leonard. Aret. in hist. sui temp. & ex eo S. Antonin. 3. part. tit. 22. c. 7. §. 1.*

Die, inquit, *septima februarii Mantua egreditur Ferrariam transiit, ac monasterium S. Salvii prope Florentiam advenit: ubi capitanei partis Guelfæ album equum serico rubro tegmine coopertum cum frænis auro argentoque lucentibus obtulerunt. Hinc ad S. Gallum obviam habuit delectos reipublicæ Florentinæ primates, supra ejus caput mappulam sustollentes, ac reipublicæ administratores cum maxima equitum multitudine, judices Mercatorum Societatem, cæterosque cives & populum. Ubi vero die dominica XXVI. februarii prope urbem stetit domini civitatis sub alta mappula auro ditissima armellinis pellibus ornata Pontificem equitantem receperunt: præcedebat civitatis clerus solemni cultu reliquias deferens, subsequebantur cives, equites, judices, cæteraque nobilitas hinc crux pontificia & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deferebatur: post Cardinales Pontifex medius inter cives nobilitate præstantes, ætate fervidos, incessu graves, vultu decoros, vestitu splendidos, capita laureatos, olivam manu deferentes equitabat. Progrediens igitur per burgum S. Laurentii & prope flumen Palea in ecclesiam S. Mariæ de Flore per tabulatum pannis ornatum sericis ob dignitatem Pontificis a civibus erectum ingreditur: factaque oratione populum benedixit.* Et infra: *Confluebant ex vicinis civitatibus & castris verum Christi vicarium & unicum Ecclesiæ caput veneraturi cives & duces, inter quos magno cum equitatu Plombinos princeps, Berardus de Varano dux Camerini, Ludovicus Alidosius Imolæ vicarius, Tetacius de Trinciis Fulginei dominus.* Et infra: *Ex partibus etiam Aragoniæ relicto Petro de Luna, venere Florentiam XVII. martii MCCCCXIX. Joannes Murillius abbas montis Aragonum tit. S. Laurentii in Damaso presbyter, Carolus de Urries S. Georgii ad Velabrum, Alfonsus Carillus S. Eustachii, Petrus Fonseca S. Angeli diaconi anticardinales Kal. augusti anni MCCCCXVIII Gebennis in S. R. E. Cardinales recepti seu confirmati.*

(c) *Diar. Floren. ab anno 1406. ad an. 1439. & alii.*

Exceptus a Florentin. magnis honoribus.

Lauro redimiti oleæ ramos præferentes occurrere.

Principum Italiæ ad eum concursus.

Cardd. Lunani eum adeunt.

Non potuit in urbem contrariis seditiosorum factionibus fluctuantem tuto se conferre: ad cujus sedandos motus cum jam ante Cardinalem S. Eustachii legatum creasset, neque is adhuc in pristinam concordiam Romanos revocare potuisset, cum etiam in agro Romano contrariæ factionis principes bellum gererent, missus (d) est Florentia Joannes e Saona Reatinus decretorum doctor, ut perduelles pœnis coerceret, imperatæque (e) inter Baptistam Sabellum & Carolum Ursinum induciæ fuerunt, quos Pontifex apostolico studio inter se conciliare meditabatur. Nondum etiam Joanna II. Regina molem Hadrianam

IV. Romani gravibus discordiis impliciti.

(d) *Lib. 1. ep. cur. pag. 251.*

(e) *Ib. pag. 252.*

Induciæ inter proceres imperatæ.

Braccius tyrannus sævus.

nam, Ostiam, & Civitatem vetulam restituerat Ecclesiæ, quamvis in pontificiam potestatem eas se reducturam missu Florentiam Joanne Caracciolo spopondisset (a). Præterea Braccius e Montone Perusii tyrannus, de quo antea memoravi, inter medios schismatis tumultus magnam ditionis ecclesiasticæ partem in suam tyrannidem redegerat, dum Balthasarem Cossam tueri præseferebat, verbisque profitebatur. Martinus itaque provinciam dedit (b) Romano de Abiamonte nobili jurisconsulto Urbevetano, ut pontificio nomine reciperet urbes, & arces, quas Tartalia e Lavello præsidiario milite ecclesiastico firmarat, earumque præfecturam gereret: Cum, inquit, *dilectus filius nobilis vir Tertalia de Lavello nonnullarum gentium nostrarum armigerarum capitaneus Terram Corneti, Tuscanensis Diœcesis, & nonnulla alia civitates, castra, terras, & loca, cum eorum arcibus, roccbis, & fortaliciis, villis, districtibus, juribus, & pertinentiis eorundem, ac cujuslibet ipsorum, ad nos, & Romanam Ecclesiam pleno jure spectantibus, nobis, & dictæ ecclesiæ infra certum tempus, & eo modo, & forma, & prout in certis insuper hoc capitulis factis, plenius continetur, tradere, & consignare realiter teneatur, &c. Dat. Florentiæ x. Kal. octobris pontificatus nostri anno secundo.*

(a) Summont. lib. 4. hist. Neap. c. 3.

(b) Ext. ejus lit.

V.
Balthasar Cossa ad Pontif. transferri jussus.

Quod vero ad Balthasarem attinet; cum is in custodia a Ludovico Bavariæ duce teneretur, Martinus triginta aureorum millibus ob sumptus a duce factos redemptum ad se perduci jussit (c), de qua auri vi Palatino numeranda data sunt Nicolao Uzano mercatori Florentino hæc mandata: Cum, inquit, *ex quibusdam causis ad id animum nostrum moventibus, ac præcipue misericordia & pietatis intuitu dispesuerimus, quod Balthasar Cossa, olim Joannes XXIII. in sua obedientia nuncupatus ad nostram præsentiam transferatur, &c. Dat. Ferrariæ id. februarii pontificatus nostri anno secundo.* Aliis vero litteris (d) Joanni episcopo Lubecensi præcepit, ut eundem Balthasarem a comite Palatino Rheni receptum ad se perduceret. Verum ille, cum ea itinere ad Petrum Rubeum amicum divertisset, timens ne a Pontifice in perpetuum carcerem mitteretur, noctu inscio Apostolicæ sedis internuncio fuga evasit; unde gravis injecta est suspicio, ne ille temere priores apices sibi assereret, schismaque revivisceret: de quo hæc Leonardus Aretinus (e).

(c) Lib. 1. ep. cur. pag. 233.

(d) Ib. p. 234.

Erat scrupulus quidam apud multos, quoniam depositio abdicatioque illius violenta fuerat, num jure subsisteret, quod si illa dubia Martini quoque electio in ambiguum veniebat, quoniam non vacanti Ecclesiæ provideri de novo pastore non potuerat. Ob hunc timorem Martinus, & simul ne Germaniæ principes hoc habentes idolum per eam occasionem aliquid quandoque molirentur, redimendum Joannem & in Italiam reducendum providit. Igitur per hunc modum exemptus carcere, cum in Galliam pervenisset, consilio Martini cognito [id erat ut Mantuæ perpetuo carcere teneretur] antequam Mantuam veniret, rursus aufugiens in Ligures abiit. Ibi cum esset liber & sui juris sive conscientia ductus, sive quod desperabat aliquid proficere posse, sponte sua Florentiam venit, & sese pedibus Martini subiiciens, eum ut Pontificem verum & unicum recognovit, nono nimirum Kal. junias, ut observat Contelorius: *In adventu ejus tota civitas obviam profusa multis lacrymis & incredibili commiseratione respexit hominem de tanta dignitate fastigio in tantas calamitates prolapsum: ipse quoque miserabili prope habitu incedebat. His omnibus commiseratio populi augebatur. Susceptus a Martino tandem intercessione civitatis primus Cardinalis efficitur, nec annum integrum superstes e vita migravit*, nimirum XXII. decembris hujus anni ut observat Felix (f) Contelorius. Eadem e Leonardo descripsit S. Antoninus (g) hæcque addit: *Solemnissimæ ecclesiasticæ exequiæ sunt ei exhibitæ, sepultusque fuit in oratorio Joannis Baptistæ in sepulchro partim æneo seu orichalceo, partim marmoreo.* [1]

(e) Leon. Aret. in hist. rer. Italic. Walsin. hist. Angl. hoc. ann.

Perpetuo carceri addicendus Mantuæ fugam capit. Florentiam venit. Martinum ut verum Pontificem colit.

Primus Cardinalis creatus.

(f) Fel. Contelor. in elench. Cardd. Bonif. IX.

(g) S. Anton. tit. 22. c. 7. §. 2.

VI.
Confirmata inde Martini auctoritas.

Plurimum momenti attulit ad confirmandam ecclesiarum conjunctionem illa Balthasaris Cossæ demissio ac reverentia Martino sponte præstita, cum quæstio ab jure exauctoratus & sponte cessisset penitus sublata fuit. Supererat ad constabiliendam Ecclesiæ pacem, ut Petrus e Luna, qui Paniscolæ in Valentino regno a suis Cardinalibus desertus agebat, pertinaciam & pontificalia insignia poneret: ad quem e gra-

Petrus e Luna pertinacissimus.

NOTÆ [1] HOC anno vitæ mortalis curriculum confecit Balthasar Cossa, olim in sua ditione Joannes XXIII. Vir iste sacerdotium summum, quod non bonis artibus occupavit nihilo melioribus gessit. In ea enim, quæ adversus illum instituta fuit coram patribus accusatio, reus assertus fuit extincti veneno Alexandri V. quod ejus delictum ex testibus confirmatum fuisse animadvertimus in nota ad annum 1410. 17. ubi de obitu Alexandri V. Summa etiam dignitate fœdissime abusum fuisse adversarii ejus in eodem judicio contenderunt. A pontificatu demissus potius, quam ipse se sponte demiserit, quamquam & spontaneæ dimissionis specimen præbere voluit. Ad privatum ordinem redactus carcerem biennio subivit, quem alium subinde & alium mutavit, donec, misericordia viri olim fortuna florentis tactus Martinus mercatoribus Florentinis rogantibus

e grade deiiciendum Pontifex recurrente feriæ cœnæ dominicæ die anathematis sententiam in hæreticos latam in Petrum ipsum ejusque sectatores tulit, cujus formulam (a) hisce conceptam verbis adducere placuit.

(a) Ext. l. 1. ep. cur. p. 257.

Latum in eum anathema.

Ad perpetuam rei memoriam.

Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra omnes hæreticos, & infra. *Item excommunicamus & anathematizamus iniquitatis alumnum Petrum de Luna Benedictum XIII. se nominare ausu sacrilego præsumentem, justo Dei judicio ac per processus sacri generalis concilii Constantiensis & nostros, ejus demeritis exigentibus, hæreticum atque schismaticum & ab Ecclesia præcisum sententialiter condemnatum, & omnes adhærentes, complices, & sequaces ipsius, & dantes ei auxilium, consilium, vel favorem, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, vel ordinis, etiamsi pontificali, regali, reginali, vel quovis alia, ut præmittitur ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate.* Nonnullis interjectis hoc fulmine jurium Romanæ ecclesiæ invasores percutit. *Item excommunicamus & anathematizamus omnes alios, qui per se vel alium seu alios directe, vel indirecte sub quocumque titulo, vel colore occupant, detinent, vel hostiliter discurrunt, seu invadunt aut occupare, detinere, vel discurrere hostiliter præsumunt in totum seu in partem almam urbem, regna Siciliæ, Trinacriæ, insulas Sardiniæ, Corsicæ, terram citra Farum, patrimonium B. Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, comitatum Venaysini, Sabinæ, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trabariæ, Romandiolæ, Campaniæ atque Maritimæ provincias, ac terras speciales commissionis & Arnulphorum; civitates quoque nostras Bononiensem, Ferrariensem, Beneventanam, Perusinam, Avinionensem, civitatem Castelli, Tudertinam, & alias civitates & terras & loca vel jura ad ipsam ecclesiam spectantia & pertinentia & adhærentes, ac fautores & defensores eorum, seu in iis dantes eisdem auxilium, consilium, vel favorem.* Denique omnia privilegia, quæ obtendi contra possent, abrogat decernitque a nemine illos, nisi ab Romano Pontifice absolvi posse. *Dat. Florentiæ II. id. aprilis pontificatus nostri anno II.*

Et in ditionis eccles. invasores.

VII. Obduruerat adeo in perfidia Petrus e Luna, ut nullis censuris, sed tantum ferro edomari posset: quare discessuro e provincia Alamanno tit. S. Eusebii presbytero Cardinale ineunte anno sparsum, ab eo & Rege Alfonso rumorem narrat (b) Surita Paniscolam obsidione cingendam. At illum inanem fuisse mox visuri sumus. Cumque abolendarum schismatis reliquiarum cura graviter Martinum ureret, Bernardum episcopum Tifernatem iterum in Aragoniæ & Valentiæ regna, & Baleares insulas, datis III. id. junii literis, (c) Internuntium decrevit. Amplificata est pluribus diplomatibus (d) ejus authoritas, ne schismaticæ societatis flagitio contaminatos absolveret (e), ecclesiasticas (f) controversias dirimeret, postremo implorata principis ope insectaretur (g) armis *perditionis filium*, ut ait, *Petrum de Luna olim Benedictum XIII. in ejus obedientia nominatum, per sacrum generale concilium Constantiense culpis & demeritis ipsius exigentibus, ac justo Dei judicio finaliter & legitime hæreticum atque schismaticum condemnatum, & a papatu, quem prætendebat depositum, pertinaciter se nominare Benedictum XIII. damnabiliter præsumentem, & notorie Dei Ecclesiam malignitate detestabili scindere satagentem.* Dissol-

(b) Surit. annal. l. 12. c. 72.

Petrus e Luna ferro tantum domandus.

(c) Lib. 1. p. 272.

Decretus in Aragoniam Internuntius.

(d) Ib. p. 273. ad 284. & 295. 297.

(e) Super. p. 277.

(f) Super. p. 284.

(g) Ibid. p. 279.

Jussus armis Petrum a Luna edomare. Alfonsus Rex illum tuetur.

NOTÆ gantibus, authoritate sua id effecit, ut liber a custodia Ludovici Bavari, cui ab imperatore Sigismundo commissus fuerat dimitteretur. Jussus tamen recta se ad Martinum conferre, qui Mantuano carceri claudere illum meditabatur, ut quidam scribunt. Verum eo se conferens Balthassar admonitusque insidias sibi in itinere parari, Genuam ad Thomam de Campo Fregoso Genuensium ducem, veterem amicum divertit, a quo Sarzanensem arcem ad perfugium recepit, ait Sanutus in vitis ducum Venetorum. Tuto in loco recepto homini non defuisse qui suaderent *ut tentaret fortunam, & iterum pontificatum arriperet*, scribit author additamenti ad Ptolomæum Lucensem, quem ex Patavino & Vaticano codice vulgavit Muratorius rerum Italicarum to. II. par. 2. Sed vigilantis ad commoda ecclesiæ suæ Numinis providentia factum est ut ille, malis consiliis abjectis & ad optima conversus sponte convolaverit ad Martinum Florentiæ agentem, totumque se ejus arbitrio permiserit. Ingressus est urbem die XIV. junii, cum pervigilium festi corporis Christi agerent, teste Anonymo Florentino, qui tunc præsens aderat in historia vernacula urbis suæ, vulgata Rer. Ital. to. XIX. eodemque authore scimus die XXVII. junii a pontifice solemni ritu sacra purpura indutum fuisse. Denique die XXIII. decembris (male in textu legitur novembris) quæ in sabbatum incidit, *hora duodecima matutina obiit*, qua de re idem scriptor ita: *a di 23. & il sabbato mattina a ore dodici mori messer Baldassare Cossa cardinale detto volgarmente di Firenze.* Ex quibus verbis videri possent errasse illi qui Tusculani episcopi titulum ab eo assumptam contendunt; cum Florentinus cardinalis, non vero Tusculanus episcopus appelletur. Verum ipse de se Balthasar in epistola quam post suam in cardinalem assumptionem scripsit ad Petrum de Luna, ut illum revocaret ad saniora, cardinalem se a pontifice renunciatum *& ecclesiæ Tusculanæ præpositum in episcopum & pastorem* affirmat. Epistolam illam vulgavit Baluzius Miscellan. to. VII. pag. 97. MANSI

solvit Alfonsus Rex internuntii apostolici curas & labores, nec in Paniscolam sacra arma verti passus est, ut fiduciarium regni Neapolitani jus a Pontifice extorqueret; unde regio rectus patrocinio antipapa ad officium magno cum ipsius pluriumque aliarum animarum exitio adigi non potuit: de quo postea gravissime Martinus (a) questus est. Nunc reliquas res Hispanicas prosequamur.

(a) Mart. to. 9. brev. p. 3.

VIII. Jo. Lusit. Rex bellum in Africa gerit.

Implicito, ut vidimus, Joanne Lusitaniæ Rege Africano bello ad proferendos latius Christiani imperii terminos, Pontifex, ut pios ejus conatus promoveret, universos fideles encyclicis literis rogavit, ut Lusitanum armis commeatuve juvarent, ac necessaria ad sustentandum crucesignatum exercitum undique efferri devehique permitterent.

Universis & singulis, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem, &c.

Afri Ceptam urbem recuperare moliuntur.

Cum charissimus in Christo filius noster Joannes Portugalliæ & Algarbii Rex illustris, celsitudine animi & maturitate consilii fretus, ob fervorem fidei transmisso nuper proprio classe mari, exercituque in partibus Africæ exposito terras, quas Saraceni inibi occuparunt, magnanimiter & potenter invaserit, atque in iis locis Ceptam urbem magnam atque notabilem ceperit, captamque tenuerit atque teneat in Christi nomine custoditam, ac persæpe, ut accepimus, magni impetus Saracenorum pro illa recuperanda fiant, ad quos repellendos & custodiendam urbem præfatam idem Rex armis, viris, equis, victualibus, & aliis rebus necessariis plurimum indigere videtur; nos cupientes ab intimis, ut præfato Regi, utpote commendabiliter & gloriose in hoc operanti, per Christifideles opportune subveniatur, universitatem vestram requirimus, hortamur atque etiam rogamus, quatenus pro favore fidei & Christianitatis augmento in hoc tam pio & glorioso opere pro Dei reverentia & debito religionis, ad quam defendendam unusquisque vestrum astringitur, præstare velitis auxilium & favorem; nos enim, quo liberius idem Rex ad custodiam & defensionem prædictas incumbere valeat, tam eidem Regi & filiis suis, quam etiam cæteris omnibus Christi fidelibus, qui ad prosecutionem hujusmodi negotii ire voluerint, quod tam in regnis Hispaniarum quam in aliis partibus & dominiis Christianorum arma, equos, victualia, ac cæteras res ad ipsos ac exercitum eorum, nec non defensionem & sustentationem dictæ urbis necessarias & quomodolibet utiles, emere, ac secum de regno ad regnum, de patria ad patriam, tam per mare quam per terram, ad dictam urbem & exercitum portare & ducere possint & valeant auctoritate apostolica concedimus per præsentes; hortantes nihilominus universos & singulos Reges, principes, duces, ac cæteros dominos temporales, communitates quoque & universitates civitatum & oppidorum quatenus pro Dei amore & sedis Apostolicæ reverentia hujusmodi concessionem nostram observari faciant, & obedienter a singulis custodiri. Dat. Florentiæ Id. non. aprilis pontificatus nostri anno II.

Moniti fideles, ut Ceptæ opem ferant.

IX. Angl. Rex potitus Rhothomago.

Debuissent certe Reges ac principes Lusitano ad subiiciendam Christo Africam se conjungere; at illi vel suis commodis studuere, mutuisve bellis sese atterivere: in Galliis enim Anglus Rothomagum decima nona januarii triumphali pompa ingressus (b) victorias latius proferebat (c), Delphinus receptis Turonibus circumferebat (d) signa, Burgundo rea ex laniatis regni cladibus augebatur: ac licet plurima de pace colloquia facta fuerint, inde tamen majora postea surrexere bella. In primis cum Henricus Rex Anglorum Catharinam Regis Caroli filiam uxorem sibi dari poposcisset, ac medio aprili celebres cœtus spe pacis conficiendæ coacti fuissent, petente Anglo Rege (e) amplissimos dotales principatus, colloquia de fœdere sublata sunt: Anglus vero graves in Burgundiæ ducem iras concepit, quasi ipsius votis ille obstitisset; adeo ut eum una cum Rege Carolo a se eversum iri minitaretur (f). Tum Martini Pontificis studio concordia XI. julii die Burgundum inter ac Delphinum redintegrata (g), ac præsente Alano episcopo Leonensi in Britannia internuntio apostolico jurejurando solemni fœdus sancitum est, ut unanimes Anglicos impetus reprimerent.

(b) Juven. Urs. in Carol. 6. hoc ann. Monstrelet. vol. 1. c. 201.
(c) Id. c. 208. 209.
(d) Cap. 204.
(e) Cap. 206.

(f) Eod. c.

Inter Burgundum & Delphinum pax sancita.

(g) Ext. ea de re publ. lit. eod. c.

Burgundus promissis defuit.

(h) Cap. 211.

Sed Joannes Burgundiæ dux neque ereptas urbes regias restituit, neque in Anglos arma vertit, indeque de eo necando ab Aurelianensium partium studiosis captum consilium: cum enim mense septembri ad colloquium a Delphino excitus (h) fuisset, atque increpitus, quod non deduxisset ex regiis urbibus præsidiarios milites, neque copias adversus Anglos in aciem eduxisset, manum ensis capulo imprudenter admovit, ac repente contrucidatus est inscio conjurationis Delphino (i), ac permittente divino Numine, ut qui proditione consanguinei sanguinem fuderat, proditus occumberet, adhibitæque in alios sævitiæ pœnas daret; neque ecclesiasticis Sacramentis muniretur, qui adversæ factionis homines trucidandos supplicio illis procurari, vel filios sacro lavacro ablui vetuerat (k). Hic tamen Burgundi fusus sine legibus cruor majori cruoris effusione vindicatus est: licet enim Delphinus scriptis XV. septembris literis jure cæsum ob perfidiam, ac proditionem promulgasset, Burgundi tamen sectatores adeo in Delphinum aliis literis (l) perfidiæ & proditionis crimen in-

Cæsus.

(i) Ib. & Juvenalis Ursin. in Car. 6.

Ejus impietas.

(k) Ext. de eo lit. Car. Reg. apud Monstrelet. c. 116.
(l) Ext. apud eund. c. 212.

Orta dissidia in Galliis. (a) Id. c. 223. (b) Monstrel. ubi sup. Juv. & Paul. Æmil. in Car. 6. Meyer. l. 15. Walsing. l. 5. & Polyd. Virgil. l. 22.

intendere, ut Parisienses una com comite S. Pauli ad vindicandam Burgundi cædem se obstrinxerint (a) maximo Galliarum exitio, ac Philippus Joannis ducis filius ira furoreque accensus Delphinum ipsum Regem, Reginam, regnumque in Gallici nominis hostis potestatem traduxerit: unde crudelia & exitiosa bella coorta sunt cruento utrinque Gallorum atque Anglorum successu, quibus de rebus fuse agunt authores (b). Iis addit Juvenalis Ursinus (c), hoc anno Anglos a Gallis & Hispanis fœderatis maritimo prælio victos.

X. Bohemicæ res. Philippus filius paternæ necis vindex. (c) Juv. Ursin. in Carol. 6. Dirum Jo. Præmonstratensis facrilegium. (d) Æneas Silvius hist. Bohem. c. 37. Cocl. hist. Hussit. l. 4. Dubrav. l. 23. & alii. (e) Thom. Walden. tom. 3. tit. 4. c. 28.

Funestior longe (d) erat regni Bohemici conditio, crescente in dies cum impietate discordia, quam quidam Joannes Præmonstratensis vehementius accendit; is enim Pragæ ad ostentationem pietatis Eucharistiam circumducebat, ut sacrilegio populum in scelera & cædes concitaret, auctaque est in dies Hussitarum impietas adeo, ut & sacros missæ ritus immutare ausi sint, & quisque sacerdos novam missæ formam condiderit, quos ita refellit Thomas Waldensis (e): *Pragensium Vuiclevistarum quidam feruntur pro missæ officio evangelium totum dicere secundum Joannem: Ante diem festum paschæ; quidam: Qui pridie; quidam, aliud. A quibus omnibus si peteremus probari sic fuisse de more primitivæ Ecclesiæ, aut sic orare in missa, muti silerent. Et cur erga patrum traditionibus, aut scriptis non credunt? Quia, inquiunt, nec sic fecisse Christus aut discipuli, sed sequaces eorum in Ecclesia dicuntur. Unde hoc nostis? Si non nostis, sed autumatis hæc esse, grande periculo vestra contra totam Ecclesiam orbi terrarum inexcusabili ritu per vos inventa despicitis. Breviter ajunt: Si vestra forma sit Christo conformis, hoc ubi vos legitis? Si non legitis, non credemus. Hoc utuntur paralogismo, Pelagiani plane hoc semper utuntur, ut sua, quam appellant, libertate fruantur.* Hoc errore adducti nonnulli novatores, postea agnum paschalem esitare ausi sunt more Judaico. [1]

Missæ formula immutata ab hæreticis. Magistratus cæsi ab hæreticis.

Dum autem ignavus Wenceslaus laxas hæreticis habenas dabat, experimento didicit, eversa religione, regna simul everti. Conflata enim est conjuratio Pragæ, & impetu occupatom urbis prætorium, ex quo undecim consules fuga saluti suæ consuluere; reliqui septem una cum judice e fenestris præcipites dejecti hastisque transfixi, ostentante sanguinatiis hæreticis Eucharistiam Joanne: nec regius equitatus, qui ad tumultum accurrerat, in hæreticos perduelles incurrere ausus est; sed in fugam turpiter se conjecit. Tam atrox facinus ulcisci excussa parumper segnitie Wenceslaus parabat, Sigismundo Romanorum Rege fratre suo principibusque amicis in auxilium vocatis; sed paralysi correptus decem & octo dierum morbo extinctus est, signatis nominibus hæreticorum, quos afficere supplicio decreverat; cujus obitum ita consignat Coclæus: *Mortuus est anno Domini MCCCCCIX. die XVI. mensis augusti ætatis suæ quinquagesimo septimo, cum regnasset in Bohemia annos quinquaginta quinque.*

Mors Wencesl. Regis Bohemiæ.

Hæreticorum grassationes in loca sacra. (f) Æn. Silv. hist. Bohem. c. 32. Cocl. l. 4. Dubrav. lib. 23. & alii. (g) Id. Cocl. l. 5.

Defuncto Wenceslao hæretici Zisca signifero effrænatius in catholicos debacchati sunt (f), nec non etiam religionis monumenta & decora diruerunt (g), interque cætera, conditum a Carolo IV. Imperatore monasterium Aulæ regiæ ad Multaviæ ripam situm, in cujus dormitorii parietibus novum & vetus testamentum a Genesi ad Apocalypsim descripta erant magno artis lenocinio, crescentibus ita paulatim literis, quæ sublimiori parte erant locatæ, ut legi facile a quovis possent. Carthusiani ab impiis pariter pulsi, quod ob cœlestium rerum tractationem, atque ab hominum strepitu secessum, ut inutiles populo sues saginati dicerent. Poterat tot mala tollere, vel saltem sedare Sigismundus Rex: sed cum expeditionem Bohemicam intermisisset, ut Turcicæ vacaret, nec defendit (h) Hungariam & Bohemiam amisit, cum eo cunctante hæretici in audacia confirmati expugnarent arces, & catholicos vi & suppliciis ad impietatem amplectendam adigerent, adeo ut serius ipsos, jam regno universo depravato potitos, bello adortus sit.

(h) Æn. Silv. hist. Bohem. c. 31.

XI. S. Vincentii Ferrerii pius obitus. (i) Baron. in notis ad Martyr. Rom. 5. april.

Hoc anno magnum sanctitatis lumen B. Vincentius Ferrerius ordinis Prædicatorum in terris extinctum est, ut cœlo fulgeret, cujus obitum accurate Baronius (i) in notis ad martyrologium Romanum ita consignat: *Obiit anno Domini MCCCCXIX. adnumeratusque est inter sanctos a Calisto III. Papa.* Et infra: *In ejus canonizationis actis habetur diem obiisse quinta aprilis feria quarta ante domi-*

NOTÆ [1] Bohemiæ curam non ita penitus hoc anno abjecit Sigismundus, ac putat annalista. Indictum enim antea solemnem principum conventum in urbe Bunensi, die festa Natalis Domini habuit. Eo missi a Pragensibus oratores durius habiti sunt a Sigismundo, jussique quietos se continere, removere munitiones, quibus se defendebant ab insultibus catholicorum; ac denique ne quid moverent in monachos, ecclesias, virosque catholicos admoniti. Imperata se facturos spondentes illi regressi Pragam civibus suis authores fuerunt, ut optata pax aliquandiu redderetur ecclesiæ. Hæc Byzynius ad hunc annum. MANSI

minicam palmarum: quo anno, ut ex computo liquet, celebrare contigit pascha die decima septima mensis aprilis; unde corrigendi sunt textus, qui habent decessisse anno Domini MCCCCXVIII. nam eo anno mense martio pascha contigit celebrari. Descripsere ejus admirandas res gestas plures authores (a), atque inter cætera a Christo evangelium promulgare in occidente jussus sit; & maxime apud Saracenos, dum Granatæ concionabatur, venerationi fuerit; a concilio Constantiensi in difficillimo fidei articulo consultus (b) sit; Petrum e Luna sæpius monuerit, ut papalis insignia dignitatis deponeret, & miraculis clarus innumeras animas ad salutem revocarit. Nobis e Petro Ranzano extremos vitæ actus delibare sufficerit.

(a) Petrus Ranzan. Panormit. apud Sur. to. 2. 5. april. S. Anton. 3. p. tit. 23. c. 2. Leander lib. 5. de viris illust. ord. Præd.

Missus a Christo ad prædicandum Evangelium.

(b) Surit. l. 12. c. 73. Marian. l. 20. c. 10.

Ita verbum vitæ disseminavit, ut ejus sermonem Dominus confirmaret sequentibus signis. Venetia, quæ est hujus Britanniæ urbs, postius a fratribus, qui eum sequebantur admonitus est, ut in Hispanias reverteretur, & jam ætate gravis in patrio potius, quam peregrino solo moreretur. Verum ille memor verborum Christi, quæ Avinione decumbenti dixerat, ut supra libro secundo annotatum est, nempe ut occidentem evangelizando peragraret, eorum consiliis nulla se ratione obsequi velle respondet. Cum enim hæc Britannia ad oceanum in extremis occidentis finibus sita sit, existimabat eam esse regionem, in qua Christus eum prædixerat e corpore migraturum. Tandem vero importunis illorum precibus flexus decrevit abire Venetia, & in Hispanias proficisci, cum sit enim Hispania quoque in orbis terrarum finibus posita; poterat non absurde accipi de ea Christum esse loquutum. Itaque Venetiæ civibus primo generatim admonitis, ut doctrinæ suæ memores essent, suoque discessu incredibili mœrore affectis, media nocte iter aggressus est sedens asello; cumque se jam aliquot passuum millia confecisse arbitraretur, die illucescente ad ipsius urbis portas se cernit constitutum, tum vero ad socios conversus: Redeamus, inquit, fratres mei in urbem, nihil enim istbuc sibi vult aliud, nisi sic visum esse Deo, ut in hac regione defungar. Et infra: *Altera luce acerrimis corripitur febribus, & acerbo per membra omnia dolore cruciatur, ita ut pene totus defecisse videretur: nec tamen his potuit retardari quominus sancti viri officio fungeretur. Convocavit igitur in primis fratres suos & eis sui obitus diem indicavit, moxque accito sacerdote cui confessionem facere solebat, illi confessus est, petiitque sibi impendi plenam peccatorum omnium remissionem, quemadmodum Martinus Pontifex Maximus illi antea concesserat: deinde alia Ecclesiæ salutifera Sacramenta tanta cum religione & pie-*

Divinitus retentus apud Venetos in Britannia.

Notas sacra exomologesi expiat.

tate percepit ut sanctis verbis, crebris lacrymis, hymnis, & precibus omnes ita commoverit, ut nemo esset, qui non profuse lacrymaretur. Postea triduo toto admonuit eos, qui visitandi causa ipsum adibant, uti ne doctrinæ ab ipso perceptæ obliviscerentur.

XII. Prælegi sibi jubet passionem Christi.

Et infra. *Cum jam autem dies novem abiissent petiit sibi legi passionem Christi, quemadmodum a singulis est evangelistis conscripta; deinde recitari voluit septem illos psalmos, quos pœnitentiales vocant, quos quidem psalmos atque etiam totum psalterium tamdiu dixit, donec & corporis viribus & linguæ officio esset destitutus. Ad extremum lecta est litania, qua absoluta, mox totus quadam jucunditate & hilaritate perfusus junctis sublatisque manibus & oculis in cælum migravit ad Dominum. Sub hoc tempus visa est per fenestram ejus loci, in quo decumbebat, involare ingens multitudo papilionum miri candoris, qui passim circumvolitantes, tum demum recesserunt, cum ille spiritum exhalavit, nec amplius visi jam apparuerunt. Putantur sine dubio fuisse spiritus angelici, qui felicem illam animam secum ad beatissimam cælestis Jerusalem patriam abduxerunt. Eadem hora ex ejus corpore odor manavit longe suavissimus.*

Sacer odor ex ejus corpore manat.

Per id tempus Venetiæ erat religiosissima ducis Britanniæ conjux, quæ pro singulari in sanctum virum devotione propriis manibus voluit abluere corpus defuncti, quemadmodum habet multarum gentium consuetudo, ut corpora vita functorum laventur: aquam vero ipsam, qua illud abluit, diu accurateque conservavit, nec ea unquam corrumpi potuit, nec inde aut vermes aut aliquid sorditatis enatum est, immo vero tamdiu gratissimi fuit odoris, donec in eo vase, in quo asservabatur, penitus consumpta est: multi etiam cum ex ea bibissent, variis sunt morbis liberati. Porro Britanniæ dux exequias celebrandas curavit, quæ & ipsius dignitati & beati viri meritis congruerent. Ad eas autem universa pene Britannia advolavit, plerisque a duce evocatis, aliis sacrum corpus videre cupientibus, atque aliis corporum sospitatem obtinere volentibus: tanta autem erat multitudo sacrum illud venerandumque corpus certatim aut videre aut tangere nitentium, ut triduo illud asservari oportuerit inhumatum, multisque armatis custodibus vallatum: interim tamen nec tenuissimus inde exhalavit fœtor, nec ulla vel in vultu, vel in cæteris membris visa est immutatio: sed idem semper permansit corporis color donec est sepulturæ mandatum, &c. Subdit author plura miracula, implorantibus Christi fidelibus Beati Vincentii Ferrerii opem, a Deo edita, atque inter alia ægrotos quadringentos, & eo amplius, cum in culcitra, in qua

Ducissa Britanniæ ejus corpus abluit.

Aquam ut pretiosam recondit.

Ægri ea aqua poti sanantur.

Miraculis coruscat.

(a) Petr. Ranzanl. 3.

Insignis ejus prædictio.

vir sanctus objerat aliquantisper jacuissent, ad pristinam valetudinem revocatos (a), relatumque ad Martinum V. Eugenium IV. & Nicolaum V. de ejus rebus admirandis fuisse: sed tandem Callistum III. ut beatus vir illi in sæculo prædixerat, ipsum in sanctorum ordinem retulisse, qua de re nos suo loco.

XIII. Bernardinus Senensis sanctitate floret.

(b) Vita S. Bern. auctor apud Surium 20. maji.

Florebat quoque iis temporibus Bernardinus Senensis, qui sacris concionibus mirum in modum populos ad divinum amorem alliciebat; cumque antea raucam & ingratam vocem haberet, ferunt (b) B. Virginis ope, immisso in ejus os per cœlestem speciem ignito globulo, canoram ac suavem redditam.

Patitur æmulum.

(c) S. Anton. 3. par. tit. 22. cap. 7. §. 8. in princ.

(d) S. Anton. 3. par. tit. 22. c. 7. §. 8.

Manfredus ord. Præd. plures sequaces trahit.

Addunt (c) ipsum passum esse æmulum concionatorem ordinis Prædicatorum plurima authoritate & existimatione pollentem. Is vero Manfredus erat, de quo hæc narrat S. Antoninus (d): *Venerabilis ordinis Prædicatorum erat peritus & timens Deum. Hic prædicans in partibus Longobardiæ, nescio quo ductus spiritu populis annuntiabat, propinquum antichristi adventum, & quasi tempore suo esset futurus, inducebat ad hoc suas rationes ex scripturis, præcipue Apocalypsis. Ex terrore hujus doctrinæ exprimentis horribilia, quæ facturus sit cum venerit antichristus, in quo omnes concordant, multi utriusque sexus contemnentes sæculum, juvenes & virgines, senes cum junioribus, habitum sub eo receperunt tertii ordinis, seu de pœnitentia B. Dominici, ita ut transcenderent numerum quadringentorum, mares centum, fœminæ trecentæ & supra. Hi in communi vivebant separatim viri a mulieribus, de labore manuum suarum in sudore suo, non omissis divinis officiis & frequentantes confessionem & communionem in summa honestate, & sobrietate conversantes: omni possessione & reditu carebant omnino. Omnes Longobardi erant & similiter, qui ex Longobardia Bononiam profecti sunt cum eorum patre Manfredo prædicto.*

Dissolutum a Pont. ejus sodalitium.

Martinus Papa attendens genus illud periculosum posse scandala generare, conatus est congregationem illam dissolvere, ad propria remittendo. Sed non valuit cum illis ita affectis ad illum Manfredum spiritualiter, ut ab eo nulla possent ratione divelli, tum quia ita redolebat eorum conversatio in conspectu laicorum, ut ab omnibus molestantibus defenderentur. Ex Bononia Florentiam applicuerunt, in arctissimo vita honestissime & lætanter Domino serviebant. Et licet Martinus tunc Florentiæ existens prohiberet aliquid eis eleemosynaliter dari, ut in patriam ad suos redirent, non obediebatur ex compassione, & devotione populi concepta ad eos. Examinari fecit Papa illum Manfredum, & nihil reprehensione dignum in eo inventum est, nec in congregatione illa. Pontifice cum curia ad urbem accedente, secuta est Manfredum congregatio illa, quam cum magno rigore disciplinæ regebat, pro minimis contentionibus & ad cippos mittens, & lacte doctrinæ frequenter nutriebat. Majorque pars earum brevi in Domino obdormivit Romæ: remanentes in magnis angustiis vitæ degebant; vexatæ complures earum a dæmonibus: aliquibus junioribus apparebant spiritus in vestibus albis, ut angeli lucis, si tamen ipsi erant, & afferentes eis pater noster minima vitrea & perforata evanescebant: spectabatur ab illis Manfredus Papa futurus, a multis eorum antichristus manifestandus. Transactis pluribus annis tempore Eugenii Manfredus ipse, nimis aliquando credulus visionibus illarum, quievit in Domino, in conventu Minervæ sepultus. Post quæ divisæ sunt in duas partes mulieres, quæ & paulatim defecerunt per mortem, & aliquæ in spiritu: & quæ expectabant, non viderunt, nec illum Papam, nec antichristum.

Illusæ a dæmone nonnullæ fœminæ.

(e) Harpsfeld. hist. ecclesiast. sec. 15. cap. 10.

Magicæ artis fructus inanes.

In Anglia celebrata (e) est synodus ab Henrico archiepiscopo Cantuariensi adversus Richardum quemdam ex clero Wigorniensi magiæ crimine delatum, qui nefariam artem publice execratus est, fassusque illam a se sperni, ex qua sæpius votis suis potiri non potuisset: ejus vero libri figuris impiis distincti publice exusti sunt.

XIV.

(f) Phrantzes l. 1. cap. 38.

Misera Constantinopolitani Imp. conditio.

In oriente hoc anno Joannes Emmanuelis Imperatoris primogenitus, ducta uxore Sophia filia marchionis Montisferrari, solemni ritu imperialis dignitatis ornamenta suscepit, ut narrat Phrantzes (f); qui addit Emmanuelem Mahometi primo Turcarum Regi liberum commeatum per Constantinopolim dedisse: ut in Asiam trajiceret (quamvis enim in reditu urbem ipsam obsidione cincturum rumor afflaret) fidemque datam violare detrectasse, etiam si ab illo sibi certum exitium inferendum esset. [1]

NOTÆ [1] QUamvis non certo definire audeo, suspicor tamen nec immerito, nuptias hasce Joannis filii Emmanuelis Græcorum imperatoris & assumptionem ejusdem Joannis in consortium imperii ex hoc anno ad alterum 1421. promovendam esse. Licet enim Phranza protovestiarius annum ejus rei signat mundi 1419. diem vero XIX. januarii; mendum tamen in textum irrepsisse puto, ea ductus ratione quod in historia Montisferrati a Benvenuto de S. Gregorio ad annum 1490. ducta legitur adnotatio quædam chartarum quæ servantur in regesto publici cujusdam Tabellionis ejusdem urbis, in qua ad annum 1420. recensetur instrumentum nuptiale Sophiæ filiæ principis Theodori Montisferrati cum imperatore Græcorum. Ad hæc nuptiæ vel assumptio

sole-

NOTÆ solemnis novorum principum in societatem imperii die dominica veteri more plerumque agebantur. Cum igitur dominica dies cum die XIX. januarii nonnisi anno 1421. concurrerit, hinc non inani conjectura deduco anno illi exordium imperii Joannis consignandum esse. Anno igitur 1420. nuptiæ solemnes conciliatæ sunt: sequenti vero in æde S. Sophiæ nuptialis solemnitas innovata, simulque ambo conjuges imperatores salutati sunt. MANSI

I. ANno Servatoris supra vigesimum millesimo quadringentesimo indictione tertiadecima Martinus Papa Florentiæ ad septembrem commoratus, sedatis ditionis ecclesiasticæ Romanorumque tumultibus, in urbem quam honorificentissime ab omnibus exceptus venit, in eaque Petri sedem ad secuturas ætates constabilivit: ut de his iterum recurret mentio. Nunc Florentiæ gesta percurrimus. Flagrabat desiderio Martinus abolendarum schismatis reliquiarum, ac Petrum e Luna, vel ad pontificalia insignia ponenda obstringendi, vel expugnata Paniscola, pertinacissimum schismatis propagatorem in potestatem Ecclesiæ redigendi, ne in perniciem animarum nova incendia suscitaret. Legati ob id superioribus annis fuerant Alamannus tit. S. Eusebii presbyter Cardinalis, deinde Bertrandus episcopus Tifernas, quorum pii conatus Alfonsi Regis Aragonum flagitio, ut dictum est, ad irrisum ceciderunt: experiri tamen iterum voluit Pontifex, an armis catholici nominis hostem Paniscola exturbare posset, contulitque (a) eam provinciam Petro Fonsecæ S. Angeli diacono Cardinali, quem etiam in Constantinopolitano imperio ad Græcos in sinum Romanæ ecclesiæ revocandos, parato Emmanuele Imperatore vetus schisma damnare, legatum decretum visuri sumus, ut dum orientalium voluntates accuratius explorarentur, ipse reliquias schismatis occidentalis excinderet: utque rem arduam e sententia gereret, indictum est Petro e Luna ejusque studiosis sacrum bellum, cui dictus Cardinalis legatus præfectus est, munitusque authoritate, ut non modo Aragonios & Baleares, verum Castellanos etiam & Navarræos religiosam militiam professuros crucis symbolo insigniret, propositisque indulgentiarum præmiis ad oppugnandum impietatis signiferum concitaret.

Martinus Petrum a Luna in suam potestatem redigere tentat.

Legatum mittit in Arag.

(a) Lib. 3. ep. cur. p. 98. 23.

Dilectissimo filio Petro S. Angeli diacono S. R. E. Cardinali, in Constantinopolitano imperio & nonnullis aliis partibus Apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

II. *Intendentes, prout ex debito pastoralis tenemur officii, ad prosternendam audaciam temerariam, ac damnatam perfidiam Petri de Luna hæresiarchæ, ac fautorum, complicum, adhærentium, & sequacium ejusdem hæreticorum, schismaticorum diligenter intendere, ne in perniciem animarum fidelium ulterius militent atque serpant, inhærentes prædecessorum nostrorum vestigiis, ad defensionem catholicæ fidei, ac in persecutionem & confusionem hæreticorum atque schismaticorum hujusmodi, eorumque sequacium & fautorum, & ad expugnationem castri Paniscolæ Dertusensis diœcesis, in quo idem hæresiarcha Petrus cum suis fautoribus tot machinatur scelera incessanter terra marique exercendus pro viribus, & aliorum locorum quorumlibet, in quibus idem Petrus, vel sequaces se quomodolibet receptarent*, & infra, *circumspectioni tuæ, de cujus industria in maximis nostris, & ejusdem ecclesiæ negotiis comprobata diutius innumerabilium operum exemplo, indubitatam in Altissimo fiduciam obtinemus, per te, vel alios in dignitatibus spiritualibus, aut magisteriis in sacra pagina, aut aliis scientiarum gradibus doctoratos aut magistratos, vel alios ad tantum negotium scientia, ac rerum gerendarum experientia idoneos & comprobatos, quos duxeris deputandos in Aragoniæ, Valentiæ, Navarræque atque Castellæ regnis, Majoricarum ac Minoricarum insulis, cæterisque terris & dominiis ditioni præfatorum Aragonum & Valentiæ, nec non Navarræ & Castellæ Regum illustrium suppositis, contra præfatum perditionis filium Petrum de Luna, Benedictum XIII. in ejus dudum obedientia nuncupatum, hæreticum & schismaticum & a papatu depositum, ut præfertur, ejusque fautores, adhærentes, complices, & sequaces, ac eis vel eorum alicui per se, vel alios, publice, vel occulte, quocumque colore quæsito dantes consilium, auxilium, vel favorem, communiter, vel divisim, prædicationem ipsam præsentium authoritate committimus exercendam, in remissionem peccaminum injungentes, quatenus hujusmodi prædicationis officium juxta datam eidem tuæ circumspectioni ob Altissimo prudentiam & consilii magnitudinem, efficaciter, ac prudenter in illo procedens per te vel alios, ut præfertur, quos in ipsis dignitatibus constitutos, seu alios idoneitate & excellentia præditos ad hoc deputare provideris quoslibet Christi fideles instantius inducturos, ut suscipientes cum debita reverentia hujusmodi vivifica crucis signum, ipsumque suis cordibus & humeris affigentes, ad prosecutionem negocii hujusmodi, maxime & præsertim ad prosternendam audaciam temerariam, ac damnatam perfidiam ipsorum Petri de Luna, ac fautorum, complicum, adhærentium, & sequacium ipsius hæreticorum, ac schismaticorum, & ad defensionem catholicæ fidei ac expugnationem dicti castri Paniscolæ, & aliorum locorum, in quo vel quibus idem Petrus cum hujusmodi suis fautoribus, complicibus, adhærentibus, vel sequacibus, se receptat, aut receptabit in futurum, terra marique exercendas viriliter potenter ac viriliter se accingant*, &c.

Pontificiæ ea de re lit.

Paniscolam expugnare meditatur Martinus.

Promulgari eam jubet in Hispaniis.

Data legato auctoritas, ut concionatores designet.

Dat.

Dat. Florentiæ IV. id. aprilis pontificatus nostri anno II.

Cur expeditio in Petrum e Luna distracta.

Vocari ad sacram illam expeditionem Lusitani non poterant, cum bello Africano essent impliciti: non Galli, cum intestina dissensione armisque Anglicis urgerentur: Castellani exorta inter eos discordia in duas partes se distraxere: Navarræi illorum motuum exspectatione erant suspensi: Aragonii, Valentini, Catalani, Baleares ex nutu Alfonsi Regis pendebant: atque ita, cum is a finitimorum regnorum crucesignatis ad antipapæ deferendas partes cogi non posset, non permisit a legato apostolico Paniscolam expugnari.

III. Civiles motus in Castella.

Dum Petrus Cardinalis legatus vias omnes indagabat, vel ut Petrum a Luna amplis pactionibus ad parendum sacris legibus induceret, aut eum caperet, Pontifex cognitis novis Castellæ motibus civilibus Petro ipsi novam provinciam dedit (a), ut ad redintegrandam in Gallia concordiam incumberet. Injecerat Hispaniæ hos tumultus duorum principum Henrici & Joannis, qui stirpe Aragonia orti erant, ambitio: cum enim paribus studiis summa rerum Castellanarum administratione potiri aniterentur, Castellanos proceres in duas factiones divisere (b), misero Rege in prædam eorum cupiditatibus exposito. Primus civilis discordiæ facem intulit Henricus, qui pridie idus junii Regem incautum, magistro regiæ aulicisque ceptis, in suam potestatem redegit, erepta ei eundi decernendive libertate. Permoti ea indignitate cæteri proceres, duce Joanne Aragonio, qui Blancham Navarræi sceptri heredem uxorem duxerat, signa ad Regem liberandum extulere. Igitur avertendi hujus civilis belli cupidus Pontifex Joanni Regi ostendit (c) in quot quantaque pericula ipse, ac regnum suum adducerentur, nisi ad sedanda intestina illa dissidia curas intenderet.

(a) Lib. 3. ep. cur. p. 11.

(b) Mariana lib. 20. de reb. Hisp. cap. 11. Surit. l. 13. c. 2. & alii.

Henricus Arag. princeps Regem Castellæ in suam redegit potestatem. Proceres ei bellum indicunt.

(c) Lib. 9. brev. p. 107.

Charissimo in Christo filio Joanni Regi Castellæ & Legionis illustri salutem, &c.

IV. Martini ad Regem Castellæ literæ.

Non absque mentis amaritudine intelleximus, charissime fili, nonnullas novitates & dissensiones, procurante humani generis hoste emersisse in tuo regno, ac multos vereri, ne discordiæ hujusmodi ad aperta odia, & arma hostilia descendant: cum enim non secus, ac bonus parens erga bonum filium consuevit, geramus singularem affectionem & amorem erga prosperum & tranquillum statum tuum & regni, summa afficimur animi molestia cum audimus aliqua, quæ tibi scandalum, aut status aliquam turbationem possint afferre. Igitur pia charitate moti, volumus exhortari tuam serenitatem ad ea consilia capessenda, per quæ omnia evitentur bella, & omnis majoris motus causa & materia sopiantur. Non arbitramur latere sapientiam tuam, quam magna incendia ex parva scintilla, quam gravia & dura mala ex bellis, præsertim intestinis & domesticis, soleant excitari. Exempla inter alia tibi sit [quod dolenter referimus] calamitas regni Franciæ, quod diutius, quam æquum erat, intestina discordia multis, ac variis cladibus afflixerunt. Et quidem dies nobis deficeret, ut omittamus sapiens dictum historici, qui ait: Concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur; *si recitare vellemus, quot regna, quot dominia eversa legimus propter discordias intestinas. Una Salvatoris divina sententia, qua dixit, omne regnum in se divisum desolari, satis unicuique esse debet ad reprimendum belli appetitum, ad componendas dissensiones, ad pacem omni diligentia perquirendam, quam vel minime æquam etiam justo, præsertim civili bello, multi sapientes sæculi præponendam censuerunt: etenim regni unius inter se bellum civile & domesticum dici potest, cujus partes non aliter, quam corporis membra, si qua infirmiora essent, curandæ sunt: & sicut durum atque asperum esset, aliquam partem, licet imbecillam, a corpore abscindi aut avelli, ita & regni portiones, si quæ infirmæ essent, non lacerandæ, sed ad sanitatem reintegrandæ sunt, neque ferro resecandæ, sed clementia & benignitate ad pristinam valetudinem restituendæ.*

Galliæ calamitates exponit.

Admonet ut civiles discordias sopiat.

V. Hortatur ut leniter reipublicæ vulnera tractet.

Id præ cæteris, a tua sapientia providendum est, ne res, cui parvo remedio obviari posset, in extremum discrimen perducatur, & quod consilio administrari licet, nequaquam est committendum temeritati fortunæ. Levia vulnera gravioribus remediis curari possunt; quæ vero gravia & lethalia sunt, nequaquam exasperari solent; sed levi manu & mitioribus modelis tractari. Quid, quod ejusmodi dissensiones sicut etiam victoria sit tibi pertimescenda: si enim vincis, te ipsum superas; de tuo enim detrahitur quicquid deletur, & in hoc vincendo superaris, cum in eo, quod perit, tua potentia minuatur. Multæ sunt, & variæ in hanc sententiam rationes, quas omittimus causa brevitatis. Unum dicimus in tuto versari, neque se casibus incertis velle committere, si id evitare consilio & ratione possit, semper esse habitum viri sapientis. Quamobrem, quia præcipuo & paterno erga te affectu omnia pericula, quæ bellorum furor afferre solet, reformidamus, exhortamur in Domino tuam serenitatem, & per Salvatoris nostri passionem obsecramus, ut propter Dei reverentiam, propter commune tuæ reipublicæ & patriæ bonum, sine quo nullus bonæ alterius fructus percipi potest; seposita omni indignatione, etiam si aliquos adversus te quid deliquisse putes, velis flectere ad clementiam & pacem animum tuum, & tuos cogitatus ad quietem & otium convertere.

Ne se incertis eventibus exponat.

præ-

Pacem bello præferat.

præcipue vero consideres stragem Christiani sanguinis Deo esse infensam, & regnorum vires conterere. Decet clementem Regem esse, & promptum ad veniam; otium vero, & tranquillitatem præ cæteris rebus appetere, ut Salvatoris nostri mandatis pareat, qui inquirere & prosequi pacem jussit. Nos quidem ad hanc consequendam, operam nostram & diligentiam pollicemur, missuri proprium pro hac re legatum, si id videatur tibi: sed quoniam celeriora remedia salubriora esse consueverunt, commisimus venerabili fratri nostro Scipioni episcopo Mutinensi, quem ad significandum tibi Græcorum unitatem, & pro nonnullis aliis negociis ad tuam celsitudinem destinamus oratorem nostrum, & dilecto filio Baptistæ de Padua clerico cameræ apostolicæ istic existenti ad præsens ut, si id tibi placeet & de consensu tuo existet, auctoritate nostra, se interponant pro pace & concordia concludenda, quam dignetur ille concedere, qui semper ejus author & perfector esse consuevit. Dat. Florentiæ, &c.

Colloquium de concordia initum.

Comparatis vero ad mutuam internecionem principibus, de concordia, deque colloquio faciendo actum. Abelæ habiti solemnes ordinum conventus (a) urbe a militibus circumsessa, nec liberis suffragiis, in quibus Henrico patrati facinoris proposita amplissima præmia: tum nuptiæ Catharinæ Regis sororis, illi promissæ: deinde extremo anno Henrici a quo tenebatur, impotentiam perosus Joannes Rex exercendæ venationis specie Montalbanum profugit (b), in qua arce ab Henrico est obsessus: denique contrariæ factionis proceribus accurrentibus obsidione solutus (c) est: contra autem in præceps versæ res Henrici, qui biennio post in custodiam conditus est, bonisque suis exutus.

(a) Marian. de reb. Hisp. l. 20. c. 11.
Evadit ex Henric. custodia Jo. Rex.
(b) Ead. lib. c. 12.
(c) Eod. cap.

VI.
Henric. merita pœna affectus. Galliæ paret Anglis.

Quod ad Gallicum regnum attinet, quod Castellæ Regi veluti civilium calamitatum exemplum propositam vidimus, hoc anno a Gallis in potestatem Anglorum redactum est authore Philippo duce Burgundiæ, qui cum plura bellico turbine occupasset, nec Delphinum regno expellere universo posset, illius cum Anglo partiendi spe ductus, tum ira furens, ad paternam mortem vindicandam nomen Gallicum prodidit (d), deditis Lutetia & sexdecim urbibus Anglo Francorum hosti. Pax itaque futura ingentium bellorum materia, Philippo hisce legibus interprete confecta, ut Carolus Rex senio gravis ad reliquam vitam Gallico sceptro potiretur, ipsique defuncto, Henricus ducta uxore Caroli filia Catharina, succederet, sive ex ea prolem susciperet sive non, atque ideo non modo lex salica est abrogata, verum omnes Gallicæ stirpis principes, ex successionis spe deturbati. His additum, ut Henricus ob soceri mentis imbecillitatem regni administrationem capesseret. Factum est ea de causa colloquium apud Trecas, ac plura sancita inter eos, quæ tum mentis impotem fuisse Carolum arguant: de quibus extant nomine Caroli Regis literæ (e) vigesima prima maii hujus anni Trecis consignatæ. Ut vero cæteris perfidiæ exemplum daret Burgundus, omnium primus in Henrici Galliarum moderatoris verba juravit, Regemque Carolum in hostis potestatem redegit. At Henricum post innumeras strages in medio victoriarum cursu sublatum, visuri sumus, nec non Anglos veteribus principatibus dejectos, cum injuste regnum exambirent, quos palam injustitiæ increpuisse Cornubiæ reguli filium, cum patrem globo a bellica machina contorto interemptum lugeret, narrat Juvenalis (f), ac publice professum esse Anglos in militari consilio Londini celebrato constituisse, non spoliandum regno Delphinum, sed Normanniam tantum, quæ Regibus Anglis paruerat, repetendam: additque has Gallicas turbas cœlesti viso jam ante viro pio significatas, ostensos nempe turbido cœlo tres soles atque bis tres Reges Henricum, Carolum VI. ac Delphinum designatos.

(d) Juven. Ursin. in Carol. 6. hoc ann. Monstrelet. vol. 1. c. 119. 120. Walsin. in Henr. V. Polydor. Virgil. & alii.
Concordiæ leges inter Angl. & Gall. Reges.
Regni jura in Angliam translata.
(e) Ext. apud Monstrelet. vol. 1. c. 223.
(f) Juv. Ursin. in Car. 6.
Normanniam tantum repetere Angli constituerant.

VII.
Rebellant proceres in Jo. Reginam.

Civilia hæc Gallorum bella impedimento fuere Ludovico Andegavensi, ne ex Gallis necessarias vires ad subjiciendum sibi Neapolitanum regnum eliceret. Excitus (g) fuerat Franciscus Sforcia a proceribus Neapolitanis, qui ægre ferebant Joannam Joanni Caracciolo regiæ administrationem liberam contulisse, pulso Jacobo Rege, de quo hæc tradit S. Antoninus (h): *Ortæ sunt dissensiones graves & querelæ ad invicem, in ignem iracundiæ mutuæ, susurratoribus ligna ministrantibus, quæ adeo excanduit, ut procurante Regina illum oportuerit eam dimittere.* Effert summis laudibus Jacobum B. Joannes Capistranus, ut qui uxoris Reginæ perfidiam, paratas in regno insidias, & carceres perpessus animam ad cœlestia applicuerit, ac inter pœnitentium tertii ordinis B. Francisci familiam concesserit, quam cum nonnulli carperent, vir sanctus pro ea apologeticum conscripsit librum (i), in quo hæc habet.

(g) Pandulph. Collenut. l. 5. Summont. l. 4. c. 3.
(h) S. Ant. 3. p. tit. 22. c. 7. §. 6.
Jacob. Rex divinis animum applicat.
(i) Jo. e Capistr. in defensorio tertii ordinis B. Francisc. p. 4.
Pœnitentium tertii ordinis S. Francisci familiam restituit.

Etiam nostris diebus in magna devotione & gratia renovantur & crescant atque proficiunt, superna largiente clementia, laudabilis vitæ meritis, virtutibus & exemplis: floretque nomen dicti ordinis in splendida societate nobilium & honestarum dominarum, sicut etiam Romæ, Neapoli, Florentiæ, Senis, Perusii, & in multis aliis locis, in Marchia Anconitana, & in aliis civitatibus & terris Italiæ & extra Italiam in multis partibus fidelium Christianorum, quam maxime de præsenti convaluit, & erectus est ordo præfatus per illustrissimum principem Regem quondam

Ja-

Jacobum, qui spretis hujus seculi vanitatibus atque pompis, nedum solemnia monasterin suis devotis sumptibus & expensis construi fecit, sed etiam seipsum offerens Jesu Christo sacrificium acceptabile in ordine prælibato divino cultui mancipavit cum florida societate venerabilium personarum. Extincta scilicet Joanna axore moa instituta Franciscana professum, refert Lucas Wadinghus (a).

(a) *Wading. Annal. to. 5. an. 1435.*

VIII. Agente in Galliis Jacobo Rege, ac Neapolitanis res spernente, Neapolitani, qui Reginæ nimio studio fuerant lenocinati, in atroces belli tempestates inciderunt; Ludovicus enim Andegavensis expedivit arma, ut potiretur regno (quo ab Alexandro V. & Joanne XXIII. jure fiduciario donatus fuerat) Martino V. non adversante a quo datum diploma superiore anno, extremo Florentiæ pontificatus anno tertio consignatam, & in Regum Francorum tabulario inter alia monumenta, quorum indicem (b) Leonardus Barronatus dati & expensi rationum magister confecit, asservari fertur; quo statuitur Ludovicum III. Joannæ II. cum de vita decessisset, regno successurum, cui etiam diplomati tredecim Cardinales adscripsisse nomina dicuntur; eoque jure fretus Ludovicus III. poriori longe, quam quo fulti Ludovicus primus & secundus, qui a pseudopontificibus Neapolitani regni jura inania acceperant, cum Sfortiæ imperium militare detulisset, is apud Neapolim castra posuit ac Genuensium classe, cui præerat Baptista Fregosius, adjutus maritimos Neapolis aditus interclusit. Accenso ita in regno Neapolitano bello, Pontifex ut adversas partes in concordiam revocaret; Ludovicum S. Adriani diaconum Cardinalem legatum creavit dato ad ipsum diplomate (c), in quo nonnulla de pacis sanciendæ inter omnes, præcipueque inter Joannam II. Reginam, & Ludovicum Regem, eorumque fœderatos, hæc subdit.

(b) *Ext. in append. ad Juvenal. Ursin.*

Ludovicus Andegavensis ad regnum Neap. aspirat.

Decretus a Mart. legatus in regnum Neap.

(c) *Lib. 3t. cur. p. 15.*

Martinus, &c. Te tanquam pacis angelum, cum nequeamus in præsentiarum præsentia nostra partes illas personaliter visitare, vice nostra & de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, ut juxta cordis nostra desiderium animarum salutem, cultum orthodoxæ fidei, ac ipsius libertatis ecclesiasticæ salubre incrementum, ac reductionem quorumlibet indevotorum ad nostram & Ecclesiæ fidelitatem, devotionem, & obedientiam, nec non pacem & concordiam inter diffidrates hujusmodi & quoslibet alios procures; ac tenentes indubie eandem circumspectionem tuam in suis desideriis gessisse, & genere sedare fluctuantes turbines justitia terminos colere, humiliare superbos, rebelles & inobedientes compescere, errantes ad viam reducere veritatis, eidem tua circumspectioni in regno Siciliæ, ac terra citra pharum prædictis, tua legatione durante evellendi, destruendi, dissipandi & disperdendi, ædificandi & plantandi, deformata reformandi, indirecta dirigendi, corrigenda emendandi, aspera in vias planas convertendi, periculis & discriminibus, quæ ex schismatibus, divisionibus, discordiis, perversitatibus, guerrarumque turbinibus seu dissensionibus aliis emergentibus vel emersuris in regno & terra prædictis, procurantes pacis æmulo jam exortis, & quæ poterunt quod avertat Omnipotens quomodolibet evenire, salubriter & effectualiter obviandi, & infra, *plenum & liberam concedentes præsentium tenere facultatem, &c.* Addita sunt imperia, ut copiarum duces aliosve regia, aut cardinalitia dignitate conspicuos ad regnum Romanæ ecclesiæ fiduciarium defendendum incitaret, cæteraque gereret, quæ ad libertatem Ecclesiæ tuendam, conjunctionem Christifidelium confirmandam, egenos ab injuriis vindicandos, propagandam animarum salutem, ecclesiasticique ordinis immunitatem servandam spectaverint, tum ipsum stipendia acceptæ apostolici legati e latere dignitatis causa exigere vetat. *Datum Florentiæ VI. id septembris anno III.* Neapolitani etiam regni proceribus mandata dedit (d), ut legato apostolico se conjungerent, atque ad illius nutum ponerent arma, inferrentve. At ii non paruere apostolicis imperiis, unde maxima mala in universam regnum contrariis laniandum factionibus redundarunt.

Sedando bello operam dare jussus,

Mandatis amplissimis instructus.

(d) *Ib. p. 61.*

IX. Inter hæc Carafa (e) cui ab insigni motum improbitate Malitiæ cognomen inditum, Joannæ Reginæ orator, consilia cum Alfonso Rege Aragonum, qui augendarum rerum suarum percupidus Corsicam florentissima classe oppugnabat, de liberanda Joanna agitavit, illamque maximis pollicitationibus ad classem submittendam Neapolim, præfecto illi Peritio, pellexit. Soluta ita ab Aragoniis obsidio est, ac Ludovicus Andegavensis alio impetus convertit, Aversamque in suam potestatem redegit. At Pontifex cum Joannam Aragonium in regnum excivisse, & contra Romanæ ecclesiæ jura, sancitaque fœdera iniquam adoptionem moliti animadvertisset, tum ut nascentium Gallos inter & Aragonios bellorum semina extingueret, tueretorque jura sedis Apostolicæ promulgavit (f) concusso bellis regno Neapolitano, pluribusque ad illud annitentibus, ad Romanum Pontificem perfugiendum, atque eos, qui Legato adhærerent adversus quoscumque, nimirum Joannam, Gallos, & Aragonios, in clientelam apostolicam ascivit, quæ litteræ ad Petrum Celani comitem datæ his verbis consignatæ sunt: *Dat. Romæ XV. kal. decembris pontificatus nostri anno III.*

(e) *Summont. l. 4. c. 3.*

Rex Aragonum excitus in regnum.

Soluta Neapolis obsidio. Aversa capta a Lud.

(f) *Ib. p. 61.*

Data a Martino proceribus mandata.

Nec

Nec modo Aragonii a Joanna vocati in auxilium, verum etiam Braccius Perusinus hostis pontificius amplissimis præmiis contra Ludovicum Andegavensem sollicitatus, de cujus in Neapolitanum regnum ingressu proximo anno dicemus. Nunc gesta illius cum Pontifice perstringamus.

Condiderat is sibi ex ruinis Ecclesiæ, dum laborabat schismate, injustum principatum, nec parta scelere restituebat, demum Florentinis, apud quos Martinus agebat, concordiæ interpretibus se in officio permansurum neque a Pontificis fide defecturum spopondit, de quo hæc Leonardus Aretinus (a), dum de Martino loquitur: *Florentiæ biennium fere resedit peropportuno loco ad rem Ecclesiæ componendam, nam & cum Braccio, qui Ecclesiæ oppida permulta occupaverat, opitulantibus Florentinis concordiam fecit, illiusque post hæc fretus opera Bononiam redegit in suam potestatem, & cæteras urbes ubique recepit, ex quo ejus plurimum crevit authoritas.* Fuisse antea Pontifici ereptum Bononiæ imperium ab Antonio Bentivolo Joannis filio refert (b) ms. vetus Florentinum, additque Alfonsum Cardinalem S. Eustachii a Martino ad eam urbem recuperandam fuisse missum [t]: quod confirmant Pontificiæ literæ (c), quibus amplissima cum potestate Bononiæ, Æmiliæ, & exarchatui Ravennæ præfectus est. Illum vero potitum Bononia divina ope, ac precibus & industria B. Conradini ordinis Prædicatorum, qui pro tuendo pontificio imperio martyrii palmam exoptabat, narrat Leander (d) in ejus vita.

(a) Leon. Aret. hist. rer. Italic. MS. vetus chron. Florent. S. Anton. 3. p. tit. 23. c. 7. §. 1.

Potitus Bononia Martinus.

(b) MS. vetus Florentin.

Legatio Card. S. Eustachii.

(c) Lib. 3. ep. cur. a p. 30. ad 48.

(d) Leander de viris illustr. lib. 5. in vit. B. Conradin.

Ut Bononiam obsederit. Sacris interdixerit.

Cum, inquit, *Bononiensium pars ab Ecclesia defecisset, Pontifex maximus Martinus V. urbem exercitu obsedit: qui vero altera ex parte Pontificis mandato obtemperare cupiebant una cum venerabili patre Magacosta, qui eo tempore beato viro pastor substitutus erat ex eo, quod Pontifici gratus & notus esset, urbe ejecti exulare coacti sunt. Cum autem armorum vi capi non posset, tutissimaque bello, quæ intus erant propugnacula pararent, exercitus quoque manibus propulsaretur, Pontifex maximus illos Ecclesiæ Sacramentis interdicere decrevit. At quia non facile reperiebatur, qui suas inhibitionum minarumque literas plenas introferre auderet, beatus ipse Curradinus Ecclesiæ suo etiam sanguine omnino jura propugnaturus equum intrepidus ascendens urbem egreditur, Pontificisque legatum, qui una cum exercitu aderat, allocuturus adivit: ille vero viso sancti patris fideli consilio minaces, divinorumque inhibitorias literas ipsi publicandas tradidit: quibus subinde acceptis hastæque a'gens, quo facilius manifestarentur, ad urbem regreditur & ad civitatis plateam deveniens voce magna clamare cœpit. Ecce vobis Deo & vicario ejus rebellibus universa divinorum sacra interdicuntur: nullus quovis excusatione tergiversari poterit ignorasse, nemo asserere audeat, literas inspicite: profanum corrigite errorem. Illico capitur, carceri mancipatur, excandescentesque mortem illi machinantur; ex illis autem quidam in medium surgens dixit: Necem isti inferendo nil aliud facimus nisi quod optetam pro Ecclesiæ favore concedimus mortem. Non interficiendus igitur mihi videtur. Primatibus ergo in ejus perniciem discordantibus ob etiam vitæ integritatem plurimis notam eductum e carcere liberum fecerunt. Beatus tamen vir minime exterritus publicis declamationibus in Jesu Christi nomine, animarum saluti providens, Pontifici morem gerere & Ecclesiæ sanctæ subjici populum hortabatur, quod quidem urbis optimates ægre ferentes quidquid annonæ in conventu repertum fuisset, auferri & militibus dispensare jussere: At ille patientissime ferens solius Dei, spe maxima ductus, subsidio innitebatur: amicorum autem plerique divina providentia calamiti compatientes quotidie illis necessaria ministrabant. Principes vero neque hoc sustinentes capitis sententiam edicto publico protulere, si quis deinceps conventui illi quippiam præbuisse repertus esset. Tunc, licet humano destituti viderentur suffragio; divino tamen minime privabantur, multi etiam Deum magis veriti quam scelestorum bo-*

Promulgatum id edictum a B. Conradino.

Ejusdem mira constantia.

NOTÆ [t] AUthor chronici Miscelli Bononiensis multa narrat, ad ea quæ hic ob annalistæ confunduntur potius quam exponantur reformanda. Eo igitur authore discimus die XXVIII. februarii missos a pontifice oblegatos suos, quorum alter archiepiscopus, alius abbas, venisse Bononiam, ac pontificia nomine poposcisse, ut civitas pontifici dederetur. Responsum fuit ab Antonio Bentivolio, civium suorum nomine paratos esse Bononienses ea omnia implere, quæ olim pontifici spoponderant, nempe 8000. ducatorum annuum tributum, ut in electione prætoris tres eligerentur a civibus e quibus unum pontifex assumeret; denique ad pontificis nutum centum lanceatos milites in sex menses conductos præstituros se offerebant. Rogare vero pontificem ut hæc omnia intacta relinquens ulteriora ne peteret. Haud diu post pontificiæ copiæ, quibus Braccius præerat Bononiensem ditionem involverunt. Bentivolius aliquandiu restitit; dein vero pax utrinque composita ea conditione ut magistratus omnes e civibus crearentur uno excepto ærarii præfecto. Ita rebus constitutis cardinalis Venetus Condulmerus, tituli S. Clementis presbyter qui in exercitu pontificis agebat legatus, urbem ingressus est die XXII. julii. Demum post hæc omnia die XXV. augusti ejusdem anni cardinalis S. Eustachii jure, & potestate legati venit in urbem. Hæc author Miscellæ. MANSI

Multa a perduellibus passus.

hominum minas, clam sub vestibus deferentes aliquid illis subministrare nitebantur. Beatus autem uir illis animo dejectus veram Pontificis partem defensans nec corporis adversa pertimescens, populum quotidie palam, ut Ecclesiæ obediret admonebat: propter quæ denuo in carcerem trusus ibi etiam subsidio privatus est. Expropter diebus illis, quibus carcere detinebatur, nihil prorsus comedit Eucharistiæ solum Sacramento satiatus, quod eo die sumpserat, quo carcerali custodiæ mancipatus fuit. Unde ad orationes se totum contulit meditationique divinorum ardentissime vacans in aerem elevatus a carceris custodibus visus est: quod ubi primatibus compertum est, ipsum liberum fieri jussere: ipse vero sui liberationem parvifaciens flendo ajebat: Nuptiæ quidem paratæ erant, sed ego ad eas invitatus dignus minime fui. Superna denique favente clementia, pace confecta, Pontifex maxime auditis beati viri pro Ecclesia tutela magnanime patratis, cognitaque ejus vitæ integritate cardinalatus dignitate ipsum sublimare decreverat: at ipse profunda humilitatis virtute ornatus nulla gloriæ cupidine illectus constantissime renuit. Hactenus Leander. Porro præter Bononiam etiam Suriani arcem munitissimam diu a Vasconibus & Britonibus occupatam, fuisse recuperatam a Martino (a) inferius visuri sumus. Quod ad Braccium attinet, quem Florentinorum fuisse fœderatum refert prædictum MS. chronicon Florentinum, quemque ex Leonardo Aretino vidimus militarem virtutem pro recuperanda Bononia explicuisse; de eo in concordiam redacto cum Pontifice meminit S. Antoninus (b), sed eundem perfidum hominem postea in hostem sævissimum versum esse memorat: *Composita est*, inquit, *concordia inter Martinum & Braccium ipso veniam petente ad pedes Pontificis, quibusdam civitatibus sibi relictis & oppidis per modum gubernatur, aliis Ecclesiæ restitutis; sicque reconciliatus fuit Ecclesiæ; sed parum pax illa permansit, nam postea, ut patebit, major est inimicus effectus;* & pluribus interjectis (c).

Pactione dedita Bononia.

Cognita ejus sanctitas.

Cardinalatus a B. Conradino repudiatus.

(a) Mart. l. 3. ep. cur. p. 19. MS. vetus chron. Florent.

(b) S. Anton. 3. par. tit. 22. c. 7. §. 1.

Braccius conciliatus Martino.

(c) Eod. c. 4.

X.

Ejus impietas.

Passus est autem Martinus persecutionem non modicam a Braccio Perusino supranominato; non enim permansit in reconciliatione & amicitia Ecclesiæ, sed reversus ad vomitum suæ rebellionis & contemptus Pontificis, ita ut comminaretur ei etiam ipse & publicanus statum ejus supprimere, & ad celebrandum missas privatas pro uno bajocho compellere. At postea sacrilega hominis arrogantia elisa est justa Divini numinis ultione. Ausi vero Braccii studiosi in ejus laudem, ac Pontificis ignominiam nefariam cantiancalam pangere, in qua convitium illud jactabatur, Martinum minuti denarii ærei pretio non pendendum, quam cum Florentiæ vulgus cantu celebraret ex ea offensum Martinum, ac propositis felicibus successibus, qui Florentinorum opera ipsi obtigissent, a se mitigatum refert Leonardus Aretinus (d), cujus oratio a nobis, cum multam historiæ lucem afferat, adducenda visa est: Cum, inquit, *alia nulla civitas, beatissime pater, tibi & Romanæ sedi tantas commoditates utilitatesque attulerit, quantas dum in ea resedisti, Florentia contulit, nihil gloriosius quam pontificatus iste tuus reperiri poterit. Venisti Florentiam, cum nihil temporalis dominii possideres, occupatis ubique per adversarios oppidis, Bononia quoque parere abnuente, ut tibi necessarium fuerit, cum ex Ferraria Florentiam venire velles, per Ravennatem & Foroliviensem agrum longo ambitu deflectere. Te Florentiæ commorante & cætera oppida in potestatem tuam redierunt, & Bononia ipsa, quam prius extulerat cervicem, submisit. Contulit vero ad hæc plurimum opportunitas hujus urbis, propterea quod Braccius amicitiam fidemque Florentini populi secutus ad te venire non dubitavit, & intercedente civitate discordias omnes componere atque oppida reddere; illiusque tu postmodum fretus opera Bononiam tibi parere vi adhibita compulisti, ut longe lateque nunc tua potentia dominetur.*

(d) Leonar. Aret. in hist. rer. Ital. & ex eo S. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 7. §. 2.

Quæ feliciter gesta a Martino Florentiæ.

Te insuper Florentiæ commorante, cum prospera ubique de te, ac de sede tua loco circumferrentur, Cardinales ab Hispania, deserto Benedicto, hunc ipsum ad locum venientes, te ut verum atque unicum Pontificem recognoverunt, quo facto tres obedientiæ dudum separatæ in te uno conglutinatæ sunt. Ad hæc duo incrementa hoc in loco suscepta tertium illud præstantissimum excellentissimumque omnium felicitatum mirabili cumulatur, quod qui dudum fuerat Joannes Pontifex, de cujus depositione propter vim adhibitam multi dubitabant, & scrupulus quidam relinquebatur in mentibus, securitate atque fiducia hujus loci Florentiam venit, tibique se sponte sua subjecit, ac dominum & Pontificem verissimum recognovit; quo facto omnis penitus est scrupulus ambiguitasque sublata: neque enim de vi illa adhibita solicitus esse quisquam potest, cum ipsius voluntaria in loco sibi tutissimo sit conspecta subjectio; & accidit, quod paulo post defunctus est, ut & admiratio & querela &, ut ita dixerim, fortunæ ludibrium tolleretur: illud certe constat nullo alio loco illum ad te venturum fuisse, nisi in hac urbe, in qua permagnas amicitias privatim & publice se habere sentiebat. Hæc sunt pro quibus gratiam tuam Florentia promeretur, cujus vel opportunitate vel obsequio vel auspicio tanta pontificatui tuo superaccesserunt incrementa. Addit auctor hæc adeo grata Pontifici ac-

Martinus Florentinis se devinctum professus.

ci-

cidisse, ut Florentia discessurus dum civibus gratias ageret, singula ea prospera commemorarit.

XI. (a) S. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 2. Florentia archiepisc. apice insignita.

Præterea *hoc munus*, inquit S. Antoninus (a), *& dignitatem civitati concessit ad supplicanti, ut ecclesia cathedralis Florentiæ ex episcopali ad metropolitanam promoveretur, pallio decorata, cui Fæsulanus & Pistoriensis, ut viciniores pro suffraganeis consignati sunt & non alii.* Et infra: *Qua die recessit eo consecrata fuit ecclesia S. Mariæ novellæ, in qua ecclesia & conventu residentiam fecerat, ac etiam ecclesia S. Mariæ novæ, quarum consecrationes per alios factas ipse ultimis orationibus in itinere constitutus perfecit, relinquens indulgentiam septennem perpetuo duraturam die consecrationis eas visitantibus.* Romam e vestigio se contulit. Describit Felix Contelorius (b) ex veteribus monumentis Martini e Florentia recessum, & quo honore a magistratibus affectus sit: *Supplicante*, inquit, *Romano populo ad urbem statuit proficisci. Re cognita respublica Florentina octo cives elegit, qui Pontificem per universam ditionem comitarentur & splendide lauteque reciperent. Hi fuere Laurentius de Rodulphis, Matthæus Castellanus, Pallas de Strozzis, Raynaldus Marii de Albizis, Carolus Francisci Frederici, Joannes Bicci de Medicis, Gherardus Antonii Canegiani, Philippus de Jonis; & die nona septembris anno MCCCCXX. tota civitas, domini cum collegiis solemni pompa ad ecclesiam S. Mariæ profecti sunt. Pontifex ascendit equum, quem hinc inde confalonerius, justitiæ & præpositus fræno duxerunt, sub mappula aurea a viginti quatuor civibus delata descendit ad ecclesiam S. Ægidii & consecrationem illius a Nicolao Albergato episcopo Bononiensi sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinale factam confirmavit, missaque celebrata rursus conscendit in equum. Domini civitatis ad portam S. Petri, post blandum colloquium, accepta benedictione substiterunt. Hinc partis Guelphæ capitanei equum fræno ducentes & mappulam gestantes, a S. Gaggio, pedibus Pontifici assolutis, recesserunt. Pontifex per civitatem Viterbiensem iter faciens die xxvii. septembris Romam tandem exoptatus pervenit, & in ecclesia S. Mariæ de populo pernoctavit. Die Lunæ xxx. ejus mensis senatus & cives acclamantibus omnibus; Martino Papæ salus & vita; per publicas vias aulæis splendidæ domus, hilaria & fausta omnia & novam urbi faciem prænuntiantes, ad Vaticanum palatium deduxerunt.* Consignatæ sunt eo loco Martini literæ v. kal. novembr. quibus Baptistam Sabellum ejusque filios Pandulphum, Jacobum, Leonardum, & Joannem, læsæ majestatis pontificiæ reos veniа donavit (c), patrataque omnia in alma urbe & agro Romano, Campania,

(b) Fel. Contelor. in vit. Mart. V. Discedit Florentia Martinus Florentini oratores Martinum comitati.

Quo die Martinus urbem ingressus.

Sabelli a Martino in gratiam admissi.
(c) Lib. 3. ep. cur. pag. 128.

Maritima, Siciliæ regno, aliisve circumjectis provinciis dum bellum in Romanam ecclesiam gesserant flagitia, clementia delevit. Mutavit inde sedes, ut tradit S. Antoninus, easque in ædibus basilicæ duodecim Apostolorum contiguis locavit (d). At ea de re postea: nunc reliquas hujus anni res prosequamur.

(d) S. Anton. super §. B. 3.

XII. Surgebat denuo bellum (e) inter Wladislaum Poloniæ Regem & Cruciferos Prussiæ equites, quod latam ab apostolicis internuntiis Fernando & Jacobo Lucensi & Spoletano episcopis sententiam, Poloni, ut iniquam refellerent, ac Wladislaus vehementer querebatur, causa minime cognita, fuisse ab illis datam, armisque decernere parabatur: cum Martinus imperatas jam ante inducias a S. Michaelis die sacro ad festum S. Margaritæ extraxit (f), ut eo currente eo temporis intervallo, conciliandæ inter illos paci daretur opera.

(e) Chromer. Polon. rer. lib. 18.

Extractæ inter Polonos, & Cruciferos induciæ.
(f) Lib. 3. ep. cur. pag. 6.

Ad futuram rei memoriam.

Considerantes, quod si semper mortales gerunt odia, & ad pestifera bella reditus sine intermissione detur, strages mortalium, non sine etiam animarum & æternæ salutis dispendiis, ac excidiis civitatum, provinciarum, & regnorum hujusmodi, & in illis degentium subsequuntur, divinorum cultus deperibit in eis, sicque prolabentur omnia in ruinam, ad quæ ex apostolico servitute nos convenit supra cæteros vigilantius, ac solertius insudare, & infra, *auctoritate apostolica, & ex certa scientia, & habitis inter nos prius, & cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super hoc deliberatione matura, atque consilio, inter Regem Vladislaum, Vitoldum ducem, regnum, ac ducatum, hospitale, ordinem, magistrum, & fratres, dominia, subditos, & degentes in illis, nec non adhærentes, complices & sequaces ipsarum partium, & utriusque earum, ac etiam inter ipsas treugam, inducias, & sufferentias sub spe pacis inceptivas in festo beati Michaelis Archangeli proxime venturo prorogantes, & usque ad festum S. Margaritæ proxime futurum inclusive, inviolabiliter duraturas, indicimus per præsentes, &c. Dat. Florentiæ Kal. septembris pontificatus nostri anno III.*

Tristes recrudescentis belli eventus.

Imperat inter dissentientes pacem.

Inducias inter dissentientes imperat Pont.

Incumbebat (g) Wladislaus Rex ad instaurandum in Cruciferos bellum, cum Pontificia auctoritate, missoque a Sigismundo Rege Romanorum Bartholomæo Capra Mediolanensi archiepiscopo oratore, hortanteque etiam Witoldo duce Lituaniæ, Pruthenica expeditio intermissa est, & copiæ, quæ Volboriam confluxerant, ac per Masoviam progressæ in Pruthenorum equitum ditionem erupturæ erant, sunt dissolutæ.

Dissipati ingentes apparatus.
(g) Crom. Polon. rer. lib. 18.

XIII. Intendere idcirco Pontifex ac Sigismundus Rex Romanorum curam totam ad repellendum illud bellum, ut aliud gravissi-

Motum ab Hussitis bellum.

viſſimum pro rei catholicæ dignitate adverſus Wicleffitas & Huſſitas (a) geri poſſet. Concurrerant ii ad arma poſt Wenceſlai obitum ad quadraginta millia duce Ziſcha, antequam Sigiſmundus ſigna in Bohemiam verteret: quo cunctante Sophia Regina & Zencho Wartembergenſis copiis contractis Pragenſem arcem præſidio munivere. Confluente deinde Pragam hæreticorum colluvie, die noctuque inter illos & catholicos diebus quinque acerrime ferro flammiſque certatum. Inter quos tumultus Sigiſmundi Regis legati ad regni procurationem ſuſcipiendam acceſſere, atque inducias iis legibus pepigere, ut arce Viſſegradenſi reddita, ac Pelaina, Pieſta, & aliis locis a Ziſcha reſtitutis; liceret civibus ad Sigiſmundum oratores mittere: cujus literæ cum lectæ eſſent, in quibus dicebatur eo modo regnum, quo a Carolo patre gerebatur, adminiſtratum iri; concepto inde metu hæretici magis fremere, & impia conſilia majori ſtudio conferre perrexerunt. Demum ad feſtum natalis Domini ſuperioris anni Brunnam in Moravia ingreſſus Sigiſmundus Pragenſes oratores audivit, deditque veniam culpæ ea lege, ut ſublatis tota urbe repagulis, civitas priſtinos admitteret magiſtratus. Paruit Praga, & pii omnes ejus adventum avidiſſime expectabant, ſpes enim affulgebat maxima, illius præſentia compreſſum iri omnes tumultus, atque Huſſiticam peſtem ab regno illo avertendam. Sed infelici caſu Wratiſlaviam Sileſiæ metropolim ad necem magiſtratus a perduellibus cæſi ulciſcendam digreſſus, ſceleris authores ſecuri percuti juſſit: quamobrem Pragenſes veriti ejus ſeveritatem, proclamarunt illum in Bohemiæ communem perniciem veniſſe, hoſtemque patriæ, non Regem dixere. Ad ſæva itaque omnia ſuſtinenda potius, quam ſubeundum ejus imperium ſe compararunt. Auditis ejuſmodi tumultibus Pontifex, cum obfirmatam adeo in pertinacia impietatem hæreticorum noſſet, ut nonniſi armis frangi poſſet, ruenti eo in loco religioni conſulturus ſacrum bellum, quod jam antea gerendum ſuaſerat, diſcuſſumque a Sigiſmundo magno ſuo malo vidimus, indixit, præſuleſque ad ſacra arma concurſuros fideles crucis ſymbolo inſignire juſſit (b); propoſuitque indulgen-

(a) Æneas Silv. c. 39. Cocl. hiſt. Huſſit. lib. 5. Dubrav. hiſt. Bohem. lib. 24.

Ziſca hæreticorum dux. Inter impios, & fideles commiſſæ pugnæ. Redintegrata pax.

Reſtituti Pragæ priſtini magiſtratus.

Vratiſlaviæ perduelles ſecuri percuſſi.

Pragenſes in Sigiſmundum conjurant

Indictum ſacrum bellum a Pont.

(b) Ext. ejus lit. apud Cocl. lib. 5.

tiarum præmia iis, qui pro fidei catholicæ ſplendore tuendo adverſus hæreticos Sigiſmundi Regis ſigna ſequerentur.

De hac expeditione decreta in Pragenſes meminit Monſtrelerus (c), quos a clerico hæreſiarcha infectos ait; additque Colonienſem, Moguntinum, Trevirenſem archiepiſcopos, epiſcopum Lendienſem, Ludovicum palatinum Rheni, atque alios Germaniæ proceres ſacram militiam profeſſos. Incenſum etiam Sigiſmundum ad bellum contra hæreticos ſuſcipiendum a Joanne Dominico Cardinale tit. S. Sixti A. S. L. refert Leander (d), ſubjicitque eum hoc anno magna pietatis eximiæ relicta fama apud Budam obiiſſe, [r] conditumque in templo Eremitarum S. Pauli, ac plura ejuſdem ope implorata ad illius ſepulchrum edita miracula. De quo etiam hæc ſcripſit S. Antoninus (e): *Uſque in hodiernum diem habetur in magna veneratione, & clarere dicitur miraculis.* At ſerius, quam res poſcebat, Sigiſmundus diſtincta cruce ſigna extulit (f): nam adductis ſecum Miſniæ & Brandeburgi marchionibus, Saxoniæ duce atque Alberto genero duce Auſtriæ apud Pragam caſtra metatus, Huſſitas ab obſidione Viſſegradenſis arcis depulit, urbemque perduellem magnis molitionibus conſtrinxit: irrito tamen conatu omnia peregit; Ziſca enim tanta arte bellica catholicorum excepit impetus, ut cum Sigiſmundus in perduellem urbem vi perrumpere non poſſet, ad accipienda ſolemni ritu regni Bohemici inſignia referat Dubravius illum (g) inducias cum hoſte, iniquis etiam legibus pepigiſſe, quas idem auctor recenſet, ac latentem ſub fallaci ſpecie hæreticorum improbitatem detectam Sigiſmundi oratione narrat: *Tratat*, inquit, *ſi aliter finire bellum nequeat, ut induciæ ſaltem ad longius tempus fiant. At illi inducias quoque alia conditione facere abjurant, quam ut prius quatuor religionis capita rata habeat & confirmet. Primum erat, ut verbum Dei per regnum Bohemiæ libere abſque cujuſquam interpellatione a Sacerdotibus annuncietur. Secundum ut item libere ſacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, panis videlicet, ac vini, omnibus Chriſti fidelibus peccato mortali haud obnoxiis miniſtretur. Tertium ut a clero bonorum externorum poſſeſſio & ea* ſit

XIV.

(c) Monſtre. vol. 1. c. 226. & 233.

Germanor. expeditio in Huſſitas.

(d) Leand. de viris illuſt. ord. Præd.

Joannis Dominici Card. mors.

(e) S. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 6. in prin.

(f) Id. ibid.

Pragam obſidet Sigiſmund. Ziſca eludit ejus impetus.

(g) Dubrav. hiſt. Bohem. lib. 24.

Inducias paciſcuntur.

Hæreticorum poſtulata.

NOTÆ [r] JOannis Dominici cardinalis Raguſini ex ordine prædicatorum obitus uno anno ſerius hic in annalibus conſignatur, cujus rei teſtem exhibeo e Dominicana familia horum annorum ſcriptorem Germanum, Hermannum Cornerum, in chronico vulgato ab Eccardo in corpore hiſtoric. med. ævi to. II. Hæc enim ille ad annum 1419. *Dominus & frater Joannes Dominici cardinalis Raguſinus frater ordinis prædicatorum obiit in Moravia.* Ex diario pariter Byzynii conſtat ſequentis anni 1420. menſe martio alium jam pontificis legatum ad res Bohemicas miſſum quem Byzynius ibidem Ferdinandum appellat. Ex quo intelligimus cardinalem Raguſinum jam obiiſſe. MANSI

ilt jurisdictio nafcatur, & ordo illorum, at ad vitam evangelicam & apostolicam redigatur. Quartum, ut omnia peccata mortalia, ac præcipue publica, & alia legi Dei contraria vitia, in quovis statu rite & cum ratione per eos, ad quos pertinet, corrigantur & prohibeantur.

Latentia sub iis venena detegit Sigismundus.

Perlectis Sigismundus capitibus: Latet, inquit, anguis in herba plenus veneno insanabili. An ignoramus alios præterquam Sacerdotes in regno extare concionatores, ut futores, caupones, stabularios? quare non libertas hic, sed summa concionandi licentia quæritur? Deinde utramque Eucharistiæ speciem requirunt, quasi nos corpus sine sanguine accipiamus, cum Dominus panem vivum, quem sumimus se nominet; vivere autem corpus absque sanguine nequit, sed manet cadaver, quod nec sibi nec aliis prodest; ac videtur aliam in verbis fraudem, qua infantibus illi lenocinantur, quibus calicem propinant dicentes, non esse eos peccato mortali obnoxios ideoque communione Eucharistiæ dignos, cum Apostolus diserte scribat. Probet autem seipsum homo; & infaustæ hoc facere nequeant, nam in hoc, ut bona a clero tollantur, sacrilegi suis rebus, non autem religioni consulunt metuentes, ut merito, ne rupta, ac ablata ex camera nostra atque aliis templis cogantur restituere: itaque malunt etiam illa, quæ Deo consecrata sunt in usum suum vertere, tam scilicet pii sunt. Nam illud postremo de corrigendis peccatis angustissimum: qui enim fieri potest, ut authores delictorum iidem fiant errorum censores, cum omnibus notum sit quanta inter vitiosos concordia existat? Proinde ne nos fallant animi perfidorum sub vulpe latentes, si placet differamus in præsentia responsa ad capita oblata, illisque interim renunciemus nos cum maturo consilio deliberare, ac suo tempore ad omnia illis respondere velle, nunc autem rebus omnibus coronationem nostram antevertere.

Hæreticorum hypocrisis

XV. Sigismundus Pragensem obsidionem solvit.

Antequam igitur Sigismundus castra a Pragensi agro amoveret, in arce Vissegradensi post festum S. Jacobi in templo principe a Conrado archiepiscopo Pragensi Bohemica corona exornatus est, [1] Cuthnamque abiturus, soluta post sex hebdomadas Pragæ obsidione, suis male rebus consuluit, cum sacram gazam feretrumque S. Venceslai ex auro puriore conflatum, ut stipendia militi solveret, abstulit (a), pollicitus se refecto ærario crepta repositurum; ea eo enim in pejus conversa quotidie inclinare cœpere. Zisca solutus metu Pragenses ecclesias facto impetu expilavit (b): cumque ob urbis decora abolita Pragensium justa odia contraxisset, inde digressus sceleratorum hominum turmis stipatus nullo ætatis sexusve discrimine catholicos obvios ferro flammisque est insectatus; insigniaque oppida aliquot evastavit. Pragenses etiam Hussitæ Wissegradensem arcem obsidione pressere: ad quam solvendam cum Sigismundus duxisset catholicum exercitum, magna clade accepta, signa reflectere coactus est, atque arx ad deditionem ab hæreticis perpulsa fuit; ac Novum castrum a Venceslao olim conditum ab illis pariter expugnatum eversumque est: tum sacerdotes, ac religiosi viri vivi combusti, aliique ex conspicuis catholicis contrucidari sunt: *Ut intelligere*, inquit Cochlæus (c), *posses Rex infeliciter datam fuisse capitaneis auream S. Venceslai tumbam cum reliquis ecclesiæ cleinodiis in stipendium.* Intulere dein Pragenses victricia arma pluribus urbibus, quæ Sigismundo Regi parebant, ac Brodam Bohemicam, Nymburgum, Curhnam, Coloniam, Mutam, Polts, in suam potestatem redegere; dicatas Deo opes expilavere, vertereque in profanos usus, viros vero ecclesiasticos sceleri non assentientes morte turpissima peremere, quos martyrii gloriosam palmam accepisse haud profecto dubium est. Rem vero male gestam a crucesignatis ait Moustreletus (d), cum magis privatæ cupiditati, quam divinæ gloriæ servirent, ac sacram militiam ab iis abjectam fuisse.

(a) Cocl. l. 5. & Dubrav. l. 24.

Zisca urbis Prag. ecclesias expilat.

(b) Id. ib.

Sigismundus ab hæreticis fusus.

(c) Cocl. eod. l. 5.

Vindicatum direpti feretri aurei S. Venceslai sacrilegium. Plures urbes ab hæreticis occupatæ. Ecclesiastici effecti martyrio. Crucesignati eur victi.

(d) Monstrel. vol. 1. c. 226.

XVI. Aspergere etiam aliis Germaniæ provinciis pestiferum hæreseos virus conatos Hussitas, ex Salisburgensi (e) synodo constat, [2] quæ celebrata (f) est hoc anno ab

(e) Ext. to. 3. concil. par. 2. cap. de hæret.

Salisburgensis synodus.

(f) Ext. ejus acta ib.

NOTÆ [1] CErta dies, qua Sigismundus regni Bohemici coronam solemni ritu assumpsit indicatur a Byzydio in diario; fuit vero illa dies XXVIII. julii, quam tunc in dominicam incidisse idem Byzynius recte notat. Errat vero analista in assignando loco, non enim in Wissegradensi arce, sed potius, eodem scriptore teste, *in castro Pragensi*, regium illum insigne accepit. MANSI

[2] SYnodus ista Salzburgensis in Germania celebris anno non fuit hic in annalibus consignator. Anno enim 1418. provinciæ Salisburgensis synodus convenit, in qua provinciæ episcopi mutuum inter se fœdus inierunt contra laicos clericorum & ecclesiarum insultatores cujus rei tabulas anno illo die octavo post festum S. Martini signatas Hansizius, German. sacr. to. 2. pag. 468. vulgavit. Hinc vir ille doctissimus merito ad eamdem Salisburgensem synodum pertinere censet statuta illa Synodalia Salisburgensia, quæ in collectionibus conciliorum leguntur, & cum anno 1420. minus accurate illigantur. Hanc ejus conjecturam amplector, cum præsertim Andreas Ratisponensis, qui per hos annos in Germania scribebat chronicon ab Eccardo in corpore historic. to. 1. vulgatum; unius tantummodo Synodi Salisburgensis provincialis ad annum 1418. meminerit his verbis, quæ statuta illa Salzburgensia jam edita, indicare videntur. *Salzburgæ concilium provinciale XVIII. die mensis novembris celebratur.* MANSI

ab Eberhardo ejus urbis archiepiscopo A. S. L. ad excolendos cleri mores, atque in pristinum sanctitatis nitorem rem Christianam restituendam, ad quod præclarum opus ex redintegrata ecclesiarum conjunctione permotum se fuisse Eberhardus ipse ait. Sancitum in primis est Romanæ ecclesiæ doctrinam de sanctissima Trinitate colendam esse. Adversus vero Joannis Wicleffi & Joannis Hus serpentem in Germania impietatem lata est anathematis sententia in eos, qui negarent Sacramenta a sacerdote noxa lethali devincto confici posse : *Statuimus*, inquiunt acta, *ut si aliquis clericus, vel laicus utriusque sexus, cujuscumque dignitatis, religionis, vel status existat, ausus sit præsumptione damnabili publice prædicare, aut occulte docere, credere, vel tenere, quod sacerdos in mortali peccato existens non possit conficere Corpus Christi, seu sic ligatus non possit solvere, vel ligare suos subditos a peccatis, pro haretico & incredulo habeatur; quem errorem hujus sacri concilii approbatione damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus, cum Sacra Scriptura dicat auctoritas, quod sive bonus sive malus sit minister, per utrumque Deus effectum gratiæ confert; non enim, quæ sancta, coinquinari possunt, nec ipsa Sacramenta propter hominum malitiam prophanari; unde Sacerdos, quantumcumque pollutus existat, divina non potest polluere Sacramenta.* Editæ aliæ sanctiones de immunitate ecclesiastici ordinis tuenda, simoniaca labe abolenda, interdicto ecclesiastico, cum inferri contingeret, non violando: tum ad arcendos hæreticos Wicleffistas & Hussitas, qui ovina specie tecti irrupserant in Salisburgensem provinciam, propositis anathematis, atque interdicti pœnis in loca, edictum est, ne quis errores & hæreses a Constantiensi œcumenico concilio damnatos privatim aut publice docere pateretur, illosve audiret; obstrictique fideles ad suos præsules ea labe, ejusve infamia, aut suspicione notatos deferendos; magistratibus vero data hæc imperia: *Omnibus ducibus, comitibus, baronibus, capitaneis, burgraviis, castellanis, magistris civium, consulibus, judicibus, & officialibus aliis quibuscumque districte præcipimus & mandamus sub pœnis præmissis, ut ad requisitionem suffraganeorum nostrorum, eorundem vicariorum, seu inquisitorum pravitatis hæretica, seu cujuscumque alterius prædictorum taliter de hæresi infectos, infamatos, aut suspectos incarcerare, captivare, aut detinere debeant & teneantur: & si tales se prætenderent in sacris ordinibus constitutos, nobisque ac nostris suffraganeis, archidiaconis, vicariis, & eorumdem officiis, ac hæretica pravitatis inquisitoribus deputatis pro nunc, aut in nostra provincia postea deputandis, tradant & assignent taliter denunciatos & suspectos, ut pro extirpatione tam periculosi criminis libere procedant & procedi faciant juxta canonicas sanctiones. Receptatores quoque, fautores, & defensores eorumdem pœnis, ut præmittitur, volumus subjacere.*

Decretum de vi Sacramentor.

Pollutus Sacerdos sacra non polluit.

Leges latæ ad hæresim reprimendam.

Cum vero ii simulata resipiscentia redire persæpe ad flagitium & virus diffundere consuevissent, sancitum at post damnatum ab ipsis errorem annuo carcere tenerentur; monitique omnes suffraganei episcopi, ut ad hæreseos semina extinguenda strenue incumberent. De Judæis decretum, ut signo externo incederent, quo ab aliis discernerentur. Ad muliebrem vero cultum nimium ad modestiam Christianam redigendum, hæc sancita sunt (a): *Mandatur sub pœna excommunicationis omnibus laicis & sub obtestatione divini judicii, ut uxores suas & filias & alias mulieres in præsentia, vel familiari potestate constitutas faciant honeste incedere, prohibeantque ne nimiam in vestibus longitudinem & in aliis mulierum ornamentis exquisitam superfluitatem habeant. Quibus etiam mandatur sub pœna excommunicationis, ut in his pareant mentis suis, alias Eucharistiæ communione priventur, & per censuram ecclesiasticam arceantur. Et in fine mandatur sæcularibus potestatibus, sub pœna præfata, ut ad corroborationem hujusmodi statuti, faciant hanc constitutionem exacte observari.*

(a) *Acta concil. Salisburg. cap. ult.*

Censuræ in muliebrem luxum promulgatæ.

Pari diligentia ab aliarum provinciarum episcopis compressa est hæresis Hussitica ne latius serperet, restituendæque morum sanctitati navata opera. Nicolaus quidem Serarius (b) de Conrado Moguntino archiepiscopo refert, illum hoc anno ad cleri provinciæ suæ solutiores mores constringendos incubuisse.

(b) *Serar. hist. Mogunt. l. 5. in Conrad. III. ex ms. vet.*

Disseminarat paulo ante in Belgio Nicolaus Serurarius Eremitani ordinis S. Augustini nonnullos Wicleffi errores, nempe sacrificia a concubinariis sacerdotibus peracta non valere, neque orandos esse sanctos, vel colendas reliquias; tam plures propositiones publicam offensionem inferentes temere fuderat, eaque de causa in concilio Constantiensi honesto carcere in cœnobio Metensi damnatus fuerat. Sed cum nonnulli religiosi parum acute rei gravitatem perpendentes, quod ille adversus parochos religiosorum causam acerrime egisse videretur, questi sunt, illum graviori, quam par erat pœna, affectum fuisse. Itaque recognitis iterum judiciariis actis, Martinus priorem sententiam confirmavit, hasque literas (c) jussit promulgari.

XVII. Nicolaus Serurarius.

(c) *Mart. l. 5. p. 72.*

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, & aliis ecclesiarum & monasteriorum prælatis & inquisitoribus

ha-

hæreticæ pravitatis, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem, &c.

*Dudum, postquam venerabilis frater noster Joannes episcopus Tornacensis dilectum filium Nicolaum Serurarii ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini professorem in sacra theologia magistrum qui maligno inflatus spiritu, credens plus sapere quam oportet, in civitatibus & diœcesibus Tornacensi & Cameracensi, ac partibus illis contiguis immaculatæ Ecclesiæ puritatem inficere & dirumpere, ac simplices & vulgares Christianos populos in æterna damnationis interitus viam ponere satagens, eis articulos infrascriptos hæretica labe & erroribus infectos, scandalosos, seditiosos, temerarios, & injuriosos per nonnulla tempora in suis publicis sermonibus & alias publicaverat, prædicaverat, & divulgaverat; & quod illos defendere tamquam veros se jactabat in suæ dictique populi animarum periculum, nec non cleri illarum partium turbationem gravissimam perniciosissimumque scandalum ad inquisitionem auctoritate ordinaria descenderat, & in ea causa hujusmodi diutius processerat, testes & alias probationes recipiendo super articulis & assertionibus memoratis, quorum tenores sequuntur in hæc verba. Charitas est ad Deum & proximum, & non ad seipsum. Deus non remisit, neque remittere potest culpam peccatori absque prævia contritione. Presbyteri publice concubinarii non habent auctoritatem seu potestatem absolvendi peccatorem, & peccator confessus Sacerdoti publico concubinario recedit absque absolutione. Orationes & preces missales talium Sacerdotum publicorum concubinariorum sunt nullius valoris, & missæ per tales concubinarios celebratæ pro defunctis aut vivis sunt nullius valoris. Oratio non debet dirigi nisi ad Deum solummodo, & non ad sanctos. Curati dicant parochianis suis, quod saltem semel in anno parochiani tenentur confiteri suo proprio curato. Religiosi præsentati sunt proprii sacerdotes & veri curati. Curati impediunt parochianos suos ne dent, nec faciant eleemosynas, dona, aut legata mendicantibus, & ne dicti parochiani eligant sepulturas suas in domibus dictorum mendicantium. Mendicantibus præsentatis, ipsis confessus * licite potest recipere corpus Christi, & non potest nec debet curatus confessor mendicantibus præfatis denegare corpus Christi, quod si deneget dictus curatus peccat mortaliter & est excommunicatus. Statim peccato mortali commisso peccator sub pœna peccati mortalis debet illud confiteri priusquam obliviscatur. Non est mulieri opus purificari: quin immo hoc scilicet purificari est judaizare: Presbyteri publici concubinarii sunt pejores Juda, qui de loculis Apostolorum suam nutrivit concubinam & suas proles. Presbyteri publice concubinarii sunt excommunicati & secum publice scienter participantes.*

Hæresim in Belgio spargit.

Ejus errores.

Negat Sacramenta conferri ab impio.

Sanctorum cultum aspernatur.

* Abrogata fuerant ab Urb. VI. privilegia religiosorum.

Figmentum circa pœnitentiam.

Plures sacerdotes a modico tempore citra licentiaverunt ficte suas concubinas; ficte inquam, quia occulte bibunt & comedunt cum suis concubinis, quod nullus debet pati, immo cum eisdem sacerdotibus concubinariis publice conversantes & eos favorizantes sunt in pari peccato & peccant qui eos nituntur excusare falsis glosis. Si parochiani alicujus curati concubinarii publici bene Deum diligerent, deberent inhibere suo curato publico concubinario, ne missam aut aliud divinum officium coram eis parochianis celebraret. Facientes celebrare missas per sacerdotes concubinarios publicos peccant mortaliter. Audientes scienter missas sacerdotum publicorum concubinariorum peccant mortaliter: in aliquibus sermonibus suis vocavit obstinatos & reprobatos, adiiciens ulterius, quod non homo causa presbyteri vocantur rebaldi. Deferre honorem feretro B. Antonii erat crimen idololatriæ. Illi qui dant ad comedendum porcis bajulantibus campanulam B. Antonii peccant mortaliter ratione præcedente. Multum mirabatur quomodo prælati sustinebant tale, quod scilicet deferre hujusmodi feretrum per patrias suas propter larga donaria, quæ a religiosis S. Antonii habebant. Deputati ad portandum hujusmodi feretrum non sunt nisi trumpatores & abusatores, idest, impostores. Nec credebat, quod religiosi præfati super deportatione feretri cum cæteris, quæ ibi fiunt obtinuerunt aliqua privilegia: hoc faciunt indebite & injuste populum seducendo. Non credebat fore verum, quod haberent illi religiosi indulgentias a Papa pro dando aliquid B. Antonio seu nunciis ejus seu porcis portantibus campanulam B. Antonii, addens quod numquam aliquis Papa dedit indulgentias pro dando victum animali. Tales religiosi & nuncii ipsorum intulerant timorem audientibus, & præsertim in villagiis, quod S. Antonius combureret eos & ideo timore perterriti si non haberent nisi unum denarium, darent eumdem.

XVIII. Calumniæ ejus in sacerdotes. Populum adversus parochos concitabat.

Ejus petulantia in religiosos S. Antonii.

XIX. *Sacrosancta synodus Constantiensis, ad quam dictus Nicolaus personaliter accesserat, & ad cujus synodi, articulis & assertionibus prædictis, notitiam pervenerant, tunc Apostolica sede vacante tantum scelus, ne, satore zizaniæ procurante, in hujusmodi Christiana fide & populo peramplius pullularet, radicitus extirpare cupiens, & de præmissis certam notitiam non habens, venerabili fratre nostro Joanne patriarcha Constantinopolitano, in dicta synodo, & ipsius potentissimum membrum existenti causam inquisitionis hujusmodi ad se advocante, cum ad instantiam dilecti filii Michaelis de Brodathensonitali, clerici pro-*

De eo actum in Constantiensi conc.

mo-

motoris & instigatoris causarum fidei catholicæ, cum idem Nicolaus tunc apud sedem existeret prædictam, ut præfertur, erudiendam commisit sine debito terminandam. Et deinde, postquam idem patriarcha ad dictorum articulorum, & assertionum ad id vocatis, & præsentibus Nicolao prædicto, magnoque archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & aliorum in eadem theologia, nec non jure canonico & civili magistrorum & doctorum numero, discussionem & examinationem diligentem, necnon circa illorum per Nicolaum prædictum assertionem & defensionem, informationem processerat, nos divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti juxta debitum apostolatus officii nobis injuncti hujusmodi hæreses & errores cupientes a fide & populo exterminare prædictis, præfato patriarchæ commisimus, ut causam prædictam in eo statu, in quo tempore assumptionis nostræ hujusmodi coram eo remanserat resumeret, eamque ulterius audiret & fine debito terminaret juxta tenorem commissionis antedictæ.

Eadem causa a Martino cognita.

XX. *Postea vero per eumdem patriarcham super articulis & assertionibus memoratis cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus, cæterisque magistris & doctoribus præfatis discussione & examinatione peramplioribus catholicis & veridicis & super eorum prædicatione & assertione hujusmodi per Nicolaum memoratum factis, ut præfertur, sufficientibus probationibus tam per fidedignorum testimonium in hujusmodi causa productorum & examinatorum attestationem fidelem, quam alias etiam per processum per dictum Joannem episcopum eadem auctoritate factum, ut præfertur, præhabitis præfatus Nicolaus Spiritus Sancti gratia ad viam veritatis reductus in præmissis se turpiter errasse & deliquisse cognoscens, dicta durante synodo certo peremptorio termino competente sibi per eumdem patriarcham super hoc assignato, coram eo in judicio comparens non compulsus, non coactus, sed sponte & libere puro corde & animo, ut ore proprio dicebat, asseruit & confessus fuit se cum determinatione dictæ synodi firmiter credere nonnullos ex eisdem articulis & assertionibus fore hæretica labe infectos, alios erroneos, aliquos scandalosos & seditiosos, & aliquos temerarios, ac injuriosos, ac eos penitus revocavit & nihilominus juramento solemniter professus fuit se semper sancte firmiter & fideliter cum sancta Catholica & apostolica Romana ecclesia in suis determinationibus & ordinationibus illis semper obediendo, in iis præsertim, quæ ad fidem pertinent eamdem, etiam quoad damnatæ memoriæ Joannis Wiclef & Joannis Hus condemnatos articulos, cum quibus aliqui ex eisdem articulis & assertionibus per eumdem Nicolaum prædicatis & publicatis, ut præfertur, connexionem habere noscuntur, anathematizans & detestans omnes & singulos hæreses & errores articulorum prædictorum, quodque in sacramentis & clavibus dictæ Ecclesiæ, veneratione sanctorum & illorum reliquiis, ac indulgentiis in nostate ipsius ecclesiæ integre & perfecte absque dubio permanere; & si ipse contra prædicta aliquid senserit aut prædicaverit publice, vel occulte: verbo vel in scriptis, canonum severitati se subjecit, ipsamque confessionem manu sua propria subscriptam ad regnum Franciæ & studium Parisiense, ac nobiles & communitates prædictarum Tornacensis & Cameracensis civitatum & diœcesum, ac oppidorum circumjacentium dirigi voluit, ne quis nomine sui articulos & assertiones suprascriptas approbaret, quos voluit, rogavit & obsecrabat ne ulterius pias aures offenderent, publice ad eorum detestationem notoriam concremari.*

Errores damnat.

Ejus sponsio.

Subdit Pontifex, ut patriarcha, cui erat ea causa commissa, in archiepiscoporum, episcoporum, præsulum, ac doctorum conventu rogatis sententiis pronunciarit, Nicolaum Tornacenses & Cameracenses improba doctrina infecisse, eumque reliquo vitæ tempore ad ea loca triginta leucarum intervallo, & circuitu accedere vetuerit, ac si jussa infringeret, forensibus magistratibus tradendum decrevisse; signaque pœnitentiæ præbentem censuris solutum in gratiam cum ecclesia restituerit, atque ad expiandum scelus injunxerit, ut in domo Augustinianorum Metensium, cujus septa carceris loco designavit, se contineret biennio, quo toto cum nullo non religioso viro verba faceret. Postea vero nonnullis Augustinianis, Prædicatoribus, Minoritis, & Carmelitis querentibus, Nicolaum duriori pœna affectum se Antonio tit. S. Susannæ presbytero Cardinali partes dedisse, ut de sententiæ æquitate cognosceret; eumque re in antistitum & doctorum cœtu amplissimo discussa sententiam a patriarcha latam ut justissimam confirmasse: atque ideo Martinus ad excindendos Nicolai Seruratii errores imperat præsulibus, ut literas hasce divulgent, & in Nicolaum, si promissa jussa violarit, animadvertant. *Dat. Florentiæ VIII. id. januarii anno III.*

Sententia in eum lata.

Nonnulli de ejus severitate conquesti.

XXI. In Scotia hoc circiter anno deprehensi sunt hæretici Wicleffistæ nonnulli, qui docebant infantes fidelium parentum non esse baptismo abluendos, quod jactarent Spiritus Sancti gratiam in eos infundi; neque confirmationis sacramentum usurpandum, quod abunde Divino verbo confirmarentur. Recenset hæc Thomas Waldensis (a), cujus verba visa sunt hic referenda: *Subito vox novi rumoris ad aures insonuit, quod de septem capitibus bestiæ*

Wicleffistæ in Scotia.

(a) *Wal. to. 2. tit. 5. de baptism. sacram. c. 53.*

stiæ in apocalypsi Joannis ascendentibus de mare re vera nostro oceano, cujus ingens insula Anglia est, cujus germen spineum Vviclef erat unum caput, quod cum quasi occisum erat, in morte se extulit eedi, vivum, & plaga mortis ejus curata est per quasdam Lollardas Silvestris Scotia jam ex præfatarum sub Henrica Cantuariensi archiepiscopo deprehensas: & iterum ipso anno per alios sub Guillelmo Norvicensi sacris præsulibus judicatas nomen blasphemia capitis hujus, hoc est quod fœtus e fidelibus propagatus non sit Sacramentaliter baptizandus: imma parvulis dixerunt inutiliter baptisma conferri secundum ritum quem servat Ecclesia pro ea, quod quam cito anima sit corpori unita, infunditur gratia Spiritus Sancti per quam sufficienter parvulus baptizatur, & cum ad annos pervenerit maturiores, ita quod intelligere sciat verbum Dei, est sufficienter confirmatus. Recitavi superius in libro V. de Sacramentis circa 100. capitulum varias hæreses, quas malo suæ mentis arbitria vacii homines circa hunc articulum adiderunt. Pelagius dixit baptismum necessarium parvulis ad inducendum eos in regno cælorum, non ad rationem primævi delicti; quod secundum ipsum nullatenus contraxerunt: Vincentius dixit eos trahere originale delictum sine baptisma, tamen duci posse in regnum cælorum in resurrectione finali. Dixerunt & quidam, quod saltem fidelium filii jam a mundis parentibus geniti nullum haberent peccatum; baptizandi tamen sunt, ut fideles & Christiani nascantur.

Argutiæ ineptæ.

Pelagius negavit peccatum orig.

Alius error Vincentii.

XXII. *Quarte sunt nostri Vviteleffistæ baptismum ecclesiasticum inutilem judicant parvulis contra omnes prædictas, sed sufficienter eos esse mundatos & sanctos, quia de sanctis parentibus & Christianis nascuntur. Cum ultimis hæretici olim Albigenses dicti Publicani hanc invenere vesaniam, prout in quadam sermone de synodo, qui incipit: Sic nos existimet homo; queritur Petrus Blesensis: Novi, inquit, Amorrhæi & novi Philistæi nos oppugnant, novi quia & recentes hæretici successerunt, quos Publicanos aut Paterinos nominant. Hi sunt, qui nec in parvulis baptismum admittunt, nec in sacerdotibus gratiam Spiritus sancti, nec in laicis fidelibus consortium copula conjugalis. Isti hodie multiplicati sunt super numerum; & si hæc hæresis alicubi extinguitur, alibi sicut capita hydræ multiplicius reviviscit. Hæc ille. Ista hæresis ducentis annis quasi repens sub terra in nostris Vviteleviffis erumpens incipit scaturire de novo. Ipsos quidem tertios in errore tam vehementer Augustinus admiranda conspexit, ut nec in mentem sibi omnino veneeit quemquam posse talia cogitare vel dicere; quid erga dixisset de quartis, qui omnem contra legentium, scribentium aut credentium ordinem a Christi tempore errorem proferunt hactenus inauditum, quod parvuli fidelium mundi sine peccata nascuntur de mundis, & idcirca baptismus eis, ut inutilis? Horum tractatum nondum vidi, nec quid eos ad hæc moveat authoritate Scriptura: prospexi hoc dumtaxat, quod transeuntes audieram illas hoc apostolicum proferre constanter prima Corinth. VII. sanctificatus est vir infidelis in muliere fideli, & sanctificata est mulier infidelis per fidelem virum, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Ex quo consequunt filias fidelium mundas sanctasque prodire ex utero.* Eumdem errorem aliqui tuentur adhuc novatores: cumque ex eo ad baptismum conferendum sint segniores, non raro inter ipsos infantuli imbecilles moriuntur antequam Christi lavacro fuerint lustrati.

XXII. Sophisma Wiccleffistarum.

Paterinorum hæresis.

Ab his hausere virus Vvicleffistæ.

Dum hi perdendis animabus operam dabant, excitavit divina pietas in Italia S. Bernardinum Senensem Minoritam, cujus supra (a) mentionem fecimus, quem sacris concionibus hoc tempore ad redintegrandam Christianæ disciplinæ dignitatem & amplitudinem magna cum divini Numinis & Ecclesiæ gloria desudasse ex fide dignissimis monumentis refert Lucas Waddinghus (b); addit que ipsum ad inserendum omnium cordibus, in iisque augendum domini Jesu Christi amorem, sacrum ipsius nomen in tabellis depictum adorandum proposuisse; eam vero rem novam dissensionem inter pios viros, qui contrarias interpretationes afferebant, peperisse. Sed S. Antoninum (c) de ea re audire præstat: *Quidam, inquit, fuit ordinis Minorum frater Bernardinus nomine Senensis natione venerabilis vita & fama praeclara, egregius prædicator, qui quotidie post missarum celebrationem populis prædicabat discurrens per civitates & oppida Tusciæ, Longobardiæ, & ducatus Spoletani, & cum tanta gratia, ut ecclesias & plateas audientibus impleret, & fructum plurimum Deo afferret ex verbi Dei semine per eum sparso. Hic quendam circulum mellifluum adinvenit, ut creditur, pia intentione, ut scilicet mellifluum nomen Jesu quasi oblitteratum in cordibus fidelium invalesceret: nam pictum vel sculptum Jesu nomen in magna tabula ornata populo ostensum faciebat adorare. Hoc & si simplicibus videretur devotionem afferre, sapientes arbitrabantur idololatriam vel saltem ad superstitionem tendere, cum populi magis venerarentur illius litteras, quam significatum per eas scilicet Jesum Christum. Imitati sunt eum aliqui prædicatores ordinis Minorum, tales tabulas cum illo nomine in processionibus ferentes & crucem, quæ de more anteferatur, praferentes. Hinc orta sunt magnæ in populis contentiones, aliis fa-*

XXIII. S. Bernardinus in Italia inclarescit.

(a) *A. C.* 1417. *nu.* 13.

(b) *Vvadin. hoc ann. nu.* 3.

(c) *S. Anton. 3. par. tit.* 22. *c.* 7. §. 5.

De ejus concionibus.

Nomen Jesu adorandum proponit.

Mota inde controversia.

factum commendantibus, aliis reprobantibus : tam etiam aliqua ad exaltationem illius nominis prædicando Bernardinus proferret, quæ veritati non videbantur inniti.

Vetitus a Martino paret.

Demum ad curiam Romanam citatus super his fuit, & Martinus, habita prius solemni per magistros & prælatos discussione materiæ & rationis, adinventione illa, ut superstitiosa & periculosa ostensa, Martinus prohibuit illud amplius fieri, nec populis sic ostendi : quod Bernardinus filius obedientiæ humiliter mandatum acceptavit & integre observavit. Tradit porro Waddinghus (a) postea Pontificem cognito S. Bernardini pio ardore permisisse, ut cœptis insisteret, ac nomini Jesu crucem fuisse superadditam.

(a) Wad. hoc ann. nu. 3.

Permissus cœptis insistere.

XXIV. Hoc anno Utinenses, cum in Venetorum provincia mutuis odiis & cladibus se dilaniassent, demum contra omnium expectationem, dum anniversariam B. Bertrandi, patriarchæ olim sui, memoriam recolerent, mutatis cœlesti quodam prodigio, repente eorum animis, in concordiam sunt redacti, ut narrat vitæ (b) & miraculorum ejus scriptor hisce verbis : *Inter præscripta miracula, quæ beati sacro ex corpore Bertrandi olim ex multis apparuerunt, hoc proculdubio ob omnibus mirabilius creditur extitisse, quod millesimo anno quadringentesimo vigesimo indictione XIII. die vero sexta junii : nam cum tota Forijulii patria diu fuisset fortique maximis discordiis agitata, præsertim hac Utini terra, in qua corpus ejus annuatim solemniter colitur & devote, hic beatus Bertrandus tantis angustiis, tantisque tribulationibus, quantæ perseveraverant, finem imposuit condecentem, graves discordias & inexorabiles mitigando, quæ quidem cives inter Utinenses annis quampluribus viguerant : una etenim pars civium alteram crudeliter in exilium relegarat, & ipsorum bona sub præconis voce vendebantur in foro. Communitas ex hoc profecto parvam consequebatur utilitatem : & heu, si quis expulsorum casu capiebatur, ipse trusi suspendio trudebatur.* Et infra : *Nemo has discordias poterat mitigare : tanta quotidie fiebant enormia, quod vix verbo posset aliquis explicare; & ut breviter multa, quæ poterant evenire, unico verbo perstringam, totius terræ Utini destructio ab omnibus iniquissima timebatur, consideratis animorum motibus truculentis. Mitigavit itaque B. Bertrandus tandem hos terrores atque calamitates tranquillam reduxit in pacem; quod miraculosum valde & inopinabile videbatur : in die namque sui obitus, dum ad sui memoriam exequiæ celebrarentur eximiæ, uti annis fuerant continuis celebratæ, inter omnes quietissimam est concordiam consequutam : expulsi revertuntur in terram Utini nulla facta sanguinis effusione, quod ab omnibus incredibile putabatur. Quis non credat esse mirabile hoc? fidedigni quamplurimi præsenserunt, omnium communis erat opinio atque judicium B. Bertrandum suis efficacibus factis intercessionibus tam salubre suffragium impetrasse a Virgine gloriosa, cujus protectioni tota est patria recommissa.*

(b) MS. Vallic. bibl. de vita & mirac. B. Bert. pag. 23.

Utinensium dissidia.

Cælitus Bertrandi ope sedata.

XXV. Eodem anno, vel paulo ante, admiranda res contigit, quam narrat Thomas a Kempis (c) pietatis laude florentissimus, ut beata Virgo religiosum virum simplicem, qui defectionem ab ordine suo dæmonis astu subornatus mente agitabat, cœlesti viso confirmare in suscepto vitæ instituto dignata sit : *Erat*, inquit, *apud nos laicus quidam Egbertus nomine senex & provectæ ætatis, devotus Deo & B. Virgini, ac fervidus sanctæ paupertatis amator. Hic secundum vires suas fortiter laboravit terram fodiendo & transvectando, atque in laboribus desudans dominicæ passionis labores recogitabat, & fatigatus ex labore pro relevamine corporis orationi insistebat. Hunc satanas diu tentavit, ut de monasterio recederet, & per mundum mendicatum iret, putans, quod hoc Deo magis placeret, quia hic multa commoda haberet, quibus indigens esset. Sed ab hac opinione consilio prioris & fratrum admonitionibus retractus est, ne se periculo daret, & per mundum vagando finaliter erraret, sæpe enim callidus tentator sub specie melioris boni simplices decepit, & a bono incœpto per mutationem loci ad inconstantiam animi trahit : cumque adhuc minime contentus esset ad manendum, nec tamen auderet inconsulte sine licentia recedere, inter hæc tentamenta confugit ad B. Virginem per devota orationum suarum suffragia.*

(c) Thom. a Kemp. 3. par. serm. ad novit.

Vir simplex delusus.

Specie boni apostasiam meditatur.

Quadam igitur die fatigatus ex labore reclinavit se ad orandum juxta cubiculum suum, sicut sæpius faciebat, invocando B. Virginem, & nominando Jesum Christum. Cum ergo solus jaceret postratus in terra parum soporatus est dulci sopore in Domino, viditque valde venerabilem Dominam sibi assistentem & pia admonitione hæc verba dicentem. Maneatis in loco isto, & quod prior vobis consulit, & dicit, hoc faciatis. His dictis honorabilis Domina statim disparuit, & ille ad se reversus & experrectus uberrime flevit : deinde ad priorem festinanter accessit & ea, quæ viderat & audierat, per ordinem cum gemitu & fletu ei referebat. Ad quem prior, tanquam pastor bonus ovem tristem consolando, respondit : Bene placet hoc mihi chare Egberte : maneatis nobiscum sicut Domina nostra vobis modo ostendit, & dixit. Nec diu postea supervixit, sed brevi labore æterna præmia accepturus, cum multa patientia in obedientia perseverans bono fine, in octava S. Joannis Apostoli & Evangelistæ infra

A B. Virgine præsulibus parere jussus.

matutinas obdormivit in Domino anno Domini MCCCCXX. At de his satis; nunc ad orientales res se convertit oratio.

XXVI. Mahometes I. Turc. Imp.

(a) Phranza. lib. 1. cap. 39.

Reversus (a) ex Asia Mahometes primus Turcarum Rex Christiano imperio excidium minitabatur: ad cujus frangendos impetus, aliorumque Infidelium arcendas irruptiones Sigismundus Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque Rex signa attollere meditabatur: quem tamen, ut vidimus dicemusque postea, Bohemorum hæreticorum perduellio nimium distinuit. Pontifex vero concepta spe felicias, quam obtigit, bellum Bohemicum confectum iri, præsulibus dedit imperia (b) mense julio, ut pios quosque ad religiosam militiam, accepto crucis symbolo, profitendam in Turcas cæterosque fidei hostes pro Christianæ religionis dignitate concitarent.

Martini pro eo reprimendo studium.

(b) Divers. t. de cur. pag. 76.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis electis, administratoribus, abbatibus, prioribus, aliisque ecclesiarum & monasteriorum prælatis, nec non cæteris Christianæ religionis professoribus, ubilibet constitutis, ad quos præsentes literæ pervenerint salutem, &c.

Charissimus in Christo filius noster Sigismundus Romanorum Rex illustris, prout tam fidedignorum relatione plurimorum quam celebri increbrescente fama didicimus, sitati inspiramine fulciente Divino in universalis tunc scissuræ sopita reintegratione Ecclesiæ, etiam non sine gravium sarcina expensarum, immensos fructuosissimosque non abnuit subire labores. Ita fidei zelo, devotionis fervore, & compassionis pietate suadentibus, ulterioris ejusdem religionis propagationis tantis attendens affectibus, sapiensque sibi, qui etiam Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæque rex esse dignoscitur a Rege supremo collatum, in gloriosi sui exaltationem nominis, & adversus Turcos, ac infideles alios, qui in sui prosiliunt contumeliam Creatoris, exaruere potentiam, illos, terras quoque, & loca eorum subacta sentibus, dextera sibi propitiante divina, in forti manu brachioque extenso, fidelium accitis exercitibus persequi, invadere, ac suavissimo ejusdem religionis jugo subdere proponat nostras, & ipsius Ecclesiæ pro tam felicis consummatione negotii partes implorans adjutrices.

In Mahom. Sigismundus signa attollere meditatus.

Hoc itaque tam salutare præfati Romanorum Regis propositum maximis in Domino laudibus extollentes, ac pro ejusdem successu directis in salum oculis, ei cujus negotium geritur immensas proinde gratias exolventes; omnes & singulos Reges, duces, marchiones, principes, comites, & barones, potestates, capitaneos, magistratus, & quoslibet alios officiales, ac eorum locatenentes, communitates quoque civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum locorum quorumcumque, cæterosque ejusdem Christiani nominis zelatores, exhortamur, ac per aspersionem sanguinis ejusdem gloriosissimi Redemptoris paternis affectibus obsecramus, in suorum eis remissionem peccaminum suadentes, ut ad Turcorum & infidelium eorundem exterminium, & ad impendenda profutura suffragia, quibus hujusmodi negotii prosecutio feliciter adjuvetur, potenter atque viriliter accingant; ad hoc enim spiritualibus munificentiis, remissionibus videlicet & indulgentiis ipsos de nostrorum consilio fratrum providimus invitandos.

Commendatur a Pontif.

Quocirca vobis & vestrum cuilibet fratres patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, ac filii electi, administratores & prælati per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus vos & vestrum quilibet quoties prædictum Romanorum Regem hujusmodi negotio intendere, & adversus Turcos, ac infideles eosdem hujusmodi exercitus generales, quoties instruere & ordinare contigerit, super hoc quoque vigore præsentium debite fueritis requisiti ad præmissum tam pium tamque salubre negotium exequendum veluti præcones fortes, exaltantes voces vestras in singulis civitatibus, diœcesibus atque locis, ubi congrue prospexeritis per vos aliasque personas ecclesiasticas dumtaxat, tam regulares quam sæculares ordinum etiam quorumcumque, quas ad hoc idoneas duxeritis eligendas juxta datam vobis & illis a Deo prudentiam Christifidelibus quibuscumque ad id audiendum confluentibus & accedere volentibus, quibus vere pœnitentibus & confessis, ut ad id eo libentius inducantur, pro vice qualibet accessus hujusmodi centum dies de injunctis eis pœnitentiis per vos authoritate apostolica relaxentur, verbum crucis, ac ipsius admirabile signum publice proponere, & prædicare curetis, illudque fidelibus ipsis, id devote suscipere volentibus, vestris & eorundem eligendorum exhortationibus, ac opportunis monitionibus prævìis, ut cum reverentia debita signum hujusmodi recipiant, & illud contra perversa Turcorum & infidelium conatus atque molimina suis cordibus imprimant, & negotium ipsum fideli ac ferventi animo prosequantur, libere concedatis, eorumque humeris affigatis. Hos enim, ut fideles ipsi ad id eo ferventius animentur quo uberiorem gratiam exinde se noverint percepturos, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum authoritate confisi, & illa, qua nobis, licet immeritis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem; eisdem fidelibus, qui crucis hujusmodi signo suscepto præfatis exercitibus in personis propriis interfuerint pariter & expensis, quique ut illis interessent sine fraude iter arri-

Sacra militia promulgata.

Propositæ indulgentiæ.

Crucis symbolum militum humeris affixum.

vipuerint, si in ipso fuerint itinere vita functi, plenam suorum peccaminum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, veniam impartimur, & in retributione justorum, salutis aeternæ pollicemur augmentum, &c. Dat. Florentiæ xv. idus julii anno III.

XXVII. Inferebat tantum sui terrorem Christiano imperio Turcorum potentia, quæ laborante Dei Ecclesia perniciali diuturnoque schismate, nimium in piorum omnium exitium excreverat, ut ad comprimendos eorum impetus & conatus in Constantiensi concilio diutius de reducendis ad pristinam ecclesiæ Romanæ conjunctionem Græcis agitatum sit; ac demum Emmanuel Imperator & Josephus patriarcha barbarorum terrici moliritionibus, ac vi veritatis adacti, missis oratoribus Martinum supremum in terris Christi vicarium agnoverint: quibus audiris Pontifex Petrum S. Angeli diaconum Cardinalem in Constantinopolitano imperio legatum creavit, ut Græcos ad concilium in oriente celebrandum convocaret, in eoque pristinum fœdus, damnato veteri schismate sanciret. Cum vero in ea legatione maximi sumptus a Petro impendendi essent, Coloniensi in primis archiepiscopo, ac suffraganeis episcopis injunxit (a), ut subsidiarium in id aurum conferrent.

Græci ad Ecclesiæ Rom. sinum redire parant.

(a) Lib. 3. ep. cur. pag. 19.

Venerabilibus fratribus Theoderico archiepiscopo Coloniensi, ac suffraganeis suis episcopis, &c.

Cum in sacra Constantiensi concilio post & ante compositam, atque perfectam pacem universalis Ecclesiæ sanctæ Dei, multis indefessisque laboribus procuratam, quamplures variique tractatus per venerabiles fratres nostros ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinales, aliosque patres dicti concilii cooperantibus ad hæc, & supremis vigilantia sua curis incumbentibus charissimis in Christo filiis nostris Sigismundo Romanorum personaliter & quamplaribus aliis Regibus illustribus & principibus Christianis, ac universitatibus studiorum per eorum procuratores & nuncios in eodem concilio existentes, habiti fuerint pro reductione Græcorum, aliorumque populorum & ecclesiarum orientalium ad integritatem prædictæ fidei & ad unitatem & obedientiam præfatæ Romanæ ecclesiæ, cui authore Domino, licet immeriti, præsidemus; nos, conspicientes quantum ad honorem Dei, salutem animarum, augmentum fidei catholicæ, defensionemque Christiani populi contra hostes crucis dominicæ, quantum in Divinæ oculis majestatis, ac Regibus, prælatis, & principibus orthodoxis acceptum tam sanctum negotium existeret, ad prosequendum illud duximus exercendas officii nostri pastoralis curas: ex quo factum est, quod illustris princeps Emmanuel Palæologus Romæorum Imperator eam nobilibus natis fuit, nec non venerabilis frater noster Josephus patriarcha Constantinopolitanus per solemnes nuntios & efficaces literas requisitionibus & exhortationibus per literas nuntiosque sæpius per nos factis pridem & publice respondendo, quæsiverunt Apostolicæ sedis legatum ad partes illas pro tractatu hujusmodi per nos mitti, per quem tam sanctum desideratumque negotium cum eisdem tractari, terminarique valeret, quæ nobis tantam spem taliaque signa de ipsorum reductione præstant, quod habita cum fratribus nostris ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalibus & nunciis præfatis matura deliberatione, de ipsorum Cardinalium consensu nedum necessarium judicavimus de proximo manum ad aratrum ponere, sed valde reprehensibile, si tam salubre opus aliqualiter omitteremus, & propterea dilectum filium nostrum Petrum S. Angeli diaconum ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalem ad partes illas Græciæ & orientis præfatæ sedis legatum pronuntiavimus & declaravimus in altissimi nomine (prout in præsentiarum res geritur) destinandum, sperantes in eodem Domino nostro Jesu Christo, quod, sicut sub ecclesia ipsa Romana Christianum populum post quadraginta fere annorum curricula schismate extincto in persona nostra reconjunxit, ita Græcos & alios orientales ad gloriam suam orthodoxæ fidei & eidem catholicæ ecclesiæ aggregabit; ad quod eodem authore dare curabimus operam indefessam.

Emmanuel Imp. Legatum apost. efflagitat.

Petrus S. Angeli Card. creatus Græciæ legatus.

Pia eorum consilia urget Martinus.

XXVIII. *Verum quia ad tam arduum negotium deducendum multis, atque variis expeditionibus, ac non modicis temporalibus auxiliis opus erit, ad quæ peragenda & exequenda salubriter & votive manifestissime dignoscimus facultates apostolicæ cameræ ob tantam diuturnitatem præfati schismatis & continuatas guerrarum angustias, ac occupationes patrimonii ejusdem Romanæ ecclesiæ, & nuperrime pro recuperatione civitatis nostræ Bononiensis cum ejus comitatu, territorio, & districtu, castrique Suriani, ad nos & eandem ecclesiam pertinentis diutius a Britonibus & Vasconibus occupati, exhaustæ substantiis ad tantum opus sine aliarum ecclesiarum præsidiis minime sufficturas, quas ecclesias novit ille, qui secreta rimatur cordium amplissime cuperemus ab intimis nostris præcordiis ab oneribus sublevare quibuslibet & earum utilitates & commoda undelibet procurare, & e converso summis doloribus anxiamur, ut illas ad perferenda nobiscum onera prægravemus; attamen dum nobiscum attenta meditatione pensamus, quod sicut filiis subditisque nostris in omnem casum & eventum tota cordis affectione consulimus, & libenter opportunis auxiliis, ac favoribus assistimus, ita illi*

Bononia a Martino recuperata.

Pontificium ærarium exhaustum.

ut indubie credimus nobis & eidem ecclesiæ pro incrementa dictæ catholicæ fidei & in tantæ necessitatis articulo non modo libenter, sed etiam ardenter in participium tanti boni impendent, ac extendent eorum subsidia, & dexteras munificas & etiam liberales; & ad hoc ne ob defectum pecuniarum & temporalium proventuum, sine quibus pro rerum magnitudine & natura tam sublimis materia verisimiliter expediri non poterit tantum, & tam arduum negotium fidei possit quomodolibet retardari; de eorundem fratrum nostrorum & aliorum notabilium prælatorum adhibitorum ad hoc consilio, matura deliberatione præhabita, ut præfertur, authoritate apostolica, ac ex certa scientia in supplementum eorum, quæ ex proventibus ejusdem cameræ cum omni conatu exponere, ac erogare intendimus pro tam celeberrimo, ac altissimo Deo & Christifidelibus acceptissimi prosecutione & consummatione negotii, universitatem vestram & vestrum singulos tenore præsentium requirimus, declarantes atque decernentes, quod provinciæ, civitas, atque diœcesis Coloniensis tuæ curæ, frater archiepiscope, commissæ in subventionem expensarum & onerum præfatorum, & occasione catholicæ fidei supradictæ subveniatur præfatæ Romanæ ecclesiæ in tantis necessitatibus constitutæ de summa sex millium florenorum auri de camera, & non ultra, in dictos usus dumtaxat & non in alios quomodolibet, solvendorum, &c. (Sancit, ut ea vis pecuniarum viritim partienda exigatur). *Dat. Florentiæ XIX. kal. septembris pontificatus nostri anno III.*

Conquisita subsidia.

XXIX. Imperata (e) pariter sex aureorum millia Conrado archiepiscopo Moguntino, totidemque ab Othone Treverensi, aliisque præsulibus ipsis obnoxiis: neque abs est conjectura postulatam aliorum præsulum opem, conflandus quippe erat maximus exercitus ad Turcas propulsandos, ne in suam servitutem orientalem ecclesiam redigerent.

(e) *Regest. post super epist.*

Impendisse tum Græcis extremi exitii timorem, narrat Phrantzes (b), ac Mahometem primum ambitiosa consilia de Constantinopoli sibi subiicienda agitasse, verum Divinam providentiam tyrannum ipsum improvisa sustulisse morte; qua audita Græci e maximo metu, ac pene extrema desperatione recreati sint, quibus illud propheticum accommodat: *Factusque est in illa die vesperi fletus & mane lætitia*; additque versos deinde Græcorum conatus, ut Turcicam potentiam distraherent, ita ut Amurates Mahometis filius regnaret in Asia, Mustapha vero in Europa dominaretur, ne si sub unius imperium regna illa coalescerent, Constantinopolitanum demum obruerent. [1]

Extremum Græcorum discrimen.

(b) *Phrantzes l. 1. cap. 39.*

Mahometes a Deo sublatus. Græcorum conatur pro discindendo Turcico imperio.

Hoc anno Henrici Lusitaniæ regis principis auspiciis Lusitani navarchi novas quæsituri orbis oras, superato Atlantico promontorio Fortunatas insulas, in quas post Lodovici earum Regis creati a Clemente VI. obitum navigare desierant Syrtium & procellarum metu iterum patefecerunt, ac Maderam Lusitano imperio conjunxerunt. Fuisse omnium primos Joannem Consalvum, & Tristanum Vasæum, qui furenti Oceano se credere longe a continenti ausi sint, referunt vetera Lusitanorum monumenta (c).

Lusitanor. in Fortunatas insulas navigatio.

(c) *Maff. hist. ind. l. 1.*

Patefactos inde in occiduos Æthiopas aditus visuri sumus, cum Lusitani Ægidio Annio navarcho proferendi imperii, novarumque terrarum inquirendarum cupidine allecti ulteriora maria emensi sint.

Con-

NOTÆ [1] CUM Phrantza non satis accurate definiat tempus, quo Mahometes Turcarum imperator inopino fato decessit, obitus hujus epocham certam aliis quærendam censeo. Annus ergo ille emortualis Mahometi in annalibus Sultanorum a Leunclavio vulgatis & in annum 1550. desinentibus, quamquam non determinatur, adhuc tamen illius definiendi certum indicium præbetur; cum exordium Amuratis ejus filii anno Ægiræ 824. qui respondet nostro 1422. illigent. Ex quo conficiunt patris mortem vel eodem illo, vel præcedenti anno 1421. contigisse. Id vero apprime quadrat cum chronologia Hazi Halife Mustafa ad sæculum usque septimum & decimum perducta, ac turcice, persice & arabice scripta quam vernacule transtulit Joannes Raynaldus Carli Justinopolitanus vulgavitque Venetiis anno 1697. Ibi enim anno Ægiræ 823. idest Christi 1421. Mahometi obitus constituitur. Is ergo annus Mahometi emortualis statuendus. Quamquam vero Amurates statim ab obitu patris in Asia regnavit, nonnisi tamen sequenti anno victo patruo suo Mustafa, qui in Romania, seu Thracia Europea regnabat, totius regni Turcici imperator a suis salutatus est, ut ex annalibus Turcicis a Leunclavio editis constat; quamquam mendose ibi annus 727. Ægiræ, qui Christi est 1425. adscribitur. Victoria enim illa de Mustapha, ut eruitur ex Phrantza, ad annum Græcorum 6930. vel Christi 1422. pertinet. MANSI

I.

Contendit omni studio supremus in terris Christi vicarius anno a Virginis partu millesimo quadringentesimo vigesimo primo, indictione quartadecima, ut principum Christianorum bella sedaret, rediturosque in sinum Ecclesiæ Græcos occidentalibus armis a Turcarum tyrannide vindicaret: nec bellico strepitu carebat Romana ecclesia, cum enim Joanna II. Siciliæ regnum ad sedis Apostolicæ jus reversurum transferre vellet in Alfonsum, qui schisma tum alebat, sustentato Paniscolæ Petro e Luna; contra vero Lodovicus Andegavensis Francisci Sfortiæ Cotignolæ comitis fretus armis, nonnullis urbibus & arcibus potitus regnum recuperare niteretur (a); in eum excivit Bracciam Pontificis hostem Capuæ & Aquilæ principatibus ipsi datis, quamvis leges vetarent, Siculam coronam ita discerpi: violare vero omnia jura (b) nihili ducebat Joanna improbis ducta consiliis, gravesque injurias pro accepto apostolica liberalitate regno Martino V. reposuit, quippe quæ non modo constitutam ob adeptam regni possessionem auri vim & censum annuum ærario pontificio non intulit, verum etiam commeatus e regno Romam invehi vetuit: quibus lacessitus Pontifex ad tuenda Romanæ ecclesiæ jura, contundendamque & frangendam Joannæ audaciam, præsulibus cæterisque ecclesiasticis viris, ac principibus, magistratibus, & populis Siciliæ citerioris præcepit (c), ne ulla ei vectigalia penderent, administrorumve regii fisci imperiis obsequerentur.

Regni Neapol. turbæ.

Joanna perduellis Braccium evocat.

(a) Collenut. lib. 5. Hist. Neap. Summont. l.4. c.3. Surit. l. 13.

(b) S. Ant. 3. p. tit. 22. c.7. §.5.

(c) Lib. 3. ep. cur. p.200.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis ac nobilibus viris principibus, &c.

Cum charissima, inquit, in Christo filia nostra Joanna Siciliæ Regina illustris, nonnulla adversus nos & Romanam ecclesiam patraverit, maximeque alimenta ad Romanam curiam venientia Gajetæ & in aliis partibus, tam maritimis quam terrestribus, impediverit in nostrum & ipsius curiæ non modicum detrimentum, cumque quadraginta octo millia florenorum de camera ratione census pro dicto regno annis singulis apostolicæ cameræ solvere teneatur, post suam coronationem, pro decem & octo mensibus, dictum censum, ac reliquam investituram, in qua etiam obligata dignoscitur, eidem cameræ ante aliquam guerram sibi illatam, regnum præfatum pacifice possidens, restiterit solvere, in cujus satisfactione negligens & remissa fore dignoscitur in nostrum & dictæ cameræ maximum præjudicium & jacturam: ipsaque camera ob plurima expensarum onera sibi continue incumbentia, pecuniis exhausta sit, illisque indigeat plurimum ad complenda negocia, quæ Romanæ ecclesiæ honorem & utilitatem concernunt; nos ipsius cameræ, & collegii venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, quorum etiam interest, indemnitati consulere & subvenire; & ut negligentes id, ad quod ex debito astringuntur, juris remedio facere compellantur, providere volentes; vobis & vestrum cuilibet sub pœna excommunicationis, quam contrafacientes ipso facto incurrat, tenore præsentium stricte præcipiendo mandamus, quatenus nullus vestrum eidem Reginæ, aut officialibus suis sive aliis pro ea, vel eis recipientibus aliquid pro censibus annuis, collectis, tractis, decimis, bailiviis, vel aliis functionibus, fiscalibus, oneribus, & debitis quibuscumque in quibus quacunque ratione, vel causa eidem Reginæ obnoxius est, vel erit imposterum, respondeat vel respondere præsumat, nec exinde solutionem aliquam faciat, donec vobis constiterit dictæ cameræ satisfactum esse integre de præmissis, vel aliud a nobis expressum habueritis in mandatis, &c. Datum Tybure III. kal. julii pontificatus nostri anno IV.

Commeatus Urbi intercludit.

Censum non pendit.

Latum in eum edictum.

II.

Haud Joanna ob hujusmodi apostolicum edictum ad sanitatem reversa est, sed in perduellione obfirmata perstitit, Alfonsumque (d) Regem Aragonum hostem Ecclesiæ, quod Petrum e Luna schismatis propagatorem impie tueretur, excivit: qui mox affuit opulentæ prædæ cupidine ad Rom. ecclesiæ jura invadenda, contendens (e) non adoptionis modo, quæ nullo jure niti poterat contra Romani Pontificis supremum in regno Neapolitano imperium, sed etiam ductæ ex Manfredo tyranno originis causa utriusque Siciliæ sceptrum ad se spectare, quamvis tamen majores sui omnibus juribus, si quæ fingi possent, solemni fœdere, ut vidimus, cessissent, eaque de causa Sardiniæ & Corsicæ regno beneficiario donati essent. In iis rerum Neapolitanarum perturbationibus Pontifex Ludovici Andegavensis partes tuendas censuit (f), ac Tartaliam Lavellum mille equitibus succinctum ei subsidio misit (g), atque restituendæ concordiæ vias omnes tentaret, Ludovico S. Adriani diacono Cardinali legato alium patria Aragonium nimirum Petrum S. Angeli collegam adjunxit (h), ut facilius Alfonsum Regem flecterent.

Alfonsum Regem evocat.

(d) S. Antonin. 3. par. tit. 22. cap. 7. §. 6. Summont. l. 4. c. 3.

Molitur in illum regnum transferre

(e) Summont. l.4. c.3.

(f) Lib.3. ep. cur. p. 298.

(g) Lib.3. p.249.

Martinus Ludovicum Andeg. tuetur.

(h) Lib.4. p.67.

Martinus, &c. Tibi inter prædictos [nempe regni Neapolitani proceres] *contendentes & quoscunque alios diffidentes & singulares personas tam prædictis, scilicet Neapolitanis, quam aliorum regnorum cujuscunque status, gradus, præeminentiæ,*

vel conditionis existant, etiamsi regali, reginali, vel quavis alia ecclesiastica, aut mundana dignitate præfulgeant, super quibusvis juribus, actionibus, titulis, vel coloribus qualiterque nostro & ecclesiæ Romanæ nomine componendi, ac indicendi sub spe pacis, treugas, induciae, & sufferentias quoslibet temporales, nec non pacem & concordiam perpetuo duraturas sub illis capitulis, pactis, modis, conditionibus, atque formis pœnarum adjectionibus, obligationibus, renunciationibus, promissionibus, clausulis, solemnitatibus, atque membris, de quibus tibi videbitur; & inter contendentes & diffidentes præfatos concordare, seu componere poteris quovis modo, & infra, *plenam & liberam auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus facultatem.* Addit sui non esse consilii Ludovici S. Adriani diaconi Cardinalis auctoritati detrahere. *Dat. Romæ apud S. Mariam majorem xv. kal. octobris pontificatus nostri anno IV.*

III. Difficilem se ad pacis leges Alfonsus Rex Aragonum præbuit, præsentibusque legatis Aversam ingenti obsidione pressit (*a*), sed multo suorum fuso sanguine, hyemeque ingruente inducias pepigit cum Ludovico Andegavensi: is vero arcium, quas tenebat, custodia legatorum Cardd. fidei commissa, abjectaque ob ærarii penuriam belli cura, ad Martinum se contulit. [1] Porro Alfonsus, ut ambitiosa promoveret consilia, Pontificemque ad iniquas pactiones adigeret, conculcata religione Petrum e Luna antipapam Paniscolæ fovebat (*b*), nec levem suspicionem injiciebat, ne iterum sua regna illi addiceret: nec deerant (*c*) perditi homines, qui in Tarraconensi regno e sacro suggestu in Constatiensem synodum contumeliosa verba effunderent: quo flagitio insignes erant Grugo Flandrini & Joannes Carrerii, de quibus Pontifex gravissimis his verbis queritur (*d*) in literis ad Franciscum patriarcham Hierosolymitanum datis.

(*a*) *Pandulf. Collen. l.* 5.

Induciæ inter Andegav. & Aragonium pactæ. Alfonsus hæresiarcham Petrum e Luna fovet.

(*b*) *Summont. l.* 4. *c.* 3.

(*c*) *Lib.* 3. *p.* 228. & 230. & 232.

(*d*) *Ead. pag.* 230.

Martinus, &c. Nuper non sine amaritudine cordis percepimus, quod iniquitatis filii Grugo Flandrini olim sedis Apostolicæ notarius & Joannes Carrerii olim canonicus Rutenensis iniquitatis alumni Petrum de Luna, olim Benedictum XIII. in ejus obedientia appellatum, per generale Constantiense concilium schismaticum, hæreticum, & a fide catholica devium & ab Ecclesia tanquam membrum putridum præcisum & dejectam ac omni jure sibi in papatu, quem prætendebat competenti, omnique titulo, gradu, honore, & dignitate, beneficiis, & officiis sententialiter privatum & depositum, Papam & Jesu Christi domini nostri vicarium & beati Petri successorem palam & publice in missis, sermonibus, parlamentis, & aliis locis nominant, asserunt, affirmant, & prædicant, & aliis eodem Petro adhæserunt & adhærent, sibique faverant & favent, auxilium, consilium, & favorem dando & præstando, & diversa alia etiam dictæ fidei & unioni Ecclesiæ hujusmodi & sacris canonibus inimica & contraria, per quæ juvenes & alios simplices secum præcipitent in gehennam, conantur libellizando & sermocinando dogmatizare, & dogmatizarunt & dogmatizant, atque salutares determinationes dicti concilii Constantiensis pro reintegratione ejusdem Ecclesiæ provide factas verbo & facto satagunt temere impugnare in fomentum schismatis, divisionis & scissuræ Ecclesiæ, atque in favorem Petri prædicti pœnas & sententias in talia perpetrantes tam ab homine quam a jure latas non formidantes.

In Constantiensem synodum latrant Lunani.

Schismo & hæresim tuentur.

Addit Pontifex Burdegalensis ecclesiæ principis canonicorum collegii decanum eosdem schismatis præcones, cum Aquitaniam inficere molirentur, censuris ecclesiasticis perculisse, easque juste ab sede Apostolica confirmatas, ne pœnis a concilio Constantiensi constitutis illos se devinxisse renunciatos: prædicto Francisco patriarchæ Hierosolymitano Barcinonensis ecclesiæ administratori, atque ipsius gerenti vices & canonicis Barcinonensibus dat mandata, ut Tarraconensem provinciam ab ea peste vindicent, ac festis diebus astante circumfusa populi multitudine pulsatis campanis & facibus accensis ac deinde in terram projectis, ambos hæresis & schismatis reos omnibus sacerdotiis deturbatos promulgent, trahantque in vincula, eorum vero sectatores ac studiosos nullo dignitatis discrimine, sancitis in hæreticorum & schismaticorum defensores pœnis afficiant, perduellesque, si ecclesiastico gradu polleant, exauthorent. *Dat. Romæ apud S Mariam majorem v. kal. septembris anno* IV. Idem negotium dedit (*e*) Cæsaraugustano & Tarraconensi archiepiscopis & episcopo Balearium insularum. Nec modo regna Aragonum Regis, verum contiguæ Tectosagum & Aquitanorum provinciæ, ac præsertim

Decanus Burdegal. in eos decertat.

Jussum Barcinonæ promulgari anathema.

(*e*) *Ib. p.* 232.

Provinciæ infectæ a Schismaticis.

Fu.

NOTÆ [1] Arcium quas Ludovicus Andegavensis tenebat, Aversanæ scilicet & castri ad mare (quæ urbis Neapolitanæ arx est) deditionem in manibus cardinalium legatorum; tum & Ludovici ejusdem ad Martinum reversionem inter res anno sequenti gestas describit author ephemeridum Neapolitanarum, Rer. Italic. to. XXI. qui & narrat arces illas demum per legatos cardinales cessisse reginæ; Ludovicum vero biennium apud Martinum egisse. Mansi

Fuxensis comitatus ea pestilentia laborabant: ad quas perpurgandas Pontifex episcopum S. Papulæ apostolicum internuntium in Narbonensi, Auxitano, Tolosano, & Burdegalensi archiepiscopatibus creavit (a).

(a) Ibid. p. 145.

IV. Fraticellorum reliquiæ in Italia.

Hærebant præterea in Italia alterius veteris schismatis & hæreseos reliquiæ, Fraticellorum scilicet, qui ab opinione nomen traxerant, cum Joannem XXII. divinitus pontificali dignitate privatum ob editas de paupertate Christi & Apostolorum sanctiones effutirent. Ad quorum coercendam impudentiam, eruendosque flagitio simplices Martinus Albanensem & Portuensem episcopos Cardinales amplissima authoritate hoc apostolico diplomate munivit (b).

(b) Lib. 3. ep. cur. p. 138.

Simplices decipiunt.

Martinus, &c. Cum, sicut accepimus, in aliquibus partibus, præsertim Italiæ, quædam secta hæreticorum nefanda, qui Fraticelli de la opinione vulgariter nuncupantur, operante satore zizaniæ, proh dolor! eruperit, quæ pestiferum virus evomens, simplices animas suis tenebrulis, ac palliatis coloribus, sub prætextu simulatæ sanctitatis, illaqueando decipit, quas æterno igni urendas transmittere satagit, nos huic veneno, hæresique nefariæ & labi pestiferæ, quam extingui supremis affectibus anhelamus, salubri remedio occurrere cupientes, ne hujusmodi morbus insiciens excrescat ulterius, sed concedente Domino, radicitus evellatur, fraternitati vestræ, ac cuilibet vestrum, contra præfatos hæreticos, eisque adhærentes, complices, & fautores, eorumque receptatores cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis, etiamsi universitates, communitates & municipia sint, in quibuscumque mundi partibus, ubi esse comperiruntur, inquirendi, procedendi, capiendi, & infra: *plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Dat. Romæ apud S. Petrum 11. kal. maii pontificatus nostri anno IV.*

In ipsos leges distictæ.

Perfuncti sunt strenue data sibi provincia Cardinales legati, atque in Piceno Fraticellorum sectam excidere, ut narrat S. Antoninus (c) his verbis: *Papa Martinus misit in Marchiam gentes armorum ad extinguendum gladio materiali hæreticos Fraticellos, scilicet de opinione, qui ibi multum abundabant, & aliqua castra errore illo tota infecta erant, ut Massatium Meliorata, cujus homines vel occisi vel expulsi sunt, destructis locis habitationis eorum, qui fugientes in Græciam se transtulerunt.*

(c) S. Anton. 3. par. tit. 22. c. 7. §. 4.

Gesta res armis. E Piceno avulsi.

V. Ex levibus scintillis crescunt hæres. incendia.

Ea severitate percellendos impios homines juste censuit Pontifex, cum per Bohemiam hæresis ob intempestivam Wenceslai & Sigismundi Regum clementiam universum regnum facto ex levioribus scintillis maximo incendio, quod non nisi immenso cruore effuso restingui poterat, pervasisset, neque uno scelere, sed omnium flagitiorum colluvie obruisset. Eminebant inter cæteros perfidia & impudentia tres factiones, videlicet Thaboritarum, Orebitarum, & Adamitarum, quæ speciosa nomina, ut operum infamium inani fuco colorarent, sibi asciverant: & quod ad Thaboritas attinet eorum auctor impius Zischa extitit, qui in loco natura munitissimo castra metatus, arcem amplissimam in eo condidit, atque impietatis studiosos fratres Thaboritas appellavit: *Tanquam cum tribus Apostolis; ut ait Pius II. Pontifex* (d), *Salvatoris Christi transfigurationem in monte vidissent, indeque suas opiniones mutuati essent, quas fidei veritates vocitabant.* [1]

Tres sectæ in Bohem.

(d) Æn. Silv. hist. Bohem. c. 40.

Jun-

NOTÆ [1] AD res Hussiticas quod attinet, excerpere quædam juvat ex diario Laurentii Byzynii, singularia quædam adnotantis de origine sectarum quæ hæreticos illos inter se commiserant. Anno primum 1414. in urbe Pragensi eucharistia sub utraque specie palam ministrari cœpta est authore & suasore Jacobello de Misa sacræ theologiæ Baccalaureo, cui dein subcenturiatus est Joannes Hus. Postremo hoc vero Constantiæ in vinculis detento anno 1415. Hussitæ dissidere inter se cœperunt; aliis necessariam parvulis ante rationis usum Eucharistiam; aliis nec necessariam nec ministrandam defendentibus. Vicit tamen sententia quæ parvulis favebat. Secundum hæc anno 1419. secessio hæreticorum facta in Thabor, *montem magnum magna planitie exornatum, ubi tentorium erexerunt de lineis pannis ad modum capellæ*, quod cederet in usum administrandæ sub utraque specie eucharistiæ, & gentium ad conciones auscultandas undique confluentium. Tandem anno 1420. doctrina ecclesiæ plane opposita palam proposita est, cujus erat scopus, ut ritus ecclesiasticos omnes tolleret, confessiones auriculares negligendas sociique pendendas duceret; sanctos nec invocandos, nec colendos, eorumque imagines abolendas. Denique impius quidam in Moravia sacerdos *elegantis ingenii & magna memoria nomine Martinus Loquis a loquendo dictus, quia non doctorum sed quæ sua erant intrepide loquebatur*, spargere cœpit in vulgus Christum in hoc sæculi exitu clam venisse ad nos, ac in adversarios legis suæ nos armasse. Adesse vero jam tempus, ut *qui in Judæa*, idest per urbes & plagas Mundi sunt, *fugiant ad montes idest ad Thaborienses*. Cui Christi percepto ab omnibus parendum, & fide conjugii, aliove quocumque vinculo abrupto. Eo si venissent mulieres, filios nunquamituros, absque molestia & dolore forent parituræ. In fine vero consummationis hujus nempe intra paucos annos venturum Christum non quidem occultum sed palam & manifestum, ad quem omnes simul justi rapientur in aerem redigenturque ad primævum innocentiæ statum ut olim sub Adamo; nihil tandem patientur molestiæ sive spiritus, sive corporis, sed voluptates meræ etiam carnis, castas tamen. Hæc de doctrina Orebitarum Byzynius. Manse

Zischa Thaboritarum auctor. (a) Ib. c. 43. Nonclar. generat. 48. Cocl. in hist. Hussit. lib. 5. Dubrav. lib. 26. Orebitæ crudelissimi sacerdotes.

Juncta est huic pesti alia non inferior lues Orebitarum (a), duce nefario sacerdote Moravo, quæ nec flagitio, neque immanitate Thaboritis inferior videri voluit, quoties enim catholicos sacerdotes caperet, vel torrebat flammis, vel nudos in gelu prostratos necandos frigore exponebat: alios vero pro nihilo habitos dissectis virilibus saucios dimittebat: nomen vero, quod tegendo sceleri aptum putaverat, ab Oreb monte, in quo lex data est Moysi, sibi indiderat, quasi ipsi soli divina lege cæteris superstitionis tenebris involutis exculti forent. Miseri denique Bohemi aversis ab evangelii luce oculis in illud flagitiorum cœnum se abjecere (b), ut Pichardo quodam scelestissimo authore luxuriæ fræna effuderint, prostrato omni pudore adeo, ut nudi incederent promiscuamque libidinem velut sede mentis emoti exercerent, petita tamen prius a suo principe, quem Adam dixere, venia, quibus ille sceleratus impostor, qui filium Dei se appellabat, occupataeque insulam Lusmicio amne cinctam, respondebat: *Ite, crescite & multiplicamini, & replete terram*. Puduit cæteros hæreticos tanti sceleris; cum enim nonnulli Adamitæ in vicinos armis accincti erupissent, ut eorum bona prædarentur (cæteros quippe a se dissentientes filios diaboli nuncupabant) iis permotus Zischa quamvis scelestus, carnificis tamen officio perfuncturus pene eos omnes facto impetu ferro delevit. Fuisse vero magicis artibus agrestem illam multitudinem fascinatam tradit Æneas Sylvius (d), quod ex iis, quæ subjungit liquet. *Audivi*, inquit, *ego ex Ulricho Rosensi præstanti regulo, cum agerem in Bohemia, fuisse apud se viros & mulieres ejus secta captivos, & mulieres quidem palam dixisse, non esse liberos, qui vestibus, & præsertim femoralibus uterentur, easque in carcere apud se peperisse quas cum anno elapso simul cum viris igni tradidisset, videntes cantantesque flammarum incendia pertulisse.*

(b) Æneas Sylv. hist. Bohem. cap. 41. Adamitarum pudenda secta.

Deleta a Zischa.

(d) Id. eod. cap.

Fascinatæ a dæmone mulieres.

VI. Pragenses subornati.

Non versabantur in hoc libidinum cœno Pragenses, sed majorem rei catholicæ cladem inferebant, quo hæresim religionis specie fucatam, reliquarum Bohemiæ provinciarum populis afflabant, & dominico sanguine sub speciebus vini promiscue tradito ad partes suas allexerant; deceptos enim ea pietatis specie Joannis Wicclef & Joannis Hus fœdissimis hæresibus contaminabant: ad quos reducendos ad orthodoxæ fidei cultum Romanus Pontifex, cum jam ante religiosam militiam indixisset, Joanne Dominico Cardinale legato in Hungaria pie defuncto, Brandam tit. S. Clementis presbyterum Cardinalem legatum creavit, ut sacram expeditionem in impios educeret, Christique fideles ad sequenda Sigismundi signa tuendamque fidem incitaret.

Dilecto filio Branda tit. S. Clementis presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato salutem, &c.

Martini studia pro delenda hæresi.

Considerantes iniquitatis alumnos Wiclefistas & Hussistas aliosque hæreticos & infideles, qui veræ salutis semitam deserentes Christianæ religionis persecutores acerrimos sese reddunt, quique falsis & insanis dogmatibus & damnatis erroribus hæresumque fomentis orthodoxam fidem evertere molientes, universum regnum Bohemiæ & partes illi conterminas infecerunt, ac cupientes illorum temeritati, quantum cum Deo possumus, obviare fideles milites Christi, pugiles athletas vivificæ crucis, qua nos a damnatione redemit, charactere insignitos contra præfatos hæreticos duximus excitandos, ut hæreticos ipsos, qui etiam Dei timore postposito ecclesias, monasteria, & alia pia loca in honorem Christi, Virginis gloriosæ, Apostolorum, martyrum, & confessorum dedicata, eorumque imagines concremant & evertunt & fidem catholicam, præsertim in natione Germanica, delere moliuntur, ac nequissimis eorum propositis & insultibus, quibus in Christianum sanguinem & catholicos Sacerdotes debacchabantur, non solum spiritualibus, verum etiam temporalibus convocatis præsidiis possumus authore Domino coercere.

Promulgata cruce signata expeditio.

VII. Moravia & Misnia pollutæ hæresi.

Hodie siquidem pro succidendis ex agro dominico vepribus pestiferis & nocivis, quibuscumque perversis erroribus de hæreticorum ipsorum mentibus extirpandis, illorumque salubri reductione ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ, ut ad cor reversi ab hujusmodi resipiscant erroribus, quibus gregem ipsum seducere & inficere moliuntur, & si in eorum obstinatione & malignitate permanserint evertantur, te ad regnum præfatum, nec non marchionatus Moraviæ & Misniæ eorumque provincias, civitates, terras, & loca eisdem hæresibus & erroribus polluta, tibi plenæ potestatis legati de latere officium committendo, de fratrum nostrorum consilio, tanquam pacis angelum providimus destinandum, prout in aliis nostris desuper confectis literis plenius continetur. Cupientes itaque, ut hujusmodi legationis officium ad laudem & gloriam divini nominis & salutem fidelium animarum eo facilius exequaris, quo ampliori te noveris per sedem Apostolicam facultate munitum, directis in cœlum oculis ad illum, cujus res geritur divinum & humanum præsidium invocantes, ut hujusmodi adeuti præsidiis eorumdem hæreticorum audaciam, nisi se ad Christum converterint coercere & comprimere valeamus, omnes & singulos Reges, duces, marchiones, principes, barones, comites, capitaneos, magistratus, & quoslibet alios officiales, eorumque locatenentes, communitates quoque & universitates civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum quorumcumque locorum,

Branda Card. creatus legat. Apost.

ram, cæterosque Christiani nominis zelatores, fideles, & religionis cujuslibet, ubilibet dominantes, ac constitutos, rogamus & hortamur, ac per aspersionem sanguinis ejusdem gloriosissimi Redemptoris paternis affectibus obsecramus, in suorum remissionem peccaminum suadentes, ut ad Wicleffistarum, Hussitarum, & aliorum hæreticorum præfatorum subversionem & exterminium, & ad impendenda sibi contra eos profutura suffragia, quibus hujusmodi negotii prosecutio feliciter adjuvetur, potenter, ac viriliter se accingant, quos spiritualibus donis, indulgentiis videlicet & remissionibus de ipsorum fratrum consilio providemus invitandos, &c. Instruxit amplissimis mandatis legatum, ut præsules & alios viros laborum socios sibi asciscceret, qui Christifideles sacram militiam in hæreticos professuros crucis symbolo insignirent. *Datum Romæ apud S. Petrum id. aprilis pontificatus nostri anno IV.*

Instructus auctoritate.

VIII. Amplificata legati auctoritas.

Nec solum in Bohemia, Moravia, & Misnia, sed in Germania etiam aliisque provinciis Branda legatus creatus (*b*), amplissimaque auctoritate munitus est ad hæreseos fibras evellendas, pacem in Bohemia redintegrandam, corruptos longa consuetudine, depravatosque mores reformandos & corrigendos, adducendos ad Ecclesiæ gremium homines impios, libertatem ecclesiasticam in pristinum statum redigendam, perduelles atque in perfidia obfirmatos sacro bello frangendos, ac meritis pœnis afficiendos. Universos præterea Germaniæ archiepiscopos & episcopos, atque imperii electores ac reliquos principes viros, collocatis in face immanibus Wicleffisterum & Hussitarum sceleribus, est adhortatus (*b*), ut Cardinali legato ad tantum religionis abolendum dedecus operam strenuam navarent, ea enim in re summam sibi apud Deum & Ecclesiam gloriam parituros. Apposita est literis hæc temporis nota: *Dat. Romæ VI. id. aprilis pontificatus nostri anno* IV. De Brandæ Cardinalis legati in Germaniam profectione, & rebus ab eo gestis, narrat hæc magni chronici Belgici author (*c*).

(*a*) *Lib.* 3. *ep. cur. pag.* 148. *ad* 171. *& pag.* 211.

(*b*) *Ibid. pag.* 151.

(*c*) *Magn. chron. Belg.*

Ut legatus Leodii exceptus.

Anno MCCCCXXI. mensis junii die XXI. intravit Leodium cum magno honore a domino episcopo, & omnibus ecclesiasticis, processionaliter obviam procedentibus usque ad portam S. Leonardi, receptus dominus Brando Cardinalis Placentinus a latere Papæ legatus ad signum crucis prædicandum contra perfidos hæreticos regni Bohemiæ: quo ipso die missa specialis in ecclesia majori per universum clerum civitatis coram dicto Cardinale solemniter pro extirpatione hæresis hujusmodi est celebrata. Postera die veneris prima augusti iterum missa speciali facta in majori ecclesia, dominus episcopus Leodiensis cum pluribus nobilibus satis magna, ut apparebat devotione recepit crucem ad pergendum contra perfidos supradictos: & eodem die post prandium cum pulchre comitatu suorum & aliorum crucesignatorum, Leodio recessit versus regnum Bohemiæ in subsidium archiepiscopi Coloniensis & aliorum electorum imperii & principum Alemaniæ.

IX. Commotæ in Bohemos inferior Germania.

Concurrisse ad sacram hanc expeditionem tum ex superiori tum ex inferiori Germania, Hollandia, Zelandia, Hannoniæ, Leodiensi ditione, & aliis locis maximam præsulum, principum, equitum auratorum, nobilium, ac plebejorum multitudinem, ut recenseri non possent, refert Monstreletus (*d*): frangi tamen non potuisse hæreticos cum in munitissimis locis se continerent; ac licet plures ex iis cæsi essent, crucesignatum exercitum ob inopiam commeatuum abscedere coactum: hosce vero impios adeo in concepto errore obduruisse ait, ut omnia suppliciorum genera alacriter perferrent necemque contemnerent: fœminas etiam victa imbecillitate sexus induisse arma, ac veluti in dæmones conversas immanitatis genus omne exercuisse; tum plura earum cadavera inter illos, qui in variis tumultuariis præliis cæsi fuerant, reperta. Addit author comprehensos in Belgio prope Duacum in oppido, cui Sains nomen est, plures, qui ejusmodi hæresi infecti conciliabulum coegerant, atque in Atrebatensis episcopi carceres conjectos, quorum pars ad animæ sanitatem reversa perfidiam exuit, pars eorum censoris fidei & theologorum monita doctrinamque respuens, Atrebati, Duaci, Valencianis, ardentibus rogis consumpta periit: quorum exitio publica Belgarum salus constabilita est.

(*d*) *Monstrelet. vol.* 1. *c.* 258.

Hæreticorum pertinacia.

Pullulantes in Belgio hæretici exusti.

X.

Inter alios Albertus dux Austriæ Sigismundi Cæsaris gener, sacro bello in Hussitas se devovit, qua de re ad Sigismundum Pontifex has literas (*e*) dedit.

(*e*) *Lib. brev. p.* 7.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Romanorum & Hungariæ Regi illustri.

Mentem nostram solicitam & intentam ad extirpationem hæresis, quæ in tuo regno Bohemiæ & quibusdam vicinis partibus pullulavit, multaque pro varietate casuum humanorum discrimina formidantem, literæ serenitatis tuæ datæ Posonii XXVIII. septembris proxime lapsi nobis redditæ in spem certam hujus sanctæ victoriæ & firmam fiduciam erexerunt: scribis enim te regno tuo Hungariæ, provisione securitatis adhibita, copiosum exercitum ad regnum Bohemiæ præmisisse, & consummato jam matrimonio inter dilectum filium nobilem virum Albertum ducem Austriæ & dilectam in Christo filiam Elizabeth genitam

Expeditio Sigismundi in Bohemos.

tuum, te una cum genero tuo præfata adversus hæreticos cum magna potentia, Deo duce, procedere; de quorum conculcatione & reductione in sinum Ecclesiæ non videris aliqualiter dubitare: qua significatione litterarum tuarum spiritum nostrum, super ista materia vigilem semper & anxium, recreasti. Nam speramus, quod cum omnipotentis Dei auxilio virtus tua & magnitudo animi tui non patietur, tantam pravitatem tantumque perfidiam contra fidem catholicam diu manere: debet enim, fili charissime ad hanc victoriam obtinendam principaliter intendere, cum tu primus omnium principum Christianorum catholicæ fidei pugil & Christianæ religionis & Ecclesiæ defensor existere tenearis: cumque hæc labes corruperit regnum tuum, nec eo poteris unquam nisi ea labe purgato, jucunde prosperitate tranquille gaudere. Quare tibi ante alios principes, tam pro tutela fidei Christianæ, quam dignitate Romani imperii, quam justitiæ est commissa, tum pro regni tui quiete laborandum est præcipue. ad hoc simul intentis aliis Alamanniæ principibus, quos videmus libenter in hac tibi causa esse junctissimos, ut hæc maligna heresis exstirpetur: quod cum Deo auxiliante perfeceris, quamvis in vita tua multas maximasque res gesseris, nihil ad promerendam Dei gratiam, nec ad consequendam gloriam apud homines, nec ad firmandam potentiam status tui efficacius te fecisse judicabis. Dat. Romæ, &c.

Conjungit se illi Austriacus.

Additi a Pontifice pii stimuli.

Ubi sacrum ille in hæreticos classicum cecinit, inhorruere ipsi metu, utque catholicos a suscipienda in eos expeditione retardarent, finxere se cum illis sentire, quamvis Joannis Wicleffi & Joannis Hussi fœdissimis erroribus inquinati essent, utque controversos nonnullos articulos definirent, summa væsania conventiculum peregere, qui decreta Constantiensis œcumenicæ synodi amplecti debuissent.

Pragens. conventiculum cogunt.

XI. Habita itaque est pseudosynodus a Calixtinis schismaticis, qui inter catholicos & Hussitas mediam factionem condidere, cum veritatem catholicam de præsentia Christi in Eucharistia propugnantes, commento diabolico divulsi essent a fidelium communione, dum contra Ecclesiæ præcepta communionem sub utraque specie ab hæreticis accipiebant. Cœptum est ejusmodi conciliabulum die VII. mensis junii, præside apostata Conrado Westphalo Pragensi archiepiscopo, qui cum adversus Hussitarum impietatem pro Ecclesiæ & Christi gloria fundere sanguinem debuisset, a suscepta constantia descivit: (a) cui assedere magistri scelerum Joannes Przibrem, Procopius e Pilzaa, Jacobus e Misnia, & Joannes e Nova civitate. Cum vero eorum omnium consilia eo spectarent, ut vano fictæ pietatis lenocinio catholicos deluderent, ita sua decreta

Pragens. archiep. deficit ad impios.

(a) Cocl. hist. Huss. lib. 5.

composuere, ut sanctimoniam Christianam olerent uno excepto, quo ecclesiæ Romanæ conculcato ritu sumendi a laicis sub speciebus vini sanguinis contra decreta sanctorum patrum inani pietatis falsæ specie necessitatem induxerunt (b). In primis admisere novum & vetus testamentum, symbolum Apostolorum Nicæni concilii, & decreta primitivæ Ecclesiæ. At in secundo canone viros impios hæreseos infamia notatos ad perdendum clerum catholicum, restituendæ disciplinæ ecclesiasticæ obtentu inani præfecerunt. In tertio sacerdotibus mandata dedere, ut vitam apostolicam adumbrarent, quo direptioni expositis ecclesiasticis opibus, nobiles ad se pellicerent: Quarto canone vetuere quidquam in religione novari, ne ob sectarum inter se pugnantium varietatem ab invicem dissiderent, tum præcipue edixere, ne hæreses Wicleffi & Joannis Hus contra Eucharistiam promulgarentur: Quinto canone præsentiam totius Christi sub qualibet specie cum catholicis sunt professi his verbis: *Item quod omnes sacerdotes in divinissima Eucharistiæ sacramento & corde fidelissime credant & ore syncerissime confiteantur, tam sub forma panis, quam sub forma vini totum dominum Jesum Christum verum Deum & hominem cum suo proprio corpore & sanguine nobiscum esse sua præsentia reali, sicque ab omnibus tenendum fideliter populo nunciet & credendum.*

(b) Ext. ejus acta apud Cocl. l. 5.

Pragensium confessio de Euchar.

Addidere viri inconstantes, qui paulo ante nihil in religione novandum edixerant, ut populo species vini exhiberentur. Retinuere sexto canone sacros in missæ sacrificio ritus, atque altarium templorumque ornamenta. Septimo canone edixere, ut in administrandis sex aliis Sacramentis Eucharistiæ etiam sacramentum conferretur, in quo etiam haud parum novarunt contra quartum canonem dum infantibus baptismo perluendis Eucharistiam tradi voluere. Octavo canone sceleratissimi latrones clerum omni jure atque imperio in agros, prædia, domos & census spoliarunt, addita Juliani Apostatæ ratione, dum in Christianos latrocinia exercebat, ut ita Christi pauperis exemplis se accommodarent: nec minus inepte rerum usu sine ullo jure contentos esse voluerunt, atque errorem Fraticellorum jam ante damnatum redintegrarunt; Interjectis pluribus decimo octavo ne Wicleffi & Joannis Hus lue viderentur laborare de sacra exomologesi hoc sancitum: *Nemo homines vere pœnitentes humili corde peccata sua confiteri presbyteris assolventes quovis temeritate ab eodem præsumat repellere, aut prædictam confessionem velut illicitam, aut vim clavium, quibus peccata vere pœnitentibus a domino Jesu Christo mysterialiter * remitti creduntur.*

XII. Male populo utramque speciem præbendam decernunt.

Et pueris.

Clerum opibus privant.

Dogma de sacra exomologesi amplectuntur.

* Ministerialiter.

duntur, satisfactionis quoque remedia saluberrima quoquo modo audeat prohibere, &c. quæ vero fidei catholicæ consentanea sanxere, id ad declinandam invidiam, ne in se universum orbem concitarent, præstitere; ob quam etiam a Polonis & Lituanis, cum eorum clientelam contra Sigismundum Regem exambirent, hoc anno repudiatos refert Cromerus (a). Addit vero Coclæus (b), maximam discordiam inter Thaboritas, qui Wicleffi & Joannis Hus errores sectabantur, atque Calixtinos Pragenses, qui ad fidem orthodoxam propius accedebant, ab eaque ob calicis usum discesserant, exortam, neque alia ratione, datis etiam arbitris, sedari potuisse; afferunturque ab eodem authore plures articuli ecclesiæ Romanæ ritibus in plurimis consentientes a Pragensibus contra Thaboritarum effrænatam impietatem editi. Impendente vero crucesignatorum catholicorum expeditionis terrore, finitimos principes atque inter alios Misniæ marchionem exaratis sexta die julii literis solicitarunt, ut eorum patrocinium susciperet, professi sunt, numquam e quatuor articulis jam ante a nobis expositis, de quibus in concilii Basileensis actis agendum erit, discessuros, ac Sigismundum Regem multis calumniis oneraront (c), in quibus omnibus idem Coclæus ipsum vindicat.

(a) Crom. de rebus Pol. l. 18.
Dissensio orta inter Hussitas & Calixtinos.
(b) Id. ib. & Dubrav. l. 26. hist. Bohem. extant apud Cocl. lib. 5.
(c) Ext. ibid. rerum objectiones.

XIII. Illatum denique contra Ecclesiæ perduelles Wicleffistas, Hussitas, & Calixtinos fuit sacrum bellum, geminique exercitus in Bohemiam irrupere (d): non eodem tamen tempore, uti conventum erat, sed longiore intervallo; quare distractæ vires facilius ab hæreticis propulsatæ sunt. Primi quidem imperii principes augusto exeunte signa crucesignata extulere; sed cunctante Sigismundo, cum Sociam frustra cinxissent obsidione, Bohemia discessere [1]. Duxit deinde extremo anno Sigismundus florentissimum exercitum ex Hungaris, Austriacis, Moravisque comparatum; & quidem istius expeditionis initio læti nonnulli eventus ex sententia processere extantque cum adulta æstate (e), tum exitu (f) hujus anni pontificiæ literæ ad Brandam legatum XVI. kal. januarii missæ, quibus data est ei provincia, ut Bohemos Moravosque catholicos crucis symbolo insigniret.

(d) Cocl. l. 5.
Germaniæ principes primi irrumpunt. Serius movit exercitum Sigismundus.
(e) Mart. l. 3. p. 211.
(f) Lib. 4. ep. cur. p. 1. & 13.

XIV. Ut vero Pontifex impios apostatas ab hæresi revocare adhibita vi nisus est, ita Samagitas, qui Wladislai Regis Poloniæ, ac Witoldi ducis Lituaniæ opera ad Christi cultum ab impura idolorum superstitione traducti fuerant, cumque nonnulla ipsis adversa accidissent, ad constantiam erexit (g), monitosque ne in acerbis rebus contraherent remitterentve animos, in clientelam apostolicam recepit.

Bohemi Catholici crucis symbolo insigniti.

(g) Lib. 3. ep. cur. p. 242.
Samagitæ ad Christum traducti.

Universis & singulis Christicolis gentis Samaytarum salutem, &c.

Mirabilis Deus in donis & sanctus in omnibus operibus suis, cujus judicia abyssus multa & investigabiles viæ ejus, qui humanum genus ex infinita misericordia sua diversis & incomprehensibilibus modis visitare non desinit, ut relictis tenebris erroribus viam veritatis agnoscat, his diebus novissimis ex sua ineffabili clementia dono Spiritus sancti mentes vestras mirum in modum illuminare dignatus est, ut qui prius paganorum erroribus hoste humani generis illudente eratis astricti, quibusque justitia deposcente acerrima pœna debebatur inferni, benignissimi domini nostri Jesu Christi salvatoris nostri veritate fulgente, sacro baptismate renati sitis, ac gremio militantis Ecclesiæ aggregati, fidem catholicam profitentes, ut exinde æternam beatitudinem habere possitis. Ex hoc tam mirabili dono propensius lætatur mater Ecclesia, populus Christianus exultat, nosque ubertimas gratiarum actiones erumpentibus lacrymis omnium bonorum largitori referimus pro tam ineffabili munere vobis clementer impenso, quos, cum essetis oves errantes, ad ovile suum Jesus misericorditer reducere dignatus est. Magna enim est felicitas Christianorum, qui recte vivendo pares angelis efficiuntur, qui Christo summo bono fruituri sunt, quique gloriam æternam omni fine carentem continuo possidebunt. Quanta igitur vis catholicæ fidei, quæ de terrenis cælestes, de servis liberos, de damnatis efficit gloriosos? Quis hanc refugere debeat? quis hanc, si recte sentit, amplecti non velit, quæ vitam largitur æternam, culpas diluit, & peccata condonat?

Martinus ad eos lit.

Christiani recte vivendo Pares Angelis fiunt.

Hæc ergo sola est, per quam vitatur infernus, agnoscitur veritas, & paradisus aditur. Proinde, dilectissimi filii, cum Christus Jesus dominus noster Deus verus & homo, qui secundum humanitatem mortuus est, ut nobis vitam donaret æternam, tam excellens munus vobis contulit, ut sua ineffabili charitate paganorum relictis per medium præsertim charissimi in Christo filii nostri Voladislai Regis Poloniæ illustris, ac dilecti filii nobilis viri Vitoldi ducis Lituaniæ, quibus ob hoc obligamini plurimum, Christiani sitis effecti, ac vita æterna capaces, devotiones vestras per vi-

Voladislai & Vitoldi præclari labores.

NOTÆ [1] IN annalibus a Raynaldo contractis excusisque Romæ anno 1659. uno in folio volumine post verba illa: *ex sententia processere*; additur: *Demum ob inopiam commeatuum exercitum absedere coactum narrat Monstreletus; cum heretici in locis munitissimis se communissent.* Magis

viscera misericordia Dei nostri hortamur, rogamus, & obsecramus obnixius, ut in hac sanctissima via catholica fidei, prout laudabiliter incœpistis perseverantes, prout firmiter sperandum est recte ambuletis in semitis mandatorum Dei; mentes vestra in cœlestibus sint, ubi vacte viventiam gloriosus est finis. Nec vos frangant adversa, nec prospera extollant, & si quando in hoc mundo adversa contingant, amore cœlestis patriæ patienti animo toleranda sunt, veloci enim cursu pertransfeunt, & veluti momentanea non perdurant; & quæ sine molestia & murmure ob amorem Dei animo liberiori feruntur, eo majora præmia in cœlesti patria tolerantes habere merentur.

Adversa constanter ferenda.

Porro cum, ut per venerabilem fratrem Mathiam episcopum Medinensem & patrem animarum vestrarum displicenter accepimus ex nonnullis angustiis, ut dicitis, vobis illatis plurimum consternati & afflicti in vestris animis sitis, devotiones vestras, quas in visceribus charitatis diligimus, ac propensius paterno affectu complectimur rursum exhortamur in Domino, ut de hujusmodi occurrentibus, & quibuscumque aliis molestiis, quæ vobis in hoc terrestri habitaculo obtingere possent, nullatenus conturbari velitis cum, ut præfertur, confestim defluant & in cœlesti patria, si hic patienti anima tolerantur: adversa, majora præmia conquirantur: nos enim sub nostra & Apostolicæ sedis protectione vos semper habere intendimus, volentes ut in omnibus vobis occurrentibus ad nos tanquam ad patrem vestrum securum habeatis recursum, quos tanquam filios & tueri & protegere totis viribus curtemur prout præfatos ducem, ac episcopum diximus advisandos. Dat. Romæ apud S. Mariam majoram III. id. septembris pontificatus nostri anno IV.

Pro caducis reponenda æterna.

XV.

Quod ad Wladislaum Regem Poloniæ & Witoldum (a) ducem Lituaniæ attinet disceptabant ii cum Prutenis cruciferis de Prussiæ, Poloniæ, Lituaniæque limitibus; cumque Apostolicæ sedis internuntii eo missi discordias sedare non potuissent, Sigismundus Romanorum Rex pacis arbitri munus in se suscepit, lataque pro cruciferis sententia, Poloni & Lituani iras magis accendit, ita ut res ad bellum spectabat (b), cum Pontifex, ne ad Polonica & Lituanica arma vertenda in barbaros ad religionem amplificandam, Christiano imbuerentur sanguine, intercessit, seque interpretem concordiæ fore pollicitus Antonium Zenum decretorum doctorem in Poloniam misit (c), ut causæ instrumenta ab Wladislao Rege & cruciferis petita exscriberet, ut ex apostolicæ sententiæ æquitate, exploratis omnibus hinc inde juribus, controversia rei Christianæ exitialis dirimeretur; Sigismundum vero Romanorum Regem de misso Zeno certiorem factum rogavit (d), ut ad Wladislaum Regem Poloniæ & cruciferos inter se conciliandos regia studia conjungeret.

(a) Cromer. Polon. rer. lib. 18.

Sententia a Sigismundo Rege lata.

(b) Cromer. ubi sup.

Polonus movere arma parat.

Pontifex bellum avertere nititur.

(c) Marten. l. 3. p. 279.

(d) Lib. brev. p. 14.

XVI.

Propagandæ tum in Russia, Podolia, & Walachia fidei orthodoxæ strenuam navabant operam nonnulli Minoritæ, quos Pontifex amplissimis privilegiis auxit (e), utque egregie cœpta perugerent plurimis laudibus excitavit. In ea etiam cogitatione curaque versabatur idem Pontifex, (f) ut Græcos ad Ecclesiæ catholicæ castra traduceret: ad quos e Turcica tyrannide eruendos nonnullas decimas clero in Philippi ducis Burgundiæ ditione constituto imperavit (g), cum magni sumptus pro sacris iis consiliis perducendis profundendi essent: *Signanter*, ut ait, *circa reductionem Græcorum ad ovile dominicum gratia Altissimi jam incœptam, & eadem favente feliciter consummandam.* Fuisse porro datam eam provinciam Petro S. Angeli diacono Cardinali jam ante vidimus, atque ex literis ad patriarcham Constantinopolitanum & episcopum Tirasonensem hoc anno missis (h) constat, in quibus hæc habet: *Dudum dilectus filius Petrus S. Angeli diaconus Cardinalis ad Græcia & orientes partes pro reductione Græcorum & orientalium A. S. L. duximus destinandum, sperantes in Salvatore nostro, cujus res agitur, quod per medium laborum, sollicitudinum & virtutum suarum, quibus Altissimus personam ipsius multipliciter insignivit, Græcos & orientales prædictos ad gloriam sua orthodoxa fidei & Ecclesia catholicæ aggregabit.*

(e) Ib. p. 226.

(f) Ib. p. 203. & 221.

De Græcis conciliandis actum.

(g) Ead. pag. 228.

(h) Super. p. 203.

Petrus Card. S. Ang. huic rei præfectus.

XVII.

Agitatum etiam est de abolendis ex Hispania Mahometanæ superstitionis reliquiis, ac Mauris Granatensibus bello domandis, ad quod pium opus Joannes Rex Castellæ virtutibus ætatem superaturus accincturum se Pontifici pollicebatur: cujus consilium rei Christianæ perutile ut promoveret Pontifex, ad tolerandos bellicos sumptus ecclesiarum Castellæ annuarum decumarum tertias templis sarciendis factas illi concessit (i).

De Granatensibus debellandis agitatum.

(i) Lib. 3. 4. p. 69.

Charissimo in Christo filio Joanni Regi Castellæ & Legionis illustri salutem, &c.

Quoniam maligna infidelium perversitas, quam saluberrimæ religioni Christianæ semper inimicari constat, & ut captato tempore lethalius nocere queat, insidias ad ejusdem catholicæ religionis destructionem jugiter aspirat, & indefessa hostilitate molitur, magna proinde Christicolis imminet necessitas providendi, magnifque veniunt extollendi laudibus & gratiis, donis atque favoribus apostolicis amplificandi Reges & principes catholici, qui hostilem habentes ipsorum infidelium vicinam, se pro ejusdem sacræ religionis adversus ipsos infideles defensione cum assiduis periculis

& sum.

Castellæ Reges conspicui bellis Mauricis.

& sumptibus gravissimis exponunt, & murum se constituunt, gladium, & scutum. Cum igitur regnum Granatæ ab ipsis infidelibus spurcissimis, videlicet Machometicis occupatum catholicæ regno Castellæ regia serenitatis tuæ ditioni subjecto contiguum pro magna parte vicinum ac immediatum existat; & sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, prædecessores & progenitores tui Reges Castellæ tanquam devotissimi Ecclesiæ filii & strenuissimi pugiles fidei catholicæ plurima adversus ipsos infideles pro ejusdem sinceræ fidei conservatione & incremento salutari bella gesserint, & sua, propriis non parcendo periculis aut sumptibus, exposuerint viriliter & patenter, ac gloriosos & toti fructuosos Christianitati feliciter reportaverint de ipsis hostibus triumphos, prout etiam regia celsitudo tua, suorum laudabilia salubriter imitando vestigia patrum, jam in sua teneriori licet ætate constituta, victoriose peregit, & divina sibi suffragante clementia, peramplius in futurum agere disposuit, & intendit perseverare, quapropter Romani Pontifices prædecessores nostri a tot annis & tantæ antiquitatis temporibus, quod hominum memoria in contrarium non existit, præfatis Regibus in aliquod subsidium, hujusmodi virtuosæ & salubris infidelium Deo & Ecclesiæ lucrifactionis efficaciter prosequendæ, ac bellorum, ob defensionem dilatationemque fidei potentias atque ferventius agendorum onera facilius supportanda, certas portiones decimarum, tertias nuncupatas, in Castellæ & Legionis regnis colligi solitas & haberi de tempore in tempus continue sub certis formis atque modis tunc expressis, concesserunt atque donaverunt; pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus hujusmodi portiones seu tertias tibi & heredibus tuis Castellæ & Legionis Regibus, qui erunt pro tempore, ad eosdem finem & effectum defensionis & dilatationis fidei, ac infidelium lucrifactionis applicandas de provisionis apostolicæ liberali bonitate concedere dignaremur.

Jo. Regis expeditio.

Datæ illi subsidia.

Nos igitur, qui hodie omnes & singulas concessiones & donationes de prædictis portionibus sive tertiis quibusvis ecclesiasticis vel sæcularibus personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, præeminentiæ, ordinis, vel conditionis existerent, aut communitatibus, vel universitatibus, seu locis quibuslibet præterquam S. Benedicti Vallisoleti, S. Mariæ de Delpaular de Rascafria, & S. Mariæ circa locum de monte Marca S. Benedicti & Cartusiensium, ac S. Hieronymi ordinum Palentinæ, Segobiensis, & Zamorensis diœcesum prioratuum, prioribus, & conventibus, ac aliis quibusvis piis locis, nec non etiam universitati studii Salamantini, quibus ob fructus uberes, quos in Dei Ecclesia afferunt, nullum volumus præjudicium generari, per te, vel progenitores seu prædecessores tuos catenus quomodolibet factas, nec non confirmationes quaslibet a sede prædicta sub quavis forma, vel expressione verborum super ipsis concessionibus, & donationibus forsan concessas, habitas, vel obtentas in quantum viribus subsistere poterant, ex certa scientia per alias nostras literas revocavimus, cassavimus, & irritavimus, attendentes propensius, quanta necessitatis sit & commoditatis universæ fidelium ecclesiæ, ad protectionem ipsius Christianæ religionis, cujus, proh dolor! afflictiones & damna videntur in dies vehementius aggravari, opportuna præbere subsidia, dictasque portiones, sive tertias tunc ad gloriam Dei, animarumque salutem, & commune bonum ecclesiarum salubriter converti, cum ad cunctis necessariam fidelibus suæ fidei & religionis defensionem applicantur, ut zelum fidei, & devotionis tuæ, apostolicis largitionibus fovere & peramplius intendere cupientes, etiam hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatas portiones sive tertias tibi pro te & tuis heredibus, & successoribus antedictis, & per te ipsos heredes ac successores, seu a te vel ipsis deputandum seu deputandos, ipsis tamen pro hujusmodi orthodoxæ fidei adversus dictos lucrifaciendos infideles, defensione & dilatatione, guerris & guerrarum causis durantibus, a te & eisdem heredibus & successoribus hujusmodi lucrifactionis, defensionis, & dilatationis, prosecutionibus, & persecutionum bellis operam dantibus efficacem, petendas, exigendas, & recipiendas, ac ad præfatum dumtaxat belli, seu defensionis, dilatationis, & lucrifactionis usum efficaciter convertendas, & integraliter applicandas, auctoritate apostolica tenore præsentium assignamus, constituimus, concedimus & ordinamus. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem VIII. id. octobris pontificatus nostri anno IV. Extant quoque literæ ad Toletanum & Compostellanum archiepiscopos atque ad episcopum Burgensem datæ (a), quibus præcepit, ut eæ tertiæ Regi solverentur, expeditionemque sacram in Saracenos urgerent. Sed civiles discordiæ inferri arma Granatensibus vetuere, Henricus (b) enim Aragonia stirpe regia satus Villenæ principatum armis sibi asserere conatus ingentes tumultus Castellæ injecit: in quem legibus actum est: neque ipsius modo principatus, verum ditionis S. Jacobi, quam hereditariam affectabat, jus illi abrogatum est, ipsumque in vincula conjectum inferius visuri sumus.

Concessæ illi tertiæ.

Non avertendæ in alios usus.

(a) *Ibid. pag. 70. & 71.*

Disturbate belli facri consilia.

(b) *Marian. de reb. Hisp. lib. 20. c. 12.*

XVIII. Galliæ civili bello ardet.

Flagrabat eodem tempore Gallia intestino bello, cum jam ante, ut diximus, in Henricum Anglorum Regem Gallici sceptri jura Carolo Delphino debita erant

fu-

fusa essent: indeque acre bellum inter Gallos Anglosque & eorum fœderatos factionis Burgundiæ successerat. Abierat (a) in Angliam Henricus Rex, ut de patrio regno triumphum apud suos ageret, relicto rerum suarum in Galliis moderatore fratre Thoma Clarentiæ duce, qui cum superioribus victoriis præferox in Delphinum exercitum duceret, conserto certamine, neci occubuit (b), suique funesta clade obruti fuere: quo acerbiore casu exstimulatus Henricus Rex, suscepto jam ex uxore Catharina Henrico filio utriusque regni designato herede, habito in Anglia militum delectu, in Gallias traduxit (c) quatuor cataphractorum equitum sagittariorum viginti quatuor millia, bellumque in Delphinum movit, a quo nec non a Philippo Burgundo effectas in regno vastitates, expugnatasque urbes describit Monstreletus (d) maxime post initum cruentum prælium ultimo augusti die, quo Delphini socii initio victores demum deleti (e) sunt; cum etiam plures populi timore perterriti succubuere (f). Fertur in veteri chronologia (g) præsignatam Gallorum & Anglorum strages insigni prodigio, cum ad portam S. Honorati Parisiis sanguineus fons magno spectantium stupore ebulliit. Ne vero in augendis constabiliendisque rebus suis Romanum Pontificem infensum pateretur Henricus, immunitatem ecclesiastici ordinis in ea ditione, quam acquisierat in Galliis, in pristinum statum se restituturum Martino est pollicitus (h); atque etiam in Anglia, cum primum in eam esset reversus, coacto ordinum regni solemni conventu instauraturum, omniaque illi adversantia rescissurum: quem Pontifex, ut in Anglia jus pontificium Avinionensi schismate labefactatum redintegraret, seque aliorum Regum exemplis accommodaret, est adhortatus, cum ex libertate ecclesiastica restituta regiam etiam potentiam confirmaturus esset.

Henrico Regi Angliæ illustri.

Ex *instructione ipsius* (nempe nuntii) *sibi data in scriptis & sigillo tuo roborata cognovimus optimam & syncer am dispositionem voluntatis tuæ in juribus & libertatibus sedis Apostolicæ conservandis; nam, ut asserit, in terris & dominiis, quæ noviter ad tuas manus devenerunt, Romanæ ecclesiæ jura & libertates nullo modo tollere, vel mutare, sed in suo pristino statu secundum consuetam obedientiam conservare voluisti, & sic intendis etiam in futurum; & insuper in regno ipso Angliæ, ubi contra præfata jura & libertates nonnulla interdicta sunt posita, non quidem a te, sed a tuis prædecessoribus, te daturum operam liberaliter obtulisti, ut in primo parlamento, quod quamprimum fueris reversus in Angliam celebraturus es hæc ipsa edicta tollendi materia pertractetur, ut si edicta illa honesta & legitima ratione sustineri non poterunt, quæ certe non poterunt, satisfacturum te nostræ voluntati pro tua justitia debito pollliceris: in quod opus, quod est catholico Rege dignum, ut toto animo incumbas atque perficias, celsitudinem tuam hortamur atque etiam deprecamur; erit enim, cum hoc pium & sanctum ac debitum opus effeceris, nomen tuum præter illam dignam retributionem, quam a Domino consequeris, in honore apud homines & in celebri commendatione apud sedem Apostolicam sempiternum: & inter cæteras felicitates tuas, quibus Deus omnipotens te clarissimum Regem illustravit, hæc non minor reputabitur, quod tuis temporibus unitam Ecclesiam Dei vidisti, vulnera, quæ Apostolicæ sedi illata fuerant, in regno tuo salubriter curavisti: quæ curatio tuæ optimæ voluntatis si, quod avertat Deus, aliquorum fortassis pertinacia impediretur, considera, fili charissime, quanta difformitas appareret in Ecclesia universali, si cæteris Regibus, principibus, populis, & nationibus Christianis per beneficium unionis ad obedientiam nostram sine alicujus juris ecclesiastici diminutione reductis, abscissio quædam & sequestratio in regno tuo plenariæ detrahens obedientiæ videretur, quamque perniciosum cæteris regnis & nationibus esset exemplum.*

Considera etiam (quod sæpe nobiscum cogitamus) quantam increpationem apud universalem Ecclesiam merito pateremur, si sub nostro pontificatu in corpore unitæ Ecclesiæ tantam deformitatem & maculam tolerare vellemus, quæ quidem, quod superiori tempore fuerint tolerata, causa fuit schismatis calamitas, qua impediente recto rerum examini & justitiæ locus esse non potuit. Nonne etiam, charissime fili, si in hac nostra & sedis Apostolicæ causa taceremus, nec devotionem tuam excitaremus ad opus famæ & honori tuo debitum & animæ tuæ salubre, posses negligentiam quandam nostram filialiter accusare, quod nullam tui honoris rationem nec paternam erga te charitatem haberemus? Movet siquidem nos non solum officii nostri debitum, sed etiam illa paterna, qua afficimur erga te, charitas ad te sollicitandum & charitativis affectibus excitandum, ut cum pro unienda Ecclesia Dei multa pie devoteque feceris, ea per Dei misericordiam nunc unita, non patiaris in aliqua parte regnum tuum a cæteris Christianis contra antiquam bonorum temporum institutam discrepare. Quare regiam celsitudinem tuam hortamur atque etiam obsecramus, ut quantocyus poteris hanc sanctam rem perficias, ut sicut Christianissimus Rex exstitisti, ita sanctæ sedi Apostolicæ peculiaris filius judiceris: causa etenim ista ecclesiasti-

ca

(a) Juvenal. Ursin. in Carol. VI. hoc ann. (b) Thom. Vualsing. in hist. Angl. Paul. Æmil. in Car. VI. Meyer. l. 16. annal. Fland. in Phil. Burg. Monstrel. vol. 4. cap. 239. Thomas Angl. Regis frater cæsus. (c) Cap. 242. Regis Henrici in Delphinum expeditio. (d) Monstrel. vol. 1. c. 243. usq. ad 250. Delphini exercitus profligatus. (e) Ib. cap. 247. (f) Ib. cap. 250. (g) Ext. in append. Juvenal. Ursin. Pia Angli pollicitatio. (h) Lib. brev. ult. pag. 33. & in alio lib. brev. p. 1.

Urget ut aliorum Regum exemplis se accommodet.

Plura tempore schismatis tolerata.

ea libertate adeo sancta & justa est, quod certi sumus ab eadem nullam bene institutam animam, nec rectam hominum sapientiam dissentire. Caeterum cupide interrogantes praefatum Simonem de illarum partium & regnorum statu super desiderata a nobis pacis materia, cum eodem nonnulla contulimus, sicut tua celsitudo poterit ex ejus literis intueri. Dat. Romae apud S. Petrum XIV. kal. novembris anno IV.

XX. Solicitatus ad pacem. (a) Lib. brev. p. 2.

Solicitavit aliis literis Pontifex (a) Regem ipsum, ut pacem praestaret Gallis, cum ex eo bello immensa mala in rem Christianam redundarent; ipsum pacis beneficio bellicam felicitatem confirmaturum; denique numquam Christiano imperio pacem magis necessariam visam, cum in septentrione haeresis grassaretur, & Turcae orientem vastarent.

Charissimo in Christo filio Henrico Regi Angliae illustri.

Praeferat rem Christianam ambitioni.

Tanta est apud nos opinio pietatis & humanitatis tuae, quod omnino confidimus vocem nostram, immo vocem omnipotentis Dei per nos vicarium suum in terris, licet immeritum, te vocantis ad pacem, benigne & devote suscepturum; & quod etiam, omni cupiditate, & ambitione seclusa, quam certe in tuo regali animo regnare non credimus, in hac tanta re, a qua status universae Christianitatis dependet, nostris & Apostolicae sedis hortationibus & consiliis acquiesces, & publicam tot fidelium salutem tuis propriis commodis anteponas. Non est opus, fili charissime, ut commemoremus ea, quae notissima tibi sunt & in oculis tuis versantur, vastationes urbium & provinciarum, afflictiones & calamitates innumeras populorum, quae propter contentiones & dissidia principum Gallicorum per hos annos proximos inciderunt. Major etiam est haec clades graviorque jactura non solum illarum gentium, quae sunt propinquae vel immixtae periculis, sed totius reipublicae Christianae, quam cujusquam possit sermonibus explicari, quae mala, quae discrimina, quos labores cum jam dudum ex apostolatus apice lacrymantes aspiciamus, & pro pace fidelium Deum continuo suspirantes oramus, & omnes nostras curas & cogitationes ad hoc potissimum intentas habeamus, ut inspirante Domino aperiamus aliquam salutarem viam compositionis & pacis, ad te in primis propter amplitudinem excellentiamque regalem, & vim atque potentiam militarem omnia magna posse, propter clementiam & benignitatem naturae tuae omnia bona velle non dubitamus, recurrere visum est: & speramus in eo, qui inspirat omnia sana & sancta consilia, quod nulla belli felicitas te faciet a salute Christianorum & pacis consiliis abhorrere.

Considera praeterea, fili charissime, nullam tantam esse posse rerum humanarum felicitatem, praesertim in bello, in quo omnia varia & dubia sunt, quae non periculis & casibus innumeris sint subjecta, ita ut plerumque, qui manutenere victoriam videantur, aliqua subita & improvisa necessitate superentur: & haec tibi jam cognita & explorata esse confidimus, qui varsariis in bellis & nunc laeta, nunc tristia aequo & forti animo pertulisti: tantaque est dubietas & vertigo casuum bellicorum, ut si nulla res sanctior animas hominum inclinaret ad pacem, tamen esset certa pacis securitas cuilibet felicitati & speratae victoriae anteponenda.

Ejus felicitatem in contrarium verti posse.

In pace bellicam felicitatem firmandam.

Sed quoniam apud animi tui magnitudinem plus valere publicae utilitatis, quam proprii laboris aut periculi rationem putamus, velis, fili charissime, cogitare & ante oculos ponere praesentem totius Christianitatis statum, & pro tua pietate & sapientia quantum potes providere, ne in graviorem miseriam prolabatur: nam apud Septentrionem, ut vides pestifera, & horribili haeresi suscitata & ad eam extirpandam tota Alamannia laborante, si regna illa & nationes apud occidentem, diuturno bello inter se usque ad extremam perniciem vexabuntur, necesse est universam rempublicam in maximis periculis & miserabili calamitate versari. Quare per misericordiam Jesu Christi rogamus & obsecramus serenitatem tuam, ut habita ratione potius humanitatis, quae potest in pace servare, quam felicitatis, quae in bello certa non potest esse perpetua, habitoque consideratione tot populorum, qui ad extremam miseriam deducuntur, & pensato communi Christianorum statu, laeto corde & prompto animo hortationes nostras & verba nostra recipias, ac venerabilem fratrem Nicolaum episcopum Bononiensem, virum religionis observantia, integritate, & sanctitate vitae dudum Domino servientem, dignissimum nuntium tantae pacis exaudias, quem virum ex multis praelatis elegimus propter suam insignem sapientiam & munditiam singularem ad hoc pium & sanctum opus idoneum, & speramus, quod Spiritus sanctus ex hujus humilis & devoti hominis ore in cor tuum & aliorum, quorum consensus est necessarius, desiderium & amorem pacis infundet. Dat. Romae apud S. Petrum.

Necessarium illam Christiano imperio.

Septentrionem laborare haeresi.

B. Nicolaus Albergatus ad Anglum missus.

Contemnere visus est pacis consilia Henricus humano tumens fastu, atque ejus exercitum dysenterica epidemia corripuit (b), qua proximo anno interemptum Henricum ipsum visuri sumus. Eodem argumento exaratis literis (c), Pontifex Delphinum Viennensem hortatus est, ut animum multis lacessitum injuriis mitigaret, pacique accommodaret; nulla quippe ratione nutantes ipsius res quam pacis beneficio constabiliri posse.

(b) Juven. Ursin. in Car. VI. hoc anno.

Delphinus de pace cum Anglo postulatus.

(c) Lib. brev. p. 54.

Nobili viro Carolo Delphino Viennensi salutem & apostolicam benedictionem.

XXI. Martini ad eundem lit.

Jam dudum de summo apostolatus apice lachrymantes aspicimus labores tuos, populorumque afflictiones, & paterni regni calamitatem, tibique & cæteris fidelibus, qui laborant & in tanta bellorum confusione vexantur, fili dilecte, pro nostra erga te & tuos paterna charitate compatimur, & de capitis tui periculo in tanta rerum vertigine formidamus: sed cum sola pax possit te tutum præstare & confirmare, statum tuum & gentes, atque provincias, quæ tibi obediunt atque favent a continuis cladibus & periculis liberare; pro hac pace Deum continue suspirantes oramus, ut nobis aperiat viam aliquam salutarem hujusmodi desideratæ compositionis & pacis, per quam omni deposita memoria injuriarum cum sanguine tuo primum reducaris in gratiam, & mutuam charitatem, deinde cum charissimo in Christo filio nostro Henrico Rege Angliæ illustri pacifice & quiete vivas. Hoc unum certe inter omnia nostra desideria primum est, quia sic expedire cognoscimus, non solum tibi & adversariis tuis & vestris populis, qui vos sequuntur, sed etiam universæ reipublicæ Christianæ, &c. Dat. Romæ, &c.

Non sine causa Martinus Internuntium suum, ut pietate insignem Henrico Anglorum Regi, tum etiam Carolo Delphino, ac Philippo duci Burgundiæ commendavit: is enim erat Nicolaus Albergatus Carthusiana disciplina excultissimus, qui ob sanctitatis clarissima exempla divinis confirmata miraculis beatorum numerum auxit: ad quem datæ sunt a Martino subjectæ literæ. (a)

Data Nicol. Albergato mandata.

(a) Ib. p. 76.

Nicolao episcopo Bononiensi.

Cum, sicut nosti, dudum gravi & atroci dissensione principum Gallicorum pestiferum bellum suscitatum in regno Franciæ & vicinis partibus viguerit, & vigeat de præsenti cum exterminio illarum gentium & jactura gravissima totius reipublicæ Christianæ, nos cupientes finem tantis malis imponere, & infra, *te ad hoc sanctum opus ex omnibus prælatis elegimus dignissimum nuntium tantæ pacis perfectivum ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum Regem Angliæ illustrem, & ad dilectos filios nobiles viros ... Delphinum & ducem Burgundiæ, inter ipsos pacem & concordiam tractaturum, &c.*

XXII. Res ecclesiastici imperii curat Martinus.

Dum ita ad pacanda Christiana regna Christi vicarius curas apostolicas collocabat, haud leves in ditione pontificia excitatæ sunt turbæ, quas legatorum opera sedare studuit. Alamannum itaque tit. S. Eusebii presbyterum Cardinalem in Spoletana, Narniensi, Interamnensi, & Amerinensi urbibus nuncium creavit, summa ei ad universas civium illorum contentiones & controversias componendas data potestate, (b); Bononiæ, Flaminiæ & exarchatui Ravennati Alfonsum S. Eustachii diaconum Cardinalem præfecit (c), utque perduelles facilius comprimere posset, fœderis armorum cum Florentina republica jungendi authoritate munivit. (d) Moverat in Alfonsi Card. provincia novos tumultus Angelus Pergulanus, insidiaque proditione arcem S. Petri suæ tyrannidi subjecerat, ausus etiam Apostolicæ sedis nuntios in custodiam dare. Ad quem reprimendum Martinus Nicolaum marchionem Atestinum incitavit (e). Vigebant præterea graviora dissidia inter Romanos & provinciam patrimonii, quam Bracci e Montone astu & opera ab ecclesia Romana descivisse vidimus: quæ ut tolleret Pontifex inducias proposita fœderis spe imparavit, gravibus pœnis in earum violatores constitutis (f). Quod ad Urbanas res spectat, prætereundæ non videntur apostolicæ literæ (g), quibus Antonium episcopum Portuensem ampla potestate Martinus instruxit, ut clerum basilicæ principis Apostolorum ex concilii Constantiensis sanctione ad ecclesiasticæ disciplinæ primævum decus reduceret: *Ut liberius,* inquit, *dissolutionis & insolentiarum possis amputare materias & alia, quæ tibi pro injuncto a nobis officio reformanda videris reformare, vices nostras & omnimodam tibi cum plena & libera potestate concedimus facultatem usque ad completam reformationem. Dat. Romæ apud S. Petrum XII. kal. januar.*

(b) Lib. 3. pag. 108.

(c) Ib. p. 254.

(d) Ib.

(e) Ib. p. 257.

Patrimonium B. Petri a Braccio vexatum.

(f) Lib. 3. pag. 130.

(g) Ibid. p. 292.

XXIII. Genuenses in servitutem redacti.

Hoc anno, ut referunt (h) Genuensium annales, respublica Genuensis amissa pristina dignitate in Philippi Mariæ ducis Mediolanensium cecidit servitutem: cum enim Baptista Fregosius classis præfectus nimio ardore Aragoniam classem, quam Mediolanensis conduxerat, insecutus esset, fusus profligatusque est; quæ calamitas Thomæ Fregosio Genuæ duci tantum terrorem injecit, ut is deditionem fecerit, acceptoque Serezanæ dominatu aliisque honestis pactionibus Genuam Mediolanensi iis legibus subjecerit, quibus antea Carolus VI. Gallorum Rex Genuense imperium gessisset. At Philippus Maria reliquias pristinæ libertatis elidere omni arte enisus est. Quæ vero in oriente Genuensium Coloniæ erant sibi ipsis exitium ultro pepererunt: nam maritimas vires Turcis ad excindendos Græcos conjunxere. Tantum potuit teterrimus auri fulgor, ut salutis & gloriæ penitus oblivi- scerentur: sed de his proximo anno dicetur.

(h) Aug. Justinian. l. 5. Bizar. l. 11. & Foliet. l. 10. & alii.

Agi-

I. Agitantibus de extinguendo vetere schismate consilia Græcis, antequam ad ea perficienda occidentales Reges adversus Christianæ fidei hostes auxilia compararent, Turcæ Rege Amurate in orientale imperium anno a Virginis partu millesimo quadringentesimo vigesimo secundo indictione quintadecima magno terrore irrupere (a). Annisus (b) erat Emmanuel Turcarum vires distrahere, ac Mustaphæ partes extulerat, ut is Europæum regnum Turcicum ab Asiatico divelleret. Successisset res ex sententia: verum Mustapha partis non contentus regionibus, profligato Europæ præfecto, quem Amurates immiserat, irrumpere in Asiam ausus cum exercitu victus est, ac peremptus a nepote Amurate: qui mox ad ineundam Europæi regni possessionem aspirans, atque in Græcos patrui Mustaphæ fœderatos ira percitus ad sibi subiiciendam Constantinopolim impetus convertere decrevit. Retardabatur maris fluctibus & navibus carebat (c), cum Joannes Adornias Genuensis datæ Christo in sacris baptismalibus fidei immemor, atque avaritia obcæcatus, nec pericula perpendens inqum patriam iniiciebat; Græcis enim devictis, tot Genuensium coloniæ sparsæ in oriente sine dubio exitio dandæ erant, plurimo ab Amurate conductus auro Mahometanum exercitum in Europam trajecit (d).

(a) Phranzius l. 1. c. 40.
(b) Id. ib. Calchond. l. 5.
Discissum Turcicum imperium.
Mustapha victus ab Amurate.
Amuratis in Græcos expeditio.
Cæca Joannis Adorni avaritia.
(c) Lib. 4. ep. cur. p. 81. & 123.
(d) Id. ib. 11.

Periclitanti Græcorum imperio opem ferre omni studio nisus est Pontifex; Amurates enim Emmanuelis Imperatoris oratores Cantacuzenum Lascarim & Philommatem missos, ut Europam ingressum delinirent officiis, & cum eo fœdus sancirent, barbarico furore in vincula duci, atque octava junii die Constantinopolim obsidione cingi jusserat (e), ad quam urgendam paulo post ipsemet accesserat. Ut itaque Mahometani pellerentur castris Martinus intentus Joannem patriarcham Constantinopolitanum Parisiensis ecclesiæ administratorem in Gallias legarat (f), ut Henricus Anglorum Rex icto cum Gallis fœdere arma in Turcas verteret. Tum Venetos, qui in Hadriatico mari classem instructam habebant, rogavit (g) ut eam ad solvendam Constantinopolis obsidionem in Thraciam mitterent, ac Rhodiis equitibus, ut cum illis vires maritimas jungerent, mandata dedit: Genuenses ac Philippum Mariam Vicecomitem monuit, (h) ut Genuenses e Turcico exercitu revocarent: de quibus certiorem factum Emmanuelem Imp. hortatus est, ut Græcos suos ad damnandum vetus schisma urgeret, fore enim, ut mox Latini ingentibus copiis comparatis subsidio ipsi accurrerent.

(e) Phranzius l. 1. c. 40.
Obsessa Constantinopolis.
Martini studia pro ferenda Græcia ope.
(f) Lib. 4. ep. cur. p. 77.
Venetos, Januenses, Rhodios concitat.
(g) Lib. brev. 5. p. 56. & in alio cod. ms. p. 23. & 76.
(h) Ibid.

Charissimo in Christo filio Emmanueli Romæorum Imperatori illustri salutem & apostolicam benedictionem.

Jam pridem audiebamus terribilem illum Turcum tuo minitantem imperio cum magnis copiis ex Asia in Europam beneficio mercenariæ classis trajecisse, & (quod modo magis multo nos angit) novissime significatum est nobis eumdem terra & mari prævalentem, castris ante urbem Constantinopolitanam positis, te & tuos gravissima obsidione constrictos intra mœnia continere non sine summo tui status periculo & dedecore nominis Christiani. Quæ rerum novitas nos commovit ad commiserationem calamitatis tuæ, & animum nostrum intentum ad sananda quædam alia vulnera Christianæ reipublicæ versus septentrionem & occidentem, statim avertit ad Græciam & ad tota pericula consideranda, & etiam, si qua via possemus nostris & fidelium auxiliis, repellenda ob Christiani nominis reverentiam, quod unum tibi est commune nobiscum: atque ita continuo mandavimus dilectis filiis magistro & fratribus hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, ut de Rhodo insula omnibus, quibus possent, opibus te juvarent; posse enim eos aliquid cogitavimus & propter locorum vicinitatem & opportunitatem, maris; debere autem eos scimus ex instituto religionis suæ contra perfidos abnegantes Christum filium Dei decertare: & ut ferventius ea facere velint, quæ possunt & debeant, ipsos mandatis nostris obstrinximus.

Emmanueli addit animos.
Significat Rhodios, opem laturos.

Venetos insuper devotos homines & potentes, qui etiam ipsa valeant celeritate succurrendi, propterea quod in Adriatico mari suam classem hoc tempore instructam habent, ex consueta suæ reipublicæ disciplina rogamus, ut tibi in hac necessitate, prout ipsis videretur expediens, subvenirent, nec paterentur illud imperium te sic oppresso, in potestatem infidelium devenire: quod propter eorum singularem fidem erga nos & Ecclesiam Dei, & propter eam, quam exercent erga omnes Christianos homines charitatem jam prompte fecisse, & nostra rogamina prævenisse cognovimus. Rogamus etiam de re simili Januenses & eorum nomine dilectum filium nobilem virum Philippum Mariangelum ducem Mediolanensem, eosque monuimus, ut a Turcarum præsidio revocarent quoscumque Januenses cum eorum classe & stipendiis infidelium navigantes. Sed ut aliquando tibi, fili charissime, demonstremus veram & certam rationem defensionis & securitatis tuæ non ad tempus exiguum implorandæ, sed in perpetuum conservandæ, fac ut non videaris membrum abscissum ab Ecclesia Dei & reliquo corpore Christia-

Et Venetos.

Monitus Emmanuel, ut se conjungat Rom. ecclesiæ.

nitatis; sed te non tantum nomine Christiano, verum omni cultu, fide, religione, doctrina conjunge nobiscum: nam, ut acriorem illam disquisitionem legis veritatisque divinæ, qua teneris, in præsentiarum omittamus, quæ his litteris explicanda non est; & descendamus ad rerum humanarum opportunitates, unde tibi & filiis tuis & imperio, quod vix anxie custoditur ab oppressione Turcorum, firmius & certius præsidium parari non potest, quam repetendo gremium Ecclesiæ matris tuæ & omnium Christianorum: quantum enim putas nomen & imperium tuum venerabile & formidandum magis apud eos ipsos hostes fidei Christianæ esse futurum, si te senserint cum reliqua Christianitate esse conjunctum, cum qua tota, si te unum invaserint, sibi esse pugnandum existimabunt, qui nunc imperium tuum velut vilissimam & postremam partem a catholicis derelictam, & eorum abjectam fovebunt, assiduis vexationibus & contumeliis inquietant.

Propter schisma animos viresque Turcis crevisse.

Quantum etiam tibi alacriori studio & voluntate succurreret Latina Christianitas si non alienos a catholicæ fidei disciplina, sed se veros fratres defendere cogitaret? cum multi sint qui, ut tibi verum fateamur, omnino negent succurrendum esse schismaticis, quos, inquiunt, malle ob infidelibus per hæc perpetua prælia pati, quam se cum fratribus una fide & voluntate conjungere. Quod si tibi & tuis aliquando Deus omnipotens hoc salutare consilium inspirabit, ut de Christiana religione nobiscum etiam concorditer sentiatis, & uni catholicæ Ecclesiæ obediatis, præter sempiterna præmia, quæ parata sunt beatis animabus in cœlo, quanta inde statui tuo & universæ Græciæ præsidia & ornamenta provenient; quare, fili charissime, non est amplius hæsitandum, nec tam sanctum propositum differendum, quod, quamprimum te exequi te velle senserimus, delegare curabimus ad id munus homines divinorum scientia peritissimos, & munitos sedis Apostolicæ authoritate, ut nihil ex parte nostra deficiat, quin & te & tuos ad veritatis viam reducamus, & te Imperatorem non Turcorum ludibrio deditum, sed cum gloria dominantem videamus. Unum postremo tacere non volumus, finem hujus inveterati schismatis per tuam sapientiam & cognitionem catholicæ veritatis, sublato schismate, quod pro jure summi pontificatus Latinum vexabat ecclesiam, de tuis manibus expectamus & credimus Deum omnipotentem hanc tibi uni gloriam reservasse: quod si nos & Ecclesiam spes ista fefellerit, non videmus, a quo amplius homine sperare possimus. Dat. Romæ.

Rumpendas esse moras omnes.

Missam in Constantinopolim legatos idoneos.

III. Ad confirmandum in constantia Emmanuelem, susceptaque abolendi schismatis consilia ad exitum adducenda Jacobum Porci clericum Metensem ad eundem misit (a), tum etiam Emmanuelem ipsum monuit (b), ut Theodorum Peloponensi despotam ad servandam pacem, quam cum archiepiscopo Patracensi pepigerat, hortaretur, ne Christiani mutuis se præliis obtererent, cum finitimi Turcæ tum Græcis tum Latinis imminerent.

(a) Lib. 4. ep. cur. p. 123.
(b) Lib. brev. p. 17. & in alio lib. brev. p. 39.

Charissimo in Christo filio Emmanueli Romæorum Imperatori illustri salutem, &c.

Quamvis non dubitemus dilectum filium nostrum natum tuum excellentem principem Theodorum despotum Moreæ, & sua benignitate & nostris hortationibus servaturum eam pacem, quam nuper fecit cum venerabili fratre nostro Stephano archiepiscopo Patracensi, tamen cupimus, ut ad hoc etiam tuæ serenitatis authoritas intercedat: hoc enim superiori tempore, cum Patracensis ecclesia ab eodem tot bellicis cladibus vexaretur, dolebamus certe pro detrimento ecclesiæ, sed etiam longe magis, quod ea quieta ab infidelibus & oppugnantibus nomen Christi, quibus finitima est, tot mala susciperet a principe Christiano & filio tuo: nunc vero gaudemus in Domino, quod intelleximus eos certis pacis fœderibus convenisse, quæ ut perpetua sint, & ne quid in futurum a parte archiepiscopi in contrarium attentetur, ei scripsimus atque præcepimus, sub pœnis gravibus comminantes, ut nulli domino sive genti bellum inferat sine nostra speciali licentia, ne propter hoc ejus ecclesiæ, cujus nobis præcipua cura est, læsionem aliquam patiatur, & præfatum filium tuum despotum charitative rogamus, ut pacem velit perpetuam conservare, & si quid fiet per ipsum archiepiscopum, quod existimet factum esse contra dignitatem suam, non continuo bellum moveat ecclesiæ nociturum, sed nos nuntiis & literis suis informet, statim pro ejus indemnitate & contra personam inferentes injuriam sine ecclesiæ læsione provisuros. Tuam vero sublimitatem imperatoriam obsecramus, ut eundem filium tuum in sententiam nostram adducas tuis præceptis & authoritate, ut in regionibus illis, quæ infidelibus sunt vicinæ, sese invicem non oppugnent Christiani, quos omnes, Deo favente, speramus temporibus nostris videre per manum tuam in sincera unione & recta religione conjunctos. Dat. Romæ, &c.

Inter Patracensem archiep. & Moreæ despotam pax composita.

Eam confirmat Pontif.

IV. Hæc sussit Martinus cum ex Græcorum & Latinorum mutuis odiis bellisque Turcica potentia in amborum exitium assurrexisset, unde ingenti dolore affectus est, cum nonnullos Christianos in tantum flagitium prorupisse cerneret, ut exiguo auro religionem prodidissent, ac Turcici imperii disjunctas vires, transportato ex Asia in Europam Amuratis exercitu, conjunxissent, atque eorum etiam signa secuti

Prodita a nonnullis religio.

ad

ad Mahometanam superstitionem in Constantinopolitano solio collocandam classem cum Turcis sociassent: in quos ecclesiasticæ animadversionis severitate hoc edicto (a) usus est, Christianosque ullam Turcis operam navare vetuit.

(a) Lib. 4. ep. cur. p. 123.

Ad perpetuam rei memoriam.

Angimur siquidem & maximo dolore confodimur, quod nonnulli perditionis & iniquitatis filii baptismatis fonte renati, Christianum nomen contemnentes, eorumque salutis immemores dudum accepto ab infidelibus stipendio Turcos ab Asia in Europam traiicientes, & infideles ipsos potentia primum desunitos unientes maritima tandem classe civitatem Constantinopolitanam una cum perfidis Turcis obsederunt & variis calamitatibus molestarunt, atque perturbarunt in magnam nominis Christiani ignominiam; ob quod eo majori doloris aculeo cruciati fuimus, quo hujusmodi obsessio magnum Christiano generi periculum ministrari videbatur. Proinde nos, qui ad defendendam civitatem prædictam nostros & Apostolicæ sedis favores & operam dare Deo auctore, efficacem intendimus, tam graves & detestabiles excessus ulterius sustinere nolentes, felicis recordationis Nicolai Papæ IV. & nonnullorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui deferentes infidelibus arma, equos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcumque mercimonia in nonnullas pœnas & sententias incidere statuerunt, tenore præsentium statuimus & decernimus, ut nullus in subsidium ipsorum infidelium contra & adversus Christianos, & præsertim contra civitatem Constantinopolitanam personaliter accedere, aut alias auxilium vel favorem in Christianorum dispendium præstare quoquo modo præsumat.

Obsedere mari cum Turcis Constantinop.

Sanctio in ferentes operam Turcis.

Nos vero illos, qui contra hujusmodi constitutionem nostram ausu temerario venire præsumpserint, eo ipso excommunicationis sententiam subjacere, a qua etiam absolvi nequeant, nisi tantum de bonis propriis in dicta civitatis & aliarum civitatum, terrarum & locorum, quibus damna intulerunt, subsidium convertendum exsolverint quantum detrimenti & damni partibus prædictis attulerint, nec non etiam ab eadem, præterquam in mortis articulo, absolvantur sententia absque mandato sedis Apostolicæ speciali: & nihilominus si personarum earum aliquam capi contingat in servitutem & captivitatem eorum esse volumus, in quorum ceciderint captionem; auctoritate insuper apostolica statuentes, ut illi, qui contra hujusmodi statutum nostrum venire præsumpserint, præter pœnas prædictas, ipso facto incurrant, ut perpetuo sint infames, & intestabiles habeantur, ita quod neque testari neque legata vel seu relicta percipere valeant: & insuper ad successiones tam ex testamento, quam ab intestato sint prorsus & reddantur inhabiles, nec ad publica qualibet admittantur officia, sintque illis omnes actus legitimi penitus interdicti, & tanquam excommunicati hostesque catholicæ fidei, postquam de ipsorum hujusmodi temeritate constiterit, diebus dominicis & festivis publice nuntientur, & in fiscum bona eorum omnia devolvantur. Volumus autem & harum serie decernimus, ut non solum illi, qui in futurum contra præfatam constitutionem, sed etiam qui præteritis temporibus temerario ausu prædicta patrare præsumpserint, omnibus supradictis pœnis & sententiis eo ipso subiiciantur, &c. Jussi sunt præsules hujusmodi sanctionem promulgare, ac magistratus in illos exemplum edere, qui Turcis militarem operam aliquando navassent. *Dat. Romæ apud S. Mariam majorem VII. id. novembris pontificatus nostri anno V.*

Anathemate ii percelluntur.

Infames & intestabiles renuntiati.

Privati bonis.

Cum porro spopondisset Martinus, ut antea vidimus, ad Græcos e Turcarum V.
gladiis vindicandos crucesignatorum auxiliarem occidentalium exercitum se transmissurum, modo Græci pristinam ecclesiæ Constantinopolitanæ cum Romana conjunctionem prius redintegrarent, ad id perficiendum Antonium Massanum Minoritam internuntium misit, qui honorificentissime Constantinopoli exceptus cum ea de re una cum Emmanuele Imperatore & Josepho patriarcha acturus esset, apoplexia correptus Emmanuel obiit: [1] cui successit Joannes primogenitus, cum quo Antonius in colloquium venit, legationemque pluribus capitibus distinxit, exposuit nimirum Martini Pontificis flagrantem cupiditatem veteris ecclesiastici Latinos inter ac Græcos fœderis instaurandi: mox mala, quæ ex schismate manarant recensuit: si perstiterint in schismate, ad Mahumeticam superstitionem demum de-

Internuntius Constantinopolim missus.

NOTÆ [1] EMmanuelis imperatoris obitum annalista hic aliquantisper anticipat. Quanquam enim hoc anno, die I. octobris apoplexiæ morbo correptus omni privatus sensuum usura elanguit, forte tamen, velut moris est iis, qui eo morbi genere tanguntur paulatim dein respiravit, vel longam mortem ad sequentem usque annum protelavit; Profecto obiisse illum anno 1423. & mundi; ex Græco computo 6923. die XXI. julii Phranza testis oculatus affirmat. Sed Marinus Sanutus, qui Venetorum principum vitas ex publicis patriæ suæ documentis sub exitum sæculi hujus scribebat, author est die XVIII. aprilis navigium ex Romania ad Venetum sonarum transmissum obitum Græci imperatoris annunciasse quæ si admiserimus mendum in textum Phranzæ admittamus oportet. MANSI

defecturos: prænuntiatum imperium nisi Romanæ conjunctam ecclesiæ stare non posse: Emmanuelem Imperatorem & patriarcham sine ambagibus experiisse, ut hujusmodi conjunctio conciliaretur, promissisque standam: necessariam ad eam perficiendam conciliam, atque Petrum legatum Cardinalem S. Angeli Græcorum Turcicam irruptionem significantium literis retardatum; decernendum vero quando, ex quibus, & quo in loco celebranda sit œcumenica synodus: fidem, quam Romana docet ecclesia suspiciendam, eam amplexuris auxiliares copias ab Hispanis & aliis Regibus offerri; cum tempus & locum condixerint Græci ad eam a pontifice legatum, præsules, doctoresque missum iri. Sed rei memorandæ acta (a) ipsa afferenda videntur.

(a) Ext. in actis conc. Senen.

In individuæ sanctæ Trinitatis nomine.

Amen.

VI. Legationis gestæ acta.

A Christi nativitate anno millesimo quadringentesimo vigesimo secundo indictione quintadecima die decimaquarta novembris Constantinopoli in urbe regia in præsentia domini Imperatoris Romæorum præsentibus testibus infrascriptis ad hæc omnia & singula vocatis & rogatis, reverendissimus & integerrimus vir atque clementissimus sacræ theologiæ professor magister Antonius Massanus, qui dicitur orator & nuncius apostolicus in partibus Græciæ ad diem x. septembris mill simi s prædicti Constantinopolim applicuit: qui majori suæ honestati consulens divertit in Peram ad conventum ordinis fratrum Minorum, statimque per reverendos & honestissimos viros fratrem Guillelmum confessorem excelsæ & christianissimæ Imperatricis, & magistrum Joannem præfati oratoris socium serenissimo principi domino Manueli Dei gratia Romæorum Imperatori significavit primo se esse nuncium apostolicum missum ad suam majestatem imperialem, deinde ubi & quo in loco, eidem gerens morem, secesserat, tertio vero quandocumque sua imperialis majestas pro eo mitteret, ipse semper paratissimus esset. Cui quidem domino oratori idem dominus Imperator per eosdem dominos venerabiles fratres ad suam serenitatem transmissos hujusmodi responsum dedit.

Primus congressus arcanus fuit.

Primum lætari se plurimum de ipsius adventu: de loco autem, in quo erat, vehementer congratulari, & ita meliorem eligere non potuisse: demum vero, quod prope diem pro eodem mitteret, quo voluntatem beatissimi summi Pontificis audiret. Postea vero cum ad diem decimum sextum ejusdem mensis septembris ipse dominus Imperator misisset, idem reverendissimus pater dominus nuncius apostolicus ad imperiale palatium profectus est honorificentissime associatus, & ab honorabili domino bajulo illustrissimi ducalis dominii Venetorum, & alia multitudine nobilium copiosa tam Græcorum quam Latinorum; ibique facta majestati imperiali reverentia debita eidem bullas Sanctissimi in Christo patris & domini Martini divina providentia Papæ V. præfatus dominus orator propriis ipsius manibus porrexit, atque benedictione sanctitatis apostolicæ assignata dixit, habere se ex mandato apostolicæ ipsius sanctitatis, & sua serenitati & reverendissimo in Christo patri domino patriarchæ novem quæstiones exponere. Quibus dominus Imperator respondit suo loco & tempore ad illas exponendas iterum se pro eodem domino oratore missurum.

Exceptus dein publice nuntius apostolic.

Ad diem autem tertium octobris cum idem illustrissimus Imperator Manuel mittere instituisset, veluti antea dixerat, ut ipsa una cum domino patriarcha eas novem conclusiones exponendas attenderet, gravissima infirmitate oppressus est, & adeo oppressus repente, ut & loquelam omnem, ac sensus omnes penitus amiserit: quamobrem die decima ejusdem mensis octobris idem reverendissimus dominus orator & nuncius apostolicus per supradictos fratres Guillelmum confessorem & magistrum Joannem transmissos ad illustrissimum principem dominum Joannem ejus serenissimi domini Manuelis filium primogenitum atque Romæorum Imperatorem in prædictis designatum primo apud ipsius majestatem condoluit de adversa valetudine excellentissimi patris sui, deinde modestissime ipsi significavit, quod legatio beatissimi summi Pontificis in longiusculum trahebatur.

Emmanuel Imp. apoplexia correptus.

Internuntius agit cum ipsius filio.

Ad diem vero decimamquintam ejusdem mensis octobris idem illustrissimus dominus Joannes Imperator junior, advocato in suum imperiale palatium præfato reverendissimo patre magistro Antonio Massano dignissimo nuncio apostolico, illam sacratissimam Pontificis summi legationem in novem conclusiones distributam in secreto audivit, rejectis ac remotis omnibus præter suorum aliquot: quibus quidem novem conclusionibus accuratissime auditis, post pleraque verba dixit, usque ad dies paucos ad ea se responsurum, quæ ipsi domino oratori placita fierent. Vigesima autem die ejusdem mensis octobris reverendissimo in Christo patre & domino domino patriarcha Constantinopolitano supradicto publice in ecclesia S. Stephani coram suis metropolitanis calogeris, & abbatibus, atque aliis multis tam Græcis, quam Latinis hominibus, idem nuncius apostolicus easdem novem conclusiones exposuit, quibus & ipse reverendissimus quoque dominus patriarcha atque ad dies paucos responsurum affirmavit. Ipsæ vero conclusiones, quas illustrissimo domino Imperatori atque reverendissimo in Christo patri domino patriarchæ præfatus dominus orator retulit hæc habent de verbo ad verbum.

Legationis causam exponit.

Iterumque patriarchæ.

Sua.

VII. Pontificis elogium.

Sanctissimus & beatissimus, qui habet cæleste arbitrium, qui est dominus in terris, successor Petri, christus Domini, dominus universi, Regum pater, orbis lumen, summus Pontifex Papa Martinus divina providentia Papa V. mandat mihi magistro Antonio Massano ordinis Minorum oratori & suo nuncio in partibus Græciæ & Moreæ vobis reverendo in Christo patri & domino domino Joseph patriarchæ dignissimo Constantinopolitano, & serenissimis principibus Manueli & Joanni Romæorum Imperatoribus Palæologis novem annunciare maximas sententias, quarum.

Exposita Martini desideria de conjungenda Latinæ Græca ecclesia.

Prima fundatur in domini nostri Papæ ad unionem ardentissima desiderio: cum enim omne ex natura sua tendat ad unionem, quia non vult totum a suis partibus separari nec partes a suo toto, ut unio servetur; præterea quoniam virtus unita fortior est dispersa, sanctissimus dominus Papa non tantum desiderat unionem ex natura, sed etiam ultra naturam inclinatam tantum optat ex sua bonitate pontificatus domini nostri felicissimam videre diem illam Ecclesiarum Latinæ Græcæque unione, ut præter Deum nihil supra. Deinde intendit pro hac totum ecclesiæ Romanæ licitum justum apponere, atque honestum; & quod feliciter hac in vita sua sanctitati occurrat certo ei non venit in mentem: & totum collegium dominorum Cardinalium, omissis omnibus, quasi de re alia non pertractat, quam de ista sanctissima unione. Sed quid dicam de domino legato reverendissimo Cardinale S. Angeli qui, ut inferius explanabo, ad mortem se posuit in horrendo mari contra omne medicorum consilium? tam accensi harum ecclesiarum Græcæ & Latinæ desiderio ardebat concludendi unionem, ut ecce dicamus: Desiderio desideravit Christi vicarius cum suis Cardinalibus hoc pascha unionis, communionis, & pacis facere vobiscum Græcis natis in Ecclesia catholica & apostolica rugam non habente, schisma, neque dolos.

VIII. Exposita schismatis mala.

Secunda conclusio in summa habet subvenire malis & periculis, quæ ex hoc schismate provenerunt hactenus & quotidie proveniunt, tam spiritualiter quam temporaliter, quæ lingua, pater patriarcha & Romæorum Imperator, sufficit explicare in hac pestifera divisione sanguinis effusiones, hominum strages, incensiones, furta, adulteria, homicidia, & similia mala ineffabilia? Propter hoc pessimum malum Græcia nobilis tam florida perdidit prosperitatem dominii sæcularem, sapientiam, ac morum serenitatem, principum nobilitatem, plenitudinem populorum, mercatorum affluentias, maris potestatem. In præsenti vero Græcia omnis, omissa utriusque hominis pace, guerris inimicorum crucis Christi undique premitur & in servitutem redigitur; quid scelestius dici posset, quam quod infideles fideles Christianos, suppeditantes arma, movere cogant ut plurimum contra Christianos? Quid inhonestius, quam ut pudica domina Græcorum aliæ timore nunc amore per viros suos nunc admittantur ad tortorum conjugium, immo per parentes ad dispensationem, si dispensatio habet dici? Vos utique Latinos abominantes & vocantes nos schillos Francos, cum simus ejusdem fontis renati baptismate, ejusdemque cælestis Patris filii atque heredes & fratres. Sed (quod deterius est) nisi ista cesset scissura, omnes nunc tam Tartaris, quam Turcis obedirent, & renunciabunt evangelio Christi, & jam fierent filii Mahometis ex carentia prædicatorum pacem, unionem, & salutem annunciantium etc. Sed circa periculum, ne pereat præsto ex tota Græciæ monarchia irrecuperabiliter, dari forsan consilium nullatenus salubrius, quam se nobiscum unire charitatis vinculo, ut fiat velut antea unum ovile & unus pastor, & ut filii Dei Græci, qui sunt aliqui in Græcia, aliqui in Armenia, aliqui in Syria, aliqui in Bulgaria, aliqui in Turchia, &c. & congregentur in unum ecclesiæ Romanæ consensum; alias omnia per brachium infidelium remedia periculosa certe sunt.

Græci in servitutem redacti.

Iidem in Latinos arrogantissimi.

Si persistent in Schismate ad Mahumetismum defecturi prædicantur.

IX.

Tertia conclusio salvatur in requisitione promissi, quantum reverendus pater & dominus episcopus Slomensis & dominus Nicolaus Eudemon Joannes obtulerunt & dixerunt aperte, distincte, & clare, omni remota obscuritate, domino & sanctissimo Papæ Martino V. voluntatem esse patriarchæ reverendissimi Constantinopolitani & serenissimorum Romæorum Imperatorum procurare, ac curare sine fraude & dolo sanctissimam unionem ecclesiæ Græcorum cum ecclesia Latina sub illa fide, quam sancta Romana ecclesia tenet, & obedientia ad eandem ecclesiam Romanam, ut intendit dominus noster Papa in suis bullis credentialibus ad vos reverendissimum patriarcham, & ad vos serenissimos Imperatores, & ad præfatos vestros, ut etiam testantur hæc litteræ credentiæ reverendissimi domini legati ad eosdem: ideo dominus noster merito bonus ut pastor requirit, invitat vos justum ad promissum servandum in sancta sede Apostolica, &c.

Ut Emmanuel Imp. & patriarcha eam conjunctionem expeterunt.

Provocantur ad servanda promissa.

X. Card. S. Ang. legatus creatus.

Quarta conclusio creatione legati firmitatem habet, propter quæ præmissa tam mirifica sanctissimus dominus noster Papa illico Florentiæ creavit dictum legatum ex latere & publicavit reverendissimum in Christo patrem dominum Cardinalem S. Angeli, qui dominus Cardinalis & legatus propter nonnullas Ecclesiæ necessitates & suas pervenit ad Hispaniam de conscientia ejusdem domini Nicolai Eudemon Joannis oratoris vestri, eo quod tunc non erat tempus idoneum navigandi ad Græciam, nec erant præordinata, quæ de necessitate vi-

Cur navigarit in Hispaniam.

videbantur ordinanda Constantinopoli pro concilio fiendo; sine enim concilio visum fuit Graecorum & Latinorum praefatam unionem sequi non posse, & ipsi satis erant ad hoc faciendum. Fuit autem praedictus dominus Cardinalis in Hispania gravissima infirmitate detentus, a qua nondum liberatus in mortis periculo se posuit contra etiam salubre consilium medicorum, ut ad implendum opus sui officii veniret, & ut non faceret voluntatem suam, sed voluntatem ejus patris domini Papae, qui misit eum.

Adversa valetudine distractus.

XI. Retardatus in procinctu itineris Graecorum literis.

Quinta conclusio attenditur penes impedimenta, ex quibus legatus & dominus Cardinalis non ivit ad Graciam: cum enim versus eundem se parasset ad iter, literae supervenerunt episcopi Theodori nec non & aliorum multorum deportata per fratrem Macarium & alios nonnullos, in quibus expresse continebatur haec sententia, quod congregatio pro concilio fiendo praelatorum Graecorum isto tempore fieri non posset propter inhumanissimum Turcorum guerram & transitum eorundem ad partes Graeciae, et etiam in eisdem literis renunciatum est Constantinopoli esse nullum vestigium praeparationis concilii. Incassum ergo supervenisset legatus, &c.

XII. Sexta conclusio vigorem habet in destinatione nuncii apostolici, quare ne longum iter diuturna mora legati esset sine fructu, dominus noster Papa habito maturo & digesto consilio deliberavit praemittere me nuncium suum apostolicum, ut praeordinarem congregationem praelatorum Graecorum, quae repraesentat totam ipsorum Ecclesiam, ne in primum inconveniens incidamus, quando oratores Imperatoris Constantinopolis in concilio Lugdunensi se Romanae ecclesiae univerunt, & Credo in Deum, prout eadem ecclesia, publice decantaverunt; nec tamen illi reductioni, ut patet, Graecia stare voluit asserens, ut fertur, sine communi concilio id actum esse: expedit quidem hoc ad tollendum vetustissimum malum. Hoc sciam qualiter, quo possum clarissime informare dominum nostrum Papam & legatum, scilicet quo tempore fieri debet istud concilium, quo loco, & ex quibus Graecorum praelatis, & ad quem finem concilium intendit, quia cujus finis bonus, ipsum quoque bonum est, & cujus finis malus ipsum quoque malum est, &c.

De necessitate concilii.

Quaesita circa illud.

XIII. Ut conjunctio fiat sub fide, quam colit Rom. ecclesia.

Septima conclusio roboratur in certitudine promissi, unde quaero si vos reverendissime patriarcha & serenissimi Imperatores intenditis realiter operari, quod unio fiat sub fide, quam Sacrosancta Romana ecclesia tenet & servat, & obedientiam ad eandem Romanam ecclesiam, isto etiam, quod alii Graeci congregati in concilio quia non sunt sub dominio vestro, non vellent accedere, istud idem dominus episcopus Theodorus & dominus Nicolaus Eudemon Joannes obtulerunt Florentiae pro parte reverendissimi patriarchae & serenissimi Imperatoris Manuelis sanctissimo domino nostro Papae & legato, &c.

Octava conclusio existit in oblatione domini legati, promittit enim certissime illustrissimus dominus Cardinalis S. Angeli & legatus ex latere in partibus Graeciae, uti promisit si recto animo & dicto instituto veniatis ad supradictam sanctissimam unionem, promptum adjutorium Regis Aragoniae, Regis Castellae gloriosissimorum pro fidei triumpho, nec non & aliorum principum, quamvis coacta Deo non placeant, hilarem enim datorem diligit Deus.

Promissa ab Hispanis auxilia.

Nona conclusio terminatur in finali & sancto promisso sanctissimi domini nostri Papae. Ego nuncius apostolicus magister Antonius Massanus ordinis Minorum palam coram omnibus promitto de mandato domini nostri Martini Papae V. quod si praedicta unio per reverendissimum dominum patriarcham & imperialem majestatem una cum modis supradictis fiet, sanctissimus dominus noster Papa praesto mittet legatum absque mora retardationis cum praelatis & magistris ad hoc specialiter ordinatis, ubi primo, sicut praemisi in sexta conclusione, sciam tempus hujus sacratissimi concilii & locum ejusdem congregationis praelatorum Graecorum sufficientem & idoneum, & in quem finem intenditis esse nobiscum in concilio, & quomodo. Eugenium IV. Martini exemplo concilium celebrare in Graecia meditatum, cum ita ecclesiarum conjunctio firmius coalitura videretur: sed a Basileensibus increpitum dicturi sumus. Addunt acta, ut diffugia Graeci captare sint visi, atque internuntius apostolicus eos impulerit, ut certum responsum darent, eosque belli Turcici curas graviores praetexuisse.

De tempore & loco conducendis.

XIV. Secundum internuntii cum patriarcha colloquium.

Post autem haec novem conclusiones, ita ut scripta sunt diligenter expositas, idem reverendissimus pater dominus nuncius apostolicus magister Antonius Massanus ad diem XXIV. ejusdem mensis octobris eundem reverendissimum in Christo patrem dominum patriarcham secundo convenit & alloquutus est super conclusionibus suprascriptis. Item & die XXVI. ejusdem mensis praefatus dominus nuncius apostolicus supranominatus fratrem Guillelmum confessorem & Joannem socium suum ad eundem serenissimum dominum Imperatorem dominum Joannem misit, ut sua majestati placeret responsionem sibi dare ad ea, quae nomine beatissimi summi Pontificis sua serenitati retulerat. Die vero XXX. ejusdem quoque mensis octobris iterum dominus Imperator apud eundem reverendissimum dominum patriarcham fuit ad tractandum & colloquendum de modo celebrandi concilii. Kalendis autem novembris idem serenissimus dominus Imperator Joannes misit ad ipsum dominum oratorem quemdam ex nobilibus suis

Urget eundem ut ad proposita respondeat.

Tergiversati aliquandiu Graeci.

cata-

cutacismon ad dicendum, ne miraretur si tam cito minus responsum dabat, quoniam multis & maximis negotiis bellicis in præsentiorum esset implicitus. Deinde quoque ad diem tertium novembris dominus nuncius apostolicus misit ad quendam imperialis majestatis calogerum & ad closepicum, ut vellent illustrissimum dominum Imperatorem ac reverendissimum dominum patriarcham ad hanc unionem sacratissimam excitare. Ad diem vero XIV. novembris præfatus dominus nuncius apostolicus responsionem habuit ad omnes supradictas conclusiones tam a reverendissimo domino patriarcha quam ab illustrissimo domino Imperatore supradicto, quoniam cum firma, ac solida in se esse asserat, idem dominus nuncius apostolicus hic annotari seu adscribi voluit. Scriptum & publicatum Constantinopoli, &c. Adjecta sunt plurium testium nomina, quæ brevitatis studio prætermittimus.

Excusant bellicis curis se premi.

XV.

(o) Ext. ejus lit. in act. Conc. Senen.

Respondit (o) demum Joannes Imperator, si Græci oratores pure sub ea fide quam profitetur Romana ecclesia conjunctionem illius expetierint, talia se oratoribus mandata non dedisse, sed ut poscerent, ut concilium œcumenicum ex Græcis & Latinis cogeretur, cujus decretis antiquorum conciliorum more standum esset, neque necessarium, ut omnes patriarchæ & episcopi illi interfint: hoc tempore ob bellum Turcicum indici synodum non posse, sed eo sedato indicendum: tum preces addidit, ut Latini arma in Turcas verterent, multo minus commodarent naves, ut Turcæ in Græciam ex Asia trajicerent, cumque legatus Cardinalis accesserit de concordia agitatum iri, neque aptiorem locum pro celebrando concilio Constantinopoli videri.

Sanctissimo in Christo patri & domino domino Martino sacrosancta Romana Dei catholica & apostolica Ecclesia summo Pontifice dignissimo, Joannes in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum Palæologus semper augustus reverentiam debitam & devotam.

Joannis Imp. lit. ad Mar. V.

Reverendus vir ambasiator vester Antonius presbyter monachus theologiæ magister venit ad nos gratia mandata sanctitatis vestræ ferens, ac accepimus & cognovimus ab ipsis & a vestro ambasiatore quæcumque nobis ipse dixit. Ad primos enim sermones, qui fere in summa fuerunt, quod ex parte mea dixit Nicolaus Eudemon & reverendus episcopus Olenius Theodorus, quod volumus unionem simpliciter cum Romana ecclesia; quoniam respondimus ipsi ambasiatori ad verbum, a quo sanctitas vestra de omnibus agnoscet, affirmamus etiam per nostras literas expresse, quod non solum aliquid tale commisimus, sed neque omnino unquam ipsum in mente dicere habuimus; sed quod scripsimus in literis nostris istud, & non aliud, nostri ambasiatores impositum habuerunt implere & enucleare propriis sermonibus, videlicet fieri concilium universale secundum ordinem & consuetudinem sanctorum septem universalium conciliorum, & quod concesserit Spiritus Sanctus ad pacem, istud firmare & tenere. Circa sermones autem ipsius magistri Antonii ambasiatoris; post hoc quod quæsivit agnoscere locum & modum & tempus concilii; respondemus de loco quidem Constantinopolim, cum imperium nostrum in præsenti neque aptiorem alium locum habeat, neque possimus ire alio propter necessitatem rerum in qua magis nunc sumus, quam aliquando, & etiam propter necessitatem expensarum, quibus ipsum negotium indiget. De modo, non necessitatem esse ducimus omnes sanctissimos patriarchas & omnes episcopos provinciarum nostrarum interesse. Concilii autem hujusmodi expensas omni præterito tempore faciebat imperium; nunc autem similiter esset opus: imperium vero nunc non potest ullo modo, nec facultatem habet ad id faciendum; qua de causa sanctitatem vestram rogamus, ut circa hanc rem provideatur sufficienter.

Promissa revocat.

Negat habuisse in mente.

Interpretatur poposcisse Concilium Sui standum foret. Nullum locum aptiorem esse Constantinopoli.

De tempore autem optamus & desideramus, ut taliter essent res, quod hodie hoc divinum opus unionis & nobis placitum principium acciperet. Sunt circa nos res tales, quales vidit suis oculis Antonius, quæ quasi penitus destructis nobis omnibus sunt sub periculo gladii, & hæc civitas & omnia nostra, & non est possibile congregare episcopos ab Asia, neque ab Europa propter guerras infidelium; dicimus quod Deo dante pacem & firmitatem rebus, statim scribemus vobis, & expectatis nostris literis ad vos & ex vobis ambasiatoribus nostris sumentibus cum exitu & expensis circa concilium faciendis ab illa die incipiente eo usque ad finitum annum, ut concilium fiat. Verum hoc magnum desiderium & singularem amorem, quem habemus ad tale divinum opus unionis, dicimus & hoc, quod etiam existente guerra infidelium, si sanctitas vestra fecerit cautela pro securitate nostrorum necessariorum locorum, & fecerit excommunicationem terribilem & insolubilem contra quoscumque vestros homines, ut non relinquant nos solos in guerra infidelium, & ipsi in pace sint cum ipsis; sed auxilientur nobis contra infideles, ita quod ipsi infideles non habeant facultatem inferre contra nos armatas naves ipsorum, & hoc portet nobis reverendissimus Cardinalis habens ex vobis generalem authoritatem & vim super istis, placet nobis incipere unionis opus ab ipsa die, qua huc advenerit prædictus reverendissimus Cardinalis; & tunc conveniente sacro concilio secundum antiquum sanctorum universalium septem præteritorum ordinem, & consuetudinem, & veritate sine

Concilii tempus ob Turcarum bella indici non posse.

Sedato bello se missurum oratores ut labente anno celebretur concilii.

Obsecrat ut Latini in Turcas moveant arma.

Postulatur Card. legatus.

con-

contentione quæsito, quidquid revelatum fuerit inspirante Spiritu Sancto in hoc sancto concilio utrique parti placitum sit, & subsequatur omnis terminus mundi, ita quod fiat universalis unio & infrangibilis & firma ecclesiarum. Datum in urbe nostra Constantinopolitana MCCCCXXII. die sabbati xvi. mensis novembris sub nostra imperialis sigilli impressione & nostra solita rubea subscriptione.

XVI. Visum etiam erat Martino celebrandum Constantinopoli concilium, dum Græci superstite Emmanuele Imperatore fidem Romanæ ecclesiæ suscepturos se affirmabant: eum vero jam discuti dogmata vellent in concilio œcumenico, in quo summam potestatem, utpote Constantinopoli celebrando, forent schismatici habituri, pertimuere nonnulli rem catholicam adductum iri in discrimen; nec Pontifex legatum & præsules illuc misit; actio itaque de abolendo Græcanico schismate in plures annos extracta est.

Visa Constantinopolis suspecta.

Interea Martinus non modo in reducendis ad Ecclesiæ sinum Græcis tuendaque in oriente religione, verum in ea etiam ab hæresibus vindicanda in occidente apostolicas curas posuit. Laborabat (a) Bohemia uti supra vidimus, Pragensium, Calistinorum, Hussitarum, Thaboritarum, & Orebitarum factionibus tanquam hydra fœcunda, quæ dispar sententiis, par vero impietate, ac furore in Ecclesiam catholicam sæviebat, duceque Zischa templa avertebat, profanabat aras, sacras imagines frangebat, sacerdotes igni torrebat, aliaque gravissima flagitia committebat. Ad quæ tollenda mala jam ante imperata fuerat a Pontifice sacra expeditio iterum iterumque intermissa, ac repetita: ut eam vero redintegraret Martinus, hujus etiam anni decursu amplissimam legato decernendi potestatem ad fidem propugnandam contra homines impios, eosve frangendos armis, aut conciliandos Ecclesiæ, cum fideles sibi beneficiis devinciendos, pluribus exaratis diplomatibus, dedit (b).

Bohemiæ misera conditio.

(a) Cocl. l. 5. hist. Hussit.

Catholici exagitati.

Cum etiam plures archiepiscopi, episcopi, abbates, canonici, monachi, ac sacerdotes defendendi evangelii incitati pio studio, postquam jam ante soluto Constantiensi concilio Joannes Dominicus tit. S. Sixti Cardinalis legatus ad hæreticos divino verbo ad pietatem traducendos missus fuisset, nec mitiora valuissent remedia, immo in deterius ii essent mutati & Christi domini, ac beatissimæ virginis, aliorumque sanctorum imagines abolere non verterentur, ac viros pios igne occiderent, ad tantum vindicandum scelus, accepto crucis symbolo una cum Sigismundo Rege coissent ad arma, ac magnas hæreticorum edidissent strages, urbesque & oppida impiorum una cum civibus ac templis & monasteriis inflammassent incendissentque; post quæ divinis peragendis non abstinuissent, subjissetque deinde animos aliqua religio, num se ecclesiasticis censuris irretiissent, Pontifex, (c) pio eorum commendato studio ipsos ab omni contracta piaculi suspicione absolvit, hortatusque est, ut susceptam expeditionem urgerent, unde alii eorum exemplo præliorum periculis intrepide sese pro catholica religione offerrent.

(b) Lib. 4. ep. cur. p. 2. ad 12. & p. 56. ad 100.

Sacræ imagines injectæ flammis.

(c) Lib. 3. ep. cur. p. 331.

Ad futuram rei memoriam.

XVII. *Dudum (quod dolenter referimus) frequenter in regno Bohemiæ & nonnullis partibus illi contiguis vel subjectis pravitatem hæreticam adeo excrevisse quod, nisi provideretur celeriter, orthodoxæ de fidei exterminatione poterat non immerito formidari, bonæ memoriæ Joannem tit. S. Sixti presbyterum Cardinalem A. S. L. tanquam pacis angelum, nonnullasque prælatos & personas idoneas, quorum honesta conversatio exemplum tribueret puritatis, & erudita labia doctrinam funderent salutarem, ut sacro illorum ministerio partes illæ ab hujusmodi contagiis purgarentur, ad regnum & partes misimus prælibatas: & cum regni & partium ipsarum hæretici legatum & personas hujusmodi nedum admittere, sed audire penitus recusarent, & quamplures ecclesias, monasteria, & alia loca sacra fidelium calicibus, missalibus, ornatibus, paramentis, & aliis ad divinum cultum necessariis, nec non jocalibus, & aliis rebus omnibus mobilibus & immobilibus spoliassent; nec non figuras & imagines Jesu Christi, beatæque Virginis gloriosæ, & aliorum sanctorum destruxissent, illasque, ac ecclesias, monasteria & alia loca hujusmodi cum ipsorum prælatis & personis ecclesiasticis utriusque sexus inhumaniter igniis incendio concremassent, & penitus devastassent, quoscumque etiam fidem catholicam profitentes necando, & diris martyriis affligendo; nos tantam Christi injuriam & blasphemiam, ac fidelium stragem sustinere, prout nec debebamus, ulterius non valentes, charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Romanorum Regem illustrem, ac venerabiles fratres archiepiscopos & episcopos, ac dilectos filios abbates, aliosque ecclesiarum & monasteriorum prælatos, presbyteros, & clericos, ac personas ecclesiasticas sæculares, & regulares cujuscumque status, gradus, seu conditionis, aut in quibuscumque ordinibus constituti fuerint, cæterisque Christi fideles universos tam nobiles, quam plebejos per Bohemiam, Germaniam, & alias ubilibet constitutos monendos duximus & hortandos, eis nihilominus in remissionem peccaminum injungendo, ut signo vivificæ crucis assumpto contra hæreticos ipsos ad Christi vindicandam injuriam tantamque*

Pontificium pro hæreticis ad Eccl. traducendis studium.

Cathol. Bohem. ad sumenda arma inflammati.

en-

extirpandam hæresim in illius nomine, qui fortium artus superat & infirmos robore potenter accingit, viriliter & potenter insurgerent.

Cum itaque propterea nonnulli ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prælatis, canonicis, presbyteris, & clericis, cæterisque ecclesiasticis sæcularibus & regularibus personis & fidelibus hujusmodi postquam hæreticos ipsos, ac pravitatis hujusmodi tenebris derelictis ad observantiam redirent fidei orthodoxæ, charitative monuerant, fuerantque instantia non modica exhortati, contra illos in eorum perfidia fortius invalescentes & redire ad unitatem Ecclesiæ non curantes, prælia quamplura commiserint, in quibus infinita ex ipsis hæreticis etiam prælatis, presbyteris, & clericis, etiam in dignitate constitutis, cadavera ceciderunt, nonnullaque oppida, villas, & loca ipsorum hæreticorum vi, & non sine magna ipsorum fidelium cæde, capta ignis incendio cum habitantibus in eis ac ecclesiis & monasteriis aliisque locis sacris & personis ecclesiasticis concremarint, funditusque everterint, nonnulla etiam alia ad ipsorum hæreticorum perditionem committendo; & successive, nulla super juris canonica dispensatione obtenta, divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt & alias immiscuerant se eisdem; timentque propterea archiepiscopi, episcopi, abbates, prælati, presbyteri, & clerici, aliæque tam sæculares quam regulares personæ ecclesiasticæ, nec non alii forsitan in majoribus, quam superius expressis, dignitatibus constituti excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias & pœnas alias, ac irregularitatis maculam, nec non privationem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personatuum, canonicatuum, & præbendarum, & aliorum beneficiorum suorum, & officiorum ecclesiasticorum, nec non privilegiorum, immunitatum, & exemptionum obtentorum privationem, & obtinendorum inhabilitatem forsitan incurrisse; nos, qui conservationem & augmentum hujusmodi fidei præ cæteris exoptamus, & ad quorumcumque in ipsius fidei depressionem quacumque malignitate insurgentium iniqua prosternenda conamina ac vehementius anhelamus, quo illos in animarum stragem cognoscimus aspirare; ac archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, prælatorum, presbyterorum, clericorum, tam sæcularium quam regularium, etiam in majoribus, quam superius expressis, dignitatibus constitutorum, personarum & fidelium hujusmodi indemnitati & quieti eo cautius providere volentes, quo ipsi promptius & violatores & eorum partes hujusmodi fidei reprimant & confundant, ac se hostias offerant Deo vivo, motu proprio, non ad alicujus super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed

Maximæ clades hinc inde acceptæ illatæque.

Dubitatum an Sacerdotes censuras contraxissent.

Commendatus a Pont. eorum pius ardor.

de nostra mera liberalitate & certa proposito archiepiscopos, episcopos, abbates, prælatos, presbyteros, clericos sæculares & regulares quoscumque tam de dicto regno, quam terris & dominiis eidem suppositis, quam aliis undecumque fuerint, cujuscumque conditionis ordinis existant, quibuscumque nominibus censeantur, etiam in majoribus, quam superius expressis, dignitatibus constitutos, præmissorum vel alicujus eorum occasione excommunicationis, suspensionis, aut interdicti censuras, sententias, seu pœnas a jure vel ab homine in talia perpetrantes inflictas, aut inhabilitatis, seu infamiæ notam, vel irregularitatis maculam, seu privationem ecclesiarum, monasteriorum, aut canonicatuum, & præbendarum, seu dignitatum, honorum, administrationum, & officiorum, ac feudorum tam ecclesiasticorum, quam temporalium, nec non privilegiorum & immunitatum, & exemptionum hujusmodi privationem seu inhabilitatem nullatenus incurrisse, illisque minime privari posse; quodque personæ ecclesiasticæ hujusmodi in susceptis ordinibus ministrare, alii etiam ex nunc vel in posterum ad militiam clericalem ascribi cupientes, seu alias non promoti, ad omnes etiam sacros ordines promoveri, ac missas & alia divina officia celebrare & aliter se illis immiscere, & fideles hujusmodi dignitatibus, administrationibus, officiis, feudis, immunitatibus, & libertatibus hujusmodi uti & gaudere libere valeant, ipsosque archiepiscopos, episcopos, abbates, prælatos, & personas ecclesiasticas supradictas, sæculares & regulares quoscumque etiam in patriarchali dignitate constitutos, alias ad ea, quæ obtinent, retinenda, & alia obtinenda, si eis alias canonice conferantur vel assumantur seu eligantur vel promoveantur ad illa, etiamsi metropolitanæ, & cathedrales, vel superiores, aut monasteria, prioratus etiam conventuales, canonicatus & præbendæ, aut dignitates personatus vel officia, parochiales ecclesiæ, & beneficia cum cura vel sine cura quæcumque & qualiacumque fuerint, quæ præsentibus haberi volumus pro expressis, & dignitates hujusmodi in cathedralibus majores post pontificales, seu in collegiatis ecclesiis principales fuerint, & ad eas consueverint, qui per electionem assumi, & fideles hujusmodi ad dignitates, honores, & officia temporalia, ac feuda, exemptiones, libertates, & immunitates hujusmodi habiles & capaces existere.

Rescissæ contrariæ leges.

Et licet illo feliciter concedente, qui neminem vult perire, pars dicti regni ad fidem orthodoxam & catholicam sit reducta, tamen adhuc in nonnullis partibus eidem hæretici tanquam reptilia venenosa concepta iniquitatis virus evomentes, ad capiendas insipientium animas omni astutia elaborant: & quia morbus iste serpit in

Pars Bohemiæ ad Ecclesiæ & Sigismundi obsequium reducta.

Pars in hæresi obstinata.

cancer, & dietim ex mora temporis convalescentes majora pateat pericula suscitare, tam archiepiscopis episcopis, abbatibus, prælatis etiam in majoribus dignitatibus constitutis, parochialium ecclesiarum rectoribus, presbyteris, clericis sæcularibus & regularibus, quibuscumque nominibus censeantur, quæ similiter hic pro expressis haberi volumus, personis & fidelibus prælibatis, quam aliis etiam in similibus, vel majoribus dignitatibus ecclesiasticis vel mundanis constitutis, ut de cætero ad extirpationem hujusmodi hæreticorum, ac defensionem & conservationem catholicæ fidei interesse & armata manu pugnare in futurum valeant, concedentes eas censuras, sententias, seu notam, aut maculam, vel privationem, seu inhabilitatem hujusmodi nullatenus incurrere, &c. Dat. apud S. Petrum id. februarii pontificatus nostri anno v.

XVIII. Sigismundus a Zischa impeditnentis exutus. (a) Cocl. l. 5. hist. Huss. Cath. exercitus pars absorta aquis.

Immisisse in Bohemiam Sigismundum Regem extremo superiori anno exercitum suum vidimus, quo quidem succinctus plura oppida vi cœpit, Cutnamque ad deditionem perpulit (a); sed eamdem postea imminente Zischa exussit seque in fugam dedit, in qua plures viros nobiles atque impedimenta amisit. Accepta est etiam fortuito casu alia ad Iglaviam clades: cum enim Pipo Florentinus quindecim equitum millia duceret per stagna gelu concreta, tanto pondere pressa glacies rupta est, unde plures homines & equi aquis mersi sunt. Addit author eo clariorem fuisse Zischæ victoriam, quo ipse jam cœcus exercitum duxisset, paulo enim ante dum castrum, cui Rabi nomen erat oppugnaret, oculum perdiderat, altero longe ante amisso, superstite Wenceslao quo successu insolescens in catholicos, omniaque sacra est debacchatus, tantoque fastu intumuit, ut suorum etiam procerum iras in se accenderet.

Zischa cæcus victor.

Joannes pariter apostata Præmonstratensis novæ civitatis Pragensis concionator, cum eloquentia sua plebis animos quo vellet versaret, invisus erat senatui, qui illum non ferendum ratus una cum novem scelerum sociis vocatum in prætorium civitatis; tanquam de publica re deliberandum foret, obtruncarunt (b); Sed dum incauti ministri aqua sanguinem eluunt, ille per aquæ ductum in forum erupit, quo sanguine viso efferata plebs conflata seditione undecim primarios interfecit.

Joannes Præmonstr. digna sceleris præmia nactus. (b, Cocl. hist. Huss. l. 5.

Ut Martyr honos habitus ab hæreticis.

Mulierculæ vero ab eo angelo satanæ jamdiu delusæ nactæ ipsius adscissum caput tanquam martyris aromatibus conditum per templa urbis ululatu fœmineo circumtulerunt.

Cruciferi in hæreticos concitati.

In adversis hisce casibus voluntatem suam accommodavit Pontifex divinæ providentiæ, utque rabidos hæreticos Bohemos numero obrueret, Prussiæ & Livoniæ equites (c) Rigensemque archiepiscopum ac suffraganeos præsules, ut vires conjungerent in impios est cohortatus: tum Albertum (d) Austriæ ac Ludovicum (e) Bavariæ duces ad sacram militiam se accingere jussit. Incitati etiam ad tuendam armis religionem principes electores, ex quibus Coloniensem, Moguntinum, & Treverensem archiepiscopos crucis signo insignitos, refert Thomas Walsingamus (f). Ad solemne porro colloquium Nurembergam convenere septemviri pro expediendis bellicis in hæreticos consiliis (g), quibus cœtibus Sigismundus Romanorum, Hungariæ, ac Bohemiæ Rex, tum Branda Cardinalis A. S. L. interfuere, extantque apostolicæ literæ (h) ad Sigismundum datæ cum ii celebrandi forent.

(c) Lib. 4. ep. cur. p. 88. & 89.
(d) Ib. p. 90.
(e) Ib. p. 52.
(f) Eod. l. 4. pag. 135.
(g) Walsing. in Henr. V.
(h) Lib. brev. p. 19.

Ad Regem Romanorum.

XIX.

Martini ad Sigismundum adhortatio.

Quamvis non dubitemus ferventatem tuam sua sponte inflammatam esse ad Bohemiæ hæresim extinguendam & ad illud sanctum opus, quod præcipue tuum est munus, amplioribus exhortationibus non egere, tamen cum sentiamus tecum de proxima conventuros venerabiles fratres nostros archiepiscopos & dilectos filios nobiles viros electores imperii, & alios Alemanniæ principes, & in ea vestra congregatione agendum sit de multis, magnis & arduis rebus, & potissimum de hac sancta fidei causa, quæ cæteris major est & omnibus aliis præponenda, eam tibi volumus iterum nostris literis commendare & cordi tuo imprimere, ardenti desiderio stimulati, quod super omnes insidet corde nostro persuasum enim est nobis, quod si a te maxime, & a reliquis fidelibus principibus & populis Germaniæ in quorum perniciem & confusionem præter Dei, & Ecclesiæ suæ injuriam, hæc hæresis intenta est, maturo tempore futuræ astutiis adhibita fuerit cura, & aliquis exercitus ordinatus, ita quod ingrediatur interiora Bohemiæ, facile opprimentur & exterminabuntur hæretici Deo rebelles & tibi: nam, sicut audivimus, nonnulla oppida vi capta, quædam metu dedita aut voluntate sunt, & fere totus Moraviæ marchionatus reductus atque sanatus est: ex quo laudabili principio, si fiat in tempore quod fieri potest, plena & perfecta victoria subsequetur.

Moravia ad officium revocata.

Et propterea, fili charissime, te unum maxime in hac causa requirimus, cujus officium est armatam hæresim armis opprimere, sicut aliquando a Christianissimis Imperatoribus tuis prædecessoribus factum est: Etenim si alterius conditionis surrexisset hæresis in populo Christiano, quæ tantum falsis & sophisticis argumentis labefactare fidem & religionem Christianam conaretur, sicut aliquando patrum nostrorum temporibus visum est, cum sanctis institutis & rationibus vera doctrina & facili

cili coercitione justitiæ ea tollere posset Ecclesia, nec esset ad tua & aliorum arma confugiendum: sed cum hæc abominanda hæresis, quæ non Dei solum legem violat & Ecclesiæ suæ instituta, sacras ædes diruit, sacerdotes interficit, ornamenta ecclesiarum divino cultui deputata vi rapit & omnia sacra coinquinat; sed etiam post divina violata humana jura confundit, omnemque statum humanum, & regimen politicum tollit, & vitam hominum ratione, & legibus institutam traducit ad irrationabilem sensualitatem pecudum & licentiam bestialem, in hoc tanto errore vel scelere potius innitatur armis & viribus, quid aliud facere nos oportet, qui ad conservandam nostram religionem & fidem Christianam in apice apostolatus a Domino constituti sumus, quam implorare in primis auxilium sublimitatis tuæ & eorum fidelium, qui armis hanc nefariam pestem possunt superare atque delere, quales sunt Germaniæ principes & populi, qui sunt huic morbo finitimi & periculo propinquiores? & ideo scribimus de præsenti principibus iis, quos tecum existimamus esse in hac congregatione futuros, ut ad extirpationem extremam hujus inquinatissimæ hæresis opportuno tempore cum eorum potentia se paratos exhibeant, quos etiam in hac causa animare auctoritate tua debes & exempla, ut intelligant te summ caput in hac materia ferventem, & velle omnibus viribus in hac causa laborare, quæ a te nunc potissimum, cæteris curis & negotiis prætermissis aut dilatis ad tempus, suscipienda est cum ea animi magnitudine, quæ tam sanctæ rei convenit & dignitati tuæ; etenim si feceris reliqua omnia ratione, & felicissime consummaveris, tamen unam hanc reliqueris, nec satisfacies Deo, nec reipublicæ Christianæ, quæ hujus consummationem victoriæ non abs re a te uno postulat & expectat, quoniam hoc sibi præstare efficium debes, etiamsi in alienis terris offensa esset & turbata religio Christiana, quæ domi tuæ violatur simul cum jure tuo regni. Igitur, fili charissime, da operam ut in congregatione præfata ante omnia habeatur ratio expeditionis Bohemiæ, & ad eam ordinandam omnes curas tuas cogitationesque convertas, tibique persuadeat, nihil posse te facere aut cogitare Deo acceptius, gratius nobis, gloriosius tibi & utilius populo Christiano: Dat. Romæ.

Hussitar. sævitia.

Superandum armis Martinus admonet.

Conjunctum Dei & Cæsaris causam.

XX. Nuremberge sancitum delendos internecione hæreticos.

Paruere Martini Pontificis monitis Cæsar & septemviri, inque Nurembergensi conventu bellum ad extremam hæreticorum internecionem gerendum decrevere: tum reliqui principes, ac præsules ad conferendam in bellicos sumptus pecuniam se obstrinxere: ad quod decretum perficiendum Pontifex Bisuntinum (a), Viennensem, Treviremsem, Bremensem, Coloniensem archiepiscopos, pluresque episcopos, quorum prolixior texitur in regesto pontificio catalogus (b), excitavit, ut a suarum diœceseon clero æquis portionibus subsidiaria stipendia exigerent, suasque ipsi opes conferrent; conceptæ sunt subjectis verbis eæ literæ.

(a) Lib. 4. p. 154.

(b) Post cand. ep.

Venerabili fratri Archiepiscopo Bisuntino.

Sicut, nuper accepimus, in congregatione principum habita in civitate Norembergensi ibidem existentibus charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Rege illustri, principibus electoribus imperii, aliisque proceribus, prælatis, & nuntiis, ac legatis plurium civitatum, & una cum ipsis dilecto filio nostro Branda tit. S. Clementis presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato, per nos ad hoc fidei negotium specialiter destinato, per eorum consilia super causa fidei celebrata conclusum & firmiter ordinatum, ut pro gerenda guerra continua contra hæreticos usque ad exterminationem hujus pestis irremissibiliter duratura omnes prælati & personæ ecclesiasticæ per Germaniam taxarentur in diversis gentium armigerarum quantitatibus, sustinendis secundum facultates & conditiones eorum: & quia, ut nobis asseritur taxæ nonnullæ ibidem factæ fuerunt propter brevitatem temporis, & alias occupationes agentium, forsitan inæquales, nec ita diligenter, ut esset expediens consummatæ, nos, ne propter hoc in tanto negotio debita auxilia cessent, aut inæqualiter conferantur, sed ut omnia in causa Dei juste procedant, quantum nobis est possibile, providere volentes, fraternitatem tuam requirimus & eidem per apostolica scripta mandamus, quatenus, tibi adjunctis aliquibus presbyteris & honestis viris Deum timentibus de facultatibus ecclesiæ tuæ & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum informatis, tu una cum illis omni proprii commodi affectione deposita secundum vestras conscientias te pro ecclesia tua, & quaslibet personas ecclesiasticas tuarum civitatis & diœcesis tibi subjectas non exemptas duntaxat de novo, taxetis sive quod ad gentes armigeras, sive quo ad alia subsidia conferendo &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem kal. decembris anno VI.

Suppeditandos militi a clero sumptus.

Exterriti sacro illo bello Bohemiæ hæretici extrema auxilia sibi adjungere annisi sunt; cumque superiori anno Wladislaum Regem Poloniæ & Witoldum Lituaniæ ducem solicitassent, ut ipsorum patrocinium susciperent adversus Sigismundum, quem fictis criminibus apud illos insimulaverant,

XXI. Bohemi a Polono auxilia conquirunt.

Polonor. responsum.

ac repulsam essent passi, iterum cœptum facinus pertentarunt. [1] Verum id responsum elicuere: quamvis injurias haud leves Poloni & Lituani a Sigismundo accepissent, se tamen teneri conscientia hæreticos in fidem recipere; præterquam quod Bohemia hereditario jure ad Sigismundum spectaret: daturos vero se operam, ut ipsos cum Ecclesia, ac Sigismundo Rege in gratiam reducerent: quæ pluribus enarrant Æneas Sylvius (a), Cromerus (b) Dubravius (c), & Coclæus (d). At Pontifex, cum hæreticorum inter principes catholicos discordias serere meditantium nefarias artes accepisset, apostolica applicuit studia, ut eas sedaret. Cumulaverat (e) sibi Sigismundus Polonorum & Lituanorum invidiam, dum ab iis arbiter dictus, ut controversiam, quæ ipsis cum Cruciferis erat, dirimeret, pro illis tulit; ac Pontifex superiore anno, ut vidimus, tollendi dissidii cupidus interpretem pacis se fore obtulerat, & Antonium Zenem, et utriusque partis adversæ monumenta exscriberet, miserat. Cum vero is datæ sibi provinciæ metas egressus plura contra Sigismundi Regis sententiam veluti a Pontifice improbatam effutiisset, certior ea de re factus Martinus omnia ab illo gesta rescidit, (f), ac Sigismundo est pollicitus (g), illius dignitati non detractum iri. Tum Witoldo, ne oblatæ sibi a perduellibus hæreticis Bohemicæ coronæ cupidine eos in clientelam acciperet, e Petri sede denuntiavit (h), animam ipsam suam culpæ lethali submissuram addictumque inferis, si hæreticos, quos damnasset Ecclesia, specioso quovis colore tuendos susciperet.

(a) Æne. Silv. hist. Bohem. c.44.
(b) Cromer. rer. Polon. l. 18.
(c) Dubrav. hist. Bohem. l.26.
(d) Cocl. hist. Hussit. l.5.
(e) Cromer. ubi sup.

Odiorum inter Sigismundum & Polonum causæ.

(f) Lib. 4. ep. sec. p. 88.
(g) Mart. l. brev. p.16
(h) Lib. brev p. 43. & in alio ms. p.25. & Cocl. l.5. hist. Huss.

Martini studia ad eum a clientela Bohemorum avocandum.

Delecto filio nobili viro Alexandro Lituaniæ duci salutem & apostolicam benedictionem.

Jam pridem fama vulgaverat, te Bohemos hæreticos spe fovere, opertis eos auxiliis juvaturum; quod scelus de te, viro prudentissimo & probato jam principe catholico, difficile credito videbatur: sed tamen scripsimus nobilitati tuæ paterna charitate monentes, ut ab omni societate, conjuratione, & fœdere hæreticorum abstineres, & eosdem excluderes & privares fiducia subventionis tuæ. Nunc vero per literas tuas & nuntium dispositionem tuam non dubiam nec obscuram de juvando & suscipiendo prædictos in protectionem tuam intelligentes, summa admiratione & dolore commoti sumus: videmus enim & manifeste comprehendimus te, si hoc feceris, ultra periculum fidei, quod est ante omnia declinandum, magnam & horribilem novitatem in Christianitate moturum, ex qua multo major effusio sanguinis Christiani, & graviora scandala & crudeliora vulnera subsequentur, quam ea sint, quibus te asseris hac via velle mederi: nam nemini dubium est, quin Bohemi hæretici, si fuerint a spe tui præsidii destituti, ad obedientiam Ecclesiæ, rectam vivendi normam, & debitum cultum Dei facile reduci possint vel sola necessitate compulsi, eritque brevi consecuta tranquillitas & devota religio in regno Bohemiæ hac funesta labe purgato; qui, si se viderint in protectionem tuam receptos foveri, atque defendi, reddentur acriores contra instituta Ecclesiæ Dei rebelles, & pertinaciores in hæresi. Nec nos multum movet, quod asseris, te velle hac conditione recipere, ut errore deposito ad debitam ecclesiæ Romanæ obedientiam revertantur; omnia enim faciunt & pollicentur tibi, ut te suis laboribus & erroribus immisceant, & incendium majus suscitent, & per hanc etiam eorum simulata reductio non potest non esse suspecta; per quam viam quærunt periculosam discordiam inter Christianos principes seminare, ut potentissimis dominis inter se decertantibus, Romano imperio perturbato, & quasi tota Christianitate confusa, possint ipsi peccare licentius.

Proposita Lituano pericula.

Restitui religionem posse, si delenti fuerint Bohemi.

Nec existimare debes aliter evenire posse, si Bohemiæ regnum occupabis, quod nullo modo per electores Romani imperii & principes Alemanniæ tolerabitur, etiam tacente charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Romanorum Rege illustri. Nec hujus regni extimatio tanti est, nec esse debet apud considerati principis providentiam, ut pro eo velis juvare hæreticos, alienaque per injuriam occupare, & magnam Christianitatis partem novo bello confundere & permiscere cum diminutione tui honoris & famæ, & certa animæ tuæ jactura, quæ etiam si omnia ad votum succederent, dili-

Electores imperii eum non toleraturos.

Nil profutura patienti damnum animæ suæ.

NOTÆ [1] Vladislaum Poloniæ regem, & Lithuaniæ ducem Alexandrum (ita enim appellatur in literis apostolicis non vero Witoldus, ut in Annalibus legitur) hæreticis Bohemis aliquandiu favisse non consilio tantum, sed & rebus ipsis atque armis discimus ex literis Martini V. ad eundem, vulgatis a Ludewig in Reliquiis to. V. lib. II. num. XXXVI. & XXXVII. quarum priori de illo queritur quod cum Alexander Lithuaniæ dux hæreticis Bohemis non *occulte* tantummodo *consuleret, sed & aperte foveret, eos in suum protectionem suscipiendo*, palamque *eisdem subministraret auxilia; id vero* ab illo de *consensu & voluntate* ejusdem regis præstitum diceretur. In altera vero eundem regem increpat, quod Sigismundum nepotem suum in Bohemiam miserit, cum *gentibus armigeris quæ esse dicuntur de regno Poloniæ* quæque *se cum hæreticis conjunxerint, & eosdem contra fideles adhuc sustentarent, protegerent ac defenderent*. Ab utraque epistola temporis adscriptio rejecta est. MANSI

ligentius cavenda est: quid enim proderit tibi, si universum mundum lucreris, animæ vero tuæ detrimentum patiaris? Quod vero te asserunt non ampliandi dominii cupiditate, sed sola reducendorum hæreticorum causa ipsos sub tua defensione suscipere, nullo modo probari potest: nam cum per Dei misericordiam Christianus princeps existas, in causa fidei debes eam dispositione nostra & Ecclesiæ, & nostro & Apostolicæ sedis legato ad hoc transmisso & reliquis Christianis principibus consentire, teque cum iis jungere contra hæreticos non pro ipsis te defensorem exhibendo specialem viam quærere conversionis eorum, quæ hoc modo quæsita syncero credi non potest: sed qualemcumque ipsi animum habeant, sinceritati tuæ, quæ inter Christianos hucusque probata est, non convenit a communi consilio deviare, & eos alia speciali conventione suscipere: quod ne facias tibi paterna dilectione consulimus, te monemus, hortamur, tibique etiam præcipimus in virtute nominis Jesu Christi, quod est nomen super omne nomen: & si feceris, scito te Deo omnipotenti, nobis & Ecclesiæ, quam Deus non deseret, & Christiano nomini injuriam faceres, quam nec Deus ipse feret, sed vertet in periculum capitis tui, & certe in animæ tuæ damnationem.

Junget potius eyme in hæreticus.

Denuntiatum si secus egerit æternæ morti devotum iri.

XXII. *Nos vero, qui vicarius ejus in terris constituti sumus in apice apostolatus, ad conservationem veritatis & fidei Christianæ dolenter tamquam contra vitam nostram, sed necessario, contra te & quoscumque defensores hæreticorum auctore Deo procedemus, quod sic tenemur ex injuncto nobis officio, etiam si opus erit cum vexillo crucis implorando subsidium populi Christiani. Sed cum multa in diebus tuis digna opera feceris pro amplificatione fidei sanctæ & quiete fidelium, cogitare non possumus te postremo tot recte facta velle ambitione corrumpere, & tantis cladibus hominum causam dare. Quare, fili dilecte ab hac via, ab hoc modo, ab hac opinione te retrahas, nec subsidia mittas hæreticis, nec eorum venenosis pollicitationibus capiaris, quæ tibi certo sunt instigationes sathanæ ad inquinandam famam & fidelitatem tuam, involvendo te in novis bellis atque periculis, & effundendum sanguinem Christianum: sed si salutem & reductionem Bohemorum desideras, sicut debes, eos nullis tuis viribus protectos horteris, ut ad præfatum sedis Apostolicæ legatum ad hoc specialiter destinatum, habentem a nobis plenam & liberam potestatem super omnibus in ista causa fidei disponendi, mittant & se humiliter submittant correctioni & dispositioni suæ, a quo poterunt etiam ad nos, si expediens erit, cum securitate transmitti.*

Crucesignatam in ipsum militiam conscribendam.

Sed tu ante omnia cave diligenter, ne ipsos ulla conditione tuearis, quia certi sumus, quod a te destituti statim humilius se inclinabunt, recreati autem per te fient continuo duriores. Quod si tu aliquo modo inductus defensionem eorum suscipere promisisti, scito te fidem dare hæreticis violatoribus fidei sanctæ non potuisse, & peccare mortaliter, si servabis, quia fidelis ad infidelem nulla potest esse communio. Ceterum postremæ literarum tuarum particulæ, per quas requiris, ut processus contra hæreticos editos tollamus & suspendamus ad tempus, respondemus hoc nullo modo fieri posse de manifestis hæreticis in sacro Constantiensi concilio condemnatis, præsertim cum sentiamus communi consensu principum Alemanniæ exercitum præparari ad confusionem eorum: sed, ut supradiximus, humiliter & sincere offerant se legato, qui causa & voluntate sua cognita diligentius de propinquo libenter saluti suæ consulet. Sed nobilitatem tuam iterum atque iterum admonemus, teque obsecramus per misericordiam Jesu Christi, ut tantam stragem & calamitatem per te induci non velis, quantam necessario secuturam videmus in Christianis, si Bohemos hæreticos susceperis defendendos. Dat. Romæ, additur vero apud Cochlæum (a), *apud S. Petrum* XII. *kal. junii pontificatus nostri anno* V.

Denuntiatum fidem obstringi non posse hæreticis invita Ecclesie, & peccari si fides servetur.

(a) Cochlæus ib.

Inter hæc Bohemi Hussitæ virus suum in finitima regna diffundere conabantur, atque in Polonia præsertim nefaria ipsorum societate nonnullos contaminarunt: quocirca Pontifex Gnesnensi archiepiscopo hæc mandata dedit (b).

Hussitica lues irrepit in Poloniam.

(b) Lib. 4. ep. cur. p. 99.

Martinus, &c. Nuper ad nostrum pervenit auditum nonnullos in regno Poloniæ infectos esse eadem hæretica labe, quæ regnum Bohemiæ damnabiliter excæcavit, & nisi provideatur opportune, periculum imminere de majori scandalo & perditione plurium animarum. Nos igitur, cupientes hujusmodi scandalis & futuris periculis obviare, & si qua ex parte contracta est aliqua macula in regno illo Poloniæ fideli ipsam totaliter abolere, ac si quæ personæ sunt in hæresim hanc collapsæ, illas ab errore reducere ad veritatem, & circa hæc & alia de prudentia, fide & devotione tua sumentes in Domino fiduciam specialem, fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, ut per tuam diœcesim & totum Poloniæ regnum diligenter inquiri facias de personis præcipitatis in hæresim & errorem, & eas studeas ad viam salutis & pœnitentiæ revocare: quod ut possis utiliter & feliciter exequi & juxta cor nostrum præfatum regnum præservare in sancta fide syncerum circumspectioni tuæ, &c. (Amplissimis mandatis archiepiscopum Gnesnensem Martinus instruit, quo Wiclefistas & Hussitas ad castra ecclesiæ traducat, impietatemque damnantes cœtui catholicorum restituat, infamiæque no-

Martini pro ea comprimenda cura.

notam omnem diluat. Adjecta vero est literia hæc temporis nota): *Dat. Tyburæ vi. id. septembris pontificatus nostri anno v.* Eodem argumento literæ ad Plocensem, Cracoviensem, Posnaniensemque episcopos scriptæ sunt (*a*), tantaque ab iis adhibita diligentia est in agro dominico, ut exitiales ejusmodi Wicleffi & Hussi propagines tandem evulsæ fiat.

(*a*) *Ib. post eand. ep.*

XXIII. Hæresis propagines e Poloniæ excisæ.

Navata etiam in Anglia est strenue opera a præsulibus in excidendis Wicleffisticæ perfidiæ fibris pestiferis: atque hoc anno Londini damnatus est Guillelmus, qui dum sanctorum cultum oppugnabat eo impietatis progressus est, ut ne quidem preces Christo, ut homini Verbo divino hypostatice conjuncto, sed tantum ut Deo porrigi vellent narrat Thomas Waldensis (*b*) *Guillelmi cognomento Sartoris damnati Londini an. Domini MCCCCXXII. Prima conclusio erat ista: Omnis oratio, quæ est petitio alicujus doni supernaturalis vel gratuite soli Deo est dirigenda. Secunda: Oratio soli Deo dirigenda est. Tertia: Orare aliquam creaturam est committere idololatriam: Fideles nunquam dirigere debent orationes suas ad Deum sub ratione humanitatis, sed solum sub ratione deitatis.* Hæc Guillelmus Wicclevista, cujus ineptias ita confutat idem Waldensis: *Ergo Paulus Apostolus erat idololatra, qui ait* (*c*): *Obsecro vos, fratres, per dominum nostrum Jesum Christum & charitatem Spiritus sancti, ut solicitudinem impertiamini in orationibus pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa. Ecce non solum instat, ut orent pro se, sed orationi adjurationem accumulat, contestans eos per dominum Jesum Christum & per Spiritus sancti charitatem, obsecrans eos impertiri sibi solicitudinem in orationibus pro se Deo. Quid est ergo obsecrare eos aut quid minus, quam eos orare pro se*; Comprehensus etiam est ab episcopo Norvvicensi alius Willelmus cognomento Albus, qui cum sacerdotio initiatus esset scortum nuptiarum honesta specie sibi thoro junxit, & cœlibatum sacerdotum blasphemiis conviciis insectatus est, ut narrat idem Waldensis (*d*), qui etiam hæretici argutias dissolvit, quibus contendebat libertatem Christianam indictu sacerdotibus cœlibatu labefactari: *Jam*, inquit, *potestis videre qualiter abutuntur libertatis agnomine & gloriantur insimul actibus suis. Audiunt Apostolum dicentem eis: Vos in libertatem vocati estis fratres; non autem audiunt eum caventem* (*e*): *Tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Præterea sacerdotes exagitabat, quod vectigalia ecclesiastica possiderent, paupertatemque evangelicam in se ac suis mirifice commendabat, cum tamen paupertatis evangelicæ specie opes abligurirret imperitorum, qui ejus se verbis duci patiebantur; quam hæreticorum fictam paupertatem ardentemque avaritiam redarguit idem author (*f*): similiaque a pauperibus Lugdunensibus stulte jactata vidimus, quæ ex Juliani apostatæ dialectica etiam Christianos Reges ac principes ad inopiam redigendos perperam concluduat.

(*b*) *Thom. Vald. to. 3. tit. 12. de S. atque dit. c. 108.* Hæresis adversus sanctos.

(*c*) *Rom. 15.*

(*d*) *Id. eod. to. 3. tit. 7. de ord. sacr. c. 66.* Libertas ab hæreticis in libidinum licentia posita.

(*e*) *Galat. 5.*

Prædicata paupertas ad cumulandas opes.

(*f*) *Wald. eod. to. 3. tit. 10. c. 90.*

XXIV. Deistarum hæresis.

Hoc tempore inventus est in Hungaria hæresiarcha, qui inanis humanæ philosophiæ argutiis fascinatus omnem Christianam religionem evertebat, statuens non alia credenda, quam quæ humana cognitione comprehendi possent, veluti demonstratur unum esse orbis conditorem qui demum convictus de humanæ mentis imbecillitate quamque facile decipi consueverit, divinæ misericordiæ insigni beneficio pietati in Paulitarum cœnobio se addixit. Rem narrat Joannes Nider (*g*) his verbis: *Cum perfidus ipse sua pertinacia perseveraret, quinimmo diceret se in sua mori velle, excogitaverunt viri prudentes, animæ ipsius misereri plus studentes quam corpori aliud consilium: vinculetur, dicebant ad episcopi officialem secretius, versipellis iste arctius, ponatur ad cippum, & loris stringatur: in his forte perunctanti vexatio* (*h*) *dabit intellectum. Quo per ordinem facto, venerunt incrastino sæpedicti fideles animæ* [a] *cyrologi, videre volentes suum ægrotum, ad quos impatienter clamavit: Me, quæso, relaxate; peractus enim sum; Quousque animam meam frustra vexatis? Illi vero fomentum acriora animæ de Ægyptiorum thesauro philosophico applicantes, ostenderunt errantı, quam imbecille foret humanum ingenium, quam ars multa, vita brevis, & judicium fallax, tempus acutum, & similia; & meditationum in his exercitio reliquerunt non minus quam antea vinctum. In crastino vero redeuntes per divinum lumen inspiratum bonum hominem invenerunt. Vide* [*inquit ceu*] *quod animæ meæ salutem indissesse quæritis, literis eminentes estis, & in orbe terrarum famati: paratus sum ingenium meum vobis submittere: jubete quod placuerit, quia paratus sum sine fictione parere. Itaque revocare suam perfidiam jussus est, & fecit publice: & ne mundo ulterius serviens decipiretur a vanis, petivit in ordine Paulitarum recipi in monasterio, ubi Deo simpliciter & valde devote servitur in Hungaria, ubi ordo iste in magno est vigore, ibi receptus militavit Christi tyrocinia.*

(*g*) *Jo. Nyder formic. l. 3. cap. 10.* Supplicii conversus hæreticus.

(*h*) *Isai. 28.*
[a] *chirurgi.*

XXV. Repullulant Lunani schismatis reliquiæ.

Dum hæc adversus hæreticos fiebant, Pontifex in alios Ecclesiæ hostes veteris schismatis propugnatores, qui Hispaniam inquinare suis erroribus nitebantur, curas intendit: nonnulli enim improbi homines partim e monasteriorum qui claustris emergentes, partim clericali adscripti militiæ adeo sibimet præsidebant, ut vaoi

ca-

capitis ludibria totius Constantiensis synodi œcumenicæ patrum sapientiæ atque probitati anteferrent, effutirentque Petrum e Luna injustis suffragiis damnatum, nec de gradu deiici potuisse. In quos Martinus (a) edito diplomate, abi pluribus Constantiensis decreti æquitatem exposuit, Toletano archiepiscopo & episcopo Calagurritano præcepit, ut in ejusmodi impostores perturbatoresque ecclesiasticæ pacis animadverterent.

(a) Lib. 4. pag. 144.

Martinus, &c. Cum sicut accepimus, nonnulli schismatici in Hispaniarum partibus a via veritatis prorsus aversi, ac ab utera Ecclesia penitus alieni, ut trahant alios in errorem, acuunt linguas suas contra hujusmodi synodi decreta, falsas machinas construendo, & satagentes eandem Ecclesiam in antiquum schisma Christi favente gratia, ut præmittitur, jam præcisum reducere, eundem Petrum de Luna Papam Christique vicarium & B. Petri fore asserant successorem: Et infra: *inquisitionis officium contra hujusmodi schismaticos fraternitati vestræ tenore præsentium Apostolica auctoritate committimus, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem VI. id. septemb. pontificatus nostri anno VI.* Excitatur (b) etiam est Alfonsus archiepiscopus Cæsaraugustanus ad purgandam schismatica colluvie Aragoniam, amplissimaque decernendi, conciliandique illos Ecclesiæ, qui schisma damnassent potestate est munitur (c).

(b) Ibid. pag. 126. In Aragonia inquisiti justum in schismaticos.
(c) Ibid. pag. 127. 128. & 129.

XXVI. Recruduerat (d) idem schisma in Occitania & Aquitania, nonnullique profligatissimi & perditissimi homines eo proruperere, ut castro, cui Turenæ nomen est occupato, illud Paniscolream appellarint dosto ex Paniscola, ubi degebat Petrus e Luna, nomine, ex eoque schisma propagare & blasphemas voces in Constantiensem synodum œcumenicam mittere non perhorruerint: in quos cum Gerardus Neapolitanus Apostolicæ sedis nuntius tulisset sententiam, rata illa habita est a Martino; legatusque (e) est in Gallias alius Gerardus, ut tum in eos, tum in Joannem Armaniaci comitem schismatis in Aquitania defensorem, qui etiam filium ab schismatico lustrandum baptismo & chrismate Paniscolæ profanato inungendum curaverat, severitatem ex sacrorum canonum præscripto adhiberet. Extat hac de re pontificium diploma, cujus potior pars infrascripta est.

(d) Ibid. pag. 32.
(e) Ibid. pag. 272. Jo. Armeniaci comes schismaticus.

Dilecto filio magistro Gerardo de Regino præposito Albiensi legum doctori A. S. N. salutem, &c.

XXVII. *Nos adversus eundem Joannem comitem citationem decrevimus personalem, ut infra certi temporis spatium nondum elapsum a prædictis desisteret, & in via veritatis per ipsum, alias agnita ambularet, determinationique sacri generalis Constantiensis concilii adhærere, illamque velut verus obedientiæ filius insequi vellet fideliter, ut tenetur, aut coram nobis personaliter comparerit: cumque idem Joannes comes salutis propriæ & æternæ immemor, diabolica fraude deceptus & per varias dicti Petri de Luna & suorum sequacium & fautorum iniquas persuasiones seductus, a præmissis minime desistere velit, sed quod damnabilius est prænominatos schismaticos schismatisque & hæresis fautores continue magis ac magis etiam in suo familiari domestico & commensali servitio retinet, ac præfati Petri de Luna versus castrum de Paniscola euntes & redeuntes nuntios, etiam cum eis in divinis participando, receptare & honorare non desinit, eundem Petrum de Luna Papam Romanum ac summum Pontificem, in terris Christi vicarium tenendo & appellando, & ut tali sibi ejusque præceptis parendo & obediendo, unum natum ejus ex dilecta in Christo filia nobile muliere Isabelle uxore sua cum chrismate in Paniscola profanata in fide & obedientia dicti Petri de Luna per dictum schismaticum Joannem Carreris juniorem baptizari faciendo, multaque alia crimina & excessus pejora prioribus mala malis continue accumulando, committere non reffuit in nostrum & Apostolicæ sedis ac Romanæ ecclesiæ vilipendium & contemptum, in sua evidentissimæ damnationis cumulum, ac scandalum & damnum plurium, prout de præmissis per tuas & eas, quas hic per venerabilem fratrem nostrum Jordanum episcopum Albanensem & bonæ memoriæ Alemannum tit. S. Eusebii presbyterum, dum viveret, S. R. E. Cardinales, cum testibus omni exceptione majoribus, & aliis legitimis documentis recipi fecimus informationes, sumus plenarie informati; nos adversus hujusmodi gravissima & perniciosa scandala salubriter providere volentes, cum jam comes ipse & alii prælibati schismatici schismatisque & hæresis fautores in hujusmodi damnato proposito per triennium permanserint; & ultra attendentes quod error, cui non resistitur, approbari videtur, & latum pandit delinquentibus ausum, qui eorum iniquis & præsumptuosis temeritatibus non resistit, ac tantam pertinaciam sine divinæ majestatis offensa gravique Ecclesiæ scandalo & nostra conscientia ulterius tolerare, ipsamque impunitatem, ne sanguis comitis & aliorum prædictorum sic errantium coram districto examine æterni judicis a nobis exquiratur, absque aliquo salubri remedio relinquere non valentes, cum contemplatione charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Navarræ illustris, ac dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Bonæ de Biturio matris, & dilectorum filiorum nobilium virorum Amedei ducis Sabaudiæ, Bernardi de Amanhaco militis,* fra-

In judicium vocatus.

A Petro a Luna fascinatus.

Eundem ut Papam colit.

Filium ab hæreticis baptismo lustrandum curat.

Animadvertendum in ipsum decernit Mart.

Cur dissimulatum diu illius scelus.

fratrum dicti comitis, qui nobis super hoc sæpius scripserunt, præmissa ultra quam expediret toleravimus, tibi qui referendarius noster existis, per apostolica scripta committimus & sub pœna excommunicationis mandamus, quatenus per tuas literas una cum præsentibus seu earum transsumptis valvis ecclesiæ vel ecclesiarum, de quibus tibi videbitur, aut aliàs comitem eundem adhuc semel exhortari & requirere studeas, ut ipse infra quindecim dierum spatium a die affixionis dictarum literarum computandum, quorum quinque pro prima, quinque pro secunda, & reliquos quinque dies pro tertio & peremptorio termino assignes, cui & nos assignamus præfatos omnes alios & singulos schismaticos schismatisque & hæresis fautores, eidemque faventes, & adhærentes in hac parte, de civitatibus, castris, villis, terris, locis,

Schismaticos expellere jussus,

domibus, domoque, officiis, consiliis & obsequiis suis realiter & de facto expellat & expelli omnino faciat, illos ulterius nullatenus recepturus, nec per se vel alium directe vel indirecte, palam, publice, vel occulte defensurus, nec eis, aut eorum alicui, vel aliquibus auxilium, consilium, vel favorem præstiturus: alioquin lapsis quindecim diebus interdictum per te, ut præmittitur appositum & aliquando suspensum suspensionibus hujusmodi revocatis continuanda, civitates, villas, castra, loca & alia quæcumque terras & dominia dicta comitis mediata vel immediate subjecta cum eorum ecclesiis, monasteriis & aliis piis locis exemptis, & non exemptis in Vasconiæ partibus prædictis & alibi ubicumque sit a generali interdicto ecclesiastico supponas, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum x. kal. januarii pontificatus nostri anno xi.

Ni pareat indictum iri ejus principatui sacrorum justitium.

XXVIII.

In Gallicarum rerum enarrationem incidimus, quæ bellicis motibus ab Henrico V. Angliæ Rege Carolum Delphinum avito regno spoliare annitente, concussæ erant. Describit Monstreletus (a), ut Meldenses aliique populi bello fessi in Anglii ditionem se dediderint, isque vigesima prima maii die ordinum regni conventus Parisiis celebrarit, Rege Carolo ac Regina Isabella tenuem regiæ dignitatis umbram retinentibus (b). Visum vero est Numini impetum ejus victoriarum frænare, tristeque documentum statuere, quam fallax sit mortalium conditio atque felicitas: qui enim toties a Christi vicario monitus fuerat, ut pacem Gallis daret, bellandique peritiam Christo adversus efferos Turcas evangelii hostes dicaret, ac pia B. Nicolai Albergati internuntii monita spreverat, ex injusti reique Christianæ exitialis belli laboribus morbo lethali contracto, serius ambitionis agnovit ludibria, professus (c) graviter se angi, quod militiam Deo optimo maximo contra Mahometanos non consecrasset; quem Christianæ pietatis specimen in extremo illo vitæ actu Thomas Walsingamus (d) dedisse narrat.

(a) Monstrel. vol. 2. c. 260. & 261.

(b) Cap. 202.

Henricus V. fallacis humanæ felicitatis exemplum.

Ex injusti belli laboribus lethalem morbum contrahit.

Angitur ob non conversa in Turcas arma.

(c) Juvenal. Ursin. in Car. VI.

(d) Walsing. in Henr. V. & Polyd. Virg. l. 22.

Sumptis, inquit, *vivifici corporis Domini & aliis, quæ ad Christianum pertinent, sacramentis in vera pœnitentia, fide recta, spe certa, & charitate perfecta, & bonæ memoriæ, huic sæculo & suis valefaciens, animam suam surreddidit Creatori penultima die mensis augusti, postquam regnasset novem annis, quinque mensibus & quatuordecim diebus*. Hæc Walsinghamus, qui descriptis justis funebribus Henrico ex majestate regia persolutis, cum illius corpus in Angliam delatum est, historiæ suæ finem imponit. Walsingamo consentit Monstreletus (e), ipsamque addit in extremo vitæ actu, dum septem psalmi recitarentur a sacerdotibus, eaque verba legerentur: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem*; ingemuisse professumque se in illo impendentis mortis discrimine votum concepisse de expeditione Jerosolymitana conficienda, si in pristinam a Deo sanitatem restitueretur. De pia ejusdem morte pontificium testimonium inferius visuri sumus. Ferunt ipsum extinctum (f) ex erysipelate, quod vulgo ignem S. Antonii vocant, sub nates accenso, qui flammas tamdiu per Gallias circumtulerat. At Juvenalis Ursinus (g) dysenteria occubuisse tradit, ut turpiter suum cruorem effunderet, qui tantum humanum sanguinem, ut suæ ambitioni lenocinaretur, fuderat. Gerendarum rerum peritissimus extitit Henricus humanæ gloriæ cupidus, & in eos, qui ipsius edicta infregissent, acerbissimus.

(e) Monstrel. vol. 2. cap. 262.

Transferendi in Syriam belli votum sero conceptum.

(f) Id. cap. 265.

(g) Juvenal. Ursin. in Car. VI.

XXIX.

Reliquit sceptra Henrico VI filio nondum bimulo, qui non modo parta in Galliis tueri non potuit, verum Anglicum etiam regnum multis post annis amisit: quem Pontifex (h) præsulibus ac principibus commendavit, ut eum pie educandum curarent, atque integerrime rem administrarent Anglicam: tum hortatus est, ut cum tantus Christianus sanguis ab Anglis Francisque superioribus ætatibus effusus esset, lachrymabili tandem bello absisterent: tum etiam monuit, ut jura pontificia immunitatemque ordinis ecclesiastici quam Henricus Rex in pristinam dignitatem, uti erat pollicitus, nondum restituerat, in Anglia instaurarent.

Succedit Henricus VI qui omnia amisit.

(h) Lib. brev. p. 78. & in alio MS. p. 3. & 117.

Martinus pro instauranda pace studia.

Venerabilibus fratribus episcopis, ac dilectis filiis nobilibus viris, principibus atque militibus, cæterisque de consilio charissimi in Christo filii nostri Henrici Regis Angliæ illustris salutem, & apostolicam benedictionem.

Diligebamus filium nostrum celebris memoriæ Henricum Regem Angliæ dum vivebat, multæ enim erant in eo principe magnæ regiæque virtutes, propter quas me-

Henrici V. mortem luget Mart.

merebatur amari. Audita igitur illius morte, considerantes quanta apud fideles esset facta jactura præcipue in regno suo, tali Rege sublato, & quam charum filium Ecclesia perdidisset, doluimus non pro damno quidem ullo, quod ille susceperit, qui in Domino mortuus est: nam, sicut accepimus, cor ejus excelsum humiliavit, & depositis curis sæculi, animam direxit ad Deum, devote ecclesiæ sacramenta suscipiens: ex quo credendum est misericordiam Salvatoris illi aperuisse viam vitæ: propterea vos, quibus regni gubernacula sunt commissa, debetis spiritus vestros recreare & universum populum consolari, quia Rex vester, qui mortalis erat, de regno caduco ad regni perpetui gloriam est vocatus imperio Regis æterni, relinquens vobis imaginem corporis sui infantem ex eo genitum Regem vestrum, vestra cura & diligentia nutriendum, & in mandatis Domini & obedientia Ecclesiæ erudiendum: quem & nos in filium accepimus, nostram illi benedictionem & gratiam exhibentes, & rogantes Deum, ut dignetur eum gentibus & populis, ad quorum regimen natus est, incolumem conservare. Vobis autem ipsum tamquam charissimum nostrum, & Ecclesiæ filium commendamus non solum ut dignam curam de ejus nutritione, sed etiam de regni paterni gubernatione suscipiatis, in qua vestram fidem, sapientiam, & pietatem sic notam omnibus gentibus faciatis, ut dicant Rege amissa non defuisse, qui regerent sapienter & juste.

Pie obiisse creditus.

Commoniti Angli ut Henr. VI. educent.

Inter se pacem colant.

Verum ad regnum illud hoc in rerum statu salubriter dirigendum nulla res est tantum necessaria, quantum est vestra concordia, qui reipublicæ præsidetis: vobis enim habentibus unam mentem, una voluntate regentibus, nulla accidere calamitas potest. Itaque, ut habeatis inter vos mutuam charitatem, exutis privatis affectibus utilitatem publicam cogitate, & cum ipsi Regi & regno nihil pace utilius cogitari possit, in illam omnibus votis & studiis incumbatis, præsertim cum regno Franciæ faciendam, cum quo sæpe Reges vestri bella gesserunt: quibus aliquando finem facere & in pace quiescere melius est, quam in perpetuum cum strage & exitio tot gentium laborare. Accedit, quod regna ipsa finitima sunt, ut alterum sine altero clade & magno Christianæ reipublicæ detrimento vexari non possit. Quare laudamus & cupimus pro communi salute utriusque regni & communi commodo Christianorum, ut hæc duo potentissima regna, robora & ornamenta Christianitatis, quæ antiqua & nova Regum suorum consanguinitate tonjuncta sunt, honestis pro utraque parte fœderibus componantur.

Pacem Galliæ restituant.

Postremo, quod vobis esse ante omnia curæ debet, non est de jure Romanæ ecclesiæ negligendum, & de abolitione illius asserti statuti, per quod in regno Angliæ libertas ecclesiastica longo tempore oppressa est: nam præfatus Rex defunctus spem optimam nobis dabat, quod quamprimum reversus esset in Angliam, parliamentum ad hoc necessarium celebraret, & pro restitutione juris præfatæ ecclesiæ & ecclesiasticæ libertatis effectualiter provideret: quapropter eo vivo non dubitabamus quod ea, quæ verbo promiserat, realiter adimpleret; præsertim cum essent talia, a quibus nulla bene instituta mens, nullum sanum consilium dissentire posset.

Libertatem ecclesiasticam instaurent.

Promisisse Henricum corruptelas sublaturum.

Vos vero multo magis voluntatem ejus honestam sequi debetis, ut executio sancti operis per vos facta regni & regalium honori cedat, & proficiat animæ suæ saluti, & nos ac præfatam Ecclesiam erga novum Regem & regnum, ac vestrum quemlibet obligetis, qui pro benignitate nostra recepturi sumus, quod est debitum, pro beneficio singulari.

Considerate præterea quam enormis difformitas in corpore unitæ Ecclesiæ videatur continuata usurpatio juris Ecclesiæ & oppressio ecclesiasticæ libertatis, quæ tolerabatur in schismate, præterea quod non recto rerum examini, nec liberæ justitiæ locus erat. Nunc vero, cum per Dei misericordiam sub nostro pontificatu omnia catholica regna, provinciæ, nationesque cum obedientia plena conveniant, quid est, quod videamus regnum Angliæ a cæteris fidelibus in plenitudine syncera obedientiæ discrepare? hanc maculam, profecto universalem Ecclesiam deformantem, non possemus sine nostra gravi ignominia tolerare. Propterea vos rogamus, requirimus, & hortamur, ut in restituendo jus suum & libertatem Romanæ ecclesiæ curam præcipuam capiatis: nam rem Deo acceptam facietis, honorificam regno & vobis, cujus prosecutionem eo studiosius debetis amplecti, quo clare perspicitis rem Ecclesiæ justissimam atque sanctam post multorum Regum sapientiam incunabulis Regis innocentis singulari Dei gratia reservatam fuisse.

Ob schisma jus ecclesiast. labefactatum.

Non decere, ut Anglia ab aliis regnis discrepet.

XXX. Conciliandæ concordiæ navata opera.

Dederat jam ante Pontifex, post allegatos plures in Gallias nuntios apostolicos, negotium Amedeo duci Sabaudiæ, ut pacem Anglos inter & Gallos conciliaret, quam cum, sublato Rege Henrico, facilius redintegrandam putaret, illum iterum rogavit (a), ut una cum Nicolao Albergato episcopo Bononiensi ea de causa jam ante ad utrumque Regem misso, priores curas strenue in id intenderet.

(a) Ib. p. 45. Bonavent. Cavall. in vit. B. Nic. Alberg.

Dilecto filio nobili viro Amedeo duci Sabaudiæ salutem, &c.

Quamvis non dubitemus generositatem tuam summis desideriis exoptare compositionem & pacem Franciæ atque Angliæ principum & regnorum, & pro ea pie & sollicite laborasse & indefessis studiis laborare; tamen, quia hujusmodi pacis desiderium su-

Sabaudiæ dux ad eam urgendam sollicitatus.

super omnia insidet cordi nostro, cum nulla res in universa Christianitate sanctior & utilior fieri possit nobilitati tuæ ad hoc dignum opus intenta libenter preces & hortationes nostras adjicimus; præsertim cum partibus diuturni belli labore & tædio affectis, & secuta morte Regis Angliæ, nobis major spes & opportunitas consequendi optatam pacem oblata esse videatur. Instandum est igitur, fili dilecte, nec tanta occasio dimittenda: nam speramus in Domino, qui omnibus rebus tempora modosque constituit, quod studia tua, quæ dudum circa tractatum hujusmodi adhibuisti, & operationes venerabilis fratris nostri Nicolai episcopi Bononiensis, quem ad eos principes hac de causa transmisimus, nunc parient illum fructum, quem diu tanto desiderio petebamus. Dat. Romæ.

Magni ab ipso labores suscepti.

XXXI. Ad promovenda feliciori successu de pace consilia, Martinus Amedeo duci legatum Cardinalem adjungendum censuit, nimirum Ludovicum episcopum Portuensem, dato ad ipsum diplomate (a), ex quo hæc decerpsi.

Card. legatus ideo in Gallias missus. (a) *Lib. 4. ep. cur. p. 138. & l. brev. pag. 64.*

Martinus, &c. Te tanquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio ad tractandam & concludendam pacem inter præfatos Reges, regna, & principes (scilicet Galliæ & Angliæ) *& ad reconciliandam in seipsa domum Franciæ Apostolicæ sedis legatum providimus destinandum, ut cum ipsis principibus tractes, firmes, & concludas, pacifici Regis regum de supero cardine divinitus inspirante clementia, ipsorum tamen principum diffidentium, vel procuratorum, aut deputatorum ab illis speciale mandatum habentium accedente consensu, omnia & singula, quæ ad tractatum & conclusionem seu inductionem treuguarum, sufferentiarum, aut induciarum temporalium sive concordiæ atque pacis perpetuarum inter Reges, regna, & ipsos principes diffidentes firmandarum communiter prospexeris profutura, sub illis modis, capitulis, pactis, conditionibus, atque formis, in quibus partes ipsæ aut deputati ab eis concordabunt, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem VII. kal. decembres pontificatus nostri anno VI.*

Quæ data illi imperia.

XXXII. Graviter tulit Amedeus Sabaudiæ comes missum a Pontifice legatum Cardinalem, a quo navatæ a se operæ in pace componenda gloriam sibi præripiendam interpretabatur: quem Martinus delinivit his literis (b), id se non de ejus dignitate detrahendi, sed juvandi ipsius conatus causa decrevisse affirmans.

Sabaudus ægre fert mitti a Pont. Cardinalem. (b) *Lib. lit. brev. p. 45. & in alio lib. brev. p. 94.*

Amedeo duci Sabaudiæ.

Ex fervent desiderio cordis nostri sæpe per literas nostras & nuncios nobilitatem tuam fuimus hortati ad pacem regni Franciæ procurandam, sperantes hoc sanctum opus melius per interpositionem tuam, quam per quemcumque alium fieri posse, propterea quod te habere optimam in eo negotio voluntatem, & auctoritatis in te plurimum, cum utriusque partis confidentia videbamus: & sic te hortamur, & charitative requirimus & rogamus, ut usque ad perfectam rei conclusionem, Deo duce, prosequaris. Nec mireris, aut etiam perturberis, quod hoc tractatu pacis in manibus tuis pendente nos venerabilem fratrem nostrum Ludovicum episcopum Portuensem S. R. E. Cardinalem ad eandem prosecutionem nostro & ejusdem ecclesiæ nomine cum plena legationis officio duxerimus deputandum: quod certe non fecimus, ut progressum tuum in tanta materia impediremus; sed potius adjuncto novo adminiculo juvaremus: nec propter hoc te honore debito privare volumus & laborum tuorum fructu, victus enim tua post condignam retributionem Dei certe consistit apud homines pervulgata & in propria recte factorum conscientia. Hunc vero fructum tuæ laudis & famæ quis tam esset ingratus aut insciens, ut tibi conaretur eripere, cum nulla in terris regio sit tam longinqua, tam abdita, in quam tanti belli fama non pervenerit, ubi tua diuturna solicitudo & sancta pacis procuratio non sit nota atque vulgata? Itaque, fili dilecte, hanc gloriam, hunc honorem tibi debere merito putamus semperque putavimus: sed cum animus noster diu hujus desiderio pacis arderet, nonnulli qui eadem pacis cupiditate movebantur, nobis facile persuaserunt, ut pacem hanc adjuncto ecclesiastico, quæreremus; cujus etiam auctoritate tu præcipuus auctor pacis ad rem perficiendam uti posses, &c. Datum Romæ.

Martini ad eum lit.

Non imminuendam inde, sed potius augendam ejus gloriam.

XXXIII. Inter ea pacis colloquia Carolus Francorum Rex senio & gravis alienatæ mentis vitio laborans e vivis sublatus est vigesimasecunda octobris die (c): cujus regnum Henricus VI. (d) ex filia nepos, & Carolus (e) filius ob Philippi Burgundi vim terroremque hereditate antea iniquo decreto dejectus inter se armis partiti sunt (f); nam dux Bethfordiæ, cui Gallici regni administratio demandata fuerat, bellum urgebat, ac post Henrici V. mortem aliquas urbes ceperat (g): Delphinus vero Pictavii regium insigne accepit (h) atque in ipso regni limine maximum vitæ discrimen Rupellæ adiit, ut pene ædificii labentis ruina elideretur: quem Pontifex justum Galliæ Regem agnovit, eoque ornavit nomine in literis susceptumque ea paterna morte illius dolorem permulsit: tum ad pacem in Gallia tot bellis attrita redintegrandam atque sanciendum cum Anglo fœdus, denique ad regias consectandas virtutes, & ad ecclesiastici ordinis tuendam dignitatem est adhortatus.

(c) *Juven. Ursin. in Car. VI. Monstrel. vol. 1. c. 267.*
(d) *Walsing. in hist. Angl. hoc anno sub fin.*
Caroli VI. mors.
(e) *Monstrel. vol. 1. c. 261. Paul. Æmil. in Car. VII. & alii.*
Carolus VII. Pictavii coronæ redimitus.
Magnum vitæ discrimen adit.
(f) *Lib. ult. brev. p. 22. & in alio lib. brev. p. 4. & 79.*
(g) *Monstrel. vol. 1. c. 263.*
(h) *Id. vol. 2. c. 2. 3.*

Cha-

Charissimo in Christo filio Carolo Francorum Regi illustri salutem &c.

Martini ad eum lit.

Non dolere & pias lacrymas continere charitas nostra non potuit cum nobis nunciata mors fuit celebris & praclara memoria charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum Regis illustris genitoris tui: simul enim animum subiit regia domus & sanguinis & sua pristina fortuna memoria & consideratio infirmitatis sua laborumque prasentium, qua nos & te & ceteros, qui eum amabant, facere promptiores debet ad laudandum Deum, qui si etiam illum rebus fecundissimis de regno tranquillo & saniore corpore vocavisset, esset a nobis de omni sua voluntate laudandus; prasertim cum illi Christianissimo Regi plurimum boni, mali nihil accederet, qui ad regnum aternum vocatus est imperio Regis aterni. Suscipiamus igitur consolationem in Domino, & misericordiam ejus humiliter implorare pro defuncti Regis anima non cessemus. Verum, fili charissime, quantum tu debitor es non minoris pietatis in patriam quam in patrem rogamus excellentiam tuam, ut omnes curas & cogitationes tuas convertas ad populi tui quietem & patria tua salutem, quam non minus debes amare quam patrem, quam filios, quam teipsum: & cum te Regem esse cogitaveris necesse est, si recte considerâris, fatearis te publicum patria patrem esse oportere: quod paterna charitatis officium cum gentibus & nationibus, qua in tuo regno continentur, prastare tenearis: in omni statu omnique fortuna, nunc maxime diuturno bello fatigata & tantis afflicta calamitatibus, humanitatem & sapientiam tuam requirunt, ut eas aliquando a tantis laboribus in optata pace componas, quibus profecto nihil melius pace, nihil optabilius dari potest, pro qua velis extinguere iram & odia, & injuriarum omnium oblivisci, illasque omnino tua benignitate remittere. Nec te commutatio rerum, aut aliqua nova felicitas a consilio pacis avertat, nec tibi blandiantur homines aut gloria sua tribuat, qua Dominus solus fecit, in cujus manu corda sunt Regum, & aufert spiritum principum quando vult: vana siquidem & infirma sunt humana consilia, nisi Dominus illa direxerit, qui rebus omnibus tempora modosque constituit. Cum igitur ab eo acceperis id quod habes, ipsi referenda devota & humiles gratia sunt & in cunctis tuis actionibus ejus auxilium implorandum: qui profecto, si per suas semitas ambulabis, tuis rectis & honestis desideriis prosperos cursus dabit.

Admonitus ut patriam non minus amet quam patrem.

Bellis finem imponat.

Felicitatem ex divinorum mandatorum observantia pendere.

Initia igitur regni tui illi commendes, & secundum ejus legem & mandata disponas: & tu cum regio diademate fueris ornatus tibi persuadeas, quod alia quadam sunt pretiosiora Regum ornamenta quam diadema vel purpura, fides scilicet, humanitas, & justitia, & super omnia timor Dei, & veneratio Ecclesia sua, sine quibus regium quidem nomen usurpari potest, verus autem & justus Rex esse non potest. Quare, fili charissime, te obsecramus, ut Deum timeas & sanctam ejus Ecclesiam venereris, nec patiaris opprimi in regno tuo Ecclesiasticam libertatem, qua semper a charissimis Regibus progenitoribus tuis summa cura & diligentia fuit defensa: nos enim pro honore tuo & pro quiete & pace regni tui nostra semper studia interponemus, quo nihil per nos accommodatius fieri potest ad conservandam & amplificandam dignitatem tuam, &c. Datum Roma.

Fides & justitia pretiosiora sunt Regum ornamenta quam diadema & purpura.

Praeerat (a) Gallicis rebus Henrici VI. nomine Joannes dux Bethfordiae una cum Philippo Burgundo, Anglicis vero Humfredus Lecestriae comes: cumque ad Ligerim Angli dominatum protulissent, negabant cedere amplissima possessione Carolo Regi; atque ita in plures annos extractum bellum, donec ruentibus in praeceps Anglorum rebus, ex praeteritis victoriis ob pontificia spreta monita non alios retulerunt fructus quam partorum jacturam, innumerasque strages, consumptis ferro morboque praecipuis etiam ducibus qui vitam ac labores bellicos longe majori gloria & utilitate pro Christi fide contra Turcas consumpsissent.

(a) Polyd. Virg. l. 23. Paul. Æmil. in Car. VII. Angli omnia perdere quam parte cedere maluat.

XXXIV. Accensa iterum in Neapol. regno bella.

Certabant eodem tempore de Neapolitano regno duo alii Christiani Reges magno cum religionis detrimento Ludovicus Siciliae & Alfonsus Aragoniae; quod bellum, ut vidimus, Joanna II. ejecto viro Jacobo accenderat: ejus vero extinguendi cupidissimus Pontifex, ad quem supremum Siciliae spectabat imperium, cum jam ante Ludovicum S. Adriani & Petrum S. Angeli diaconos Cardinales misisset, ac post pactas ipsorum opera inducias novis bellis citerior Sicilia flagraret, iterum Jacobum archiepiscopum cum summa decernendi potestate illuc legavit (b), ut exortum incendium compesceret, nec tamen Ludovici & Petri Cardinalium legatorum authoritatem detrahi pronunciavit. Missusque (c) est idem nuntius interjectis duobus mensibus in Gallias, de quo publicae fidei literae XIII. kal. aprilis consignatae extant.

(b) Lib. 4. ep. cur. p. 309.

(c) Lib. 4. ep. cur. p. 50.

Ludovici res depressae.

XXXV.

Secutae vero fuere in Neapolitano regno magnae rerum conversiones, ac Ludovici Siciliae Regis res pronae ruere; Aversa (d) enim a legatis Cardinalibus Joannae restituta est, & Franciscus (e) Sfortia etiam ab eodem Ludovico ad Joannam Alfonsumque descivit. Ludovicus autem Rex nudatus praesidiis exhaustusque aerario ad Martinum se contulit, a quo exceptus perhumaniter, qui cum Roma ad aliam ditionis ecclesiasticae urbem divertere vellet VIII. id. julii publicae fidei syngrapha (f) illi data est, qua

(d) Surit. l. 3. annal. c. 15.

(e) Collen. hist. Neap. l. 5. Sum. l. 4. c. 3. & alii.

Regno abjcedit.

(f) Lib. 4. ep. cur. p. 196.

qua jussi provinciarum pontificiarum præsides Ludovicum, ut ait, Jerusalem & Siciliæ Regem meritis honoribus afficere. Cum vero Martinus Roma Tibur fervente æstate se recepisset, eoque etiam Ludovicus ipsum convenisset, Tibure jam digressuro pridie kal. aug. alia eo argumento syngrapha (a) tradita. Inter hæc Joanna & Alfonsus Rex Aragonum belli molem in Ludovici studiosos convertere, quos non armis modo frangere, verum magna clementiæ ostentatione ad suas partes allicere nitebatur Aragonius, eosque in sua verba per jusjurandum adigebat (b); quamobrem gravia illum inter & Joannam dissensionum semina pullularunt, tum præter fas Neapolitani regni imperium sibi arrogaret.

(a) Ibid. p. 83.

(b) Summont. l. 4. c. 3.

Ditio ecclesiastica turbata.

Nec turbarum expers erat ditio ecclesiastica: ad quas sedandas imperatæ antea inter agri Romani & patrimonii B. Petri proceres extractæ (c) ad annam induciæ: cum Ludovicus Alidosius Imolensi toparchia x. kal. februarii donatus est (d).

(c) Lib. 4. p. 24.
(d) Lib. 3. p. 349.

XXXVI. Edita a Martino pro Judæis sanctio.

Hoc anno Martinus ad Judæorum gentem ab iniquorum injuriis vindicandam sanctionem (e) edidit, cum ex Judaica gente fluxerit Christiana religio, & ipsa ad confirmanda sacra oracula divina utatur providentia, tum ejusdem reliquiæ evangelica tandem luce collustrandæ sint.

(e) Ext. apud Eug. IV. l. 12. p. 358.

Martinus servus servorum Dei universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem.

Indulgendum miseris quia reliquiæ salvæ fient.

Considerantes quod religioni convenit Christianæ Judæis eo libentius contra persecutores & molestatores ipsorum opportunum præstare subsidium, quo specialius sunt in testimonium catholicæ fidei reservati, eorum testante propheta: Tandem reliquiæ salvæ fient; *quacumque per prædicatores contra ipsos Judæos, ne cum Christianis conversari debeant, vel e contra, dicta sunt, ac excommunicationis sententiam, nullius firmitatis existere censentes, universitati vestræ, & præsertim locorum ordinariis & superioribus ordinum Prædicatorum districtius inhibemus, ne de cætero talia, vel similia contra Judæos utriusque sexus ubilibet constitutos in eorum diœcesibus, civitatibus, terris & locis, per quosvis prædicatores religiosos vel sæculares, cujuscumque status, gradus, ordinis, religionis, vel conditionis existant, populis prædicare permittant; volentes quod quilibet Christianus Judæos ipsos humana mansuetudine prosequatur, nec eis in personis, rebus aut bonis suis inferat injuriam, molestiam vel offensam; sed sicut permissum est eis cum Christianis vicissim conversari liceat, etiam mutua commoda alterutrum suscipere. Quibus etiam Judæis de speciali gratia indulgemus, ut omnibus & singulis privilegiis & gratiis, libertatibus & indultis quacumque auctoritate, & per quoscumque sub quacunque verborum forma concessis & in posterum concedendis, quæ eis volumus debere ab omnibus inviolabiliter observari, licere uti valeant & etiam gaudere, &c.* Et infra: *Illos autem Judæos dumtaxat hujusmodi protectionis præsidio volumus communiri, qui nihil machinari præsumpserint in subversionem fidei memoratæ, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum x. kalendas martii pontificatus nostri anno v.* Abusi sunt apostolica benignitate, atque ideo privilegia ipsis concessa, ex quibus insolescerent, ab Eugenio rescissa visuri sumus.

Jactatum temere ex eorum usu anathema contrahi.

Justæ leges pro ipsis lavæ confirmantur.

Inchoata

I. Ticinense concilium. (a) Concil. Const. sess. 44. (b) Lib. ult. brev. pag. 71. & in al. lib. brev. pag. 13.

INchoata est decreto concilii Constantiensis (a) anno post Christum natum millesimo quadringentesimo vigesimo tertio indictione prima synodus Ticinensis [1] ad mores cleri & aliorum fidelium componendos, sentesque hæresum evellendas; qua de re Martinus (b) ad Othonem archiepiscopum Trevirensem hæc scripsit.

Martinus, &c. Quod fieri potest spectaculum gloriosius super terra, magisque dignum Deo, quam si in una mundi parte armati fideles contra hæreticos dimicare pro fide catholica, in altera mithrati patres ecclesiastici pro reformatione ecclesiæ decreta justa sancire conspiciantur? ad hoc enim, Deo duce, dare operam intendimus. Et si forte civitas Papiensis per sacrum Constantiense concilium pro loco hujus futuri concilii deputata aliquo casu, quem Deus avertat, impediretur, non propterea a tam sancto opere desistemus: nam in eadem regione aliæ urbes idoneæ sunt ad hoc concilium celebrandum, quarum aliquam, ut speramus, Deus nobis per suam misericordiam liberam conservabit. Præterea fraternitatem tuam hortamur, ut sicut alias tibi & cæteris metropolitanis Germaniæ scripsimus, quæ tibi ad honorem Dei, reformationem status ecclesiastici, exterminationem hæreticorum, ac pacem quietem provinciæ, quæ videantur esse in hoc generali concilio proponenda & statuenda, una cum suffraganeis tuis discutias & disponas. Dat. &c. Adhibuisse Othonem pastorale studium in cleri excolendis moribus vitiisque insectandis, eamque ob causam maximos labores exantlasse Trevirensium archiepiscoporum gesta testantur (c).

Provinciales synodi cogi jussæ.

(c) Cratepol. in annal. archiep. Treviren. in Othone. II.

Data eadem mandata fuere Conrado Moguntino cæterisque archiepiscopis Germaniæ, ad quos hæ missæ literæ (d).

(d) Lib. brev. & in annal. lib. brev. pag. 122.

Venerabili fratri Conrado archiepiscopo Moguntino salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut omnipotens Deus de throno ineffabilis majestatis per ministeria creaturarum suarum universum conservat, regit & temperat, ita nos, qui ejus vice in apostolatus culmine constituti, licet immeriti, Christiano generi præsidemus; quantum possibile nobis est & ab ipso conceditur, per suas semitas ambulantes, æquum ducimus officiis, consiliis & procurationibus aliorum a nobis dependentium prælatorum universalem Ecclesiam gubernare. Cum itaque super omnia ad reformandum statum ecclesiasticum

De restituenda ecclesiastica disciplina actum.

NOTÆ [1] DE Synodo, quæ hoc anno Ticini primum celebrari cœpta est, pauca adnotanda supersunt, cum raris adeo Patribus constiterit, ut ignorem, an tertia alia ultra primam & secundam sessio celebrata sit. Profecto si plures convisse Patres admiserimus, nihil tamen majoris momenti statuisse videntur quam translationem concilii Senas, quæ die XXII. junii decreta statim executioni mandata fuit.

Senas igitur se Patres transtulerunt ubi celebrari concilium cœpit. De mense & die, qua primo convenerunt patres, inter scriptores non convenit. Anonymus coævus quem in codice Victorino consuluit Spondanus ad hunc annum num. 3. indictum fuisse patribus ad diem kalendarum novembris legitur. Malavolta in historia vernacula Senensi par. 3. lib. 1. diem XXII. augusti assignat. Non dubito quin bono huic viro optima patriæ suæ documenta præ oculis fuerint, sed cum ea præter morem suum oscitantius legisset, diem XI. kal. augusti perinde accepit ac si XI. kalend. *septembris* signaret. Reipsa enim Franciscus Thomasius Senensis coævus author in continuatione ad historiam Senensem Joannis propatrui sui; quam utramque historiam legas Rer. Italic. to. XX. affirmat solemne sacrum de Spiritu Sancto, unde concilia pro veteri more exordiebantur in principe Senensi basilica celebratum fuisse die XI. Kal. Sextiles idest die XXII. julii. Addit tanta frequentia patres eo confluxisse ut laborandum a civibus fuerit, ne annona deesset. Verum subortis in concilio turbis arte Alphonsi Aragoniæ regis, qui pro Benedicto restituendo clandestina consilia agitabat, Coloniensi archiepiscopo intimasse pontificem ut concilium dissolveret. Ne id mandaretur executioni admitebantur Senenses, quorum metu factum est ut decretum illud de translatione concilii Basileam, quod in editis concilii actis ex sessione I. concilii Basileensis recitatur, eodem quidem die XIX. Februarii quam ibidem signatum est ederetur, sed clam & in loco ab eo quo cœtus agebantur diverso. Sequenti vero die ab eo decreto publicando prout patres destinaverant vetantibus Senensibus abstentum est. Demum succedente luce receptis a Martino literis de concilii dimissione parendum fuit, atque ita remotis portarum custodibus quos Senenses opposuerant, ne quis ex patribus recederet, libera abscedendi facultas omnibus permissa; & sic concludit author, *præsules multi & ipsi etiam præsides fere taciti discessere. Hispani tamen multi Gallique ac Itali nonnulli prosequendi concilii cupidi, in civitate remansere, seque Petrum Luna* (nondum ergo obierat) *ex Hispania evocaturos minitabantur; quod quidem veritus Martinus Malatestam Pisauri dominum oratorem suum multis cum militibus Senas misit qui supremum plenior magistratum adiens rem concilii auferre postulavit. At magistratus cum in pontificis voluntatem inclinaret, in senatu tamen id obtinere nequaquam poterant. Quamobrem authoritate propria apparatum omnem & ornatum sustulit; quo facto cuncti fere, maxime tamen civium porte invita, discessere.* Ita ergo in Senensi hoc concilio prælusum est iis quæ postea ab iisdem fere patribus ingenti ecclesiæ scandalo in Basileensi concilio commissa sunt. MANSI

eum, qui hoc tempore indigere videtur, abundante iniquitia, & frigescente hominum charitate suscitatis inter fideles bellis atque discordiis, & invalescente heretica pravitate, animam intendamus; & cum liquido nobis appareat ex provincialibus conciliis rite & mature celebratis magnam illuminationem & commoditatem afferri ad corpus universalis Ecclesiæ in generali concilio confirmandum, fraternitati tuæ, quam fide ferventem & in agendis circumspectam esse non dubitamus, per apostolica scripta suademus, committimus & mandamus, ut quam cito tibi commoditas affuerit, in idoneo tuæ diœcesis loco instituas tuum provinciale concilium, ad illud, ut moris est, solemniter convocatis suffraganeis tuis & prælatis aliis, cæterisque personis ad præfatum concilium requirendis; in quo quidem pro tua sapientia & proponi, statui & ordinari studeas, quæ ad laudem & honorem Dei, & ad conservationem & augmentum religionis & fidei Christianæ, reformationem cleri in moribus & in vita, salutem populi, pacem quietemve provinciæ cognoveris pertinere; nec minus consideres pro tua discretione, & in eodem provinciali concilio considerari facias & videri, quæ per nos fieri oporteat & disponi in concilio generali, quod, Deo auctore, sumus habituri.

Quænam in conciliis proponenda sint.

Volumus autem, ut quæcumque statuta & ordinata & provisa & præmeditata fuerint nobis quam citius per tuas literas facias manifesta, ut si qua ex illis fuerint, quæ sedis Apostolicæ præsidio & auctoritate indigeant, eadem nostro & præfatæ sedis munimine roborentur, & alia proponenda ad illuminationem generalis concilii ante mature possit discuti & ponderari, ut quod ante omnia cupimus pro salute fidelium animarum pro quieto statu reipublicæ Christianæ, pro reformatione Ecclesiæ in hoc concilio futuro generali salubriter provideatur: Dat. Romæ apud S. Petrum.

Moguntiæ habita synodus.

Celebratam fuisse a Conrado Moguntino antistite hoc anno provincialem synodum, atque in ea plures sanctiones ad disciplinam ecclesiasticam instaurandam, moresque fidelium emendandos, refert Nicolaus Seratius (a), cujus acta edita etiam fuisse addit.

(a) Serar. lib. 5. Mogunt. rer. in Conrad. III.

Habita & Coloniæ.

Habita quoque est synodus (b) a Theodorico Coloniæ archiepiscopo, in qua nonnulla ad cleri mores expoliendos, pluraque ad hæreses Joannis Wicleffi, ac Joannis Hus abolendas sancita. Ad confundendam etiam Bohemorum novatorum impietatem, quæ Christi domini, ac B. Virginis imagines diffringebat constitutum est, ut Virginis plangentis dolores Christi e cruce pendentis, dum humanum genus suo cruore redemit, memoria feria sexta recurrentis a paschate tertiæ hebdomadæ recoleretur: tum ut fideles ad piam illam celebritatem allicerentur, iis qui solemnibus sacris adforent quadraginta dierum indulgentiæ propositæ, precesque indictæ, ut Deus clementiæ suæ luce Bohemos errorum tenebris involutos collustraret; nec revocandum est in dubium reliquos archiepiscopos suo muneri non defuisse.

(b) Ext. acta synod. Colonia.

Institutus dies Virginis Christum plangentis.

Decreverant ad Martinum Pontificem Sorbonicæ academiæ theologi solemnes oratores adjectis literis, quibus ipsum cohortabantur, ut concilium Ticini indictum celebrandum curaret ad religionis splendorem pristinæ dignitati restituendum: quos Martinus (c) de eximio in Romanam ecclesiam studio commendavit, fecitque certiores vel Ticini concilium celebratum iri; vel si casus aliquis in ea urbe celebrari illud non permitteret, in alium locum opportuniorem translatum iri.

Sorbonicæ academiæ ad Martinum legatio.

(c) Lib. ult. brev. pag. 22.

Ad studium Parisiense.

*Literas vestras plenas filialis devotionis & fidei libenter legimus, & oratores vestros libenter audivimus, nos eadem fere sententia facunde & prudenter hortantes ad celebrationem concilii generalis: quibus licet per nos fuerit viva voce satis copiose responsum, tamen quia nos delectamur vobiscum loqui in ista materia, quos non dubitamus zelo conservandæ fidei catholicæ & ecclesiasticæ dignitatis commoveri, sinceritatem cordis nostri per has literas ad pleniorem cognitionem patefacere & aperire volumus. Non est, filii dilecti, dubitandum quin plurimum profutura sit, sicut scribitis Christianæ reipublicæ hæc sacra synodus, Deo auctore, de proximo celebranda, per sanctam superiorem Constantiensem synodum instituta ad ordinandam reformationem status ecclesiastici, & ad periculosas hæreses exstirpandas; & propterea nemo debet de voluntate nostra circa hujus celebrationem generalis concilii dubitare. Et, si civitas Papiensis ad hoc per ipsam Constantiensem synodum deputata casu aliquo impediretur, quod avertat Deus, non propterea ab hoc necessario & sancto opere desistemus; nam speramus quod Deus per misericordiam suam aliquam ex propinquis civitatibus nobis ab omni impedimento liberam conservabit. Denique existimate nec concilio idoneum locum, nec nobis sincerum animum ad ea, quæ erunt recta & justa, defuturum. Vos vero, filii dilecti, quæcumque in eodem concilio ad honorem Dei, reformationem Ecclesiæ, exstirpationem hæresum, & ad pacem ac salutem populi Christiani proponenda & statuenda videantur, mature, distincte, & salubriter providete. Nota nobis est vestra erga Romanam ecclesiam fidelitas atque devotio, quæ semper vestros sensus erexit atque excitavit ad conservandum atque honorandum caput, unde pendet salus & conservatio ecclesiasticæ monarchiæ, etiam contra inflammata multorum * ... amplitudinem*

Martini ad Sorbonicos literæ.

Purgat Martinus suspicionem quod nollet concilium.

* Vota

Commendata Parisiensium pia studia.

nem suum ex rerum perturbatione quærentium; nec nunc tum in honesto proposito spiritus vestras tepuisse putamus, quas velitis excitare ad atilec atque sanctas cogitationes pro fide catholica, pro dignitate Ecclesiæ, pro libertate ecclesiastica conservanda; hæ siquidem curæ dignæ sunt vobis & omnibus, qui Christianam rempublicam salvam volunt, &c. Dat. Romæ.

III. Internuntii a Martino missi ad Ticinense concilium.

(a) Lib. 5. ep. cur. p. 11. Cantelor. ex brevib. Mart. V. Sabellic. ennead. 10. l. 1.

(b) Ext. ejus lit. in actis concil. Basilie.

Summa instructi auctoritate.

Accedente peragendi concilii tempore futuros in eo præsides creavit (a) Pontifex Donatum archiepiscopum Cretensum, Jacobum episcopum Spoletanum, Petrum abbatem Rosaciam ordinis Benedictini Aquilejensis diœcesis, ac Leonardum ordinis Prædicatorum magistrum, quos amplissima decernendi in concilio, transferendi illius in aliam Italiæ urbem, si id tempus & necessitas flagitasset, atque indicendi ad septennium proxime recurrens alterius, designandæque urbis potestatem fecit (b).

Martinus, &c. Discretioni vestræ, ubi legitima causa subsistat, ipsum concilium de civitate prædicta ad quamcumque civitatem aliam ejusdem nationis ad hoc liberum, habilem, & sufficientem, de qua vobis videbitur, authoritate nostra transferendi illudque prorogandi, mutandi & dissolvendi, ipsumque concilium in hujusmodi alia civitate, ad quam id forsan transferri & mutari contigerit, continuandi, tenendi, & celebrandi, & ad illud prælatos & alios evocandi, eique nomine & authoritate prædictis præsidendi, & in eo quæcumque decreta eodem approbante concilio ordinandi, statuendi, & decernendi, illaque in publicis sessionibus juxta morem solemniter publicandi & approbandi; & nihilominus ante dissolutionem præsentis concilii locum pro alio futuro concilio inde ad septennium celebrando juxta deliberationem & ordinationem prædictam, etiam ante mensem ubi rationabilis causa esset, ne aliquo modo hujusmodi loci deputatio differatur, nominandi, deputandi, & assignandi & alia in præmissis omnibus agendi, disponendi, statuendi, & exequendi, ac concludendi, quæ pro statu honoreque nostris & Romanæ ecclesiæ, ac tranquillitate & pace reipublicæ Christianæ noveritis profutura; plenam & liberam de dictorum fratrum consilio authoritate apostolica tenore præsentium concedimus facultatem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum VIII. kal. martii pontificatus nostri anno VI.

Lues Ticini grassata.

(c) Lib. brev. ult. pag. 37.

Jam synodum Ticini inchoaverant patres, cum lue in ea urbe grassari incipiente discedere compulsi sunt, Senasque ad illud instaurandum designarunt, quorum sanctionum confirmavit Pontifex (c) ac Ludovico episcopo Magolanensi proquæstori præcepit, ut cum Senensium oratoribus Carolo Auguelino, Checco Bartholomæi Petrucio, & Christophoro Andreæ de excipiendis patribus & tuenda libertate concilii, ad quod una cum Cardinalium senatu se conferre meditabatur, pacisceretur, & pacta conventaque confirmavit, ut ait (d); *super ordinatione & celebratione concilii generalis in civitate Senarum, & accessu nostro nec non venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & Romanæ curiæ & aliorum venientium ad concilium & civitatem prædictum. Datum Romæ apud S. Mariam majorem id. augusti pontificatus nostri anno VI.*

(d) Lib. 4. ep. cur. p. 244.

Translatum Senas Concilium.

IV. Solicitat præsules ut Senas accedant.

(e) Malavol. p. 3. l. 1. ad fin. Lud. Cavitel. in annal. Crem. hoc anno. Acta synod. Senen.

(f) Lib. ult. brev. p. 57.

(g) Ibid. p. 80.

(h) Ib. p. 37.

(i) Lib. 20. c. 14.

De hac translatione meminere scriptores, (e) extantque apostolicæ literæ ea de re ad Conradum (f) archiepiscopum Moguntinum & Theodoricum (g) Coloniensem datæ, in quibus Papiensem synodum ob pestilentiam dissolutam fuisse ait tum etiam ad Alfonsum Regem Aragonem, quibus eum rogat, ut regnorum suorum præsules urgeat, ut Senas veniant: *Quia* inquit (h), *ex justa causa translatio concilii generalem de civitate Papiensi ad civitatem Senensem per ipsum concilium est decreta & approbata per nos, excellentiam tuam rogamus, ut operam sumas, quod prælati de regnis tuis veniant ad reformandum cum cæteris statum ecclesiasticum & libertatem Ecclesiæ conservandam.* Solicitatos pariter alios Reges, ut ad Christianam rem in suum splendorem revocandam præsules Senas mitterent, perspicuum videtur: quid vero post hæc Alfonsus Rex egerit, suo loco enarrabitur (i): nunc de pontificiis studiis antequam synodus cogeretur, adhibitis ad schismatis veteris propagatas reliquias excindendas dicemus.

V. Latrant schismatici in concilium Constant.

(k) Lib. 4. ep. cur. p. 207.

Decretus jam ante fuerat internuntius Gerardus præpositus Albiensis, ut legum ecclesiasticarum severitatem adhiberet in nonnullos impostores, qui religioso in Occitania & Aquitania aut clericali insigni decori scelus variis hypocriseos involuctis obvelabant, vocesque blasphemas fundebant in Constantiensem synodum, ac patres universi orbis Christiani Petrum e Luna sententia iniqua damnasse effutiebant. Ille igitur apostolica secutus imperia, rite explorata veritate, judiciaria sententia hæresis & schismatis flagitio devinctos renunciavit. De quibus factus certior Pontifex cunctos præsules, Reges, cæterosque principes atque alios catholicos dignitate conspicuos adversus impios homines incitavit (k).

VI. Data principibus imperia ut eos capiant.

Martinus, &c. Universitatem vestram, regias præsertim celsitudines, ducumque, comitum, & principum, aliorum nobilitates, ac cæterorum devotiones requirimus & hortamur attente, ac per viscera misericordiæ domini nostri Jesu Christi, cujus res agitur, obsecramus in Domino, ecclesiasticis vero personis, ac subditis nostris aliis quibus-

busenmque, in virtute sancta obedientia, & sub excommunicationis ac aliis pœnis juris præcipimus & mandumus, quatenus si, & quando, ac quoties pro parte præfati nuncii [nimirum Gerardi, de quo paulo ante memoravi] *fueritis requisiti; adversus præfatos schismaticos, ac schismatis & hæresis nutritores, fautores, ac sustentatores, & eorum quemlibet, eis modis & formis quibus expediens fuerit, etiam per viam facti insurgatis, ac procedatis, & alias in cunctis, quæ præfatus nuncius duxerit requirendum, eidem auxiliis, consiliis, & favoribus opportunis assistenda potentiis, obediatis, & efficaciter, pro exaltatione fidei orthodoxæ, & Ecclesiæ universalis unione, extra quam salus non est, & depressione, ac destructione dictorum schismaticorum, ac schismatis scissuræque & divisionis Ecclesiæ nutritorum, scandalizatorum, intendatis, sic quod vestris mediantibus juvaminibus, consiliis, & favoribus, in virtute Altissimi, & in brachio extenso ipsius, in eorum malignitatibus, & perversitatibus conterantur, prosternantur, & penitus destruantur ac adnihilentur, fidesque catholica continue exaltetur, ac unio in dicta Ecclesia, futuris perpetuis temporibus irrefragabiliter habeatur & observetur, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum XII. kal. aprilis pontificatus nostri anno VI.*

VII. Redactus externa specie est ad officium Armeniacei comes Rhemensis archiepiscopi opera, cui proximo anno a Martino actæ gratiæ fuere (a), cum is pravi animi recessus abditos scrutari nequiret, sed postea paruit mente impia, reliquorumque confirmata est schismaticorum audacia ob clientelam Alfonsi Regis, qui ut Martinum vexaret, in vulgus pervulgandum curavit (b) Paniscolenses schismaticos, Dominicum a Bona fida, Eximum Dachiæ, & Julianum a Loba cardinalitia dignitate auctos a Petro a Luna. Ex hac fama Christi vicarius magno dolore percitus est, ac Valentino (c) episcopo tum Dalmatio archiepiscopo Tarraconensi dedit mandata, ut quosvis sine ullo dignitatis, etiam regiæ, discrimine omni cum novis pseudocardinalibus commercio, intentata anathematis pœna interdicerent, ac si damnarent flagitium, eos in gremium Ecclesiæ revocarent (d). Compertum deinde est confictam eam esse fabellam authore Alfonso (e) Rege Aragonum, ac Petrum a Luna nullum pseudocardinalem dixisse, ut testatur Martinus (f), cujus verba mox afferemus. Refellendi itaque ii, qui Petrum a Luna suos sacramento adegisse ferunt, alium in suum locum subrogaturos, cumque vocis usum vis morbi illi ademisset, accepto calamo pseudocardinalibus proposito æternæ maledictionis pœna ad id obstrinxisse: fuere enim hæ schismaticorum & politicorum regiæ Aragoniæ schisma propagare molientium fallaces artes.

(a) Ext. ea de re lit. in ms. Alex VII. p. 7.

(b) Mart. l. 9. brev. p. 3.

(c) Lib. brev. p. 73.

(d) Id. ibid. p. 92.

(e) Id. Lib. 9. brev. p. 3.

(f) Id. l. 9. brev. p. 3.

Petrus a Luna in hæresi emoritur.

Ereptus porro est e vivis hoc ipso anno [1] (g) Petrus a Luna, quem nonnulli veneno necatum putavere, quasi viro nonagenario nullum effœta senectura præsentius venenum esse posset; ac mox authore Alfonso Rege (quem ambitio & ira impellebant in Martinum Neapolitanum ei sceptrum tradere negantem, gentique Gallicæ jura debitum eripere abnuentem) jussi illi iidem impostores, quos falsus rumor primum pluribus mensibus (h), ac deinde præeunte extremo Petri a Luna obitum die pseudocardinalitio insigni donatos finxerat, regio acti (i) imperio accepta purpura mimico more Ægidium Munionem canonicum Barcinonensem Paniscolæ antipapam crearunt. qua de re hæc traduntur in MS. Vaticano (k): *Petrus a Luna*

(g) Id. l. ult. brev. pag. 37.

Alfonsus Rex Anticardinales & Antipapam creat.

(h) Id. l. 4. ep. cur. pag. 143.

(i) Id. lib. 9. brev. p. 3. & p. 23. Marian. lib. 20. cap. 14.

(k) MS. Vat. signat. nu. 6418. p. 131.

NOTÆ [1] PEtri de Luna qui sub Benedicti XIII. nomine pontificis Romani personam ludricam Paniscolæ agebat, obitum anno huic assignat Annalista persuasus authoritate literarum Martini V. pontificis, & sententiæ concilii Senensis, qua in Petrum de Luna *damnata memoria* anathema pronunciatur. Consonant & recentiores Hispani scriptores Surita, & Mariana qui eumdem pariter annum viro infelici emortualem statuunt. Consonat & Andreas Ratisponensis, qui tunc in Germania chronicon suum ab Eccardo vulgatum scribebat. Diu multumque cogitavi, num authoritatibus hisce victas tandem manus darem contra perspicuum aliud documentum quod annum hujus emortualem ad sequentem 1424. transfert; cum præsertim quædam in eo legantur veritati plane opposita. Rem ut se habet proponam. Joannes Carrerius Gallus unus quispiam ex cardinalibus Benedicti seu Petri de Luna, post obitum ejusdem Benedicti quadriennio, literis datis ad Comitem Armeniaci, quas etiam palam ad omnes fideles directas voluit; totam historiam de ejusdem obitu, ac de successore illi a cardinalibus substituto persequitur. In iis vero ejusdem Benedicti annus, mensis & dies emortualis ita enunciantur: *Novembris die XVII. anni Domini MCCCCXXIV. cœpit infirmare, die XVII. ejusdem mensis quatuor cardinales dum Aragonenses, & duos Gallicos creavit. Die penultima ejusdem mensis inter septimam & nonam horam expiravit.* Institutam hanc narrationem prosequens author ille, scribit, longa deinde consilia de successore deligendo cardinales illos agitasse; sed extimulante tandem per literas Alphonso Aragonum rege, *pro tunc circa partes Neapolitanas existente*, post varias partes vicissitudines sequenti anno Ægydium quendam Sancii Munionis (quem genere illustrem, & Barchinonensem canonicum appellat author secundæ vitæ Martini Rer. Italic. tom. III. par. II.) renunciasse pontificem Clementem VIII. nomine appellatum. Diem & mensem electionis hujus silet, sed cum syngrapham quondam recitet a novo pontifice ante electionem suam signatam eaque data sit die X. junii anni 1425. rem haud lon-

Illi Clementis nomen inditum.

Luna VII. annos post synodum Constantiensem vixit numquamque Pontificis nomen deposuit; immo cum eodem tempore Alfonsus Aragoniæ Rex bellum gravissimum in Italia cum Ludovico Andegavensi gereret, Martinusque in partes Ludovici propendere videretur, iratus Pontifici Alfonsus dedit operam, ut duo Cardinales, qui reliqui erant, post obitum Benedicti Pontificem designarent. Delegerunt ipsi Ægidium Munionem canonicum Barcinonensem, qui Clemens VIII. fuit nominatus, Cardinalesque creavit, & alia munera pontificia gessit: Sed postea cum idem Alfonsus in gratiam cum Martino rediisset, facile ipsum schisma fuit omnino sublatum; nam Alfonsus Borgia vir optimus & prudentissimus, qui paucis post annis fuit Pontifex maximus, tunc ad hoc negotium delectus, egit cum hoc Clemente, & deinde Petrus Cardinalis Fuxensis, tantumque uterque apud illum sua opera & auctoritate potuit, ut ipse Clemens se sponte pontificatu abdicaret.

Martini de Alfonso querelæ.
(a) Lib. 9. brev. super pag. *

Patrati porro ab Alfonso Rege facinoris seriem non sine gravissimis querelis Castellæ Regi ita exponit Pontifex (a): *Petro e Luna defuncto in latebris Paniscolæ Dertusensis diœcesis, continuo data fuit opera, ut nonnulli sacrilegi falso decernerentur, per diem ante mortem ipsius Petri ab eodem creatas esse Cardinales, seu verius profanatos; cum tamen liquido & certo constet, ipsum neminem nominasse, sed ut seminarium non deficeret schismatis hanc ridiculam fabulam fuisse confictam: atque ita continuo, assentiente Alfonso Rege [nec enim aliter factum esset] quendam Ægidium per illos sacrilegos in idolum fuisse creatum, & Clementem ausu temerario & impio nominatum, ut eo nomine, si posset, suscitaret & perpetraret schisma jam ante sublatum. Considera nunc, fili charissime, quid iste Rex facere debuisset, & nisi esset auctor hujusmodi abominationis & turpitudinis, quid fecisset &c.*

Excitati sunt tantum facinus Valentini, atque ad removendum a Christiano orbe ejusmodi ludibrium de Paniscola obsidenda consilium capessivere, quorum pium studium Pontifex magnis laudibus extulit, utque rem perficerent, hisce literis (b) est cohortatus.

VIII. Valentini Paniscolam obsidere deliberant.
(b) Lib. ult. brev. pag. 232. & in alio lib. brev. pag. 87.

Dilectis filiis juratis civitatis Valentinæ salutem &c.

Nuper audivimus quid animi & quid consilii vobis fuit & cæteris civibus Valentinis de obsidenda Paniscola & schismaticis ac sacrilegis capiendis, quando primum cognovistis Petro de Luna ab hac luce subtracto, in synagoga illa novum idolum & infame monstrum velut seminarium schismatis suscitatum fuisse: pro quo ardore vestræ devotionis & fidei vos & universos cives vestros laudibus dignis extollimus, hortantes atque rogantes, ut prosequamini quod cœpistis; est enim opus hoc sanctum factu facile & debitum cuilibet populo Christiano, sed præcipue vobis, qui dedecus illud & ludibrium Ecclesiæ Dei finitimum terris vestris aspicitis. Velitis igitur, filii dilecti, laborare viribus & virtute, ut aliquando tollatur hoc scandalum, quod nutritur scelerata factione paucorum, qui instigante sathana sublatum schisma renovare & perpetuare conantur. Super hoc scripsimus charissimis in Christo filiis Alfonso Regi & charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ ejus consorti Reginæ Aragonum illustribus, quam Reginam audivimus zelo Ecclesiæ Dei commotam cum prælatis pari devotione succensis statim cognita illa profanatione nefaria consilium ha-

Commendata eorum pietas a Martino.

NOTÆ longius extrahendum censeo. Cum vero ab electione exclusus fuerit idem Johannes Carrerii epistolæ scriptor, narrat se alios ea de re doluisse, & amoto pontifice, ut non rite instituto alterum elegisse se Aquitanum hominem, quem Benedictum XIV. appellat eundemque tandem inter tot pontifices rite electum omnibus Christifidelibus probandum agnoscendumque proponit, tum literas claudens signas diem XX. *januarii anno 1419. a dicta electione anno quarto*. Ex ea supputatione constat electionem hanc diem XX. januarii annum 1426. præcessisse; sed posterior habenda est die XII. decembris anni 1425. qua die venisse se Paniscolam nullo adhuc substituto pontifice in iisdem literis affirmat. Igitur spatium illud temporis quod inter diem XII. decembris anni 1425. ac diem XX. januarii sequentis anni interjacet definiendum est. Ex his literis, quas Martene Anecdot. to. II. col. 1714. ex Fuxensi tabulario vulgavit, annus emortualis Benedicti liquido constaret, si veritatis essent exploratæ; at suspicionem aliquam ingerunt ex eo, quod apertissimum præferunt mendacium; numquam enim toto anno 1424. & 1425. Alphonsus ad Neapolitanas partes divertit; sed ab ea expeditione die octobris anni 1423. teste Anonymo ephemeridum Neapolitanarum authore retractus, ac in regnum suum redux, reliquo eo anno, & sequentibus bellum illud per duces suos continuavit. Qua ergo fronte Alphonsum in Neapolitano regno commorantem author inducit? Hoc sane figmentum de tota narrationis hujus veritate ambiguos nos efficit. Verum ad obitum Petri de Luna cum sequenti anno illigandum quod attinet Oldoinus in nova editione Ciaconii ad vitam Dariæ, quem Petrus de Luna ante obitum cardinalem renunciavit, indicat Martini diploma datum V. id. octobris anno X. idest 1427. in quo asseritur Benedictus mense septembri anno 1424. die ante obitum cardinales nonnullos renunciasse. Obiit ergo Benedictus anno sequenti 1424. & Martinus ceterique, qui hoc anno 1423. eiatum ferunt, vulgi rumore decepti sunt. Hæc omnia ante me Pagius in vita Martini animadvertit. Ad electionem Ægydii Munionis cum anno 1425. illigandam quod attinet, opportune etiam accedit quod Martinus in suis literis adversus Petrum e Luna datis anno IX. qui Christi est 1426. Ægydii hujus primum meminerit; nec uspiam antea nomen illud in literis pontificis occurrat. Quo argumento electio ejus anno 1425. valide confirmatur. Mansi

habuisse tollendi hujus opprobrii de finibus illius regni, & speramus quod eorum uterque firmabitur in hoc sancto proposito, nec patietur sedem perditis hominibus praestari in terris suis. Dat. &c.

Disturbata ab Alfonso pia eorum consilia.

Fregit Pontificis & Valentinorum consilia Rex Aragonum, qui subdole scelus, quod patrari jusserat, se detestari fingebat, antipapæ enim suo jussu creati ab iis, qui cardinalitiam purpuram manusque non a Petro e Luna acceperant, sed regia nequitia fulti invaserant, clientelam arripuit, ut questus est postea Pontifex (a) apud Castellæ Regem: *In Christianitatis*, inquiens, *scandalum & animæ suæ damnationem*, de Alfonso loquitur, *fovit & sustentavit illum Ægidium, sibi & sequacibus subministrans sumptus de bonis Ecclesiæ*. Hæc vero hoc anno contigisse non modo Hispani scriptores (b), verum acta quoque Senensis concilii ac pontificiæ literæ ad Alfonsum Regem Aragonum datæ testantur: ea quibus plurimi mortem Petri e Luna in alium annum conjicientes sunt emendandi. Queritur vero gravissimis sententiis Pontifex (c), sopitum ignem ad nova miscenda incendia a flagitiosissimis hominibus suscitatum, verbisque mollibus mulcere nititur, ut qua valeat authoritate, illud restinguat.

(a) Lib. 9. brev. p. 3.

(b) Surit. l. 13. annal. c. 23. Marian. l. 20. c. 15. & alii.

(c) Lib. brev. p. 37.

Flectere ipsum ad officium Martinus nititur.

IX.

Ei porrecta preces.

Charissimo in Christo filio Alfonso Aragonum Regi illustri salutem, &c.

Per literas crebras & nuntios habetur, quod Petrus de Luna ab hac luce subtractus est: & quia vita ejus, licet omni obedientia destituta, propter quamdam umbram pristinæ dignitatis aliquale scandalum in Ecclesia mittebat, rationabiliter totum id debet ejus morte finiri penitus & extingui; quod ut melius atque facilius fiat, excellentiam tuam paterna charitate requirimus, & rogamus ut tu, qui post præclaræ memoriæ Regem genitorem tuum summa & singulari fide jecisti atque firmasti in regnis illis prima unionis Ecclesiæ fundamenta, huic extremo operi apponas manum, taliterque provideas & regia auctoritate præcipias, ut idolum illud factum in ludibrium Christianorum, omnesque illæ reliquiæ & fomenta schismatis tollantur & aboleantur omnino. Hoc cuilibet principi Christiano debitum est, sed tibi uni magis præter ceteros, quia in confinibus tuis conflatum est, & regna tua maculat & honorem tuum, qui constanti devotione bonum publicum & pacem universalis Ecclesiæ tuis privatis affectibus prætulisti, ut merito, si quid purgandum restat in locis illis, tua gloria debeatur, quam non dubitamus esse tibi omnibus mundanis divitiis chariorem.

Est igitur cogitatio illa paucorum, quos vel propria perversitas, vel olim dicti Petri indigna commiseratio, vel non debita in tali casu pro susceptis beneficiis gratitudo, vel falsa quædam imago pietatis in errore & ejus obsequiis detinebat, longe arcenda a finibus regnorum tuorum, vel potius extirpanda per reductionem peccantium vel exterminationem eorum, ut ex operibus tuis in fine totus mundus intelligat puritatem conscientiæ tuæ & opinionem tuam non esse a tuis sanctis principiis alienam: ex hoc enim magnam merebaris gratiam apud Deum, cujus Ecclesiam, volueris in omni tempore omni macula & errore purgare: magnam etiam gloriam apud homines consequeris, qui simul initia tua & facta Ecclesiæ cum fine conformi perpetuis laudibus celebrabunt. Accedet hoc præterea ultimum & extremum ad reliqua officia tua plena devotionis & fidei, quibus pridem ipsam Ecclesiam obligasti, quod eo ipso fiet gratius, quia ab eodem auctore ipsa Dei Ecclesia gaudebit in terris illis unionis principia sibi data et postrema schismatis seminaria extincta fuisse. Ceterum quia ex justa causa translatio concilii generalis de civitate Papiensi ad civitatem Senensem per ipsum concilium est decreta & approbata per nos, excellentiam tuam rogamus, ut operam facias, quod prælati de regnis tuis veniant ad reformandum cum ceteris statum ecclesiasticum, & libertatem Ecclesiæ conservandam: Dat. &c. Ex postremis verbis manifeste hoc anno eas fuisse exaratas literas, superius a nobis de translato Senas concilio dicta perpendenti patebit. Risit non sine impietatis nota, ac magno cum Ecclesiæ universæ ludibrio apostolica monita Alfonsus earum omnium technarum artifex, qui hisce operibus comminabatur Pontifici, se schisma propagaturum, ni Ludovicum Siciliæ Regem Joannamque fœderatos desereret, ut ipse Neapolitano regno potiretur.

Monetur, ut Senas episcopos mittat.

Acta Concil. Sen. in Huss. & Wicleff.

(d) Act. concil. Senen. Malevolt. in hist. Senen. Cant. in Crem. in annal. hoc ann. & alii.

X.

Celebrari (d) cœpta est Senensis synodus vigesima secunda augusti hujus anni iisdem præsidibus apostolicis, qui antea Papiensi concilio præfuerant (e), atque in ea ad Joannis Wicleffi (f) & Joannis Hus hæreses abolendas, sanctiones in Pisano & Constantiensi conciliis editæ, tum ab Alexandro V. & Joanne XXIII. latæ confirmatæ. Decreverat Senas proficisci Pontifex (g) mense septembri, ut in eo concilio ad Christianæ rei dignitatem tuendam augendamque apostolica studia conferret: sed Rex Alfonsus, qui ut vidimus, pseudocardinales aliquot antea creatos finxerat, mentitus illos a Petro e Luna renuntiatos, atque ab his pseudopontificem veteris schismatis reliquiis præfici ad venandum Christi vicariam injustis ejus cupiditatibus obsequi detrectantem jusserat, novas turbas excitavit oratoris sui opera, qui Regis virus sine ullo pudore in Pontificem evomuit. Egisse illum antipapæ caussam plerique referunt scriptores (h).

(e) Mart. l. 5. ep. cur. p. 12. ext. etiam de eo lit. in actis concil. Basilien.

(f) Lib. 4. ep. cur. p. 244.

In concilio suum antipapam tuetur Alfonsus.

(g) Mart. l. ult. brev. p. 39.

(h) Marian. l. 20. c. 14.

Au-

Auxisset Senensis synodi majestatem Martinus sua & Cardinalium præsentia: sed cum magistratus Senenses, dum nimium studebant privatis commodis, temere libertatem concilii infringere niterentur, (a) & civitatis suæ gloriam obscurarunt, & concilii dissolvendi causam præbuerunt: Martinus enim Aragonum Regis oratoris insolentiæ & impietatis, Senensiumque arrogantiæ pertæsus mediato itinere supersedit, Christique imitatus clementiam Alfonsum instaurati authorem schismatis apertumque hostem paternis querelis ad saniora ipsum consilia reducere conatus est: *Quid fecimus*, inquit (b), *contra te fili charissime, ut orator tuus apud sacrum generale concilium, quod Senis celebratur, tanto nos studio persequatur, quasi ad nihil aliud, quam ad infestandum statum Romanæ ecclesiæ & nomen nostrum a tua serenitate transmissus esse videatur? Quid autem faciat & quid dicat, & quibus machinationibus publice & occulte laboret contra honorem nostrum, non scribimus: nam si sibi talia commisisti, nota sunt tibi: si sponte sua facit, volumus ut ex aliis cognoscas potius quam ex nobis. Sed per Deum immortalem infallibilem judicem, cui nihil occultum est, tecum paru mper examina in qua causa te læsimus & dignitatem tuam;* pergit gravissimis argumentis demonstraro non factam a se ei injuriam ullam, sed potius studia sua etiam in re Neapolitana in ipsum collata, de quo inferius nobis agendum erit subjiciteque: *Nec propterea tua regalis excellentia sic inflammata succenseat nobis, ut & in regnis tuis odio nostro intendicta apponat contra Romanam ecclesiam & ecclesiasticam libertatem, & nos etiam in generali concilio mutius & orator tuus tamquam hostem sui capitis persequatur: de cujus tamen infectatione & maledictis curamus parum confidentes in Domino, cui manifesta sunt omnia, quod honorem nostrum cum Ecclesia sua defendet; sed hoc tibi significare volumus, celsitudinem tuam rogantes, quatenus ob reverentiam Jesu Christi, vice cujus in terris, licet immeriti, Christiano populo præsidemus, deponas omne tuum odium contra nos injuste conceptum: quamvis enim velut homo passionibus subjiciamur humanis, tamen [Deo teste] nulla tibi umquam commoti passione nocuimus, nec sumus in posterum nocituri: sed te ut dignissimum filium nostrum & Ecclesiæ in visceribus charitatis nostræ cupimus retinere.*

(a) *Mart. lib. ult. brev. p. 49.*
Cur Martinus ad Senense concil. non sit profectus.
Flectere nititur Mart. Alfonsum.
(b) *Lib. ult. brev. p. 39. ext. etiam in alio l. brev. p. 5. & 116.*
Plura ejus orator contra Martinum molitus.
Edicta ab Alf. data contra Ecclesiast. libertatem.
Monitum clementer ut odia exuat.

XI.
Excitare in Senensi synodo turbæ.
(c) *Marian. l. 20. c. 14.*
(d) *Cavitel. in annal. hoc ann.*

Intendisse (c) Alfonsum in Senensi concilio litem Martino de pontificatu, quasi Petrus e Luna e Constantiensi concilio injuste damnatus esset, atque etiam ab illo nonnullos præsules partim auro, partim pollicitationibus corruptos (d) fuisse tradunt quidam scriptores, unde injecti synodo magni tumultus; vicit tamen improborum artes veritas, lataque est in schismatis propagatores sententia, de qua anno proximo. Cum vero ob eas turbas Pontifex concilium iis, quæ ad fidem spectarent constabilitis, dissolvi jussisset, Senenses qui magnos quæstus, ex synodi prorogatione se consecuturos sperabant, apostolicis legatis intempestive adversati sunt, ne synodum absolverent, patresque dimitterent. Magistratus itaque Senarum officii sui metas egressos Martinus his literis (e) compescuit.

Temeritas Senensium.
(e) *Lib. 2. brev. p. 49.*

Ad civitatem Senensem.

Si nobis molestias, quas infertis, impedienda præsidentes nostros & prælatos alios in prosecutione & expeditione concilii generalis per modos inhonestos & libertati ipsius concilii & nostræ contrarios voluntati inferrent alii, de quorum erga nos devotione & benevolentia non fuissemus ita confisi, æquiore animo tolerare possemus; sed cum in illa vestra civitate, quam singulari charitate semper amavimus, nec adhuc amare desinimus, & ad quam concilium ipsum vidimus cum magna lætitia & animi nostri securitate transferri, tot & tanta tædia patiamur, ægrius ferimus & dolemus magis; nulla enim per vos & cives vestros habetur ratio nostri & Romanæ ecclesiæ honoris & status: sed solum vestri quæstus & commodi, quasi concilium quæstuaria nundinatio mercatorum esse debeat, non libera consultatio prælatorum, quorum est officium, non laicorum, de iis, quæ ad sanctam synodum pertinent, pertractare & in iis omnibus disponere & providere. Rogamus itaque vos, & pro debita nostro requirimus, ut falcem vestram in alienam messem non ponatis, nec ingeratis vos ultra quam expedit, nec cogitetis arbitrio vestro debere concilium protrahi vel dissolvi: quod si vos & cives vestros in modis talibus perseverare senserimus, pro honore nostro aliter providentes a vobis circa hæc laborandi materiam auferemus. Dat. Romæ, &c.

Interpellatur a Martino.
Pro arbitrio moderari concilium affectabant.

XII.

Quæ porro causa Alfonsum Regem Aragonum ad tantas in Senensi synodo miscendas turbas, ac novum antipapam creandum colendumque adversus Pontificem, concitarit, jam indicata est; subita nimirum rerum Neapolitanarum conversio, qua Joanna Regina, abrogata Alfonsi adoptione, Ludovicum Andegavensem in locum ingrati principis suffecit: quod Martinus in arcanis literis ad archiepiscopum Narbonensem hoc anno datis significat (f): *Quod*, inquit, *scribis te locutum esse cum charissima filia nostra Joanna Regina Siciliæ illustri, valde placet nobis, & quædam verissime dixisse, nos quæ patimur a Rege Aragonum pati propter filium suum,* nempe Ludovicum ipsum adoptivum, *quem ille nihil existimat fuisse facturum absque auxilio & favore nostro. Non dici-*

Alfonsi adoptio rescissa a Jo. Regina.
(f) *Mart. l. 9. brev. pag. 10. & 182.*
Suffectus Lud. Andegaven.
Defecit a Martino Alfonsus.

nus quam injuste adversus nos ille moveatur, notoriam est enim: sed tamen sumpta occasione, quod Regem Ludovicum fovemus, resilmt a nobis; nempe apertas tunc gessit cum ipso inimicitias, qui antea clandestinis artibus schisma aluerat, ut pro adimendo Petro de Luna vel Ægidio Munioni antipapaeo Neapolitani regni jus fiduciarium a Pontifice extorqueret: cujus injustas querelas repetitis ex parte justis supra allatis querelis ita retegit Martinus (a).

(a) *Lib. ult. brev. pag. 39. & in aliol. brev. pag. 15. & 116.*

Charissimo in Christo filio Alfonso Aragonum Regi illustri.

Quid fecimus contra te, fili charissime, ut orator tunc apud sacrum generale concilium, quod Senis celebratur, tanto nos studio persequatur quasi ad nihil aliud, quam ad infectandum statum Romanæ ecclesiæ & nomen nostrum a tua serenitate transmissus esse videatur? Quid autem faciat & quid dicat, & quibus machinationibus publice & occulte laboret contra honorem nostrum, non scribimus: nam si sibi talia commisisti nota sunt tibi, si sponte sua facit, volumus ut ex aliis cognoscas potius quod occultum est; coeum parumper examina in qua causa te læsimus & dignitatem tuam. Nam si ad injuriam tuam dicis, quod omni aliorum jure postposito tibi plene & aperte non favemus in conquisitione regni nostri Siciliæ ad te nullatenus pertinentis, vide ne magis moveat mentem tuam propria affectio non recta, quam ratio quæ non errat: nihil tamen tibi unquam negavimus, quod posset honeste & juste concedi, nihil adversariis tuis concessimus, quod eis posset jure negari.

Iratum Alfonsi in Mart. causam injusta.

Nos vero juste possemus de sublimitate tua conqueri, quod in regnum nostrum precibus & pollicitationibus allectus absente primum cum classe venisti, & te nobis eam potentia opposuisti, ne possemus de re nostra disponere: sed tamen hoc tulimus patienter, nec conatibus tuis, ut poteramus & ut etiam debebamus, constanter obstare voluimus, ex patris desiderio & ea, qua tibi afficiebamur charitate, moti et cum charissima in Christo filia nostra Joanna Regina Siciliæ illustri in pace reliquimus, quantum pertinebat ad nos, omni bellica turbatione sublata. Si postea inter vos suborta suspicionibus dissensio facta est, ex qua in præfato regno nostro graviora discrimina sunt secuta, nos certe in causa non sumus, qui in sede nostra quiescentes nihil aliud optabamus, quam videre statum illius regni qualitercumque firmatum. In hoc autem statu rerum, si palam subvenire-mus præfatæ Reginæ, super cujus nomine causam & justitiam tuam fundares, ut ipsa in pace teneret id regnum, quod a nobis & Romana ecclesia recognoscit, ad nullam profecto injuriam tuam reputare deberes: veruntamen unde illi magna submi-

Nulla a Martino præstita dubiorum causa.

nistrarentur auxilia notum est, quibus pecuniis refectus exercitus ejus, quibus opibus instructa sit classis, quæ nuper solvit a Janua. Non velis itaque, fili charissime, si de hoc negotio res ad tuam libitum non successit, imputare nobis, qui ne adversemur voluntati tuæ omisimus forte multa, quæ facere debebamus. Dat. &c.

XIII. Quid Pont. in Neapolit. turbis jure agere potuisset.

Potuerat nimirum Martinus servata legum æquitate ac prædecessorum exemplo Alfonso censuras ecclesiasticas intentare, ne regnum Neapolitanum invaderet, pœnisque a Joanne XXII. constitutis ipsius sectatores percellere, Joannam vero, quæ cum adoptans pactiones accepti jure fiduciario regni infregerat, spoliare regno, devolutumque ad sedem Apostolicam pronuntiare, vel Andegavensi duorum qui præcesserant Pontificum exemplo tradere: sed tuendæ in Dei Ecclesia pacis studio illa abstinuerat; dum Alfonsus interea schisma in Aragonia firmabat, violatis (b) omnibus sacramentis, quibus se Neapoli devinxerat: immo admodum faverat Pontifex Aragonio, cum ita pepigisset Joannam inter & Ludovicum inducias, ut Joannæ Aversa a legatis apostolicis restitueretur, ducatumque Calabriæ contra jura pontificia a Sicula corona discerptum traditumque Alfonso patienter tulerat: quæ vero postea Alfonso ipsi adversa in regno Neapolitano obvenere, non Pontificis studio, sed illius vitio contigisse pluribus describunt auctores (c): eum scilicet omnia regni Neapolitani sibi subjiciendi cupidine percitum, nec ducatu Calabriæ contentum universam administrationem ad se traducere voluisse, atque in sua verba proceres urbesque plures adegisse: cumque ob id exulceratum Joannæ animum nosset, ipsius præcipuum administrum Joannem Caracciolum non servata, quam illi solemni ritu dederat fide, compegisse, in vincula conjecisse, ac Joannam in arce Capuana intercipere conatum, ut in Cataloniam aveheret, repulsumque arcis aditu, illam obsidione cinxisse. Oppugnata ita omni telorum genere Regina territisque Neapolitanis excitus est in auxilium Franciscus Sforcia comes Cotignolæ, qui Neapolim ingressus Aragonium exercitum magna clade fudit (d) coegitque Alfonsum dictæ arcis Capuanæ obsidionem solvere, seque in arcem, cui Ovi nomen inditum, recipere.

(b) *Marten. lib. 9. brev. sup. p. 39.*

Faverat potius Alfonso quam erat adversatus.

(c) *Collenut. hist. Neapol. l. 5. Summont. l. 4. cap. 3. Surit. l. 13. cap. 16. & alii.*

Ut Joannam Alfonsus capere conatus sit.

Eversa ejus consilia.

(d) *Collenut. & Summont. ubi supra Surit. c. 17. 19.*

Potitus ita Neapoli Sforcia in Aversam signa extulit, eamque Aragoniis ereptam Reginæ restituit, suasitque ut Ludovicum Andegavensem, abrogata Alfonsi adoptione, in filium asciseeret. Itaque is mox ea pontificia aula vocatus, atque ex hoste fidus Reginæ amicus adscriptus est: publicæ vero promulgatæ sunt literæ, quibus ingrati animi vitium Alfonso objectum, eoque nomine hereditarium Nea-

po-

Neapolim vastat. politani regni jus ei detractum. Inter hæc obsesso a Neapolitanis Alfonso Catalana classis ipsi saluti fuit, quæ cum ad litus appulisset, expositæ in terram copiæ magno in Neapolitanos irruerunt impetu vastavereque urbem: ex cujus excidio ingenti dolore affectus Pontifex Reginam Joannam, quæ a Sfortia ex arce Capuana deducta in tutiorem locum fuit, ad constantiam hisce literis excitavit (a).

(a) Lib. ult. brev. pag. 41.

Charissimæ in Christo filiæ Joannæ Reginæ Siciliæ illustri.

Plangit Martinus illius excidium. *Maximo nos dolore affecit ille miserabilis & infelix casus urbis Neapolitanæ, nec sine magno profluvio lachrymarum tantam audire potuimus afflictæ civitatis calamitatem. Obversantur ante oculos nostros capta urbs, civium consternatio & fuga, furor hostilis, & super omnia periculum tuum, & timor & dolor in publica fidelium tuorum clade. Unica res est in tanto infortunio consolatur, quod te salvam extra bellicum tumultum, gratia Dei & præsidio dilecti filii nobilis viri Sfortiæ de Attendolis reduxisti: nos enim personam tuam incolumem esse cupimus, qua servata cætera facilius poterunt conservari. Tu vero non dejicias animum regi-nalem, sed assurgas & sexum superes tuum, ac speres in Domino, qui consolator est optimus. Nos profecto tibi, filia in Christo charissima, nec consiliis nec auxiliis nec auctoritate deerimus, dispositi quantum nobis omnipotens Deus concesserit, te fovere & quibuscumque modis poterimus consulere. Dat. &c.*

XIV. Nititur Martinus inter Alf. & Joannam pacem conciliare. In tanta rerum perturbatione Pontifex, ad quem supremum regni Neapolitani imperium spectabat, cum pacem Alfonsum inter ac Joannam missis internuntiis conciliare frustra (b) nisus esset, censuit Joannam confirmandam in regni possessione, cui jam ante opera Petri S. Mariæ in Dominica diaconi Cardinalis A. S. L. beneficiarium regni jus contulisset, rejiciendumque Alfonsum, qui alienis allectus promissis intrudere se in regni possessionem conabatur; qua de re ad Joannem Antonium Ursinum Tarentinum principem hæc scripsit Pontifex (c) ipsum adhortatus, ut Joannæ Reginæ obsequeretur: *Fuit*, inquit, *semper nostræ intentionis, prout existit, quod ipsa, quamdiu vixerit, dicti regni vera Regina permaneat, & omnia agat & disponat, sicut vera Regina agere potest & debet juxta formam nostræ infeudationis.* Franciscum pariter Ursinum, Franciscum Sanseverinatem (d), aliosque regni proceres, urbiumque & oppidorum magistratus, (e) Joannæ parere jussit. Quæ literæ hac temporis nota consignatæ sunt: *Dat. Romæ apud S. Mariam majorem x. kal. decembris pontificatus nostri anno VII.*

(b) Mart. l. 4. ep. cur. pag. 273.
Tueri Reginam decernit.
(c) Lib. 4. ep. cur. pag. 280.
Proceres ac populos Joannæ parere jubet.
(d) Ibid. cur. pag. 278.
(e) Ibid. pag. 277.

Excussere Neapolitani Aragonum jugum cum primum se obtulit occasio; Alfonsus enim Rex relicto sui loco Petro Aragonio ex ea urbe discedens in Aragoniam abiit, ut Henricum fratrem a Castellæ Rege inclusum carcere liberaret, sive imminentem Genuensium classem metueret. In itinere autem oppugnandæ Massiliæ, quæ Ludovico Andegavensi parebat, consilium cepit ex tempore, cujus audaciæ favit incuria civium, qui nullas agebant excubias: ita portus impetu expugnatus est (f), deinde urbs direpta, sectisque injectæ faces: cumque eam urbem tenere non posset, ne Provincialium concursu obrueretur recessit, avectis S. Ludovici episcopi Tolosani, qui in Aragonio carcere prima sanctitatis fundamenta jecerat reliquiis, quas in Valentina principe ecclesia collocavit (g), ut ab iis, a quibus in carcere vivus tentus fuerat, mortuus coleretur. Massilia ab Alfonso expugnata.

(f) Diar. Venet. ms. Collenut. l. 5. Summon. lib. 4. c. 3. Sabel. ennead. 10. l. 1. Surit. l. 13. c. 22. Foliet. l. 10. Bizar. lib. 11. & alii.
(g) Surit. lib. 13. c. 22.

His ab Alfonso gestis, Philippus Maria Mediolanensium dux & Genuæ dominus classem, egregie instructam in Genuensi portu, Ludovico Andegavensi fœdere sibi juncto misit (h), quam præfecto Guidone Taurello mense decembri solvisse referunt Genuenses scriptores (i), de qua etiam in pontificiis literis mentionem factam vidimus. Ut vero deinde in Gajetanum portum invecta Aragonios ex ea urbe pepulerit, cum contenderit Neapolim ac Francisco Sfortia comite cum copiis suis accurrente ad Joannæ imperium eam urbem redegerit, anno proximo dicetur, nunc de sacro in Bohemos hæreticos gesto bello agendum est.

Avectæ Valentiam S. Ludovici episcopi reliquiæ.
(h) Monstrel. vol. 2. hoc an.
(i) Foliet. & Bizar. ubi sup.

XV. Comparata in Hussitas sacra expeditio. Celebratis superiori anno conventibus Norimbergæ decreta erat a Germaniæ principibus expeditio pro rei catholicæ dignitate tuenda adversus Bohemiæ hæreticos, ad quam conficiendam Pontifex Othonem Trevirensem archiepiscopum excitavit (k), ut pium ardorem in fidelibus cruce insigniendis augendoque catholico exercitu ostenderet, nec propterea concilium, cujus congregandi tempus appetebat, disturbatum iri.

(k) Lib. ult. brev. pag. 71. & in alio lib. brev. pag. 13.

Venerabili fratri Othoni archiepiscopo Trevirensi salutem.

Argutiis telisque armatam hæresim. *In nulla re arbitramur magis esse laborandum & omnibus studiis intendendum quam circa perfectam extirpationem illius nefandæ hæresis, quæ Bohemos miserabiliter excæcavit: quæ quoniam non solum in errore verborum & falsis & sophisticis argumentis innititur, sed armis & viribus se tueri & confirmare conatur, necessarium est ad eam confundendam & opprimendam vires & arma fidelium convocare ecclesiasticorum principum & laicorum, præcipue de natione Germaniæ, quibus ipsa vicinitas commodiorem facultatem fu-*

tur-

currendi prabet & majorem promptitudinem animarum, ad commune & propinquius periculum repellendum. Accedit, quod & catera nationes propriis sunt hoc tempora difficultatibus occupata : Et infra. *Igitur ea, qua ordinata fuerunt in congregatione principum nuper habita in civitate Nurimbergensi super ista materia de expeditione militari contra Bohemos hareticos statuenda; & de potenti exercitu contra eosdem hoc proximo idoneo tempora conducende, nobis maxime placuerunt.* Et infra: *Nec est ullo modo retardanda prosecutio tanti negotii causa concilii generalis, Deo auctore, proxime celebrandi immo fortius est instandum, nec dandum hareticis spatium respirandi: neque enim repugnat celebrationi concilii hac sancta expeditio salutaris; quin immo ita conveniunt, ut nihil convenientius dici possit, &c. Dat. &c.* Eadem vero literae (a) ad Conradum quoque Mogontinum datæ.

Non intermittendum bellum ob concilium.

(a) Lib. ult. brev. pag. 72.

XVI. Habita synodus Lanciciensis.

Neque in Germania modo archiepiscopi concilia celebrarunt, verum in Polonia præsules illi Gnesnensi archiepiscopo præside convenere Lancisiæ (b), ut Polono regno, ne hæretica lue inficeretur, consulerent: tum operam ac studia sua una cum cæteris Christiani orbis præsulibus pesti Hussiticæ excindendæ navarent; susceperat (c) Witoldus dux Lituaniæ Bohemorum patrocinium, cum ei iterum Bohemica corona, jam ante ab ipsomet repudiata, omnibus precibus a Pragensibus, frementæ licet Ziska ac Thaboritis repugnantibus, qui nullum Regem externum vocari volebant, deferretur, ac Sigismundum Keributum patruelem suum quingentis succinctum equitibus in Bohemiam miserat, qui ipsius nomine in regni possessionem veniret: a quo Pragensis urbs in meliori statu collocata (d), cum hæresis omnia confudisset: at Poloni pattes, cum ea eo catholica religio maximam cladem acciperet, ad Witoldum ac Poloniæ Regem ab hæreticorum societate revocandos curas converterunt, Pontificique synodalibus literis significarunt, non modo Witoldum Lithuanica auxilia Bohemis detracturum, verum etiam arma in hæreticos expediturum. Quibus acceptis Martinus, qui verebatur, ne Witoldus coronæ Bohemicæ perstrictus fulgore religionis causam conculcaret, Gnesnensi archiepiscopo rescripsit (e), multa sibi jam ante verba in cassum ea de re data, præcepitque ut omni contentione una cum suffraganeis suis ad Regem Poloniæ ejusque nepotem ad officium revocandos, defectendamque hæreticorum Bohemorum clientelam incumberent.

(b) Mart. l. 2. brev. pag. 14.
(c) Æneas Silv. hist. Bohem. c. 44. Dubr. l. 26. Cochlaus l. 5. hist. Huss.

Suscepta Pragensium a Witoldo clientela.

(d) Cocl. l. 5.

Incæpi-tus a Polonis præsulibus.

(e) Lib. 2. brev. p. 14.

Ad archiepiscopum Gnesnensem.

Grata fuerunt nobis, qua tu una cum suffraganeis tuis scripsisti de provinciali vestro concilio Lancitia celebrato, & de remediis contra insurgentem haresim per vos devote & sapienter appositis: sed super omnia gratum esset, si charissimus in Christo filius noster Vuladislaus Polonia Rex illustris & dilectus filius nobilis vir Alexander Lituania dux id facerent, quod scripsistis, ut videlicet non solum abstinerent a subsidio hareticorum & Sigismundum eorum nepotem revocarent, sed etiam una cum aliis fidelibus principibus insurgerent contra eosdem hareticos, sicut vobis, ut scribitis, promittebant, hac esset vera & certa via ad eorum syncram voluntatem ostendendam in populo Christiano, qui admiratur & dolet, quod tanto tempora tenuerunt pradictum Sigismundum in subsidio hareticorum, & contra nos etiam increpationes & querela multa sunt facta, quod nimia benevolentia erga eos sine animadversione condigna talia fieri in prajudicium fidei catholica tanto tempore toleremus. Sed dudum impleta sunt aures nostra hujusmodi promissionibus a servitoribus & benevolis prafatorum Regis & ducis, quod prima Sigismundus in Bohemiam missus esset pro reductione hareticorum, deinde cum de ista reductione nil fieret, quod ipse continuo revocaretur: verum cum videamus eundem non revocari, sed persistere & immorari in eorum subsidio, tolerare non possumus quin pro debito summi apostolatus officii aliter moneamus eosdem Regem & ducem, ut introclusa copia literarum, quas ad eos misimus, continetur: te vero & suffraganeos antedictos, quibus velis prasentium copiam destinare, stricte requirimus & hortamur in Domino, ut omnibus viis & modis, quibus melius poteritis, studeatis prafatos principes continere, ne auxilia vel favores Bohemis hareticis subministrent aliquo colore quasito; sed statim revocent Sigismundum, & ad confusionem hareticorum cum aliis fidelibus se conjungant, & pacem habere velint cum omnibus catholicis Christianis, Dat. Roma.

Latæ ab iis leges in hæreticos.

Regem Pol. & ducem Litu. officii admonet Martin.

Agitatum erat a Polonis præsulibus in Lanciciano concilio de Wladislao Rege an Witoldo duce Sigismundo Hungariæ, Bohemiæ, Romanorumque Regi, quem ob controversias, quæ ipsis jam diu cum Prussiæ equitibus intercesserant, ab sese abalienaverant, conciliandis; conventumque erat, ut ad redintegrandam pristinam amicitiam rei Christianæ tuendæ, augendæque divini nominis gloriæ adeo perutilem in colloquium venirent: qua de re certior factus Pontifex Fernandum episcopum Lucensem, antea legatione functum in ea controversia, illuc cum hujusmodi mandatis misit (f).

XVII. Poloni præsules pacis interpretes.

Indictum colloquium.

(f) Lib. 4. ep. cur. p. 170.

Martinus, &c. Fraternitati tua per apostolica scripta committimus & mandamus quatenus te conferas ad eum locum, in quo prafati principes Deo duce convenerint, &

cum

Jussus internuntius eo se conferre.

cum ipsis de concordia & pace eorum, a qua dependet status ipsorum & magna Christianitatis salus, nomine nostro agat & tractet, ipsis per rationes efficacissimas demonstrando quantum ipsorum concordia accepta Deo, ipsis utilis, nobis grata, & Christianæ reipublicæ necessaria est, & quod, si deficit (quod absit) pars, quæ erit in culpa, rea erit in divino judicio tot malorum, quæ sunt in bella secutura; ipsosque horteris & moneas, ut potius vires suas pro communi salute, pro fidei catholicæ defensione & conservatione conjungant ad extinguendam hæresim, quæ regnum Bohemiæ damnabiliter excæcatum tenet, quam velint inter se odia execranda fovere in animarum suarum periculum & communem jacturam populi Christiani. Nos enim tibi omnia & singula, quæ fuerint necessaria & utilia ad hujusmodi pacem, tranquillitatem, & concordiam procurandam inter præfatos Reges & ducem, eorumque complices, confœderatos, subditos & adhærentes, nominatim dilectos filios magistrum generalem & fratres hospitalis B. Mariæ Theutonicorum Jerosolymitanorum, qui dudum cum præfatis Rege Poloniæ & duce difficilem controversiam habuerunt, nostro & Romanæ ecclesiæ nomine, ipsarum partium accedente consensu, deducendi, tractandi, concludendi, & infra: *plenam & liberam concedimus harum serie potestatem, &c.* Adhortatur internuntium ipsum, ut ad eos principes conciliandos strenue incumbat. *Dat. Romæ apud S. Petrum* XII. *kal. martii pontificatus nostri anno* VI.

Reges concitet ad abolendam hæresim.

Confectam pax inter Polon. & Crucиferos.

(a) Mart. l. ult. brev. 0. 48. Æneas Silv. hist. Bohem. c. 14. Michov. l. 4. c. 46. Cromer. l. 19. Dubrav. l. 26.

XVIII. Revocati e Bohemia equites Polon.

Sancita (a) est in conventibus celeberrimis apud Kesmark hoc anno peractis concordia iis legibus, ut Prussiæ magister Eberhardus fœdus apud Melnum initum admitteret, arcemque Nieskovam rei Polonicæ infestam solo æquaret, Wladislaus vero & Witoldus Sigismundum Koributum una cum equestribus copiis e Bohemia revocarent: de qua concordia ad Cruciferos extant literæ (b). Conceptæ sunt inde spes, fore, ut Bohemi Polonorum ac Lituanorum auxiliis destituti, damnata pertinacia Sigismundi Regis imperio parerent, cum præsertim in Germania universæ fideles ad religiosam militiam suscipiendam in hæreticos dato crucis symbolo incitarentur, Daniæ Rex (c) summam sui expectationem concitasset, cruce signatas copias superato mari adducturum: dux Austriæ in Moraviam signa efferret: marchiones Misnenses eandem ob causam copias comparare putarentur, atque etiam cum his Polonos & Lituanos potentiam suam ad obterendos hæreticos se conjuncturos spopondissent. Verum hi apparatus & spes non sine causa conceptæ paulo post ad irritum cecidere; nam Hungaricus exercitus coactus non est, Polonus non comparuit, Danus comparatas copias dimisit, repulit Germanos, atque hæretici in pristina improbitate perstitere; quos invasisse catholicos, ac Romanorum Regem in Hungariam repulisse, narrat Monstreletus (d): de quibus (e) Christi vicarium vehementius expostulantem proximo anno audituri sumus. Quamvis vero universæ catholicorum vires in hæreticos non sint effusæ, narrat tamen Cochlæus (f) Fridericum marchionem Brandeburgensem irrepsisse in Bohemiam, & arcis, cui Carlstein nomen inditum, hæreticorum obsidionem solvisse; Fridericum similiter Misnensem & Ludovicum Bavarum alias copias adduxisse. Solicitati præterea a Pontifice in hæreticos Bohemos, quos recurrente die cœnæ dominicæ solemni ritu anathemate perculit (g), Amedeus dux (h) Sabaudiæ cui subsidiaria auri vis e sacerdotiorum decumis redigenda attributa est, & Carolus (i) dux Lotharingiæ fuere.

(b) Martin. lib. brev. ult. p. 19. & 48.

(c) Super p. 19. Ingentes contra hæreticos apparatus.

(d) Monstrel. vol. 2. hoc ann.

(e) Id. ib. Marchio Brandeb. irrumpit in Bohem.

(f) Cocl. hist. Huss. l. 2. 5.

(g) Lib. 4. ep. cur. p. 200.

(h) Ib. p. 211.

(i) Lib. ult. brev. p. 44.

XIX.

Quamvis vero adversus Bohemos plura lota essent prælia infelici successu, & admoto etiam ferro pestilens hæreseos cancer latius serperet, non tamen despondendos animos censuit Martinus (k), sed collocandam in Deo spem: aliquando ejus virtute impios obtritum iri. Pro agendis itaque bellicis impensis ecclesiasticis viris in omnibus regnis decumas imperavit militiæ, & quintam vectigalium ecclesiæ Romanæ partem sacræ militiæ addixit.

(k) Ext. ejus lit. in ms. cod. Alex. VII. p. 106.

Ad futuram rei memoriam.

Martini studia pro abolenda hæresi Bohemica.

Novit ille scrutator cordium Deus quot amaritudines & dolores undique nos circumstant, & affligunt quotidie mentem nostram, cum respicimus ad nefandam hæresim, quæ regnum Bohemiæ & partes finitimas occupavit. Torquemur quidem summa cordis anxietate, cum viderimus antiquum humani generis hostem, proh dolor! adeo pervertisse mentes quorumdam fidelium, ut qui nati, educati & nutriti in fide catholica fuerant, nunc abnegantes fidem Jesu Christi ad impietatem conversi sint, & ad tantam perfidiam devoluti, ut animas suas, quas Deo reddituri erant, si in via veritatis mansissent, quamvis a nobis sæpius paterna charitate moniti & requisiti, tamen ex malitia obstinata maluerint perdere quam salvare: constat enim omnibus quanta sollicitudine & indefessis studiis procuraverimus tota posse reductionem eorum ad sanam mentem, mittendo diversis temporibus diversos nuntios & legatos, qui experirentur vel pace vel bello tollere hoc malum de Ecclesia Dei. Optavimus semper, ut ipsi redirent ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ, ut tantus populus salvus fieret; sed cum sanis monitis adversarentur, & in dies pestis illa augeretur, necesse fuit tentare, quod sæpius factum est, ut gladio sanaretur vul-

vulnus, quod medicum recusabat, cum præstaret aliquod unum membrum perire potius, quam totum corpus inficiatur: verum sive exigentibus hominum peccatis, sive ut qui probati sunt manifesti fiant, nequaquam adhuc medicinæ adhibitæ pestifero morbo præfuerunt, quin potius veluti cancer irremediabilis concrescit magis & vires sumit.

Vectigalium suorum partem in belli sumptus consecrat.

Sed nos confidentes in virtute Altissimi, cujus causa agitur, sperantes quod tandem disperdet nequitiam peccatorum, quodque scutum fidei adversus arma nequitiæ prævalebit, Itaque quo plus prædicti homines & blasphemi vires sumere videntur, eo majori conatu & brachio fortiori est insurgendum adversus eorum hæresim de agro Domini extirpandam: Et infra. *Urget charitas Christi & impellit nos fidei suæ suscepta defensio, ut præter voluntatem nostram onera fidei deferenda cum reliquis fidelibus partiamur. Cum ergo opus sit manu armata & vi militum hanc causam tueri, ad quos parandos & sustinendos magna pecuniarum copia erit necessaria, nos, qui, ut exemplo nostro ceteros ad tantum bonum invitaremus, omnium numeræ nostræ introituum quintam partem ad hanc fidei expeditionem, omnium autem officiorum curiæ partem decimam assignamus, unam integram decimam omnium & singulorum beneficiorum ecclesiasticorum,* & infra, *imponimus, Dat. &c.* Consignatum est diploma, quod priori loco in regesto pontificio extat, hac temporis nota. *Dat. Romæ apud S. Mariam majorem nonis augusti pontificatus nostri anno VI.*

XX. De hæreticorum eorundem grassationibus & immanitate in sacerdotes & monachos hæc narrat Joannes Nider (a): *Tot ibi sectæ hæreticorum exstiterunt, quod vix numerari possunt; tres tamen principales perseverabant diu veterum videlicet Pragensium, qui tolerabiliores erant, Orphanorum, & Thaboritarum, qui pessimi erant, incendebant ecclesias & monasteria, nullam sanctimonialem nec religiosum nec Carthusienses non reformatos nec deformatos in regno suo vivere sinebant, nihil de imaginibus sanctorum nec de ornamentis ecclesiarum tenebant; sed omnia ista destruxerunt & illicita esse dixerunt & [quod his deterius est] sacerdotes & religiosos plurimos gladio occidebant, alios pollicibus amputatis ejecerunt, residuos cruciatibus affecerunt, nec non, cum Chrismate sacro & sancto oleo [quod nefas est facere, & audire horrendum] calceos suorum pedum inunxerunt. Extra regnum & intra multo tempore nulli sexui, nulli ætati, non gradui, non statui catholico pepercerunt, & quamquam omnes essent hæretici & schismatici, tamen tam incredibili errore divina permissione sunt obcæcati pariter & mulctati, ut aliquoties una secta aliam invaderet, & ut victrix victam occideret, hæreticus hæreticum, & schismaticus schismaticum. Unum tantummodo fuit signum, in quo omnes concordabant communicare, videlicet sub utraque specie sacramento divinissimo Eucharistiæ, quod multi indignissime sumebant post gravia facinora sine prævia Sacramentali confessione & sine debita reverentia; ubi vero sacerdotes, videlicet multi, missam celebrabant, execrabant verius, sine altari & vestimentis sacratis per manus episcopi: & quamvis tam divisi inter se essent, ut præmittitur, tamen quando fideles eos invadere disponebant sicut Herodes (b) & Pilatus statim amici facti sunt:* & pluribus interjectis: *Sileo (c) [ne notam incurram favoris excessivi] de superiore conventus Frankenstenensis reformata in nostro ordine, qui omnibus diebus vitæ suæ integer observator suæ regulæ & devotus usque ad finem permansit, quomodo in conventu eodem ab hæreticis captus constantissime fidem catholicam tenuit, & in sua patientia tam æquo animo rogum sustinuit, ut perfidi faterentur re in mortis pericula similem inter nostros non reperisse.*

Hæreticorum immanitas.

(a) Nider Formic. l. 3. c. 9.

(b) Luc. 23.

(c) Cap. 12.

Superior Prædicatorum affectus martyrio.

Hoc tempore tres urbes Gdanum in Prussia, Tanclem in Wandalia, & Duderstat in Saxonia flammis deletæ sunt, quod prodigio datum est, cum nulla vi aquæ aut ædium eversione compesci potuissent. Addit Krantzius (d) Rigæ in Livonia insigne divinæ justitiæ exemplum editum in magistrum equitum Theutonicorum, cui dies ad divinum tribunal ab innocente injuste oppresso dictus est: *Rem,* inquit, *tum quoque novam & insigni multorum fama diffusam ferunt in Livoniæ urbe Rigensi contigisse. Magister fratrum ordinis Theutonicorum, cum vellet nuptias conferre inter juvenem professione mercatorem & mulierem, quam idem magister non odisset, refragareturque juvenis, quod dubia videretur mulier pudicitiæ: quæ contemptum suum protulit ad vindictam, ut olim uxor Ægypti in Joseph, & Pasiphæ in Hippolytum, deferens juvenem magistro fratrum, de furto illum impetiit. Ille jussit publico condemnatum judicio necari juvenem suspendio. Jam moriturus juvenis: Quoniam, inquit, in hoc mundo injuste condemnatus morior, ad justum judicem voco magistrum in diem tertium decimum mihi de justitia responsurum, ut ibi verum inter se, ac me experiatur judicium. Moritur juvenis. Magister audicam evocationem contempsit, vixitque lætus discutiens melancholiam. Venit dies constituta: & ecce subita ægritudine corripitur. Cernens, quod moreretur adstantibus dixit: En morior: Video qui me vocavit astantem: quo dicto obmutuit, & paulo post vivendi finem fecit. Fabula vul-*

Urbes divinitus exustæ.

(d) Alb. Krantz. Wandal. l. 11. c. 2.

Divinæ justitiæ exemplum.

ga.

gatur per omne Livonia theatrum. Mulier ondo ab alio mercatore de vere furto impetitur.

XXI. Cantuar. archiep. temeritas.

In Anglia Cantuarienſis archiepiſcopus, clero aſſentiente, ſive quæſtus improbi ſive præpoſteræ pietatis cauſa, Romanorum Pontificum authoritatem æmulatus jubilei recurrentis ſtatis temporibus ſpeciem quandam effinxit: atque eccleſiam Cantuarienſem luſtraturis indulgentiarum præmia propoſuit. De cujus temeritate factus certior Pontifex Tergeſtinum epiſcopum, quem antea internuntium miſerat, quæ temere ab eodem archiepiſcopo Cantuarienſi novata erant, reſcindere juſſit (a).

(a) Lib. 4. ep. cur. pag. 184. & lib. brev. pag. 74.

Venerabili fratri Jacobo epiſcopo Tergeſtino, & dilecto filio magiſtro Simoni de Teramo juris utriuſque doctori, in regno Angliæ pro camera apoſtolica collectori, noſtris & Apoſtolicæ ſedis, nunciis.

Cum fuerit ad notitiam noſtram quamplurium ſignificatione deductam, Henricum archiepiſcopum & priorem ac capitulum Cantuarienſis eccleſiæ inaudita præſumptione & ſacrilega audacia commotos, de anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo jubileum ad generalem remiſſionem peccatorum in certis temporibus, locis, modis & formis ab antiquis patribus, & prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ordinatum induxiſſe & feciſſe publice prædicari, omnes & ſingulos viſitantes præfatam eccleſiam Cantuarienſem plenariam remiſſionem omnium peccatorum conſecuturos, quam conſequebantur viſitantes limina Apoſtolorum in alma urbe per Romanum Pontificem jubileo inſtituto; necnon temeritate ſimili inſtituiſſe pœnitentiarios, qui confluentes ad eos generaliter ab omnibus peccatis abſolverent, vel potius ſimplices animas illaquearent, & ab ipſis profanum pretium extorquerent cum inexpiabili conſcientiarum propriarum læſione, & deceptione aliorum ſimplicium animarum; nos conſiderantes quam periculoſum, quamque ſcandaloſum in fide, animarum ſaluti, quamque exceſſiva fuerit præſumptio archiepiſcopi, prioris, & capituli prædictorum, qui velut damnati angeli in aquilone ſedem ſibi conſtituere voluerunt contra Creatorem, ſic ipſi homines præſumptuoſi adverſus ſidem Apoſtolicam, & authoritatem Romani Pontificis, cui ſoli tanta eſt a Deo conceſſa facultas, falſum ſalvationis tabernaculum erigere ſunt conati; ac volentes ſalubriter providenda animadvertere cum debita exempla juſtitiæ & punitionis condigna in hujuſmodi tranſgreſſores, ne etiam in futurum aliqui attentare tam enormia non præſumant; vobis duobus, quos ad regnum Angliæ nuncios deputatos pro nonnullis arduis noſtris, & Romanæ eccleſiæ negotiis deſtinamus, tenore præſentium committimus & mandamus, ut vos ſuper præmiſſis diligenter inquirere & informare curetis.

Pontificis auctoritatem æmulatur.

Reſervatos etiam Pontifici caſus abſolvere molitus.

Judicium agit Martinus in eum.

Quod ut commodius adimplere poſſitis, & in apertum deducere veritatem, vobis & veſtrum cuilibet inquirendi, teſtes recipiendi & examinandi, ac examinari faciendi, & ſubtrahentes ſe a teſtificatione prout vobis videbitur compellendi, ſignificationes & probationes acceptandi, & ſuſcipiendi informationem quomodolibet de præmiſſis, etiam cum adjectione pœnarum, & quoſcumque alios contradictores & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam authoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendi, plenam & liberam per præſentes concedimus facultatem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum xiv. kal. aprilis pontificatus noſtri anno vi. Paruere Angli imperio Pontificis, ejuſque primatum auctoritatemque reveriti ab inceptis deſtitere.

Paritum ab Anglis Pontifici.

Abdicandi epiſcopatus poſtulata venia.

(b) Extam ejus lit. in mſ. cod. Alex. VII. pag. 196.

Flagitavit a Martino Thomas epiſcopus Herefordenſis virtutibus clarus, ut ob graviorem ſenectam abdicandi epiſcopatus poteſtatem ſibi faceret: cui reſpondit Pontifex (b) mentem novum robur ex debilitate corporis colligere poſſe, utque gregem ſuæ curæ demandatum paſcere pergeret adhortatus eſt.

Thomæ epiſcopo Herefordenſi.

Cur a Mart. denegata.

Cuperemus propter virtutem & humilitatis ſigna, quæ oſtendis complacere votis tuis, ſi & ſaluti animæ tuæ conduceret & id nobis conſcientia ſuaderet, quæ cum videat te virum probatum bonitate vitæ, verbo & exemplo proficere quibus præſis, ac regimini eccleſiæ, quam tuæ curæ commiſimus, eſſe non ſolum utilem, ſed fere neceſſarium; non patitur, ut te amoveamus a gubernatione illius. Eſt inſuper nota tibi ſententia illa Apoſtoli, virtutem perfici in infirmitate, viget enim magis animus in debilitate corporis, cujus robur aliquando adverſatur bonæ menti, & in ſenibus viget ratio & conſilium, duæ res neceſſariæ ad regimen & ſui & cæterorum: quæ cum in te ſint, ad gubernandas oves tibi commiſſas, etiam reliquis deficientibus, ſatis habes virium. Illud etiam advertas volumus, quod quo majus eſt onus tibi injunctum, quo major eſt labor & difficultas, eo majora apud Deum præmia, quæ ſola quærenda ſunt, te expectant. Itaque abjice hanc curam reſignandæ eccleſiæ, & cum benedictione noſtra perſevera, ut cœpiſti paſcere oves gregis tibi crediti, neque refugias pondus, quod non te deprimere in terram, ſed elevare in cœlum poteſt, &c. Dat. Romæ. Deeſt temporis nota; quæ ſuperioribus literis ita adſcripta eſt; *Apud S. Mariam majorem nonis auguſti pontificatus noſtri anno vi.*

Prætermittendum hoc loco non viſum eſt, hoc anno xxiii. julii, ut ex ſchedula pon-

(a) Fel. Contel. in elench. Cardd. sub Mart. V.

Duo Cardd. creati a Martino in arcano habiti.

pontificia refert Felix Contelorius (a); creatos duos Cardinales, nimirum Dominicum Ram episcopum Ilerdensem & Dominicum e Capranica, non tamen promulgatos, sed (ut ajunt) in pontificio pectore reservatos, ita ut x. die martii anni MCCCCXXX. Dominicum Ram presbyterum tit. S. Joannis & Pauli Martinus publicarit, Dominicum vero Capranicam diaconum S. Mariæ in via lata biennio post tantum promulgandum cum Cardinalibus pepigerit, de quo inferius. Nunc Anglorum, Gallorumque bella breviter perstringamus.

(b) Monstrel. vol. 2. hoc ann. Paul. Æmil. in Car. VII. Meyer. annal. Flandr. l. 15. in Philipp. & alii.

Ancipiti & vario successu a Carolo Francorum Rege & Anglis certatum est: ad Cravantum enim Galli, ad Gravellam Angli cæsi (b): tumultuario certamine pluribus in locis pugnatum, cædesque maximæ in eo exitioso bello patratæ. Plurium urbium direptiones, vastitatesque agrorum describit Monstreletus, ac duces Betfordiæ, Britanniæ & Burgundiæ fœdus pro Gallica corona Angliæ conjungenda Ambiani pepigisse tradit (c); Carolo autem VII. Regi natum fuisse Ludovicum filium Delphinum, qui postea paternis sceptris successit.

XXIV. Ludov. XI. natalitia. Inter Lusitanum & Castellanum fœdus initum.

(c) Monstrel. vol. 2. hoc anno.

(d) Marian. l. 20. c. 13

(e) Id. ib. c. 12.

(f) Ib. c. 14.

Henricus princeps restitutus libertati.

(g) Ext. in ms. cod. Alex. vii. p. 105.

In Hispania inter Castellæ & Lusitaniæ Reges sancitum fœdus (d) pactis ad viginti novem annos induciis, quibus lapsis nefas esset inferre bellum nisi id ante annum & dimidium indiceretur. Imminebat aliud bellum Castellæ. Conjecerat (e) in vincula Joannes Rex Henricum Aragonium, qui ab illius sorore nuptias, ipsa invita, extorserat, eundemque Regem in custodia ut vidimus, tenuerat; missoque oratore proximo ineunte anno Alphonso Regi Aragonum, ut eum mulceret, significavit (f) se ad id æquitate non impetu permotum fuisse. [1] De Henrico libertati restituto extant Martini literæ (g) ad Petrum principem datæ, quibus gratulatur de amplificato Aragonici nominis splendore, cum non modo Henricus carcere laxatus, verum etiam Joannes ejus frater Navarrica corona uxoris jure redimitus esset; eum hortatus, ut Alfonsum Regem Aragonum ipsius fratrem natu maximum in obsequio erga sedem Apostolicam, mirandaque parentis religione confirmaret:

Petro infanti Aragonum.

Pontificis de eo lit.

Dilecte fili salutem, &c. Vidimus libenter literas tuas, quibus significas nobis pacem inter Castellæ & Aragonum Reges, liberationem infantis Henrici, & coronationem infantis Joannis fratrum tuorum. De liberatione infantis Henrici audivimus rem valde optatam nobis, & quæ gaudium attulit menti nostræ: eam, ut nosti, sæpius pro ipsius relaxatione interposuimus partes nostras, eamque propter nostram in ipsum charitatem solicite quæsivimus, licet non in effectus, quem cupiebamus, fuerit subsecutus. Coronatio vero infantis Joannis est nobis gratissima, certi etenim reddimur, quod ex hoc argumento regiæ dignitatis augebitur quoque devotio sua erga nos & sedem Apostolicam. Agamus igitur gratias Deo, qui bonorum omnium est fons & origo, qui quo magis hominem exaltat, eo majori affectione colendus est, & majori virtutum progressu dona per ipsum concessa firmanda sunt & stabilienda in spiritu humilitatis & obedientiæ. Rursus etiam sanctam eam Regum concordiam laudamus, quæ placuit semper nobis cum inter singulos Christicolas, tum maxime inter regales. Unde monemus paterna charitate nobilitatem tuam, ut fratrem tuum Regem Aragonum horteris & inducas, ut sicut decet Regem & principem, Christianum pro honore, ac memoria inclyti patris sui, & etiam suo suorumque noster & Ecclesiæ filius esse velit, atque ita agat, ut a nobis & sede Apostolica diligi mereatur. Datum, &c. apposita sunt superioribus literis hæc verba: *Apud S. Mariam majorem ix. augusti pontificatus nostri anno vi.*

XXV. Rex Castellæ fui spes ingentes concitat.

(h) Lib. 4. brev. p. 12.

Quod ad Joannem Regem Castellæ attinet; summam sui expectationem concitabat, quem Pontifex ad ornandam virtutibus regiis adolescentiam hisce literis informavit (h).

Charissimo in Christo filio Joanni Castellæ & Legionis Regi illustri.

Si virtutes tuas, erga nos ac sedem Apostolicam devotionem literis laudare vellemus, aut nostram erga personam tuam explicare benevolentiam, multis verbis esset scribendum nobis, cum te tanta dilectione complectamur, quanta bonus parens ad obedientem filium habere solet, & virtutes tuæ tales dicantur, quales in optimo prin-

NOTÆ [1] Constare sibi magis Annalistam optarem. Superius num. 14. scripserat Alfonsum Aragonum regem Neapolitana expeditione dimissa in regnum suum rediisse, tum alias ob caussas, tum pariter ut Henricum fratrem a Castellæ rege inclusum carcere liberaret. Diem vero & mensem, quamvis ipse non indicat, proditur ab authore ephemeridum Neapolitanarum coævo, qui XV. octobris signat, cui & coævus author annalium Genuensium, vulgatus Rer. Ital. to. XVII. consonat, tradens novembri mense regem cum classe maria illa sulcasse in regnum suum reversurum. Qui vero ista cohæreant cum iis quæ hic subdit, recitans Martini literas datas die IX. augusti, quibus de restituto in libertatem Henrico gratulatur. Antea ergo dimissus fuerat Henricus quam Alphonsus rediisset. MANSI

Urgetur ad regias virtutes consectandas.

principe esse debent: nam praeter laudabilem regendi disciplinam, quae regnum gubernare te decent, multa audivimus ab oratoribus tuis, quos saepius ad nos destinasti, atque ipsi etiam experimur quotidie, de tua filiali devotione, divini cultus observantia, summa reverentia erga ecclesiam Dei & ejus antistites, atque his similia, quae nomen tuum reddunt praeceteris illustre ac praeclarum; de quibus prolixe scribere omittimus, ne in rebus notis insistamus. Tibi tamen tanquam sollicitus & diligens filii pater ad mentem reducimus, magnam tibi impositam esse necessitatem bene agendi tam propter ipsum nomen regium, quod purum atque immaculatum in timore Domini conservari debet, tum ut vulgata de te per omnes fama, quam adolescens tibi peperisti, & conservare studeas, & per gratiam Dei, qui abunde tribuit recte petentibus, augere atque augmentare, ut quemadmodum virilis aetas adolescentiae praestat auctoritate & sapientia, ita studia & opera tua, quibus ex deinceps vacaturus, principalis suis convenientia maturioris prudentiae & perfectionis, quoad fieri possit, esse videantur: ad quod te hortari atque incitare propter singularem in te affectionem nostram nunquam defatigabimur; spectat enim ad nos potissimum, qui sumus omnium Christifidelium communis parens, ut cum singulos exhortemur ad colendum virtutem, tum maxime Reges & principes, ad quorum normam subditi vivunt: Rex enim bonus reliquos ad bonitatem impellit exemplo suo, malus vero ad malitiam trahit.

Ut probitatis exempla diffundat in subditos.

Itaque enitaris oportet, fili charissime, omni cura, ut opinionem de te, ac virtutibus tuis conceptam ita diligenter custodias, ut regnicolae tui Deo gratias agant, qui te talem principem eis dedit, cujus moderamine corporum quietem ac pacem, animarumque salutem consequantur; & sancta mater Ecclesia gaudeat se filium habere egregium ac praestantem, qui eam virtute sua ornare possit & tueri. Haec paucis ad te curavimus scribenda, ut cognoscas nobis esse charissimum te talem fore, qualem & caeteri praedicant & nos optamus; atque intelligas nihil gratius esse nobis futurum, quam prout coepisti in via mandatorum Domini totis viribus perseveres: quae & nonnulla alia nostrum & Apostolicae sedis honorem & statum concernentia, ut tibi latius explicentur, dilectum filium nobilem virum Joannem de Orlandis de Genezano domicellum, familiarem & oratorem nostrum ad serenitatem tuam praesentialiter destinamus, cui placeat in his, quae eidem serenitati referet ex parte nostra, adhibere credentiae plenam fidem. Dat. Romae apud S. Mariam majorem kal. septembris pontificatus nostri anno VI.

Promissa illi paterna officia.

XXVI. Hactenus de occidentalibus rebus; nunc orientales perstringamus. Tradit MS. diarii Veneti author (a), hoc anno Delphinum Venerium Peloponensium oratorem ad senatum retulisse, Constantinopolitanum Imperatorem defunctum, scilicet superiori anno, filioque Calojoanni imperium summas in angustias adductum reliquisse; relatum etiam ad senatum ab eodem Veneto oratore Thessalonicenses de sanciendo cum Turca foedere egisse, ac si ille propositas pactiones rejecisset, ipsos ad Venetos inclinaturos: Caramanum expeditionem ingentem in Peloponesum adornasse, ut illam tyrannidi suae subiiceret, persuasisseque, ut nonnullae triremes instructae a Venetis in archipelago barbaris trajectum intercluderent, additque significatum postea senatui, viginti Turcarum millia irrupisse in Peloponesum, ingentemque vastitatem fecisse: in quibusdam tamen locorum angustiis profligatos, praedamque iis ereptam fuisse.

(a) Diar. ms. Venet. hoc ann. Actum in senatu Veneto de custodiendo Hellesponto.

Eodem anno (b) Peloponesiaci despotae orator senatus Veneti imperio & clientelae decima julii die Thessalonicam subjecit, ne Turcicae servituris jugum accipere cogeretur, cum ad eam tuendam viribus impar esset. Tradit praeterea author, de quo paulo ante memoravi, Constantinopolitanum Imperatorem Calojoannem Imperatoris proxime demortui filium decimaquinta decembris hujus anni die Venetias appulisse, exceptumque honorificentissime ab senatu; venisse vero ut triremes, ac subsidiarium aurum posceret: deinde ad Pontificem ac principes occidentales se contulisse, auxilia ab ipsis imploraturus, ne Constantinopolitanum imperium nomenque Christianum a Turcis deleretur: Amurates enim victo Mustapha, quem tuebantur Graeci, ut Turcicum imperium dividerent, Adrianopoli erat potitus (c).

(b) Idem ms. diar. ibid. Thessalonica a Graecis dedita Venetis

Calojoannis in Occidentem adventus pro efflagitanda ope.

(c) Mufulman. hist. l. 13.

XXVII. Hoc anno Deus insigni miraculo demonstravit, quam grata ei sit eleemosyna, visusque est liberalitate certare cum suis sanctis, dum quo plus pecuniarum illi ejus amore effundunt, plus ipse multiplicato foenore iisdem refundit. Patet hujus rei egregium exemplum in beata Lidovina virgine, quod narrat Thomas a Kempis (d): *Anno*, inquit, *Domini MCCCCXXIII. frater hujus virginis Vuillelmus Petri defunctus est, & reliquit debita quaedam, quae filii ejus persolvere nequibant: quod cum virgo clementissima percepisset venditis clenodiis ex hereditate matris sibi relictis ad octo libras Hollandiae, pretium collegit, & in denarios aureos monetae, quos melius cognoscebat permutari fecit, ac in bursa penes se collocavit. Quadam igitur die advesperascente advocavit Nicolaum cognatum suum secum commorantem, misitque per manum ejus ad solvendum singulis debitoribus de-*

Divinae liberalitatis exemplum insigne.

(d) Thom. a Kemp. in vit. S. Lidovin. s.20. & ex eo Sur. to.2. die 14. april.

bita fraterna, ubi eos sciebat commorari: Persolutis itaque debitis omnibus, quæ noverat persolvenda, jussit Nicolao, ut bursam inspiceret, si quid in ea remansisset: qui certissime respondit multam pecuniam in ea remansisse; mox illa jussit, ut eandem numeraret: cumque numerasset dixit priores octo libras se invenisse & adhuc superesse. Tunc prohibuit eum amplius numerare & gratias agens Deo super mirabili dono ejus, de cætero statuit bursam illam bursam Jesu nominari, & quod ex ea pauperibus debeant accessaria dari. Ex hac ergo liberaliter egentibus distribuebat quando alias pecunias non habebat: si vero interdum aliquas pecunias vel proprias vel per eleemosynas susceptas habebat, illas primitus dabat; quando autem alias non habebat, ex hac bursa Jesu tam large erogabat, quod parum in ea remansit. Providebat tamen omnipotentis Dei misericordia, quod semper ad usum pauperum omnis sufficientia in ea redundaret, quemadmodum ad verbum Eliæ lecytus olei in domo viduæ non deficiebat. Tradidit etiam nonnumquam alicui ex specialibus amicis suis hanc pecuniam numerandam, qui cum secunda vel tertia eam numerasset, invenit semper eandem ultra tres vel quatuor aut quinque nummos crevisse; solutis igitur ex hac bursa fratris sui debitis, plusquam quadraginta libras ex eadem distribuit, sicut aliquibus secretissimis amicis suis revelavit.

Pecuniæ inexhaustæ, quæ in nomine Jesu dispersæ.

INDEX
IN TOMUM VIGESIMUM SEPTIMUM
ANNALIUM ECCLESIASTICORUM.

A

Re-

B

omnia

C

D

Dei-

E

F

G

ab-

Gali-

I

Joan-

sibus

K

L

glos

M

Ju-

N

O

P

Hen-

fa-

R

S

eos

T

V

Z

INDEX
ANIMADVERSIONUM
In quo paginarum numerus indicatur.

A

B

C

D

E

F

G

Gal-

H

I

L

M

N

O

Pari-

P

R

S

T

V

F I N I S.

